15
5
395

BIBLIOTECA NAZIONALE
CENTRALE - FIRENZE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

INSTITUTIONES
THEOLOGICO DOGMATICO
CANONICO HISTORICO MORALES.

Digitized by Google

INSTITUTIONES
THEOLOGICO DOGMATICO CANONICO HISTORICO MORALES

Iuxta Sacram Scripturam, Canones, SS. Patres, Celebrioreſque DD. & Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ & Diſciplinæ Scriptores exaratæ.

A PATRE

ANTONIO MARIA BORANGA
ORD. S. HIERONYMI
CONGREG. B. PETRI DE PISIS
S. THEOL. LECT. IUBIL. EXPROV. ET TRIBUNALIS S. INQUISITIONIS CONSULTORE.

15
5
355

TOMUS I.

Complectens Tractatus de Principiis Moralis Chriſtianæ, de Actibus humanis, de Legibus, de Peccatis, & de Virtutibus Theologicis.

Della Libreria de' PP. Minimi



del Convento di ... di Firenze 1777

VENETIIS MDCCLXVI.

APUD SIMONEM OCCHI

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

234

Digitized by Google

[illegible]

[illegible]

[illegible]

ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO DD.

LAURENTIO DE PONTE

EPISCOPO CENETENSI,

Comiti Tartii, Sanctiſſimi Domini Noſtri Papæ Prælato Domeſtico, & Pontificii Solii Aſſiſtenti &c.

F. Antonius Maria Boranga.

CUM ob multas ampliſſimaſque, Præſul Illuſtriſſime atque Reverendiſſime, animi tui dotes, quibus tantopere ſupra mortalium cæteros eveheris, Te admiratus ſemper, reverituſque fue-

rim; idcirco ex quo ab iis, quibuſcum laborem meum communicaveram, (quem ſolius exercitationis cauſſa, meique unius in Theologicis hiſce moralibus Inſtitutionibus progreſſus ſuſceperam) typis eumdem publici iuris facere iuſſus ſum, ſemper habui in votis ut tuo nomine inſignitus, tuoque fretus patrocinio in publicam lucem prodiret; ratus, ita & meum a malevolorum criminibus tutum fore nomen, & meam etiam erga te obſervantiam, reverentiamque palam fieri: Verum quemadmodum ſummopere gratulor ipſe mihi lætorque, quod tam humaniter id mihi conceſſeris, ſic haud parum vereor, ut quod typis depromitur, opus ſit eiuſmodi, ut tanti Præſulis nomen præſeferre mereatur. Verum tamen licet hæ Theologicæ quæſtiones ob imbecillitatem, infirmitatemque ingenii noſtri, non ita ſint elaboratæ, ut & inſitæ præſtantiæ, & tanti Mæcenatis merito ex æquo poſſint reſpondere; gravitas tamen & utilitas earum rerum, quæ in illis pertractantur, tantæ ſunt dignitatis, tantique ponderis, ut cuilibet ſacro Paſtori ſint permaxime accommodatæ. In his enim exponuntur Principia, ſeu Regulæ Ethicæ Chriſtianæ iuxta Doctrinam Divinarum Scripturarum, Sacrorum Canonum, Sanctorum Patrum, ac huiuſmodi graviſſimo fundamento, ac celebriorum Theologorum iudicio, nec non naturalis rationis principio, tum Rigoriſmum, tum Laxitatem declinando ſtatuitur, non ſolum quomodo cuique ad proprios mores ad Chriſtianam diſciplinam componendos, agendum ſit, ſed inſuper, ac præcipue, quomodo ſacri Animarum Paſtores, aliique Conſcientiarum moderatores, in ſacro maxime Pœnitentiæ Tribunali ſe ſe gerere teneantur. Quinimmo his accedunt permulta quoque Eccleſiaſticæ Diſciplinæ, & Hiſtoriæ, non dicam

cam

Digitized by Google

tam utilia modo, ſed maximopere neceſſaria, ne ignorent tum Sacri Eccleſiarum Præſides, tum Sacerdotes ad unum omnes, quæ proprium vitæ genus reſpiciunt. Quare quæcumque ſint quoad alia ornamenta hæ morales elucubrationes, cum ex propria ipſarum natura in illud tendant, quod fuit ſemper præcipuum, ac ſingulare obiectum religioſiſſimi animi tui, in Conſiliis, laboribus, ſolicitudinibuſque pro Supremi Numinis gloria, Animarumque ſalute, non immerito ingratas, improbataſque tibi minime fore confidimus, utpotequæ res pertractent probæ indoli tuæ, tuiſque integerrimis moribus maxime conſonas. Quod ſi alicubi in negotio adeo ſalebroſo ob virium mearum exiguitatem defeciſſe tibi videar, pro admirabili tua humanitate, qua tantopere commendaris, ſpero non id Te mihi, ſed naturæ potius noſtræ vitio verſurum. Prætereundum cenſeo expiſcare tibi laudes, Præſtantiſſimæ Præſul, ex avita nobilitate Gentis tuæ, inter Patritias Venetorum familias Clariſſimæ, recenſendo tot viros, tum toga, & litteris, cum pietate, & armis inſignes, & inter alios celeberrimum illum Nicolaum, qui Tridentinæ Synodo tanta cum laude interfuit, & ob eximia in Rempublicam merita a Sapientiſſimis Patribus ad auguſtum Veneti Ducis ſolium evectus eſt; præcipue cum omnes prorſus maiorum tuorum dotes, virtuteſque, & inditas habeas animo, & exprimas factis. Uni igitur tibi Theologicæ hæ morales elucubrationes debentur, qui tot tantiſque moralibus virtutibus ornaris, & ſolicite curas, ut Clerus tuæ Diœceſeos maxime in huiuſcemodi ſtudiis verſetur; ut Eccleſiaſticam vitam profeſſus, nihil in eadem delinquat. Excipe itaque Clementiſſima humanitate tua, Illuſtriſſime, & Reverendiſſime Præſul, hoc qualecum-

que ſit mei erga te obſequentiſſimi animi pignus, & dum ob infirmitatem virium debitas tanto muneri grates rependere haud valeo, precor obteſtorque D. O. M. ut pro maiori ipſius gloria, & ſpiritali concrediti tibi Gregis profectu, longum te ſoſpitet, & niſi ſero admodum eam tibi, quam tute Clementia, & Liberalitate in pauperes adeptus es, indeficientem in cœlis coronam impertiatur. Vale.

PRÆFATIO
AD LECTOREM.

NE mireris, quæſo humaniſſime Lector, quod in tanta moralium librorum copia, quæ hactenus etiam in probabilioriſtarum ſententia (ex quo nunc temporis facta eſt communior) typis vulgata ſunt, novæ huiuſce diſciplinæ Inſtitutiones in lucem prodeant; quando revera multiplicitas rei eiuſdem tractationum confuſionem potius, quam profectum pariat; maxime ſi nihil noviter, ſaltem alicuius momenti, in ipſis proferatur. Et equidem cum ego quoque ſupervacaneum videam, ac fatear ſuper eadem re multiplicare volumina, quæ ſæpe ſæpius non ad aliud inſerviunt, niſi ad implendas Bibliopolarum apothæcas, vel inutiliter augendas imperitis expenſas, nunc profecto ad huiuſmodi laborem minime manum apponerem. Verum quando opus hoc elaborare ſuſcepi, non alius auctor publice conſpiciebatur, qui theologicam Ethicam in probabilioriſtarum ſententia pertractaret, quam perdoctus, & valde diſertus, inſignis Soc. Ieſu Theologus P. Gabriel Antoine; & potius exercitii gratia, ac ad proprium uſum, & profectum, quam intentione ut illud typis mandarem, ſine ulla cenſuræ formidine hiſce elucubrationibus animum adieci. Immo multum me impulit, ut hanc exercitationem aggrederer, non tantum conſilium aliqua addendi, quæ brevitatis ſtudio laudatus P. Antoine prætermittere cenſuit, ſed inſuper adiiciendi locis, quibus congruunt, documenta Eccleſiaſticæ hiſtoriæ & Diſciplinæ, quibus fere omnes, ne dicam omnes, qui Theologiam ſolum moralem exponunt, Lectorem ieiunum relinquunt, cum ex oppoſito fuſe hæc habeantur in auctoribus qui de rebus theologicis univerſim agunt. Nec huiuſmodi documenta ut ſupervacanea haberi poſſunt, cum valde ſint utilia; immo neceſſaria non ſolum animarum Paſtoribus, ſed Sacerdotibus etiam omnibus, quos dedecet ignorare, quæ eorumdem ſtatum reſpiciunt. Referuntur pariter ſuo loco, cum ſuis confutationibus errores, quos contra veritates Chriſtianæ moralis, & præcipue contra Sacramenta impie autumarunt perditi homines & in fidelis populi perniciem evomuere. Adiungere item cenſui Tractatum de Sepulturis, & quarta funerum ad commodum Venerabilium animarum Paſtorum, ad quorum manus ut plurimum libri de rebus moralibus tractantes perveniunt, ut in difficultatibus, quæ identidem inter ipſos circa rem hanc ſuboriuntur, ſciant, quomodo

Digitized by Google

in talibus conttoverſiis, (quando contingant) ſe gerere poſſint ac debeant. Apponuntur tandem in fine ut valde nedum utiles ſed neceſſariæ ad morales difficultates enodandas cum brevi explicatione Regulæ iuris in 5. & 6. Decretal. Quare cum opus hoc licet non quid novi, (dum nihil dictum, quod ante non dictum fuerit) aliquid noviter ſaltem in ſuis tractationibus comprehendat; & ſtudioſius, prout mea inſufficientia permiſit, cautum fuerit, ut moralibus doctrinis fœcundaretur, ac ideo copioſiores haberentur fontes, unde non difficiliter deduci poſſunt occurrentium caſuum moralium ſolutiones, non ut prorſus inutile damnari poſſe videtur. Nimius eſſem, ſi cathalogum Auctorum omni exceptione maiorum, quorum doctrinas hinc inde in toto Opere ſuis locis appoſitas quiſque adinveniet, vellem contexere, laudeſque debitas tribuere D. Thomæ, Sylvio, Eſtio, Contenſono, Vitaſſe, Habert, Iuvenin, Du-Hamel, Tourneleio, Berti, Antoine, Van-Eſpenio, Fagnano, Cabaſſutio, Fleury, Natali Alexandro, Thomaſſino, aliiſque, quorum nomina in æternum vivent, quique erunt poſteris omnibus quoad Moralem diſciplinam, Canonicam ſcientiam, Hiſtoriamqua Eccleſiaſticam præcipui in Orbe univerſo Magiſtri. Ne muſſites, amabo, benigne Lector, ſi quandoque aliquid tibi hic occurrat, quod iam videris ipſis etiam iiſdem terminis in alio gravi doctore, quia præcipue quoad doctrinalia, notanda, ſupponenda, data opera hoc factum fuit, ut maior ſententiis conciliaretur fides, cum ita facile deprehendatur, quo fundamento, qua auctoritate eas ſtatuerim: In hiſce enim rebus elucubtandis non fuit mihi in animo niſi veritatem meliori modo quo poſſem aperire, ſive proprio, ſive aliotum marte fuerit excogitata, non alias plauſum ac gloriam mihi comparare; cum non tam feraci polleam ingenio, & ſcientiarum peritia, ut Operam tanti meriti promere valeam. Excipe igitur, benevole Lectot, hunc (qualiſcumque ſit) laborem, & defectus, quos invenias, humaniter indulge, excuſando imbecillitatem ingenii mei, ſi ex ea contigit, ut non ſatisfecerim ardenti voto, Motalis ſtudioſis aliquod utilitatis adminiculum novis hiſce motalibus inſtitutionibus exhibendi. Vale.

NOS

NOS FR. IO: BAPTISTA SAIANELLI

Sacræ Theologiæ Magiſter & Lector emeritus Ordinis S. Hieronymi Congregationis B. Petri de Piſis Prior Generalis.

CUM opus, cui titulus: *Inſtitutiones Theologico, Dogmatico, Canonico, Hiſtorico Morales*, ab admodum Reverendo Patre Antonio Maria Boranga Ordinis noſtri Tarviſinæ Provinciæ Lectore emerito, & Exprovinciali elaboratum, ac a tribus Patribus Theologis per Nos ad hoc deputatis reviſum fuerit, & approbatum, vigore præſentium facultatem concedimus, ut illud, ſi iis, ad quos ſpectat, videbitur, typis mandari poſſit. In quorum fidem &c.

Dat. Patavii in Conventu noſtro Sanctæ Mariæ Magdalenæ die 12. Maii anno 1764.

Loco ✠ Sigilli.

Fr. Io: Baptiſta Gobati S. Th. Mag. Cancell. Generalis.

TEſtor ego infraſcriptus in omni ampliori forma, legiſſe, ac attente expendiſſe Theologicos Morales Tractatus titulo: *Inſtitutiones Theologico Dogmatico &c. Morales* ab admodum Reverendo Patre Antonio Maria Boranga Lectore emerito S. Theologiæ, ac Exprovinc. Ordinis Noſtri exaratos, in quibus nedum nil inveni, quod adverſetur, aut veritatibus Catholicæ Fidei, ſeu Chriſtianæ Religioni, aut morum honeſtati; immo non ſine maxima mea delectatione expoſitas deprehendi, copioſa, ac profunda eruditione illius veritates doctrinaſve e celebrioribus Theologis, Canoniſtis, &c. ſummo ingenio excerptas; & huius Moralis Theologiæ amplam ſegetem uberrimamque tam mirifice expoſitam non ſemel ſum admiratus. In quorum fidem &c.

Datum Venetiis in Conventu noſtro Sancti Sebaſtiani die 21. Februarii anno 1764.

Ego F. Ioannes Baptiſta Borini Exprov. Lector emeritus S. Theologiæ de mandato Reverendiſſimi Patris Generalis Ioannis Baptiſtæ Saianelli, manu propria.

EGO

Digitized by Google

EGO infraſcriptus teſtor, in moralibus Tractatibus titulo: *Inſtitutiones Theologico Dogmatico &c. Morales* admodum Reverendi Patris Antonii Mariæ Boranga Lect. emer., ac Exprovinc., quos perlegi, non ſolum nihil deprehendiſſe oppoſitum puritati S. Fidei Catholicæ, & morum; immo ſanam ſolidamque doctrinam, ac valide auctoritate Sacrarum Scripturarum, Sanctorum Patrum, & SS. Canonum, gravibuſque rationibus comprobatam; quibus accedit Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ, ac Diſciplinæ copioſa eruditio. Ex quo Opere mirifico ſane, abunde percipere poterunt pro Sacro Tribunali Confeſſarii, & pro ſuis Catecheſibus Animarum Paſtores, nec non Eccleſiaſtici omnes, ut in iis quæ ad eorum ſtatum pertinent, facile informentur. In quorum fidem &c.

Datum Venetiis in Conventu noſtro Sancti Sebaſtiani die 23. Martii anno 1764.

F. Ignatius Zucchelli Lector emeritus S. Theologiæ, manu propria.

EGO infraſcriptus ex commiſſione Reverendiſſimi Patris Magiſtri Ioannis Baptiſtæ Saianelli Prioris Generalis noſtræ Congregationis B. Petri de Piſis, Lectoris emeriti S. Theologiæ, ſumma animi voluptate perlegi Opus inſcriptum: *Inſtitutiones Theologico Dogmatico &c. Morales* in ſex Tomos diſtributum per admodum Reverendum Patrem Antonium Mariam Boranga Lect. emeritum S. Theologiæ elaboratum, nec aliquid in eo adinveni a S. Catholica Fide, & morum honeſtate alienum; ſed doctrinam Chriſtianæ Catholicæ Religioni conſentaneam, multiplici eruditione refertam, validis argumentis ex Divina Scriptura, Sanctis Patribus, graviſſimis Theologis deſumptis comprobatam. Quapropter illud luce dignum cenſeo ad Eccleſiaſticorum profectum & utilitatem.

Datum Patavii in Conventu noſtro Sanctæ Mariæ Magdalenæ die 1. Maii anno 1764.

Fr. Ioannes Baptiſta Cromer S. Th. Lect. emeritus Exprovincialis, manu propria.

NOI

NOI RIFORMATORI

dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, ed Approvazione del P. F. *Filippo Roſa Lanzi* Inquiſitor Generale del Santo Officio di Venezia nel Libro intitolato: *Inſtitutiones Theologico, Canonico, Hiſtorico, Morales juxta doctrinam celebriorum præcipue noſtræ ætatis Theologorum, Canoniſtarum, Scriptorum tum Hiſtoriæ, tum Diſciplinæ Eccleſiaſticæ &c.* non v' eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimenti per Atteſtato del Secretario Noſtro niente contro Principi, e Buoni Coſtumi, concediamo licenza a *Simone Occhi* Stampator di Venezia, che poſſi eſſere ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 20. Settembre 1763.

(Sebaſtian Zuſtinian Riform.
(Alviſe Valareſſo Riform.
(

Regiſtrato in Libro a Carte 182. al Num. 1005.

Davidde Marcheſini Secr.

1763. 20. Settembre.

Regiſtrato nel Magiſtrato Eccellentiſſimo degl' Eſecutori contro la Beſtemmia.

Franceſco Gadaldini Secr.

IN-

Digitized by Google

INDEX
TRACTATUUM, CAPITUM, ET PARAGRAPHORUM

IN HOC PRIMO TOMO CONTENTORUM.

TRACTATUS
De principiis Moralis Chriſtianæ.

CAPUT I.
De Fontibus, ſive locis, e quibus percipi debet Moralis Chriſtiana.

§. 1. QUæ & quot ſunt loca, ſeu fontes Ethicæ Chriſtianæ. pag. 2
§. 2. De divina Scriptura. 3
§. 3. De libris novi Teſtamenti. 5
§. 4. Quomodo utendum ſit divina ſcriptura in reſolutionibus caſuum moralium. 6
§. 5. De divina Traditione. 7
§. 6. De Conciliis. 8
§. 7. De iudicio ſummorum Pontificum. 11
§. 8. De iudicio Conciliorum particularium. 12
§. 9. De Epiſcoporum iudicio. 13
§. 10. De Patrum auctoritate. ibi.
§. 11. De Theologorum Scholaſticorum auctoritate. 14
§. 12. De naturali ratione. 15

CAPUT II.

§. Unicus. De modo utendi praedictis Moralis Chriſtianæ principiis. 16

TRACTATUS
De opinionum Cenſuris.

De propoſitione heretica. ibi.
De propoſitione erronea. ibi.
De propoſitionibus ſcandaloſa, & blaſphema. 18
De propoſitionibus male ſonante, & piarum aurium offenſiva. ibi.
De propoſitionibus temeraria, & ſeditioſa. ibi.
De propoſitionibus ſuſpecta de hereſi, ſapiente hereſim, proxima hereſi. 19
De propoſitionibus improbabili, & damnabili. ibi.
De diſpoſitionibus quibus Sacra Theologia ſit addiſcenda. 20

TRACTATUS
De Actibus humanis.

CAPUT I.

§. Unicus. De natura, & multiplicitate actuum humanorum. 21

CAPUT II.
De Principiis actuum humanorum.

§. 1. De principiis internis actuum humanorum. 23
§. 2. De voluntate. ibi.
§. 3. De voluntario. 25
§. 4. De diviſione voluntarii. 27
§. 5. De tempore, quo effectus pravus indirecte, & in cauſſa voluntarius imputatur ad culpam. 29
§. 6. De involuntario, necnon de iis, quæ cauſare poſſunt involuntarium. 30
§. 7. De violentia & coactione. 31
§. 8. De concupiſcentia. ibi.
§. 9. De metu. 35
§. 10. De ignorantia, & inadvertentia. 38
§. 11. De libero. 41
§. 12. De eſſentia libertatis. 44
§. 13. De indifferentia contradictionis. 45
§. 14. De indifferentia contrarietatis. 47
§. 15. De radice libertatis. ibi.
§. 16. De moralitate actuum humanorum. 48

CA-

CAPUT III.

De Proprietatibus actuum humanorum.

§. Unicus. *De eorumdem bonitate, & malitia.* 50

CAPUT IV.

De Principiis extrinſecis actuum humanorum.

§. 1. *De obiecto actuum humanorum moralium.* 51
§. 2. *De influxu actus exterioris in interiorem quoad argumentum bonitatis, vel malitiæ.* 54
§. 3. *De circumſtantiis actuum humanorum.* 58

CAPUT V.

De Fine, ſeu de circumſtantia finis actuum humanorum.

§. 1. *De varia finis acceptione.* 60
§. 2. *De duplici modo, quo finis proprie accipi poteſt.* 61
§. 3. *De finis definitione.* 62
§. 4. *De effectibus finis.* 63
§. 5. *De finis diviſione.* 66
§. 6. *De iis quibus proprium eſt agere propter finem.* ibi.
§. 7. *De ſpecificatione, quam actus humani recipiunt a fine extrinſeco.* 67
§. 8. *De diverſis modis, quibus ſpectari poteſt finis ultimus.* 70
§. 9. *De diverſo modo quo ſpectari poteſt beatitudo obiective accepta.* ibi.
§. 10. *De propoſito hominis quoad ordinationem omnium ſuarum operationum in ultimum finem.* ibi.
§. 11. *De beatitudine.* 72
§. 12. *De vera hominis beatitudine obiectiva.* ibi.
§. 13. *De beatitudine formali.* 73
§. 14. *De gaudio conſtituente ſupernaturalem beatorum felicitatem.* 74
§. 15. *De affectionibus beatitudinis. De Beatitudine corporis.* 75
§. 16. *De perpetuitate beatitudinis.* 78
§. 17. *De inæqualitate beatitudinis ſanctorum.* ibi.
§. 18. *De aureola beatorum.* 79
§. 19. *De beatitudine ſupernaturali, quæ competere poteſt homini in hac vita.* 81

CAPUT VI.

De Merito.

§. 1. *De bonitate, ac merito operum, quæ ex gratia ſunt elicita.* 83
§. 2. *De remuneratione ultra condignum.* 84
§. 3. *De conditione beatitudinis quoad eius collationem pro meritis, num etiam non pro meritis conferatur.* ibi.
§. 4. *Honeſtum eſt agere intuitu mercedis æternæ.* ibi.
§. 5. *De meriti diviſione.* 85
§. 6. *De conditionibus ad meritum requiſitis.* 86
§. 7. *De conditionibus ad meritum de congruo.* 90
§. 8. *De obiecto meriti, ſeu de iis quæ cadunt ſub merito.* 91
§. 9. *De merito primæ gloriæ.* 92
§. 10. *De merito doni perſeverantiæ in via.* 93
§. 11. *De merito reparationis poſt lapſum.* 94
§. 12. *De doni conſecutione, ex merito de congruo.* ibi.

CAPUT VII.

§. Unicus. *De actus humani indifferentia in individuo.* 95

CAPUT VIII.

De Regulis moralis bonitatis.

§. 1. *Bonitas humanarum actionum tamquam a primæva ſua regula repetenda eſt a lege æterna.* 96
§. 2. *Bonitas moralis actionum humanarum deſumitur etiam a recta ratione, tamquam ab ipſarum regula proxima.* 97
§. 3. *Divina voluntas eſt tertia regula bonitatis humanarum operationum, quatenus per præceptum, vel per inſpirationem nobis innoteſcit.* 98

TRA-

Digitized by Google

TRACTATUS

De Regulis Morum.

CAPUT I.

De regula interiore, nempe de Conſcientia.

§. 1. *De Conſcientiæ notione.* 100
§. 2. *De diviſione Conſcientiæ.* 101
§. 3. *De Conſcientia recta.* 103
§. 4. *De Conſcientia erronea.* ibi.
§. 5. *De peccato quod committitur agendo contra conſcientiam erroneam, eiuſque ſpecie, ac gravitate.* 108
§. 6. *De Conſcientia erronea deponenda.* ibi.
§. 7. *De Conſcientia perplexa.* 110
§. 8 *De Conſcientia certa.* 111
§. 9. *De Conſcientia dubia.* 112
§. 10. *De Conſcientia probabili.* 118
§. 11. *De opinione probabiliori ſequenda in concurſu oppoſitæ minus probabilis.* 120
§. 12. *De non ſequenda una opinione probabili in concurſu alteris æque probabilis, ſed tutiore tenenda.* 137
§. 13. *De ſequenda opinione probabiliori in concurſu tutioris.* 142
§. 14. *De Conſcientia ſcrupuloſa.* 150

TRACTATUS

De ſecunda, ſeu exteriori morum regula, ideſt de Legibus.

§. 1. *De Legibus in communi.* 152
§. 2. *De cauſſis Legis in communi.* 156
§. 3. *De effectibus Legis, ipſiuſque proprietatibus, ſeu conditionibus.* 157
§. 4. *De diviſione Legis:* 158
§. 5. *De Lege æterna.* 159
§. 6. *De Lege naturali.* 160
§. 7. *De materia, ſeu cauſſa materiali Legis Naturalis, & de modo quo poni debet.* 164
§. 8. *De Virtutum operibus, & modis virtuoſorum operum, quæ ſunt materia Legis Naturalis.* 165
§. 9. *De modis actuum virtutum quibus Lex eſt implenda, & præcipue de intentione, & attentione.* 166
§. 10. *De iis, qui ſubiiciuntur legi naturali.* 167
§. 11. *De affectionibus Legis naturalis, unitate ſcilicet, indelebilitate, ac immutabilitate.* ibi.
§. 12. *De Legis naturalis mutatione, nec non de eius Epikeia.* 168
§. 13. *De diſpenſatione Legis naturalis.* 170
§. 14. *De Lege poſitiva divina.* 172
§. 15. *De Lege veteri, ſeu Moſayca.* ibi.
§. 16. *De Legis Moſaycæ imperfectione.* 175
§. 17. *De Legis veteris abrogatione.* 176
§. 18. *De Lege nova, ſeu de Lege gratiæ & Evangelii, eiuſque perfectione.* 178
§. 19. *De cauſſis Legis Novæ.* 180
§ 20. *De affectionibus Legis Novæ.* 181
§. 21. *De iure Gentium.* 185
§. 22. *De Lege poſitiva humana, ac de eius cauſſa efficiente, & de eius materia.* 187
§. 23. *De iure Civili, & de eius origine.* 189
§. 24. *De poteſtate legiſlativa in ſuperioribus Eccleſiaſticis.* 191
§. 25. *De iis, qui in Eccleſia leges condere poſſunt.* 192
§. 26. *De facultate condendi Leges in Politia civili, & de iis, quibus competit.* 193
§. 27. *De Promulgatione legum.* 195
§. 28. *De Legis acceptatione.* 196
§. 29. *De obiecto, ſeu materia Legis humanæ.* ibi.
§. 30. *De ſubiecto Legis, ſeu de Perſonis erga quas Leges ferri poſſunt.* 198
§. 31. *De obligatione exemptorum circa Legem, a qua ſunt exempti.* 199
§. 32. *De obligatione Clericorum circa leges civiles.* 200
§. 33. *De obligatione Peregrinorum, vagorum, & advenarum circa Leges ſui Territorii, & Loci ubi ſunt incolæ.* ibi.
§. 34. *De obligatione Peregrinorum, Advenarum, & Vagorum circa Leges locorum ad quæ tranſeunt, & in quibus verſantur.* 202
§. 35. *De obligatione legis humanæ in foro conſcientiæ.* ibi.
§. 36. *De Lege fundata in præſumptione.* 204
§. 37. *De obligatione Legis dubiæ.* ibi.
§. 38. *De obligatione Legis cum gravi incommodo, ſeu nocumento.* 205
§. 39. *De iis qui eximuntur a Legis obſervantia.* 206
§. 40. *De obligatione removendi impedimenta, quæ opponuntur executioni Legis & ponendi media ad executionem requiſita.* 207
§. 41. *De lege pœnali.* 209
§. 42. *De excuſatione ex ignorantia ad incurrendam pœnam.* 211

§. 43. *De Lege irritante, & de eius effectibus.* 212
§. 44. *De modo obſervandi legem.* 214
§. 45. *De Attentione.* 215
§. 46. *De Intentione finis legis.* ibi.
§. 47. *De requiſito intentionis rectæ ad ſatisfaciendum præceptis.* 216
§. 48. *De ſatisfactione plurium præceptorum uno eodemque actu vel tempore.* ibi.
§. 49. *De Legis ceſſatione.* 218
§. 50. *De ceſſatione Legis ob ceſſationem finis Legis.* ibi.
§. 51. *De Epikeia, ſeu interpretatione Legis.* 219
§. 52. *De diſpenſatione Legis.* 220
§. 53. *De Requiſitis in expediendis mandatis ſummi Pontificis, & ſacræ Pœnitentiariæ circa diſpenſationes.* 228
§. 54. *De tolerantia, derogatione, & abrogatione legis.* 232
§. 55. *De Privilegiis.* 233
§. 56. *De effectu, & uſu Privilegiorum.* 234
§. 57. *De aliis modis acquirendi privilegium præter Principis conceſſionem.* 235
§. 58. *De Privilegiis in quibus datur communicatio, & de iis, in quibus non datur.* 237
§. 58. *De Communicatione Privilegiorum, quæ particulariter conceduntur uni loco, vel Perſonæ.* 238
§. 60. *De Privilegiorum ceſſatione.* 241
§. 61. *De Conſuetudine.* 242

TRACTATUS

De Peccatis.

CAPUT I.

De Peccatis in genere.

§. 1. *De natura peccati.* 246
§. 2. *De eo in quo natura peccati conſiſtit.* 247
§. 3. *De cauſſa materiali peccati.* 248
§. 4. *De cauſſa efficiente peccati.* 249
§. 5. *De ignorantia ut cauſſa peccati.* ibi.
§. 6. *De aliis interioribus cauſſis peccati, id eſt paſſione, & malitia.* 250
§. 7. *De cauſſis exterioribus peccati.* 252
§. 8. *De conditionibus ad peccatum requiſitis.* 253
§. 9. *De advertentia neceſſaria ad peccatum.* ibi.
§. 10. *De conſenſu ad peccandum requiſito.* 255
§. 11. *De delectatione moroſa.* ibi.
§. 12. *De eo qui negative ſe habet ad inordinatos concupiſcentiæ motus, ideſt nec conſentit, nec diſſentit.* 257
§. 13. *De eo qui delectaretur cogitatione actionis olim licitæ, nunc vero ipſi illicitæ.* 258
§. 14. *De eo qui cupit, rem aliquam per ſe malam, non eſſe malam.* 259
§. 15. *De primo effectu Peccati, nempe de macula Animæ.* ibi.
§. 16. *De ſecundo effectu Peccati, nempe de offenſa ſeu iniuria Dei.* 261
§. 17. *De aliis effectibus peccati, ideſt de reatu pœnæ, & de ipſa pœna.* ibi.
§. 18. *De diviſione peccatorum.* 262
§. 19. *De peccato Originali.* 263
§. 20. *De exiſtentia peccati Originalis.* 264
§. 21. *In quo conſiſtat natura, ſeu eſſe formale Originalis peccati.* 265
§. 22. *De Traductione peccati Originalis in poſteros.* 268
§. 23. *De ſubiecto peccati Originalis.* 270
§. 24. *De pœnis peccati Originalis in hac vita.* 272
§. 25. *De pœnis peccati originalis in altera vita.* 273

CAPUT II.

De Peccatis Perſonalibus.

§. 1. *De peccatis commiſſionis, & omiſſionis in genere.* 275
§. 2. *De iis, quæ ſive in commiſſione, ſive in omiſſione actionem cæteroquin malam excuſant a peccato.* 278
§. 3 *De peccato mortali, & veniali.* ibi.
§. 4. *De differentia peccati mortalis a veniali.* 280
§. 5. *De differentia eſſentiali peccati mortalis, & venialis.* 285
§. 6. *De affectionibus peccati venialis, ſcilicet an ex multis venialibus fieri poſſit unum mortale, an veniale diſponat ad mortale, an veniale cauſſet maculam.* 287
§. 7. *De poſſibilitate vitandi omnia peccata venialia.* 288
§. 8. *De capacitate peccandi mortaliter in puero, eo ipſo quod ſit capax peccandi venialiter.* 289
§. 9. *De peccato ut pœna alterius peccati, & de punitione, quæ datur aliquibus ob aliorum peccata.* 290

§. 10.

Digitized by Google

§. 10. *De diſtinctione ſpecifica peccatorum.* 291
§. 11. *De diſtinctione numerica peccatorum.* 299
§. 12. *De inæqualitate, & connexione peccatorum.* 304
§. 13. *De peccatis mere internis.* 306
§. 14. *De peccatis contra Spiritum Sanctum.* 309
§. 15. *De remediis peccatorum, & primum de remedio peccati mortalis.* 310

CAPUT III.

De peccatis, ſeu vitiis Capitalibus.

§. 1. *De Superbia ſeu inani gloria.* 313
De Remediis Superbiæ. 315
De filiabus Superbiæ, hoc eſt de vitiis quæ a Superbia tamquam a radice gignuntur. ibi.
§. 2. *De Avaritia.* 317
Remedia Avaritiæ. 318
§. 3. *De Gula.* ibi.
Filiæ Gulæ. 320
De Remediis Gulæ. ibi
§. 4. *De Luxuriæ peccato.* ibi.
De Fornicatione inter deſponſatos cum infideli &c. 322
De Stupro. 324
De Raptu. 325
De Adulterio. ibi.
De Inceſtu. 326
De Luxuria ſacrilega. 328
De Peccatis contra naturam. 329
De Molitie. 330
De aliis ſpeciebus peccatorum contra naturam, quæ ſunt Sodomia, Beſtialitas, indebitus Concubitus. 333
De peccatis Luxuriæ non conſummatæ. 334
De moroſis cogitationibus Venereis. 335
De Oſculis. 336
De Oſculis quando licita ſunt. ibi.
De Oſculis, & amplexibus de ſe honeſtis factis ex mera levitate & ioco & cum delectatione ſenſibili. 337
De Oſculis libidinoſis. 338
De Tactibus, Aſpectibus, & Picturis libidinoſis. ibi.
De Ornatu Muliebri. 340
De Verbis turpibus, ac Cantilenis, id eſt de iis qui turpia loquuntur, componunt, cantant, audiunt &c. 341
De Saltationibus, & Spectaculis. ibi.
De periculo in frequentandis ſpectaculis, & comœdiis, maculandi caſtitatem. 342
De parvitate materiæ in negotio impuritatis an num dari poſſit. 343
De parvitate materiæ in ſenſualitate. ibi.
De officio Confeſſarii in materia Luxuriæ. 344
De Filiabus Luxuriæ. 347
De Remediis contra Luxuriam. ibi.
§. 5. *De Ira.* 348
De Filiabus Iræ. ibi.
De Remediis Iræ. 349
§. 6. *De Invidia.* ibi.
De Filiabus Invidiæ. 350
De Remediis contra Invidiam. ibi.
§. 7. *De Acedia.* ibi.
De Filiabus Acediæ. 351
De Remediis Acediæ. ibi.

TRACTATUS

De Virtutibus Theologicis, & Vitiis eis oppoſitis.

§. Unicus. *De natura ſeu eſſentia Virtutum.* 352

CAPUT I.

De Fide.

§. 1. *De multiplici Fidei acceptione, eiuſdemque vera notione, & de obiecto conditionibuſque illud comitantibus.* 353
§. 2. *De Principiis, ac fundamentis, quibus Fides innititur.* 357
§. 3. *De libris ſacris verbum Dei ſcriptum continentibus.* 358
§. 4. *De verſionibus Sacræ Scripturæ.* ibi.
§. 5. *De Interpretatione Sacræ Scripturæ.* 360
§. 6. *De variis Sacræ Scripturæ ſenſibus.* 361
§. 7. *De Traditione.* 362
§. 8. *De Eccleſia.* 363
§. 9. *De Infallibilitate Eccleſiæ in proponendis & definiendis rebus fidei, & morum.* 364
§. 10. *De Notis veræ Eccleſiæ.* 365
§. 11. *De Conciliis.* 368
§. 12. *De deficientia ſalutis extra veram Eccleſiam Chriſti.* 374
§. 13. *De reſolutione totius fidei, & de evidentia motivorum credibilitatis.* ibi.
§. 14. *Fides a tempore Apoſtolorum non crevit quoad ſubſtantiam.* 377
§. 15. *De diviſione fidei.* ibi.
§. 16. *De neceſſitate fidei ad ſalutem; prout eſt aſſenſus iis, quæ Deus revelavit, maime vero prout eſt ſingularis fiducia, qua quis*

Digitized by Google

quis credat ſibi remiſſa eſſe peccata, aut ſe eſſe prædeſtinatum ad vitam æternam. 378
§. 17. *De interno actu fidei eiuſque proprietatibus.* 379
§. 18. *De neceſſitate interioris actus fidei explicitæ ad ſalutem.* 381
§. 19. *De iis quæ credenda ſunt neceſſitate præcepti.* 383
§. 20. *De tempore, quo fideles elicere tenentur actum internum fidei.* 385
§. 21. *De ſymbolo Apoſtolorum.* 387
§. 22. *De externo actu fidei, ſeu de externa Confeſſione, & profeſſione fidei.* 389
§. 23. *De licita, vel illicita fidei diſſimulatione.* 391
§. 24. *De fuga capta a Chriſtiano tempore perſecutionis.* 393
§. 25. *De præcepto Eccleſiaſtico externæ profeſſionis fidei.* ibi.

CAPUT II.

De Vitiis fidei oppoſitis.

§. 1. *De Infidelitate.* 394
§. 2. *Diviſio Idololatriæ.* 397
§. 3. *De Atheiſmo.* ibi.
§. 4. *De Mahumetiſmo.* ibi.
§. 5. *De Iudaiſmo.* 398
§. 6. *De Hæreſi.* 399
§. 7. *De dubio in fide.* 403
§. 8. *De diviſione Hæreſis.* ibi.
§. 9. *De pœnis latis contra Hæreticos.* 404
§. 10. *De communicatione cum Infidelibus, & præcipue cum Hæreticis.* 405
§. 11. *De diſputatione cum Infidelibus.* 406
§. 12. *Num liceat cogere Infideles ad fidem.* 407
§. 13. *De Lectione librorum Hæreticorum.* ibi.
§. 14. *De Apoſtaſia.* 409
§. 15. *De modo recipiendi Hæreticos reſipiſcentes.* ibi.
§. 16. *De Abſolutione ab hæreſi.* ibi.
§. 17. *De obligatione quam habent fideles denuntiandi hæreticos apud iudices rerum fidei.* 410
§. 18. *De iis, qui a denunciatione excuſantur.* ibi.
§. 19. *De delictis ſuſpectis de Hæreſi.* 411
§. 20. *De Confeſſariis ſolicitantibus pœnitentes in confeſſione ad turpia & inhoneſta.* 412
§. 21. *Explicatur quid ſit ſolicitare ſeu allicere ad actus inhoneſtos, & quando intelligitur Confeſſarius Sacerdos, ſeu Confeſſarius ſolicitare.* ibi.
§. 22. *De verbis, ſeu actionibus turpibus ac venereis, quæ in Decreto probibentur, tamquam provocantia ad carnalia.* 413
§. 23. *De caſibus comprehenſis in verbis Bullæ Gregorii XV., qui in actu ſacramentalis Confeſſionis, ſive antea, ſive poſt immediate, ſive occaſione vel prætextu Confeſſionis, etiamſi ipſa, non ſequatur &c.* 414
§. 24. *De iis, qui tenentur denuntiare Confeſſarium ſolicitantem, & de cauſſis aliquos a tali onere eximentibus.* 415

CAPUT III.

De virtute Spei Theologicæ.

§. 1. *De multiplici huius nominis acceptione.* 417
§. 2. *De Spei natura, & obiecto.* ibi.
§. 3. *De diviſione Spei Theologicæ.* 419
§. 4. *De differentia Spei a Fide & Charitate.* ibi.
§. 5. *De Spei neceſſitate.* 420
§. 6. *De tempore, quo tenentur Adulti elicere actum Spei.* 421
§. 7. *De cauſſis Spei.* ibi.
§. 8. *De effectibus Spei.* 422

CAPUT IV.

De vitiis oppoſitis Spei.

§. Unicus. *De duplici oppoſitione Spei, nempe per deſperationem, & præſumptionem.* 425

CAPUT V.

De virtute Charitatis erga Deum.

§. 1. *De natura Charitatis.* 427
§. 2. *De Precepto Charitatis erga Deum.* 429
§. 3. *De tempore quo præceptum Charitatis obligat ad amandum Deum.* 430
§. 4. *De neceſſitate Charitatis ad merendum.* 433

CAPUT VI.

De vitiis oppoſitis Charitati erga Deum.

§. Unicus. *De his quæ præcipue adverſantur Charitati.* ibi.

CA-

CAPUT VII.

De Præcepto Charitatis erga proximum.

§. 1. *De obligatione Charitatis erga proximum.* 434
§. 2. *De obligatione ex vi præcepti Charitatis diligendi inimicos.* 436
§. 3. *De modo tenendo in incunda reconciliatione.* 439
§. 4. *De Ordine in Charitate ſervando.* 441
§. 5. *De ordine dilectionis ſervandæ erga proximos inter ſe.* 443
§. 6. *De operibus, ſeu officiis Charitatis.* 444
§. 7. *De Eleemoſyn i.* 445
§. 8. *De præcepto Eleemoſynæ.* ibi.
§. 9. *De tempore ſeu circumſtantiis, in quibus præceptum eleemoſynæ obligat.* 446
§. 10. *De modo ſatisfaciendi præcepto Eleemoſynæ per mutuum, venditionem, vel alium onerosum contractum.* 449
§. 12. *De quibus bonis facienda eſt Eleemoſyna.* ibi.
§. 12. *De iis quibus elargienda eſt eleemoſyna, & de iis qui eam poſtulare poſſunt.* 452
§ 13. *De correctione fraterna, & eius diviſione.* 453
§. 14. *De iis qui corrigere debent, & de iis, qui ſunt corripiendi.* 455
§. 15. *De tempore, quo præceptum correptionis obligat, & quando fideles a tali onere excuſantur.* 456
§. 16. *De ordine in correptione fraterna a Chriſto præſcripto: inter te, & ipſum ſolum.* 457

CAPUT VIII.

De peccatis oppoſitis Charitati erga proximum.

§. 1. *De peccatis, quæ præcipue dilectioni proximi adverſantur.* 458
§. 2. *De Bello.* 460
§. 3. *De iis quæ ante Bellum, & in bello obſervanda ac facienda ſunt ut bellum ſit licitum.* 461
§. *De Scandalo.* 463

Digitized by Google

INSTITUTIONUM
THEOLOGICO-MORALIUM
PARS PRIOR.
PRÆFATIO.

Opus hic pertractare aggredimur ita plane excellens, ut revera inter quarumcumque rerum ſtudia nihil ſublimius, utilius nihil, nihilque fructuoſius apud homines excogitari queat. Diſſerere hic aggredimur de re morali theologica, quæ ſpectata in veris ſuis principiis, ſeu regulis quæ divina nobis tradidit ſapientia ad morum noſtrorum inſtitutionem, eſt quidam radius ſuperni ipſius increatæ ſapientiæ fulgoris, quo fugatis ab animis noſtris originalis ignorantiæ tenebris, & divino lumine perfuſi per ſemitas virtutis chriſtianæque perfectionis gradiendo, beatum finem ad quem in ipſa noſtra creatione ſupremi Auctoris providentia nos ordinavit, conſequeremur. Hinc iure & merito Theologia dici poteſt regina ac princeps ſcientiarum omnium & artium: cum hæc non ut Philoſophia doceat naturæ res ſeu creaturas cognoſcere, virtutes cardinales adipiſci; ſed Deum rerum omnium conditorem agnoſcere, in ſanctis exercitiis caritatis inſudare, ac proinde non vanum mundanæ ſcientiæ decus, ſed divinæ ſapientiæ gloriam aſſequi. Moralis enim Theologiæ inſtitutum eſt normam, modos, ac media præſcribere quibus per fugam vitiorum ac virtutum exercitia (ideſt declinando a malo & bonum operando, iuxta divinum monitum Pſalm. xxxvi. *Declina a malo, & fac bonum*) debita amoris officia Deo reddamus & proximis: quod tamquam ſingulare inſtrumentum proponit Chriſtus Dominus in Evangelio *Marc. cap.* xxxi. quo perennem cæleſtis gloriæ hereditatem, quam ab æterno præparavit Deus diligentibus ſe, nempe ipſum Deum tamquam noſtrum ultimum finem & beatitudinis noſtræ fontem, apprehendere valeamus. Quare Moralis Theologia exorditur a generali humanorum actuum conſideratione, ut diſcutiatur quinam boni ſint, quinam mali; tradit internas externaſque regulas, ut boni fiant; de virtutibus ſermonem inſtituit, ut eas ſequamur; de vitiis diſſerit, ut ea fugiamus; iuſtitiam proponit, quam in ſocietatis humanæ commerciis ſervare tenemur; theſaurum explicat pariter divinæ gratiæ in ſacramentorum doctrina, ac alia complectitur quæ cum huiuſmodi materiis connexionem ac relationes ad ipſis tenent. Verum ne quis umquam decipiatur in germanis huiuſce diſciplinæ principiis ſeligendis, dum ex his veluti fontibus percipienda ſunt Chriſtianæ Ethices argumenta ac regulæ ad mores noſtros informandos, moralis diſciplinæ tractationem ab eius principiorum ſeu locorum expoſitione exordiri cenſui.

Digitized by Google

TRACTATUS

DE PRINCIPIIS MORALIS CHRISTIANÆ.

CAPUT PRIMUM.

De fontibus, ſive locis e quibus percipi debet Moralis Chriſtiana.

Diſciplinarum ſtilus ita exigit, ut cum agatur de aliqua earumdem tradenda, exordium a principiis ex quibus ea pendet, ſumatur. Iure igitur ac merito viam aperire cenſui ad rem moralem pertractandam, proponendo principia ſeu loca ex quibus percipienda Chriſtiana Moralis, necnon exponendo modum quo in tali negotio iiſdem principiis ſeu locis utendum ſit.

§. I.

Quæ & quot ſunt loca ſeu fontes Ethices Chriſtianæ.

Locorum theologicorum nomine intelliguntur ſedes quædam ſeu fontes, ex quibus Theologia, adinſtar Rhetorum & Philoſophorum qui ſuos communes habent locos unde omnis eorum argumentatio repetitur, ipſa quoque ſua depromit argumenta, quibus utitur vel ut fidem explicet, vel ut morum regulas adſtruat, vel ut fidem moruмque regulas ab hæreticorum aliorumque etiam Catholicorum proprio genio indulgentium erroribus liberet. Et novem pro Morali Theologica diſciplina præcipue ſunt loci: nempe Scriptura ſacra, Traditio, Conciliorum generalium iudicium, iudicium ſummorum Pontificum, iudicium Conciliorum particularium, iudicium Epiſcoporum, Patrum auctoritas, auctoritas Theologorum, ratio naturalis.

Hi autem loci theologici alii interni ſunt, alii externi. Interni ſunt verbum Dei ſcriptum, quod eſt ſacra Scriptura; non ſcriptum, quod eſt Traditio, iudicia Conciliorum tum generalium, tum particularium, iudicia ſummorum Pontificum & Epiſcoporum, auctoritas tum Patrum, tum Theologorum: ex his enim Theologia eruit principia ſibi propria. Externi vero ſunt ſedes principiorum extraneorum, quæ Theologia repetit ex rationis Philoſophorum, & Hiſtoricorum auctoritate.

Locus internus duplex eſt: neceſſarius, & non neceſſarius. Neceſſarius continet propoſitiones expreſſe revelatas, quæ ſunt principia ex quibus certa & infallibilis deducitur concluſio theologica. Non neceſſarius ſubminiſtrat principia ex quibus eliciuntur concluſiones magis vel minus probabiles, prout principia illa ſunt magis vel minus probabilia.

Locus internus neceſſarius triplex eſt: nempe Scriptura ſacra, Traditio divina, & Eccleſia. Ad Traditionem divinam revocatur omnium Sanctorum Patrum conſenſus in uno dogmate, iuxta Vincentium Lirinenſem, qui ait: *Illud recte habetur ut ab Apoſtolis traditum, quod ſemper & ubique eſt, & ab omnibus creditum*. Dixi *omnium Sanctorum Patrum conſenſio*: nam ſi ſeparatim ſpectentur, tametſi eorum auctoritas ſit maximi ponderis, non eſt tamen ineluctabilis & omnino certa, niſi ad eam accedat iudicium Eccleſiæ, iuxta D. Auguſtinum *Epiſt.* lxxxii. *alias* xxix. ad S. Hieronymum. Ad Eccleſiam reducuntur I. Concilia generalia; illam quippe repræſentant, infallibiliterque definiunt quæ ſunt fidei & a Deo revelata: II. decreta ſummorum Pontificum univerſaliter recepta; Eccleſia enim diſperſa non poteſt recipere doctrinam falſam, ſicuti nec in Concilio congregata docere. Dixi *univerſaliter recepta*: nam Romanus Pontifex, ait hic Habertus, ſub duplici velut ſtatu ſpectari poteſt: vel una cum Eccleſia aut Concilio generali; vel extra Concilium generale. Priore modo peculiarem ac ſeparatum ab Eccleſia locum non conſtituit. Poſteriore vero, licet ſummam habeat in Eccleſia præ reliquis ſigillatim Epiſcopis auctoritatem, ipſiuſque ſanctiones maximæ venerationi omnibus eſſe debeant; ex eius tamen decretis præciſe firmum omnino & apud omnes indubitatum argumentum deduci nequit: cum bene multi, & maxime Theologi Pariſienſes, negent eius iudicia eſſe irrefragabilia, niſi Eccleſiæ conſenſus acceſſerit; alioquin fruſtra congregarentur Concilia generalia. Sic Habertus.

Locus internus non neceſſarius quadruplex eſt. I. Eſt auctoritas Sedis Apoſtolicæ ſeorſim

Digitized by Google

ſim ſpectatæ, quæ apud omnes Catholicos, ut iam notavimus, maximi eſt ponderis. II. Conciliorum provincialium & nationalium. III. Sanctorum Patrum, quando ſeparatim ſpectantur. IV. Theologorum, quibus in quacumque arte peritis credendum eſſe ipſa ratio docet.

Locus externus eſt auctoritas rationis, Philoſophorum, ac Hiſtoricorum. Loci igitur, ideſt principia ſeu fontes theologici, ſunt I. Scriptura; II. Traditio, ſub qua continetur Sanctorum Patrum conſenſio; III. Concilia generalia, ideſt Eccleſia; IV. decreta ſummorum Pontificum ſeorſim ab aliis Epiſcopis ſpectarorum; V. Concilia particularia; VI. Sancti Patres ſeorſim ſpectati, quando a communi aliorum ſententia non recedunt; VII. Scholæ Theologicæ; VIII. ratio naturalis.

§. I I.

De divina Scriptura.

Inter locos ſeu fontes Ethices Chriſtianæ primum præcipuumque locum tenet divina Scriptura, ſeu divina revelatio. Scriptura enim eſt verbum Dei ſcriptum, ipſo afflante. Cum autem verbum Dei duplex ſit; ſcriptum, quod eſt ſacra Scriptura; & non ſcriptum, quod eſt Traditio: dicitur primo Scriptura verbum Dei, in quo convenit cum Traditionibus divinis; dicitur ſecundo ſcriptum, quo diſtinguitur a divinis Traditionibus, quæ traditæ ſunt, Deo afflante, non ſcripto, ſed voce tantum. Dicitur *ipſo afflante:* quibus verbis Scriptura divina differt a canonibus & definitionibus Eccleſiæ in materia fidei & morum. Quæ definitiones tametſi ſint verbi Dei explicationes, ſcriptæ Spiritus ſancti lumine; non ſunt tamen divina Scriptura: quia ſcriptis traditæ non ſunt, Spiritu ſancto afflante, ſed aſſiſtente. Non difficile erit intelligere quid ſit hic Dei afflatus, quando advertatur, triplici modo concipi poſſe Deum mentem alicuius Scriptoris afficere: nempe vel revelatione, vel inſpiratione, vel quadam ſpeciali aſſiſtentia. Revelatio eſt manifeſtatio divinitus facta rei antea ignotæ. Inſpiratio eſt incitatio quædam interior motuſque inſolitus, quo quis ad loquendum vel agendum impellitur ſine rationis aut libertatis periculo ſeu læſione. Specialis aſſiſtentia eſt peculiare auxilium quo Deus adeſt ſcriptori, non quaſi ſingulis verbis aut ſententiis præeat, ſed ne inter ſcribendum in errorem labatur.

Divina Scriptura duplicem habet ſenſum: litteralem ſcilicet, & myſticum ſeu ſpiritualem. Senſus litteralis eſt ille quem littera ipſa exprimit: v.g. huius propoſitionis, *Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, & alium de libera*, ſenſus eſt, fuiſſe hominem qui duos filios ex duabus uxoribus habuerit; unum ſcilicet de ancilla, alium de libera. Senſus myſticus eſt ille qui non verbis ipſis, ſed rebus per verba ſignificatis indicatur: ut in allatæ propoſitionis exemplo non nomina illa *ancilla* & *libera*, ſed perſonæ his nominibus myſtice ſeu ſpiritualiter ſignificatæ, Jeruſalem terreſtrem & Eccleſiam ſignificant, iuxta Apoſtoli interpretationem *ad Galat. cap.* IV.

Senſus litteralis duplex eſt. Alter proprius, quem verba proprie accepta efficiunt; ut in hac propoſitione, *Abraham duos filios habuit:* alter metaphoricus, qui conflatur ex verbis improprie acceptis; ut cum dicitur Chriſtus ſedere ad dexteram Patris. Dexteræ enim vocabulo non corporis pars, ſed honoris æqualitas intelligitur.

Senſus myſticus eſt triplex: ſcilicet allegoricus, tropologicus, anagogicus. Allegoricus dicitur, quando res geſtæ in veteri lege accipiuntur ut figuræ eorum quæ in nova lege implenda erant. Sic aries inter vepres cornibus hærens, & ab Abrahamo immolatus loco Iſaaci *Geneſ. cap.* XXII. ſignificat Chriſtum ſpinis coronatum crucique affixum. Tropologicus eſt ille qui ad mores informandos pertinet. Sic circumciſio carnis quæ in uſu erat apud Iudæos, in ſenſu tropologico & morali ſignificabat vitiorum & cupiditatum reciſionem. Anagogicus eſt, cum verba & res geſtæ ad patriam cæleſtem referuntur, ut Apoſtolus *Hebr. cap.* IX. ingreſſum Pontificis in Sancta Sanctorum refert ad introitum Chriſti in cælum. Quare ſenſus myſticus eſt de rebus credendis: & eſt allegoricus ſpectans ad fidem, vel de rebus agendis; & eſt tropologicus ſpectans ad caritatem, vel de rebus ſperandis in futura vita; & eſt anagogicus ſpectans ad ſpem. Habert. Iuvenin.

Divina Scriptura dividitur in vetus & novum Teſtamentum. Vetus continet XLV. libros, & novum XXVII. & ſic ſunt LXXII. libri divini. Libri veteris Teſtamenti communiter dividuntur in legales, hiſtoricos, ſapientiales, propheticos. Legales ſunt Pentateuchus, ſeu quinque libri a Moyſe conſcripti: Geneſis nimirum, Exodus, Numeri, Leviticus, Deuteronomium. Geneſis continet ortum mundi, progreſſus varios, ac gubernationem per annos 2369. uſque ad

 obitum

Digitized by Google

obitum Ioſephi, Exodus duram populi Iſraelitici in Ægypto ſervitutem continet, admirandam eius liberationem, divinæ legis promulgationem. Leviticus ſic dictus, quod in eo fuſe pertractentur leges quæ ad cæremonias & officium Levitarum pertinent; ut ſunt holocauſta & reliqua ſacrificiorum & oblationum genera. Numeri ſic appellantur, quod in ipſa eius libri fronte Moyſes & Aaron totius populi per ſingulas Tribus numerum ineant. Continet res geſtas poſt exitum ab Ægypto ad annos novem ſupra triginta. Deuteronomium, ſive ſecunda lex, ita dicitur, quod data in Sinai promulgetur coram filiis eorum qui in deſerto perierant.

Libri hiſtorici continent libros Ioſue, qui complectitur ea quæ a morte Moyſis uſque ad mortem ipſius Ioſue per ſeptemdecim annos geſta ſunt: Iudicum, in quo refertur ſtatus Iſraeliticæ Reipublicæ ſub iudicibus ſeu magiſtratibus per 317. annos a morte Ioſue uſque ad mortem Samſonis; illiuſque varias exhibet ſervitutes: Ruth, in quo refertur eximiæ pietatis & divinæ providentiæ exemplum: libros quatuor Regum, in quibus narrantur res geſtæ ſub Regum regimine poſt Samuelem. Paralipomenon, hoc eſt libri duo rerum prætermiſſarum in libris Regum (ut fert nomen Paralipomenon, quod latine eſt derelictio) continent hiſtoriam 467. annorum uſque ad captivitatem Babylonicam: ac in hiſce libris habetur conſtructio Templi a Salomone. In primo propagatio gentis Iſraeliticæ ab Adamo ad reditum uſque a captivitate Babylonica; & hiſtoria deſcribitur repetita a Davide uſque ad unctionem Salomonis. In altero hiſtoria a Salomone uſque ad finem captivitatis Babylonicæ, & annorum 479. hiſtoriam continet. Eſdræ, in primo quorum ea quæ acciderunt Iudæis poſt reditum a captivitate Babylonica ſub Cyro Perſarum Rege; Nehemiæ, qui eſt ſecundus Eſdræ cuius conſilio conſcriptus fuit, in quo habetur inſtauratio Ieroſolymorum, ac renovatio divini cultus: annorum circiter 83. hiſtoria eſt; Iudith, qui exhibet miraculoſam Bethuliæ liberationem ab obſidione Holophernis Ducis Nabuchodonoſor Regis Aſſyriorum; Eſther, qui pietatem complectitur huius Iudææ ductæ in matrimonium ab Aſſuero Perſarum Rege erga gentem ſuam, agente patruo ſuo Mardochæo contra doloſa Amani molimina; Machabæorum, in quibus deſcribitur ſtatus Reipublicæ Iudaicæ ſub Græcorum Monarchia. Scripti ſunt hi Libri a variis Auctoribus, ut patet ex ſtili diverſitate.

Libri ſapientiales reducuntur ad libros Tobiæ, Iob, Pſalmorum, Proverbiorum, Eccleſiaſtes, Cantica Canticorum, Sapientiæ, & Eccleſiaſtici. Liber Tobiæ continet eximiæ pietatis, ſingularis patientiæ, & Dei in ſuos providentiæ præclara documenta. Iob hiſtoria (ut probabilior ſententia ſuſtinet) contigit degentibus in deſerto Iudæis: eximium exhibet in viro hoc patientiæ exemplum. Pſalmorum liber Davidi attribuitur, non quod omnium ſit auctor, ſed quia plures veteres collegerit, hiſque plurimos ipſe addiderit: alii quoque poſterius ab Eſdra aliiſque Prophetis editi, ut S. Hieronymus in ſua Epiſtola ad Paulinum. Proverbiorum liber exaratus eſt a Salomone; & continet omnia moralia præcepta de piorum officiis tum erga Deum, tum erga proximum. Eccleſiaſtes totus eſt de mundanarum rerum mundique vanitate: hic liber conſcriptus eſt a Salomone. Cantica Canticorum totum myſticum eſt; & exhibet mutuum amorem Chriſti & Eccleſiæ. Hic quoque liber ex S. Hieronymo *loc. cit.* conſcriptus eſt a Salomone. Sapientiæ liber ſic appellatur, quod de ſapientia tam increata quam creata pertractet: & dividitur in tres partes, quarum prima hortatur ad amorem ſapientiæ; ſecunda explicat ſapientiæ originem; tertia ſapientiæ tum effectus, tum fructus proponit. Totus liber conſtat ex ſententiis a Salomone prolatis. Eccleſiaſticus eadem fere complectitur morum principia quæ Salomonis Eccleſiaſtes, & iuxta citatum ſanctum Patrem ſcriptus eſt hebræo ſermone a Ieſu filio Sidrach.

Libri Prophetici continent Prophetarum prædictiones. Prophetæ vero quatuor maiores, & duodecim minores vulgo dividuntur. Maiores dicuntur quorum opera ſunt maiora, minores quorum minora. Quatuor maiores ſunt Iſaias, Ieremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel; minores ſunt Oſee, Ioel, Amos, Abdias, Ionas, Michæas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias. Libri Prophetici appoſitive movent & excitant ad legem Dei obſervandam, & fugienda quæ illi adverſantur. Deus enim qui novit quomodo corda hominum mollienda & flectenda ſint, antiquis Prophetis verba & argumenta inſpiravit quibus convenienter perſuaderent, & ad obtemperandum accenderent; ubi vehementes eſſe, ubi miteſcere deberent; quando minis terrere, promiſſis blandiri, & ſpe conſolari. Ex quibus patet

quam

quam aſſiduè Paſtores & alios verbi Dei miniſtros in eiuſmodi verborum lectione verſari oporteat.

§. III.

De libris novi Teſtamenti.

Libri novi Teſtamenti non minus quam libri veteris dividi poſſunt in legales, hiſtoricos, ſapientiales, & propheticos. Libri legales novi Teſtamenti continent quatuor Evangelia; hiſtorici uno Actuum Apoſtolorum libro continentur; ſapientiales Apoſtolorum Epiſtolis; prophetici Ioannis Apocalypſi.

In Evangeliis acta dictaque Chriſti continentur, ita ut (dicit S. Auguſtinus *lib. de conſ. Evangel. cap.* I.) quod in his reddita & completa confirmentur quæ lex & Prophetæ prænuntiarunt. Quatuor ſuum librum Evangelii exararunt; Matthæus, Marcus, Lucas, & Ioannes.

Actus Apoſtolorum conſcripti ſunt a Luca; & continent hiſtoriam annorum fere 30. a morte Chriſti: & in hoc opere ponit ſcriptor ab oculos infantiam Eccleſiæ, & deſcribit illius in omnes gentes propagationem per Apoſtolos, & præcipue per Petrum & Paulum.

Epiſtolæ Canonicæ aliæ ſunt conſcriptæ a D. Paulo, aliæ a D. Petro, aliæ a D. Iacobo, D. Ioanne, & S. Iuda. D. Paulus duodecim Epiſtolas conſcripſit: nempe unam ad Romanos, duas ad Corinthios, unam ad Galatas, unam ad Epheſios, unam ad Philippenſes, unam ad Coloſſenſes, duas ad Theſſalonicenſes, duas ad Timotheum, unam ad Titum, unam ad Philemonem, & ad Hebræos unam. Aliæ ab aliis conſcriptæ Epiſtolæ Canonicæ appellantur, & harum Iacobus unam ſcripſit, tres Ioannes, duas Petrus, unam Iudas.

Apocalypſis ſcripta eſt a D. Ioanne, dum erat in inſula Pathmos relegatus circa annum Domitiani 14. æræ vulgaris 94.

Libri ſacri omnes generatim dicuntur Canonici: & quia ſunt regula & norma fidei & morum, & præſertim eo quod in Eccleſiæ canonem ſeu catalogum relati ſunt. Verum quia non omnes eodem tempore in canonem relati fuere; hinc alii dicuntur etiam Protocanonici, ideſt ante; alii Deuterocanonici, ideſt poſtea in canonem relati.

Cum autem ſacra Scriptura nobis a Deo tradita ſit, ut pro noſtra ſalute nos inſtruat in iis quæ credere & amare, ideſt quomodo operari, & quid ſperare debeamus; nempe data eſt ut homo excæcatus per peccatum ſua officia ediſceret: *Quæcumque ſcripta ſunt* (ait Apoſtolus ad Rom. cap. xv.) *ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt*. Quare (ut monet idem Apoſtolus *II. Timoth. cap.* III.) quidquid Deus inſpiravit in ſanctis ſuis Scripturis, eſt valde utile ut nos edoceat, corripiat, erudiat in iuſtitia, ideſt pro vitæ ſanctitate, ut perfecti ſimus coram Deo & ad omne bonum opus inſtructi: *Omnis Scriptura*, ait Apoſtolus, *divinitus inſpirata utilis eſt ad docendum, ad arguendum, & erudiendum in iuſtitia, ut perfectus ſit homo Dei, & ad omne opus bonum inſtructus*. Idcirco Deus nobis locutus eſt, ut ex ignorantiæ & malitiæ tenebris nos educeret. Igitur divinæ Scripturæ revelationes ſunt præcipuus locus & fons unde percipienda ſunt Chriſtianæ Moralis officia, ex quibus pendet æterna hominis ſalus & beatitudo. Nam, ut docent Sancti Patres, divina Scripturarum revelatio continet verbum Dei, qui cum ſit infinita ſcientia, veritas, & bonitas, nec fallere nec falli poteſt. *Non expectamus*, inquit Clemens Alexandrinus lib. VII. Stromatum, *teſtimonium quod datur ab hominibus, ſed voce Domini probamus quod quæritur, quæ eſt magis fide digna quam quævis demonſtratio, vel potius quæ eſt ſola demonſtratio*. Et conſone Alexandrino habet D. Thomas *lib. I. contra Gent. cap.* IV. Salubriter ergo divina providit clementia, ut ea etiam quæ ratio inveſtigare poteſt, fide tenenda perciperet; ut ſic omnes de facili poſſent divinæ cognitionis participes eſſe, & abſque dubitatione & errore. Quocirca dicitur Epheſ. 5. cap. IV. *Iam non ambuletis ſicut & gentes in vanitate ſenſus ſui tenebris obſcuratum habentes intellectum*.

Et revera officia Moralis Chriſtianæ vel iuris ſunt naturalis, vel ſupernaturalis. Si ſupernaturalis: ad hæc humana ratio, ſecluſa revelatione, pertingere nequit; ut patet in officiis quæ Deo debemus ut Redemptori, quæ ſine lumine fidei minime ſcire poſſumus. Si autem ſint iuris naturalis: in his quoque humana ratio, quantumvis prudens & perſpicax, non raro aberrat. Quod manifeſtiſſime patet in tot ſapientibus viris, quales fuerunt Philoſophi, qui in ſuis iudiciis a moralibus principiis ac veritatibus etiam magis humanæ intelligentiæ obviis deviarunt, ut in ipſum Decalogum, cuius præcepta, utpote naturalia, ipſo naturalis rationis lumine ſunt homini pervia, varia ſcelera honeſtaverint: puta furtum, ut Lycurgus; monſtruoſam uxorum communicatio-

cationem, ut Plato; & ſic alia vitia ab aliis inter virtutes recenſita. Et clarius hoc etiam evincitur in quibuſdam hæreticis, qui nimium de ſe ipſis fidentes lapſi ſunt in graviſſimos errores contra regulas Chriſtianæ Moralis: cum in originali infirmitate quam patitur humana mens, unde ſæpe ex carnalis appetitus illuſione malum apprehendit pro bono, vitium pro virtute, ſine ſuperioris luminis ductu faciliimum ſit ut in errorem contra regulas Chriſtianæ Moralis labatur. Hinc Deus, ut occurreret imbecillitati mentis noſtræ, non ſolum revelavit quæ fide credenda ſunt, ſed ea quoque quæ Chriſtiana boneſtate operanda: quia, ut ſcriptum eſt, *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo*; ita & dictum eſt: *Fides ſine operibus mortua eſt*. Igitur ſi fidei doctrinas ex revelatis percipimus; doctrinam quoque morum ex iiſdem revelatis deſumere debemus. Quare manifeſtiſſime patet in caſuum moralium reſolutionibus ante omnia conſulendas eſſe divinas Scripturas, ubi Deus regulas tradit ac doctrinas quibus actiones noſtras ordinare ac inſtituere debemus. ut iuſtæ, ſanctæ, ac laudabiles ſint atque dignæ æterna mercede.

§. IV.

Quomodo utendum ſit divina Scriptura in reſolutionibus caſuum moralium.

Nota, in reſolutionibus caſuum moralium ex doctrina divinæ Scripturæ ſtandum ſenſui litterali: quia ſolus ſenſus litteralis eſt regula fidei & morum, & nihil proponitur ut myſterium, niſi ſit ſupernaturaliter revelatum vel in Scriptura vel in Traditione. Ideo Moralis Theologus deciſiones ſuas firmare debet ſenſu litterali potius quam allegorico: & primo ſenſus litteralis intelligentia indaganda. Et equidem ex ſolo ſenſu litterali Scripturæ Theologus certum ducere poteſt argumentum: quia verba Scripturæ detorta ad alios ſenſus, quamvis pios & contra veritatem minime pugnantes, non ſunt ſub illo reſpectu verba Dei, ſed verba hominis; cum, ut ſupponitur, Deus per ea non dixerit quæ ipſi affinguntur.

Quando itaque utimur divina Scriptura ad reſolvendos caſus conſcientiæ, debemus eos tantummodo textus adhibere quibus Deus manifeſtare voluit vel ea quæ vetat, vel ea quæ præcipit: ſeu Scriptura ſacra eatenus eſt propria reſolvendis conſcientiæ caſibus, quatenus exhibet nobis quid Deus vetet, vel quid iubeat; ut Deuteron. cap. XII. *Non facietis ſinguli quod ſibi rectum videtur.... Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino: nec addas quidquam, nec minuas*. Idem eſt ac ſi diceret: Sume Scripturam quaſi regulam agendorum, quoties tibi annuntiabit ea quæ aut agenda iubeo, aut facienda veto. Sic etiam advertit Apoſtolus paulo ante citatus in *II. ad Timoth. cap. III.* nempe Scripturam divinitus inſpiratam utilem eſſe ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in iuſtitia, ut perfecti ſimus homines Dei, & ad omne opus bonum inſtructi. Igitur Scriptura eſt morum regula, quatenus docet, arguit, inſtruit circa ea quæ ſunt iuſta vel iniuſta, ſeu quatenus præſcribit quæ ſunt agenda vel fugienda. Voluntas Dei eſt cauſſa rerum; & ſub tali reſpectu eſt adoranda, utpote quæ nihil faciat aut permittat, niſi cum maxima ſapientia, iuxta illud Pſalm. CIII. *Omnia in ſapientia feciſti*: & eſt regula noſtrarum actionum; & prout talis eſt obſervanda, eique obtemperandum, iuxta illud Pſalm. XVIII. *Lex Domini immaculata convertens animas*. Unde Scriptura divina non eſt regula morum, quatenus cauſſa, ſed quatenus proponit vetita a Deo ac præcepta.

Obſervandum, quod quando Scriptura ſacra nobis exhibet in ſuis hiſtoriis viros iuſtos aliquid præſtitiſſe quod vel ſit malum, vel quod ſpeciem mali habeat (quale fuit mendacium quod tribuitur Abrahamo, dum dixit Abimeleco Saram ſuam eſſe ſororem: quem tamen vindicant aliqui a tali mendacio, de quo ab aliquibus inculpatur & Jacob dicens patri ſe eſſe eius filium primogenitum Eſau, & Iudith cum Holopherni mentita eſt) huiuſcemodi hiſtoriæ non ſunt accipiendæ tamquam regulæ pro reſolvendis caſibus conſcientiæ: cum ſint facta hiſtorica propoſita non ut ea imitemur, ſed ut ea admiremur, quæ manifeſtant nobis voluntatem Dei ut cauſſam rerum, non vero eam voluntatem quæ eſt nobis agendi regula. Quoad cæremonialia & iudicialia præcepta in veteri Teſtamento expreſſa, nunc amplius non obligant. Præcepta autem moralia Decalogi expreſſa in veteri Teſtamento, licet a Chriſto Domino in Eccleſia ſua firmata, non tamen obligant ſecundum eam reſtrictionem qua vigebant apud Iudæos, nec ſecundum eorum interpretationes, ſed ſecundum interpretationem quam Chriſtus in Evangelio adhibuit; ac dedit & dat Eccleſia eiuſdem Chriſti ſponſa in ſacris Conciliorum canonibus, ac in ſummorum Pontificum conſtitutionibus.

Item Scriptura ſacra ita ſumenda eſt, etiam

iam ubi de moribus loquitur, ut credamus non omnia quæ de moribus dicuntur in Scripturis, eſſe de præcepto; ſed alia eſſe de præcepto, alia vero de conſilio. Quæ de conſilio ſunt, libertatis; quæ de præcepto, ſunt neceſſitatis: & ſuſius hæc iam videbimus, cum agemus de legibus. Ea autem ſunt de præcepto, quæ lege aliqua, vel naturali, vel divina, vel eccleſiaſtica, vel civili, aut interdicuntur aut præcipiuntur: ea vero ſunt de conſilio, quæ licet bona ſint in ſe, nulla ex dictis legibus iubentur. Idcirco omiſſio actus mali lege vetiti, ut omiſſio odii Dei, eſt de præcepto. Exercitium actus virtutis lege imperatæ, ut exercitium caritatis erga Deum & proximum, quando urgeat præceptum, eſt de præcepto. Sic opus bonum quod citra ullam legem exercemus, ut elargitio eleemoſynæ, ieiunium, oratio &c. quando non urget præceptum, eſt de conſilio. Et clarius res explicatur a D. Thoma 1. 2. *quæſt.* CVIII. *art.* 4. *in corp.* Ea ſunt de præcepto, quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem; ea vero de conſilio, ſine quibus ſalus obtineri poteſt. Ita, ut ibi docet Sanctus Doctor, præceptum negativum eſt, quod homo numquam ita adhæreat creaturis, ut in eis ultimum finem ſtatuat: licitum, quod iiſdem creaturis moderate utatur; conſilium vero, ut bonis temporalibus renuntiet, ut ſic expeditius ad æternam beatitudinem tendat. Sic in communi præcipitur ut divitiis non inhæreamus: conceſſio eſt ut cum moderatione iiſdem utamur; conſilium vero ut eis per votum paupertatis totaliter renuntiemus, ut Matth. cap. XIX. *Si vis perfectus eſſe, vade, vende quæ habes, & da pauperibus*. Sic communiter iubemur carnis illecebris non inhærere: conceditur tamen ut moderate eis utamur; conſilium eſt, ut eis per votum caſtitatis valedicamus. Ideo Chriſtus in dando tali conſilio ait: *Sunt eunuchi qui ſe caſtraverunt propter regnum cælorum*. Sic præceptum in communi eſt, non inhærere ſæculi honoribus: licentia eſt ut moderate eis utamur; conſilium vero ut per obedientiæ votum eis renuntiemus. Unde ex dictis colligitur, quod omnia conſilia particularia ad illa tria generalia & perfecta reducantur: ſcilicet ad votum obedientiæ, paupertatis, & caſtitatis.

§. V.

De divina Traditione.

Traditio verbum eſt ſine Scriptura divina & canonica: quia in ſcriptis SS. Patrum & actis Conciliorum Traditiones conſervantur. Nomine igitur Traditionis intelligitur doctrina non ſcripta: non quia nullibi ſcripta ſit, cum reperiatur in canonibus Conciliorum, aut in operibus Patrum; ſed quod non legatur in libris canonicis.

Quare Traditio definitur *verbum Dei ſine ſcripto traditum*. Per duo priora verba Traditio convenit cum Scriptura; cum utraque ſit verbum Dei: reliqua vero habent rationem differentiæ. Per ea enim Traditio & Scriptura diſtinguuntur: cum Scriptura ſit verbum Dei ſcriptum; Traditio autem verbum ſit Dei non ſcriptum.

Traditio conſiderata in ordine ad obiectum triplex eſt: videlicet fidei, morum, & diſciplinæ. Prior ad fidem ſpectat, altera ad mores, tertia ad diſciplinam. Traditio quæ reſpicit fidem & mores, duplex eſt: divina ſcilicet & humana. Prima Deum ſeu Chriſtum habet auctorem; poſterior homines. Traditio pertinens ad diſciplinam eſt apoſtolica, vel eccleſiaſtica. Illa eſt ritus quidam inſtitutus primum ab Apoſtolis, qui non legitur in eorum epiſtolis; cujuſmodi eſt ieiunium Quadrageſimale: iſta eſt conſuetudo, quæ a Prælatis aut a populis inchoata, deinde tacito fidelium conſenſu vim legis obtinuit.

Traditio igitur humana duplex eſt: apoſtolica nimirum, quæ originem ducit ab Apoſtolis; & eccleſiaſtica, quæ initium habuit a ſucceſſoribus Apoſtolorum. Apoſtoli autem dupliciter ſpectari poſſunt. Primo, ut præcones eorum quæ a Chriſto audierunt. Secundo, ut Eccleſiæ Paſtores, qui propria auctoritate nonnulla fidelibus regendis ſanxerunt. Quæ ut verbi Dei præcones tradiderunt, ea ſunt Traditionis divinæ; quæ vero ordinaverunt ut Eccleſiæ Paſtores, cenſentur Traditionis apoſtolicæ.

Inter Traditionem divinam & humanam illa intercedit differentia, quod divina diſpenſationem quidem aliquando admittat; ſed prorſus abrogari nequeat: humana vero pro circumſtantiarum exigentia mutari poſſit; apoſtolica tamen difficilius ob reverentiam Apoſtolis debitam, & perſuaſionem quod nihil inſtituerint niſi valde utile & quodammodo neceſſarium Eccleſiæ regimini. Quare Eccleſia diſtinguere ſolet Traditionem apoſtolicam a Traditione mere eccleſiaſtica.

Traditio divina facile diſtinguitur ab eccleſiaſtica. Hæc enim, cum poſt tempora Apoſtolorum cœperit, non ſemper & ubique viguit: illa vero, ut a Chriſto inſtituta, ſemper & ubique obſervata eſt. Nam Eccle-

Digitized by Google

ſia verbum Dei fidei ſuæ creditum fideliter & religioſe cuſtodit, ut S. Auguſtinus lib. IV. de Baptiſ. contra Donat. *Quod univerſa* (inquit) *tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt; nonniſi ab apoſtolica auctoritate traditum rectiſſime creditur.*

Difficillime tamen divinæ Traditiones diſtinguuntur ab apoſtolicis, eo quod utriſque iidem characteres ſæpe conveniunt: nimirum & Traditiones apoſtolicæ non ſecus ac divinæ ſemper & ubique ſervatæ ſunt; ut obſervatio diei Dominicæ & Quadrageſimæ. Tum quia quandoquidem confundunt ſancti Patres nomina divinæ & apoſtolicæ Traditionis: cum apud ipſos divina nonnumquam appelletur apoſtolica, ut a S. Auguſtino *loc. cit.* Contra vero apoſtolica vocatur divina, ut a S. Leone *ſerm.* IV. *&* VI. *de Quadrageſima:* cum in priore dicat Quadrageſimam eſſe divinæ inſtitutionis; in altero apoſtolicæ.

Verum Traditiones divinæ habent ſuas notas quibus ab apoſtolicis diſtinguuntur. Prima quidem, quando dogma vel morem univerſa Eccleſia amplexa eſt, ac ſemper retinuit tamquam ad fidem pertinens (ut mos baptizandi infantes, non reiterandi baptiſmum collatum ab hæreticis, aliaque ſimilia) licet in ſacris Litteris non inveniatur; quia tamen eius initium non reperitur in decretis ſummorum Pontificum, aut in Conciliorum canonibus, aut in ſtatutis Patrum, divinæ eſt Traditionis: quia Eccleſia univerſa, quæ columna eſt (ait Apoſtolus *I. ad Timoth. cap.* III.) & firmamentum veritatis, errare non poteſt. Secunda, doctrina quam univerſa Eccleſia quovis ſæculo propugnavit, quamvis in libris canonicis non reperiatur, divinæ eſt Traditionis: cum Eccleſia admittere nequeat tamquam divinum quod humanum eſt. Tertia, quando Patres & Theologi communiter conſuetudinem aliquam ad Chriſtum referunt, ſcribuntque eſſe divini præcepti. Si autem in veterum ſcriptis & praxi ſit aliqua obſcuritas; explicatio attendenda eſt ab Eccleſia, quæ iudex eſt controverſiarum naſcentium circa Scripturam ſacram & Traditiones.

Nonnullæ ſunt pariter regulæ ad dignoſcendum aliquas Traditiones humanas eſſe, non divinas. Prima, nempe illud eſſe humanæ Traditionis, non divinæ, quod licet ſervetur in tota Eccleſia, illius tamen initium reperitur aut in decretis ſummorum Pontificum, aut in Conciliorum canonibus, aut in Patrum ſtatutis. Secunda, doctrina vel conſuetudo quæ in una tantum particulari Eccleſia reperitur, non eſt divina, ſed humana, non tradita, ſed inventa. Tertia, humanum eſt, non divinitus traditum, quod contra communem aliorum ſententiam tenetur ab uno tantum vel duobus, immo & a tota aliqua provincia docetur. Invenin.

Ex dictis colligitur, attendendam eſſe in morali quoque diſciplina Traditionem non humanam, ſed divinam: ideſt non per privatos auctores propoſitam, ſed non interrupta Paſtorum ſucceſſione fideliter ad nos tranſmiſſam, utpote quæ divinam revelationem oretenus traditam exhibet, ut habetur Jerem. cap. VI. *Interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, & ambulate in ea.* Et D. Ioannes Chryſoſtomus ait in II. ad Theſſalon. homil. IV. *Eſt Traditio? nihil quæras amplius.* Ita ſemper obſervatum fuiſſe, multis conſtat exemplis; & præcipue ex Chriſto Domino, qui damnans recentes & humanas, Traditiones antiquas & divinas circa doctrinam morum confirmat, dicens Matth. cap. XIX. *Ab initio non fuit ſic.* Hinc Eccleſia Traditionem conſulens diem Dominicum loco Sabbati celebrat; & Tridentinum *ſeſſ.* IV. prioribus inhærens Conciliis, *Scripturam, necnon Traditiones tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, pari pietatis affectu ac reverentia ſuſcipit ac veneratur.*

Porro divina Traditio, cum non ſecus ac divina Scriptura, ſit verbum Dei, ideſt pertinens ad divinam revelationem veritatum quæ fidem moreſque noſtros reſpiciunt pro noſtra ſpirituali ſalute, æque ac Scriptura eſt locus, principium, ſeu fons unde pro fide & moribus certum peti poteſt argumentum. Et equidem ſi Eccleſia in ſuis Conciliis, Patres in ſuis operibus uſi ſunt Traditione tamquam medio certiſſimo ad probanda tum fidei, tum morum dogmata: ex ea igitur pro fide & moribus certiſſimum peti poteſt argumentum. Concilia enim, quando egerunt de Scripturarum ſenſu, Traditionem conſuluere. Nicænum Concilium (teſte Theodoreto *Hiſt. lib. I. cap.* VIII.) damnavit Arium teſtimonio Scripturarum, quas expendit ad mentem Traditionis. Et ſic in aliis quoque Conciliis actum fuit.

§ VI.

De Conciliis.

Concilii nomen, iuxta Bellarminum, idem in Eccleſia ſignificat quod in regnis importat nomen Comitiorum. Ita ſicuti regni

gni Comitia nihil aliud ſunt quam Principum; Procerum, Magiſtratuum in unum locum congregatio, ut de rebus ad regnum ſpectantibus tractent; ſic Eccleſiæ Concilia nihil aliud ſunt quam Eccleſiæ Præſulum conventus, ut de rebus ad Eccleſiam ſpectantibus agant. Et quando Concilium eſt generale, ibi eſt tota Eccleſia ſimul congregata ac repræſentata in ſuis Præſulibus; ſive omnes Præſules eo concurrant, ſive ab omnibus ſegregati eo mittantur, ſive abſentibus quibuſdam Eccleſiæ partibus, a tota poſtmodum Eccleſia Concilium ut generale recipiatur. Concilium generale dicitur etiam Synodus œcumenica (ducta ex Græcis appellatione, ideſt conventus ex univerſa terra habitabili) & Concilium plenarium. Dicuntur tamen Concilia plenaria Orientis, Concilia plenaria Africæ. Quare Concilium ita definiri poteſt: *Concilium eſt congregatio Prælatorum Eccleſiæ, qui in unum eumdemque locum congregantur ad definiendas controverſias circa fidem exortas, ad reformandos mores, & ad diſciplinam eccleſiaſticam ſtabiliendam*. Ex hac definitione ſequitur primo Conciliorum quatuor eſſe genera. Quædam enim ſunt generalia, ad quæ congregantur, ut dicebam, totius mundi Epiſcopi; quædam nationalia, ad quæ conveniunt unius aut regni aut nationis Præſules; quædam provincialia, in quibus ſub Metropolitano reperiuntur unius tantum provinciæ Epiſcopi; quædam denique diœceſana, in quibus ſunt ſub Epiſcopo unius Epiſcopatus Presbyteri.

Concilia generalia poſt Apoſtolorum tempora celebrata ſunt novemdecim: videlicet Nicænum primum, Conſtantinopolitanum primum, Epheſinum, Chalcedonenſe, Conſtantinopolitanum ſecundum, Conſtantinopolitanum tertium, Nicænum ſecundum, Conſtantinopolitanum quartum, Concilium generale Lateranenſe primum, Lateranenſe ſecundum, Lateranenſe tertium, Lateranenſe quartum, Lugdunenſe primum, Lugdunenſe ſecundum, Viennenſe, Conſtantienſe, Baſileenſe, Florentinum, Tridentinum. Particularia vero, nempe nationalia, provincialia, diœceſana, permulta ſunt; de quibus omnibus habetur fuſe in Eccleſiaſtica Hiſtoria, in Hiſtoriis Conciliorum, & in aliquibus Theologis, præcipue in ſecundo volumine Theologiæ Moralis Beſombes. Satis mihi viſum eſt ea ſummatim recenſere; cum jam præcipue de generalibus agendum ſit in Tractatu de Fide.

Ex eadem definitione ſequitur ſecundo, tria poſſe in quolibet Concilio pertractari: ſcilicet ea quæ pertinent ad fidem; quæ ſpectant mores; & quæ diſciplinam reſpicere poſſunt. Canones fidei docent quæ credenda ſunt, & non credenda. Canones morum determinant quæ agenda, & quæ fugienda. Statuta vero diſciplinæ præſcribunt modum, ſecundum quem in Chriſtiana Republica & ii qui ſunt ſuperiores, & ii qui ſunt inferiores, vivere debeant, ſive quo pacto ſe gerere debeant tam ii qui præſunt, quam ii qui ſubſunt.

Ad hoc vero ut melius uſus Conciliorum ſeu ſacrorum canonum percipiatur, quadruplex ponitur principium ad quod canones omnes reducuntur. Primum nempe, quod quæcumque ſtabilita ſunt in Conciliis, ad fidem, ad mores, & ad diſciplinam pertinent: ideſt præſcribitur in Conciliis quid credendum, quid non credendum, ut ſinceri ſimus in fide; determinatur quid agendum, quid non agendum, ut ſimus ſancti in moribus; ſtabilitur quis modus ſervandus ſit tum a ſuperioribus erga inferiores, tum ab inferioribus erga ſuperiores, qualiſque debeat eſſe principatus in Eccleſia, & quæ conſuetudines ſervandæ, ut regimen eccleſiaſticum ſit bene ordinatum. Sic obſervatum fuit in primo Concilio celebrato ab Apoſtolis *Actor. cap.* xv. in quo ſuper illa tria verſati ſunt. Exigitur enim ab homine Chriſtiano ut humiliter credat, quia *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo;* ut ſancte vivat, quia *fides ſine operibus mortua eſt*; quod Eccleſiæ cuius eſt membrum, ſe conformet, quia, iuxta monitum Apoſtoli, quilibet fidelis conſuetudinem Eccleſiæ tamquam regulam vivendi ſibi proponere debet. *Si quis*, ait, *contentioſus voluerit eſſe, nos talem conſuetudinem non habemus, nec Eccleſia Dei.*

Secundum principium eſt, quod tria hæc, fides nempe, mores, & diſciplina, eo ordine ſtabilita fuere ut, exortis, ſic Deo permittente, hæreſibus, articuli fidei, dogmata morum, capita diſciplinæ prius reſolverentur quæ magis in ſingulis horum neceſſaria videbantur, poſterius vero minus neceſſaria; adeo ut iuxta maiorem vel minorem Eccleſiæ neceſſitatem prius poſteriuſve determinata fuerint in Conciliis quæ ad fidem, mores, & diſciplinam pertinent.

Tertium principium eſt, quod Concilia generalia ſimpliciter, ad quæ, ut vidimus, convocantur totius orbis Epiſcopi, Concilia non generalia ſimpliciter, ad quæ convocantur non omnes, ſed ſolum alicuius nationis

vel

Digitized by Google

vel provinciæ Epiſcopi, eo ordine antecedunt ſe & ſubſequuntur, ut vulgo Concilia particularia quæ præcedunt generale, ſint diſpoſitiones eius generalis Concilii quod præcedunt; Concilia particularia quæ ſubſequuntur Concilium generale, ſint executiones Concilii generalis quod præceſſit. Et hoc adumbratum fuit in veteri Lege per duplex Tribunal quod erat apud Iudæos, *Matth. cap.* v. *Iudicium* ſcilicet & *Concilium*. Iudicium parvum erat Synedrium, figura Conciliorum particularium; Concilium magnum Synedrium, umbra Conciliorum generalium, quæ nunc celebrantur in Eccleſia præfigurata in Synagoga.

Quartum principium eſt, quod canones fidei ſunt ii qui reducuntur ad Symbolum Apoſtolorum; & ſunt uberiores eiuſdem Symboli explicationes. Canones morum ſunt ii qui reducuntur vel ad Decalogum vel ad Evangelium; & ſunt fuſiores vel Decalogi vel Evangelii expoſitiones. Statuta diſciplinæ ſunt ea quæ reducuntur ad legem mere eccleſiaſticam; & ſunt variæ eccleſiaſtici regiminis explicationes. Dogmata enim fidei continentur in Symbolo; ideo dicuntur ſumma credendorum. Regulæ morum continentur vel in Decalogo vel in Evangelio; ideo lex naturalis & evangelica dicitur norma agendi. Statuta diſciplinæ continentur in regimine Eccleſiæ; ideo praxis Eccleſiæ dicitur uſus cui nos conformari oportet.

Canones fidei & morum ſunt omnino invariabiles quoad circumſtantias temporis, loci, & perſonarum: quia canones fidei & morum pertinent ad ius naturale: cum pertineant ad Decalogum. Lex autem naturalis habet pro obiecto non id quod eſt indifferens, ſed id quod eſt neceſſarium. Igitur canones fidei & morum ubique locorum, ubique gentium, & generatim ab omnibus ſunt admittendi.

Canones vero diſciplinæ, quatenus exprimunt fidem vel mores, ſunt omnino invariabiles; quia ex ea parte pertinent ad ius naturale: & ſunt ſolum variabiles quoad modum quo vel fidei exercitium determinant, vel præcepta Decalogi ad uſum applicant; cum ea pertineant ad legem poſitivam. Sic v. g. canones quibus Eccleſia determinavit ſolemnitatem Feſtorum, auſteritatem ieiuniorum &c. ſunt invariabiles ea parte qua pietatem erga Deum, vel ſobrietatem erga nos ipſos præcipiunt; quia ſecundum illud munus pertinent ad ius naturale: variabiles vero ſunt quoad modum vel celebrandi feſta, vel exercendi ieiunia; quia ſecundum illud munus pertinent ad ius poſitivum. Canones diſciplinæ ea etiam parte qua ſunt variabiles, mutari non debent privata auctoritate, ſed ſolum auctoritate Eccleſiæ vel decernentis eam mutationem, vel eam iuſtis de cauſſis permittentis. Nulla enim lex privata auctoritate mutari poteſt: quia decet privatum ſubeſſe legi, minime vero ei dominari. Unde cum canones ſint leges auctoritate Eccleſiæ inſtitutæ, privata auctoritate mutari nequeunt.

Conſulenda ſunt igitur in moralium caſuum reſolutionibus etiam Concilia œcumenica vel particularia, quæ univerſali Eccleſiæ conſenſu recepta ſunt, tamquam principia, ſeu loca & fontes, unde erui poſſunt argumenta in Chriſtiana Morali: quia divinam revelationem nobis exhibent, & univerſalem Eccleſiam repræſentant, quæ cum a Spiritu ſancto dirigatur, errare non poteſt. Unde aiunt Apoſtoli Act. cap. xv. *Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis*. Unde eadem ſemper generalibus Conciliis reverentia exhibita eſt quæ verbo divino redditur, ut S. Athanaſius in ſua *Epiſt. ad Africanos* ait. *Verbum Domini per œcumenicam Synodum manet in æternum*. Et S. Gregorius Magnus habuit ac veneratus eſt quatuor Concilia, Nicænum ſcilicet, Conſtantinopolitanum, Epheſinum, Chalcedonenſe, non ſecus ac quatuor ſancti Evangelii libros; ut *lib. I. Epiſt.* xxiv. *n.* 20. profeſſus eſt: *Sicut Sancti Evangelii quatuor libros*, ait, *ſic quatuor Concilia ſuſcipere & venerari me fateor: Nicænum ſcilicet., Conſtantinopolitanum ... Epheſinum .... & Chalcedonenſe*. Sic Concilium Conſtantienſe ſeſſ. xv. *decreta Conciliorum quaſi divina Dei eloquia* ſuſcipit. Item Concilium Senonenſe Eccleſiam in Conciliis repræſentatam, tam in moribus, quam in fide infallibilem proteſtatur.

Verum, ne confuſio in moralibus oriatur, diſtinguendi ſunt inter ſe canones pertinentes ad fidem ab iis qui ad mores, pertinent & diſciplinam; ſic pertinentes ad mores ab iis qui ad fidem & diſciplinam; ſic pertinentes ad diſciplinam ab iis qui ad fidem & mores: & ſequenti exemplo patebit. Doctor negans cum pertinacia uſuram eſſe peccatum, eſt hæreticus: quia peccat contra canonem fidei, quo definitur uſuram eſſe peccatum. Mercator qui amore pecuniæ exercet uſuras, non eſt hæreticus: quia hic non peccat contra canonem fidei, ſed contra canonem morum, quo prohibetur uſura. Parochus ignarus qui non privet publicum uſurarium eccleſiaſtica ſepultura, modo id malitioſe non

agat,

agat, non peccat nec contra fidem, nec contra mores, ſed contra diſciplinam: utpote qui non violat canonem fidei vel morum, ſed diſciplinæ. Quare ut hæc regula ad praxim reducatur, doctor nequit abſolvi, niſi errorem ſuum retractet; mercator, niſi reſtituat acquiſita per uſuras; Parochus, niſi, conſulto prius Epiſcopo, probe noverit quid hoc in caſu ſibi faciendum ſit.

Ad diſtinguendos prædictos canones fidei, morum, & diſciplinæ; opus eſt uti magna conſideratione ſeu reflexione: cum nihil ſit difficilius quam exacte diſtinguere quinam ſint canones fidei, quinam canones morum, quinam canones diſciplinæ; tum quia hæc tria ſæpe in uno eodemque objecto connexa & quaſi indiſtincta reperiuntur. V. g. in baptiſmo ad fidem pertinet ſcire, baptiſmum conſtare rebus & verbis, conferri in aqua vera & naturali ſub hac forma: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*. Ad mores ſpectat, quod adultus non recipiat baptiſmum ſine debitis diſpoſitionibus, & quod miniſter conſecratus non conferat, niſi ſit extra affectum peccati. Ad diſciplinam vero, quod baptiſmus talibus vel talibus ritibus accidentalibus conferatur, qui ritus non fuerunt ſemper iidem.

Difficultatem diſtinguendi inter canones fidei, morum, & diſciplinæ auget mutua eorum canonum ab invicem dependentia. Nam regulæ diſciplinæ moralia præcepta determinant; & moralia præcepta fidem vivam faciunt: v. g. ſterilis plane eſt hæc fides; *Credo Deum eſſe adorandum*, niſi fides illa exerceatur per præceptorum, *Memento ut diem ſabbati ſanctifices*; & iſtud præceptum, *Sabbatum ſanctifices*, nimis vagum eſt, niſi per præceptum eccleſiaſticum determinetur, quod eo die audienda ſit Miſſa & divinis officiis aſſiſtendum. Qui canones fidei, morum, & diſciplinæ diſtinguere voluerit, hæc tria neceſſe eſt ut attendat. I. Symbolum Apoſtolorum, ut cognoſcat canones fidei; cum canones fidei non aliud ſint quam uberiores Symboli Apoſtolorum explicationes. II. Decalogum explicatum per Evangelium, ut cognoſcat canones morum; dum hi non ſunt niſi fuſiores Decalogi explicationes. III. Præcepta mere eccleſiaſtica, ut cognoſcat canones diſciplinæ; qui nihil aliud ſunt quam quædam iuris eccleſiaſtici applicationes. Igitur qui prædictos canones diſtinguere voluerit, neceſſe eſt ut hæc tria attendat. Etenim canones fidei agnoſcet, ſi eos ad Symbolum comparaverit; canones morum deprehendet, ſi eos conferat cum Decalogo; canones tandem percipiet diſciplinæ, ſi cum præceptis mere eccleſiaſticis comparaverit. Dixi *cum præceptis mere eccleſiaſticis*: quia cum præcepta eccleſiaſtica fidem præcipiunt, vel mores iniungunt; tunc vel ad fidem vel ad mores pertinent, & ſunt invariabilia, ſicuti præcepta fidei & morum.

§. VII.

De iudicio ſummorum Pontificum.

Quartus locus theologicus, ſeu fons Moralis Chriſtianæ, eſt ſolemne iudicium ſummi Pontificis ſuper aliqua morali controverſia. Cum enim ſummus Pontifex primatum habeat ex iure divino in tota Eccleſia, & ut Petri ſucceſſor, primus ſit magiſter: proinde ius habet edocendi eos omnes quibus præpoſitus eſt; ut dictum fuit Petro, & in ipſo omnibus eius ſucceſſoribus: *Paſce oves meas*, ideſt fideles; *Paſce oves meas*, ideſt Paſtores. *Io. cap.* XXI. Romanus enim Pontifex, uti primus in Eccleſia hierarcha, doctor, magiſter, & pater, omnes debet inſtituere in dubiis quæ circa fidem & mores, & circa Scripturarum ſenſum oriri poſſunt; proponere Traditiones Patrum, præcipere ut ubique terrarum canones obſerventur; confirmare in fide fratres ſuos, ideſt Epiſcopos, iuxta illud Luc. cap. XXII. *Simon rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando converſus confirma fratres tuos.* Immo ius habet vi ſupremæ ſuæ poteſtatis in tota univerſali Eccleſia compellendi per cenſuras ſingulos fideles, ipſoſque Sedium Epiſcopalium Præſules, ut ſanam fidem profiteantur, utque ad Evangelii & canonum normam mores ſuos componant. Huiuſmodi ius in Romano Pontifice quovis ſæculo Catholica Eccleſia venerata eſt.

Sic Florentini Concilii Patres docuere. Iſta perpetua communiſque fuit praxis Eccleſiæ, quæ in dubiis fidei & morum quovis ſæculo ſemper iudicium ſummi Pontificis quæſivit ac reverenter excepit; ut facile innoteſcere poteſt cuique eccleſiaſticam hiſtoriam percurrenti. Primis etiam Eccleſiæ ſæculis, quando Epiſcopi in aliquo dubio ſeu difficultate ſuarum Eccleſiarum inter ſe non conveniebant, recurrebant ad ſanctam Romanam Sedem: ut contigit tempore Damaſi, ad quem ob quaſdam diſſenſiones Orientis & Occidentis Epiſcopi convenerunt, inter quos S. Epiphanius Salaminæ Cypri Epiſcopus, Paulinus Epiſcopus Antiochiæ; & mediis Eccleſiæ temporibus (anno ſcilicet 860.) Bulgari nuper ad fidem converſi Ni-

co-

colaum I. Romanum Pontificem conſuluerunt, ut ab eo quid credendum, quidve agendum in Religione Chriſtiana quam amplexi erant, addiſcerent. Sic ultimis temporibus permultæ erroneæ opiniones tum Quietiſtarum, tum Caſuiſtarum, ſummorum Pontificum iudicio proſcriptæ fuere. In controverſiis igitur moralibus dicendum quod Auguſtinus in cauſſa Pelagii Serm. CXXXI. alias II. de verbis Apoſt. *Miſſum eſt ad Sedem Apoſtolicam, inde etiam reſcripta venerunt: cauſſa finita eſt, utinam aliquando finiatur error*.

Quare clariſſime conſtat iudicia ſummorum Pontificum locum eſſe theologicum ex quo tum ad ſtabiliendam fidem, tum ad regulandos mores argumenta deſumantur, & quidem, fatentibus Catholicis omnibus, ineluctabilia & infallibilia, ubi Eccleſiarum conſenſus acceſſerit. Igitur ubi de moralibus agitur, conſulendæ ſunt Decretales ſummorum Pontificum, quæ quidem collectæ habentur ratione temporum in compilationibus Decretalium, & in Bullariis digeſtæ ratione materiarum in toto corpore Iuris canonici. Item conſulendæ ſunt cenſuræ, ideſt proſcriptiones propoſitionum idemtidem factæ a ſummis Pontificibus.

§. VIII.

De iudicio Conciliorum particularium.

Quintus locus, fons, & principium Moralis Chriſtianæ eſt iudicium Conciliorum particularium vel nationalium, vel provincialium, vel diœceſanorum, tametſi univerſo Eccleſiæ conſenſu non ſint recepta. Cum enim Concilia particularia proferant ſenſum ſeu iudicium plurimorum Epiſcoporum, qui graviter & accurate controverſiam ſeu quæſtionem expenderunt, quilibet antiquam Eccleſiæ ſuæ Traditionem afferendo: hinc huiuscemodi iudicium in moralibus valde gravis eſt ponderis; maxime quia advertit Chriſtus Dominus Matth. cap. XVIII. *Ubi ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum*.

Veritatem hanc clare comprobat ipſa Eccleſiæ praxis. Ea enim fuit Eccleſiæ conſuetudo, ut ſæpe celebrarentur Concilia provincialia, quæ eſſent aut diſpoſitiones ad Concilium generale, aut præteriti Concilii generalis executiones; ut fuerunt Concilia Mediolanenſia celebrata a S. Carolo poſt abſolutum Tridentinum Concilium. Conſulendum eſt igitur in moralibus etiam particularium Conciliorum iudicium: quia (ut ait Synodus Avernenſis I. *can.* I.) non ob alium finem congregabantur quam *ut ea quæ ad emendationem vitæ, ad ſeveritatem regulæ, vel ad animæ remedia pertinebant, finirentur*.

Concilia particularia, licet non ſint infallibilia, ſicuti Concilia generalia; quia hæc repræſentant totam Eccleſiam, quæ utpote columna fidei & firmamentum veritatis, deficere nequit: ſunt tamen magnæ auctoritatis; quia totam particularem Eccleſiam repræſentant. Quare ipſa Concilia generalia particularia Concilia magno in honore habuere, ac ſanxerunt ut fideles eiſdem ſubiicerentur; ut conſtat ex ſeptima Synodo *Act. III.* ubi in epiſtola exhibita a Theodoro nomine Orientalium, quam ipſa Synodus approbavit, ita habetur: *Locales ſeu provinciales Synodos non averſamur, ſed magis amamus, amplectimur, & recipimus; earum etiam divinitus inſpiratas canonicas conſtitutiones, correctiones, & utiles legiſlationes ſumma obſervantia colimus*: & ſimilia in octava Synodo.

Tanti ponderis eſt auctoritas particularium ſeu localium Conciliorum, ut videantur plures errores circa mores ſolis particularibus Conciliis primo condemnati fuiſſe, poſtea vero aliquo ſolemni ac univerſali Concilio particulare approbante fuiſſe anathematizati. Sic Beguardi & Beguinæ omnem libidinem licitam admittentes in iis qui ſemel Deo eſſent conſecrati, damnati ſunt in Concilio Viennenſi in Auſtria, & poſtea anathematizati in generali Concilio Viennenſi in Galliis. Sic pluries factum habetur ab eccleſiaſticæ hiſtoriæ documentis.

Ex dictis ergo colligitur, in moralium controverſiarum caſuumque reſolutionibus curanda eſſe ac conſulenda Concilia quoque particularia, & ea præſertim quæ agunt de moribus. In priorum temporum Conciliis uſque ad octavum ſæculum expreſſam habemus antiquam morum puritatem veteremque Eccleſiæ diſciplinam: in Conciliis vero ſubſequentium temporum ab octavo ſæculo uſque ad Tridentinam Synodum velut ſub aſpectum ponitur quomodo fideles ab antiquis moribus degenerarunt: tandem in Synodis a Tridentina uſque ad præſens tempus avita morum puritas & priſca diſciplina reſtituenda proponitur.

§. IX.

§. IX.

De Epiſcoporum iudicio.

Sextus locus ſeu fons Chriſtianæ Moralis eſt Epiſcoporum iudicium, præcipue quando plures in idem conſentiant. In veteri Teſtamento ordinavit Deus *Deuter. cap* XVII. ut ſi oriretur dubium aliquod circa Religionem, accedere deberent ad conſulendos Sacerdotes: *Venies*, inquit Deus, *ad Sacerdotes Levitici generis, & ad iudicem qui fuerit illo tempore: quæreſque ab eis, qui indicabunt tibi iudicii veritatem*. Cum igitur Epiſcopi in locum Sacerdotum legis Moſaicæ ſucceſſerint, conſulendi & audiendi ſunt a fidelibus in iis quæ pertinent ad doctrinam fidei & morum. Quiſque enim Epiſcopus iure divino iudex eſt controverſiarum quæ ad religionem pertinent, fidei ſcilicet & morum, non ſolum in Conciliis ubi ſedent non ut conſiliarii, ſed ut iudices; verum etiam extra Concilia: dum quilibet Epiſcopus poſitus eſt a Spiritu ſancto ut rector, paſtor, pater, & doctor ad regendam Eccleſiam Dei, iuxta illud Apoſtoli Actor. cap. xx. *Poſuit nos Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*. Regimen autem illius ſtare nequit, niſi doctrinam falſam damnare, & econtra veram probare poſſit. Idcirco Chriſtus vult ut quiſque fidelis ſuum Epiſcopum audiat, tametſi illius facta aliquando non teneatur imitari: ſicuti ſub figura Phariſæorum & Scribarum ait Matth. cap. XXIII. *Super cathedram Moyſis ſederunt Scribæ & Phariſæi: omnia ergo quæcumque dixerint vobis, facite; ſecundum vero opera eorum nolite facere.* Hoc etiam Patres tradidere: & inter alios Ignatius *Epiſt. ad Magneſianos* hortatur fideles ut Epiſcopis obediant. *Decet itaque & vos*, ait, *obedire Epiſcopo, & in nullo illi refragari*. Et S. Cyprianus *Epiſt. olim* lv. *nunc* lix. oſtendit non aliunde oriri hæreſes & ſchiſmata quam ex eo quod Paſtores audire negligimus.

Eo iure Epiſcopi uſi ſunt ſæpe: ut primis temporibus Nicolaitæ admittentes communitatem uxorum, Gnoſtici turpiſſimas voluptates licitas eſſe aſſerentes, Epiſcoporum etiam extra Concilium iudicio proſcripti ſunt. Dionyſius Alexandrinus (teſte Euſebio *Hiſt. lib. VII. cap.* VI.) proſcripſit hæreſim Sabellianorum, prolixaſque de ſuo iudicio dedit litteras ad Sixtum Pontificem maximum. Sic etiam Galliarum Epiſcopi nuper pleroſque recentiorum Caſuiſtarum errores damnarunt.

Colliges evidentiſſime ex dictis, in reſolutionibus caſuum conſcientiæ conſulendos attendendoſque Epiſcopos, nec ſine gravi temeritate ſperni poſſe eorum iudicia ac paſtorales eorum epiſtolas, maxime quando plures in eamdem ſententiam, aliis non reclamantibus, conveniant: quia Epiſcoporum mandata in ditione ſuarum diœceſum vim habent coactivam, quæ obedientiam exquirit; in aliis vero directivam, quæ reverentiam exigit.

§. X.

De Patrum auctoritate.

Septimus locus ac fons Chriſtianæ Ethices eſt Patrum auctoritas, quæ maior & minor eſt, quatenus plures aut pauciores in idem conveniunt, neque alii contradicunt. Patres enim ſunt hi quos Deus poſuit in Eccleſia tamquam doctores iuxta illud Apoſtoli I. ad Corinth. cap. XII. *Quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſia primum Apoſtolos, ſecundo Prophetas, tertio Doctores*. Eorum igitur doctrina in moralibus magnum facit pondus; ideo ſerio attendenda graviterque veneranda. Nam Patres ſunt hi qui cum ob inſignem ſcientiam egregiamque ſanctitatem, tum ob venerandam antiquitatem Traditionis cuſtodes habentur. Igitur ſicuti dum ſunt unanimes, faciunt irrefragabilem auctoritatem, ſive in fide, ſive in moribus, ſic quando plures in idem dogma morum conſentiunt, eorum auctoritas non reiicienda, ſed ſummopere æſtimanda & reverenda. Unius tamen vel alterius Patris ſententia, licet alii non contradicant, ideſt de ea ſileant, firmum non facit argumentum. Intantum enim in rebus theologicis valet Patrum auctoritas, inquantum fidem facit aliquem articulum in Traditione contineri, ſeu a Chriſto, aut a Spiritu ſancto poſt Chriſti aſcenſionem fuiſſe revelatum: ut tradit S. Auguſtinus *lib. III. de peccator. merit. cap.* VII. Talem autem certam fidem non facit unius aut alterius Patris auctoritas, aliis de huiuſmodi articulo ſilentibus: cum credibile non ſit, revelationis depoſitum quod univerſam reſpicit Eccleſiam, poſt Apoſtolorum tempora uni tantum aut alteri teſti creditum fuiſſe. Ceterum inſigniorum Patrum ſententia ſemper magnum pondus habuit in Eccleſia, ut ex S. Bernardo *Epiſt.* lxxvii. ad Hugonem de S. Victore: *Ab his ergo duobus columnis, Auguſtinum loquor & Ambroſium, crede mihi, difficillime avellor: cum his, inquam, me aut errare aut ſapere fateor.*

Cla-

Digitized by Google

Clare igitur conſtat Sanctos Patres in moralibus difficultatibus ſeu controverſiis conſulendos eſſe, eorumque doctrinam attendendam; eoſque præſertim qui ex profeſſo materiam aliquam pertractarunt: ut S. Cyprianus de Pœnitentia pro antiqua circa lapſos diſciplina firmanda; S. Auguſtinus contra Mendacium, aut ubi agit de alia quacumque morali materia; S. Ambroſius de variis Chriſtianorum officiis; S. Gregorius in libris Moralium. Conſulendi tandem ſunt, quantum fieri poteſt, veteres doctores, ut eorum ſententiam circa propoſitam quæſtionem perſpectam habeamus. Conſulendi ſunt etiam compilatores qui inſigniorum Patrum ſcripta in certas materias diſtribuentes, non aliam referunt ſententiam quam illorum Patrum quorum verba tranſcripſerunt.

§. XI.

De Theologorum Scholaſticorum auctoritate.

Octavus Chriſtianæ moralis locus ſeu fons, unde argumenta ad Morales quæſtiones reſolvendas ſumi poſſunt, eſt Theologorum Scholaſticorum auctoritas. In uſu tamen Theologorum caute procedendum eſt in eorumdem electione. Nam ſive antiqui, ſive recentiores ſint, attendendi non ſunt ii qui ſola utuntur ratione; alias liceret ſequi in moralibus tot erroneas ſententias opinioneſque, quas ſummi Pontifices, præcipue Alexander VII. Innocentius XI. Alexander VIII. & plures variarum provinciarum Epiſcopi proſcripſere ut exitioſas & ſcandaloſas, & quæ a fere innumeris recentiorum Scripturam, Traditionem, alioſque ſinceros Chriſtianæ Moralis fontes non curantibus propugnatæ fuere. Ratio habenda eſt Scholarum ſeu Theologorum qui Scriptura, Traditione, Conciliis, Pontificum decretis, Sanctorum Patrum doctrinis nituntur: cuiuſmodi ſunt ex recentioribus Canus, Contenſonus, Concina ex Dominicana familia, Gennetus, Tournely, P. Antoine, aliique, quorum ſententiæ continuo fulciuntur auctoritate divinæ Scripturæ, Traditionis, aliorumque locorum qui hic ſupra propoſiti ſunt genuini fontes ad reſolvendas cum ſecuriore veritates morales controverſas. Ex his enim argumenta in iis quæ ad fidem & mores pertinent, cum gravi certitudine veritatis peti poſſunt; dum hoſce ipſa Eccleſia conſulit ubi agitur de fide & moribus, & eorum ſententiæ rationem habet. Eccleſia enim ſemper conſuevit conſulere in Conciliis graviores Theologos; & in Congregationibus erectis in Romana Curia, ubi quæſtiones occurrant quæ ad fidem moreſque pertineant, opera Theologorum conſultorum ventilantur, antequam quidquam ſupra his per ſummi Pontificis iudicium ſtatuatur.

Dixi *non ii qui ſola utuntur ratione*, quæ per originale peccatum corrupta cæcutit, & facillime fallitur. De his enim ita ait Canus lib. VIII. de locis Theolog. cap. 1. *Tales auctores ſunt adſcriptitii Theologi, qui quæſtiones theologicas frivolis argumentis abſolvunt: & cum in his ſanctorum librorum teſtimonia rariſſima ſint, Conciliorum mentio nulla, nihil ex antiquis ſanctis oleant, nihil ex gravi Philoſophia; Theologi tamen vocantur, nec Scholaſtici ſunt nedum Theologi, qui ſophiſmatum fæces in Scholis inferentes, & ad riſum viros doctos movent, & delicatiores ad contemptum ..... quos ego probare non debeo, nec poſſum.*

Conſulendi ſunt igitur celebriores Morales Theologi: cuiuſmodi ſunt SS. Thomas, Bonaventura, Antoninus, Raymundus. Hos enim commendat profunda in divinis rebus eruditio, pura morum integritas, ſincerus fideliſſimuſque veritatis amor: cum non ex contentione, ſed ex ſolo veritatis affectu ſcripſerint; ut rem expendenti patebit. Tales ſunt pariter ſecundo loco, ideſt in inferiore gradu, Caietanus, Sylveſter, Soto, Sylvius, Comitolus, aliique non pauci ingenio inſignes, moribus optimis ſpectabiles; modo hi antiquos non ſpernant, nec eorum auctoritatem in ſenſus contrarios detorqueant. Alii quoque habentur ut antea recenſiti cum aliis huiuſce ætatis eiuſdem ſenſus. Conſulendi ſunt quoque clariores Canoniſtæ; ut Panormitanus, Navarrus, Covarruvias, Fagnanus, Cabaſſutius, aliique non pauci: cum Canoniſtarum auctoritas magni ſit ponderis.

Item magni æſtimari debet iudicium doctrinale ſacræ Theologiæ Facultatum, præcipue quæ celebriores habentur: cuiuſmodi ſunt Lovanienſis, Duacenſis, Salmanticenſis; & præcipue Pariſienſis omnium facile princeps, quæ rerum ſacrarum eruditione & purioris Moralis ſtudio inter alias ſemper emicuit, quam Epiſcopi ſummique Pontifices conſulere non dedignantur, cuiuſque opera Eccleſiæ matri numquam defuit, quoties de refellendis tum circa fidem, tum circa mores erroribus actum eſt. Ita celebris Recentior.

§. XII.

§. XII.

De naturali ratione.

Nonus locus ſeu fons Chriſtianæ Ethices eſt ratio naturalis. Utilitet enim ratio conſulitura Theologo, utpote quæ a Deo homini data ſit ad veritatis cognitionem comparandam. Ratio enim eſt quædam divini luminis participatio, iuxta illud Pſalmiſtæ: *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, Domine*. Hinc Deus *Iſ. cap.* XLVI. peccatores ad conſcientiam revocat: *Redite prævaricatores ad cor*. Ratio igitur naturalis, licet per peccatum corrupta, quia (ut docet D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 1. *art.* 4.) omnino deſtructa non eſt, utiliter conſuli poteſt ubi de moribus agitur: & ita docet S. Auguſtinus *lib. de ſpiritu & littera cap.* XXVIII. Ibi enim ait Sanctus Doctor: *Ratio, etſi per peccatum corrupta, ſapit aliquid, ſeu quædam morum principia cognoſcit*.

Quare ratio naturalis Theologo morali ad multa utilis eſt: ac proinde jure & merito recenſeri poteſt inter loca ſeu fontes Moralis Theologiæ. Nam ratio ſuppeditat communia morum principia, quæ certa ſunt & evidentia; cuiuſmodi ſunt, *Bonum eſt faciendum, malum fugiendum, quod tibi non vis, alteri ne feceris*: atque ex his principiis educuntur concluſiones quibus varia explicantur hominis officia. Harum autem concluſionum aliæ eliciuntur per demonſtrationem, aliæ per medium probabile. Nempe concluſiones quæ immediate eliciuntur ex primis principiis, plerumque inferuntur per medium demonſtrativum, & ſunt certiſſimæ. Sic ex iſto moralis diſciplinæ principio, *Alteri ne feceris quod tibi non vis fieri*, demonſtrative colliguntur plura ex præceptis quæ vetant ne damna & iniutiæ proximo inferantur. Quæ vero educuntur mediate tantum & remote ex iiſdem naturalibus principiis, plerumque probabilitet tantum educuntur; quia ſemper clare non videtur connexio quam remotæ concluſiones habent cum primis principiis, præſertim in rebus quæ mores ſpectant. Idque contingit, aut Deo nonnumquam (ut ex S. Auguſtino) ſpargente pœnales cæcitates ſuper illicitas cupiditates; aut propter præiudicia, vel propter pravum aliquod affectum quo mens inclinatur ad iudicandum pro his rebus quæ cupiditatem fovent ac nutriunt.

Ratio naturalis reſpectu Theologiæ, ſeu in rebus theologicis, non ſe habet pet modum principii: quia in theologicis unum eſt tantum principium, ſcilicet divina revelatio contenta in Scriptura vel Traditione; & in hoc differt a Philoſophia & aliis naturalibus diſciplinis. Dicendum eſt igitur, rationem naturalem eo ſenſu ad Theologiam conferre, quod ex principiis revelatis concluſiones eruat quibus aut exponit motiva credibilitatis, unde fit ut prudenter credamus, Scripturam & Traditionem eſſe verbum Dei: aut manifeſtat varia hominis officia, erga Deum, cuius eſt filius per adoptionem; erga Chriſtum, cuius eſt *acquiſitio* per eius mortem, ut aiunt Patres; erga alios homines, quibus eſt ſociandus perpetuo in gloria; erga Eccleſiam, cuius per baptiſmum eſt filius & membrum: & infert, quod Deo debeat honorem & amorem, quia Pater; Chriſto gratiarum actionem, quia Redemptor; proximo dilectionem, quia frater; Eccleſiæ obedientiam, quia mater.

Unde ſequitur I. eos abuti ratione qui in rebus theologicis primas partes ei tribuunt: *Oportet* (ait S. Thomas Part. I. quæſt. 1. art. 8. ad 2.) *quod naturalis ratio ſubſerviat fidei*. Eiuſmodi autem abuſus rei ſunt hæretici omnes, qui conſueſcunt ad normam quarumdam præconceptarum opinionum de vero Scripturarum ſenſu iudicare; cum econtra genuinus illarum ſenſus ex terminis quibus conſtat, ex Eccleſiæ Sanctorumque Patrum conſenſione deſumi debeat. Sequitur II. in eumdem ſcopulum incidere qui perſuaſi, nihil Deum revelaſſe quod humana ratio capere non poſſit, omnia Scripturæ loca e ſenſu litterali in metaphoricum detorquent: ut Sociniani. Sequitur III. eiuſdem culpæ reos eſſe nonnullos caſuum conſcientiæ arbitros, qui Dei iudices ſe ipſos conſtituentes adfirmant *hæc aut illa præcepta ſi ad litteram ſumerentur, non ſatis fore attemperata humanæ infirmitati*: & ex hoc temerario iudicio præcipua mandata, clare alioquin expreſſa in Scripturis, evellunt vel ſubvertunt. Et præcipue hoc apertiſſime conſtat in tot Probabiliſtis auctoribus, qui ad normam ſolius rationis per peccatum corruptæ de moribus opinando, ita Moralem Chriſtianam laxitatibus & corruptis doctrinis impleverunt, ut nullum ſit præceptum in Decalogo quod ſuis ratiociniis ex primis principiis male deductis non labefactarint. Unde Alexander VII. in Decreto dato Romæ die 25. Septemb. an. 1665. de huiuſmodi ſcriptorum placitis dixit, *opiniones eſſe Chriſtianæ doctrinæ relaxativas, & animarum perniciem inferentes, natas ex ſumma luxuriantium ingeniorum licentia*. Ut igitur tanto malo frenum remediumque ponatur, ſupponitur ſubſequens caput.

CA-

Digitized by Google

CAPUT II.
§. UNICUS.

De modo utendi prædictis Moralis Chriſtianæ principiis.

QUia prædicti Chriſtianæ Ethices fontes & principia, non omnia æqualem habent auctoritatem: optimum viſum fuit aliquam præſcribere normam, ut omni prudentia ac cautela loca illa in moralibus controverſiis adhibeantur: quod ſubſequentes regulæ traditæ a quodam recentiore præſtabunt.

REGULA I. Ubi quæſtio moralis reſolvi poteſt per expreſſam revelationem; ſtandum eſt revelationi, quidquid in contrarium humana ratio ſuggerat. Revelatio enim morum regulam continet; cum infallibili Dei verbo nitatur. Ratio autem humana errori eſt obnoxia, ut antea notatum eſt. Nam ſicut Deus verax eſt (ut ait Apoſtolus *Rom. cap.* III.) ita omnis homo mendax. Itaque inimicorum dilectio, neceſſitas ferendi crucem, caſtigandi corpus &c. quantumvis humanæ naturæ dura videantur, humili tamen mentis obſequio excipienda ſunt.

REGULA II. Ubi quæſtio propoſita ex revelatis principiis per neceſſariam demonſtrationem reſolvi poteſt; acquieſcendum eſt eiuſmodi demonſtrationi, quidquid in contrarium reclamet ratio affectibus obcæcata. Nam propoſitio quæ ex revelatis neceſſario ſequitur, eſt irrefragabilis auctoritas: ut ait Canus *lib. XII. de loc. Theol. cap.* V. Quare ex eo Chriſti monito, *Quod gratis accepiſtis, gratis date*, evidenter ſequitur, labem eſſe ſimoniæ res ſpirituales cum temporalibus commercio exponere; quidquid in contrarium excogitaverit humana cupiditas, ut divinæ legis vim eluderet.

REGULA III. Si quæſtio moralis definiri ſeu reſolvi nequeat vel per expreſſum Dei verbum, vel per neceſſariam ex revelatione demonſtrationem; conſulendi ſunt ii quibus facta eſt in Eccleſia poteſtas docendi ſimul & imperandi: cum hi propius ad revelationem accedant. Quia cum hi conſtituti ſint a Deo in Eccleſia ut verum Scripturæ & Traditionis ſenſum exponant, ubi revelatio manifeſta non eſt, iſti conſulendi ſunt, iuxta illud Malach. *cap.* II. *Labia enim Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore eius.* Immo cum hi auctoritate polleant imperandi, ius habent ferendi leges obligantes in conſcientia; ut Luc. cap. X. *Qui vos audit, me audit: qui vos ſpernit, me ſpernit.* Et D. Paulus ait ad Hebr. cap. XIII. *Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis.* Nemo igitur non videt, quod univerſa diæceſis Epiſcopali iudicio, multoque magis diœceſanæ Synodo, integra provincia provinciali, integrum regnum nationali Concilio ſubeſſe debent, & fideles omnes ſummi Pontificis determinationibus: cum hi omnes donati ſint a Deo poteſtate docendi ſimulque imperandi.

REGULA IV. Quando controverſia moralis ſolvi non poteſt nec per expreſſam revelationem, neque per neceſſariam ex revelatione demonſtrationem, neque per ulla ſuperiorum decreta; quærendum conſilium eorum qui antiquitate, doctrina, pietate ſunt in Eccleſia præſtantiores. Hi enim habent ab antiquitate, quod teſtes ſint & cuſtodes divinæ Traditionis; a doctrina, quod ſint divinæ revelationis interpretes; a pietate, quod ab humanis affectibus in conſtituendis morum regulis liberi fuerint. Unde patet, quod cum maior ſaniorque pars antiquorum Patrum & Theologorum in aliquod dogma conſentit, ei adhærendum ſit.

REGULA V. Si circa moralem controverſiam Patres Patribus adverſantur, celebriores Theologi ac Canoniſtæ ſeu Iuriſtæ diverſa inter ſe opinantur; tunc recurrendum pro reſolutione ad rationem. Sed magna cautela opus eſt. Et primo, cavendum eſt ne res ex pravis noſtris affectibus iudicemus. Nihil magis impedit veritatem invenire quam cor affectibus implicatum: quidquid enim amamus, id ſanctum, ait S. Auguſtinus, nobis eſt; hoc eſt, amores noſtros quamvis illicitos, innoxios tamen exiſtimamus. Hinc impudici libidines excuſant, vinolenti ebrietatem &c. Cavendum ſecundo, ne partium ſtudiis abducamur, ut quiſquis ſemel ſuſceptis ſive iure ſive iniuria partibus veritatem ſtare pertinaciter tueatur, eaque omnia reſpuat ut falſa quæ contra ſentiunt aliarum partium defenſores. Cavendum tertio, ne vel in laxiores vel in rigidiores opiniones incidamus; ſed curandum, quantum fieri poteſt, ut inter utraſque incedamus. Nam ſicut ſine culpa aggravari Chriſti iugum quod ipſe Dominus dulce eſſe pronunciat, ita nec ſine crimine dilatari poteſt via cæli, ideſt æternæ ſalutis, quam anguſtam Evangelium exponit: ac ideo non minus damnabiles ſunt qui contra Chriſti præceptum onera imponunt importabilia, quam qui purioris moralis diſciplinæ frenum laxitatibus ſolvunt. Utroſque enim maledictis inſectatur Iſaias cap. V. *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum*

Digitized by Google

num malum; ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras.

In opinionum ambiguitate requiritur ut quid propius ad revelationem accedat, diligenter inquiramus, eique parti religioſe adhæreamus, quæ magis legi favere videbitur; & ut in dubiis, ubi æqualia utrimque animo ſeſe offerunt rationum momenta, ſequamur quod tutius eſt, vel quod eſt eo in caſu unice tutum.

TRACTATUS
DE OPINIONUM CENSURIS.

Valde quidem confert Theologo notitia locorum ſeu fontium ex quibus argumenta pro confirmanda fide & regulandis moribus deſumenda ſunt. Sed hoc ſatis non eſt, niſi ſimul noverit quibus cenſuris affici debeant propoſitiones quas iiſdem ſive fidei ſive morum regulis oppoſitas eſſe cenſuerit. Igitur operæ pretium eſt ut, hiſce breviter delibatis quæ ſufficere poſſunt pro notitia locorum theologicorum, aliquid de propoſitionum cenſuris diſſeratur.

Cenſuræ propoſitionum octo paſſim recenſentur. Alia nimirum eſt propoſitio hæretica, alia erronea, alia ſcandaloſa, alia blaſphema, alia piarum aurium offenſiva, alia temeraria, alia ſeditioſa, alia denique ſuſpecta. Septem priores cenſurarum ſpecies expreſſæ habentur in Concilio Conſtantienſi *ſeſſ.* VIII. Octava cenſuræ ſpecies reperitur in Bulla Pii V. in qua damnantur quædam propoſitiones quas ſcriptores tribuunt Michaeli Baio. Quidam ſcriptores ſupra relatis addunt ſubſequentes. Præterea, inquiunt, aliquæ propoſitiones ſunt proximæ hæreſi, quædam ſapiunt hæreſim, quædam ſunt ſuſpectæ de hæreſi, quædam improbabiles, aliæ male ſonantes, & tandem aliæ damnabiles. Varias haſce propoſitionum cenſuras breviter explicabimus.

De propoſitione hæretica.

Propoſitio hæretica definitur ea *quæ adverſatur aut expreſſo Dei verbo, aut expreſſæ definitioni Eccleſiæ*. Dicitur I. *adverſatur Dei verbo*: quia Dei verbum, ſeu Scriptura & Traditio, continet articulos, omnes qui ad fidem ſpectant & mores. Non enim ſunt alii fontes fidei & Moralis Chriſtianæ. Dicitur II. *verbo Dei expreſſo*: hoc eſt veritati, quæ verbo Dei expreſſe continetur. Hinc patet, hanc propoſitionem quæ eſt inter quinque damnatas ab Innocentio X. n. 2. *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ numquam reſiſtitur*: merito tamquam hæreticam fuiſſe damnatam: utpote quæ opponatur contradictorie huic expreſſæ Scripturarum ſententiæ: *Vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis*. Dicitur III. *adverſari verbo Dei expreſſo, aut expreſſæ definitioni Eccleſiæ*. Siquidem propoſitio quæ implicite tantum continetur verbo Dei, poſtquam Eccleſia declaravit eam illo contineri, fide divina expreſſe credi debet ab iis quibus ſufficienter innotuit latum ab Eccleſia iudicium. Ob hanc rationem hæc propoſitio: *Baptiſmus qui in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti confertur cum intentione faciendi quod facit Eccleſia, non eſt verus baptiſmus*: eſt propoſitio hæretica, quamvis priuſquam in plenario Concilio Eccleſia ſuam protuliſſet ſententiam, nequaquam eſſet hæretica.

Materia hæreſis ſunt quæſtiones iuris quæ ad fidem aut mores pertinent, aut quæſtiones facti quæ Dei verbo ſcripto aut tradito continentur. Nam aliæ quæſtiones facti quæ in Dei verbo aut ſcripto aut tradito nulla ratione continentur, poſſunt quidem eſſe materia erroris, ſed non poſſunt eſſe materia erroris ad fidem ſpectantis: cum ad hoc requiratur ut error opponatur propoſitioni explicite revelatæ; aut ſi implicite tantum revelata ſit, Eccleſia ſolemni iudicio declaraverit ſequi ex revelatis.

De propoſitione erronea.

Omiſſis variis Doctorum opinionibus in ſtabiliendo in quo conſiſtat propoſitio erronea, ſtatuitur cum Iuvenino, cuius ſententia mihi magis arridet, propoſitionem erroneam ſtricte ſumptam eſſe eam quæ *negat veritatem quam communi Eccleſiæ conſenſus iudicat eſſe mediate revelatam, quamvis Eccleſia id nondum expreſſe definierit*. Per hanc enim definitionem propoſitio erronea differt ab hæretica: quia hæretica negat veritatem aut immediate revelatam, vel mediate ſolum, ſed addita ſolemni Eccleſiæ definitione. Item differt a ceteris propoſitionibus damnabili-

bilibus in Conſtantienſi Concilio recenſitis. Unde patet, opinionem S. Cypriani de invaliditate baptiſmatis collati ab hæreticis, fuiſſe errorem, antequam Eccleſia definiviſſet eam repugnare veritati quæ continebatur verbo Dei non ſcripto, ſed tradito, docente internas diſpoſitiones baptizantis non nocere baptiſmo. Poſt vero definitionem Eccleſiæ eſt formaliter hæretica.

De propoſitionibus ſcandaloſa & blaſphema.

Propoſitio ſcandaloſa ſtricte ſumpta definitur *propoſitio quæ per ſe nata eſt parere ſpiritualem proximi ruinam, licet in ea nec error nec hæreſis aperte notari poſſint*. Dicitur I. *parere ſpiritualem proximi ruinam*: quia per accidens eſt, ideſt ex parte ſubiecti, quod aliquando ruina non ſequatur. Additur II. *licet in ea nec hæreſis nec error aperte notari poſſint*. Unde differt a propoſitione hæretica & erronea. Sic ſcandaloſa eſſet propoſitio, dicere *ex auriculari confeſſione graviſſima ſequi incommoda*.

Propoſitio blaſphema ea eſt *quæ aliquod aut in Deum aut in Sanctos convicium continet*. Ex hac definitione conſtat, differre propoſitionem blaſphemam ab aliis propoſitionibus, quibus ſpecialis cenſura debetur: cum aliæ propoſitiones convicium aut in Deum aut in Sanctos non contineant; hoc eſt Deo vel Sanctis non tribuunt quod eos dedecet, aut perfectionem ipſi debitam non detrahunt. Hinc propoſitio hæc proſcripta ab Innocentio XI. non ſolum eſt erronea, ſed etiam blaſphema: *Inferior Chriſti pars in cruce non communicavit ſuperiori ſuas involuntarias perturbationes*. Blaſphema pariter eſt ſequens, quæ eſt inter quinque damnatas ab Innocentio X. *Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus & conantibus, ſecundum præſentes quas habent vires, ſunt impoſſibilia; deeſt quoque eis gratia qua poſſibilia fiant*. Hanc enim declaravit Pontifex non ſolum impiam, temerariam, hæreticam, ſed etiam blaſphemam; ut in eius Conſtitutione an. 1653. Prid. Chalend. Iunii.

De propoſitionibus male ſonante & piarum aurium offenſiva.

Propoſitio male ſonans definitur *propoſitio quæ licet duplicem habeat ſenſum, unum bonum & alterum malum, abſolute tamen & ſine diſtinctione profertur*. Dicitur I. *habere duplicem ſenſum*: & in hoc differt ab hæretica & erronea; dum hæ nullum habent ſenſum bonum, vel ſaltem obvium. Dicitur II. *abſolute profertur*: & in hoc differt a propoſitione ex qua ſenſus pravus excluditur.

Propoſitio piarum aurium offenſiva definitur *propoſitio quæ aliquid abſonum & ſubiecto de quo fertur, indignum continet*. Dicitur I. *offenſiva aurium*: non quidem ob ſenſum quem a parte rei continet, ſed propter modum quo ille ſenſus exprimitur. Dicitur II. *aurium*, non quarumcumque, ſed *piarum*. Nam talis non eſt, ſi impii aliqua veritate offendantur; ut olim accidit in Phariſæis. Sicuti etiam non dicenda eſt aurium piarum offenſiva propoſitio quæ pios quidem, ſed indoctos offendit; cum in iudicio propoſitionum, ut notat Canus, non conſulendus ſit vulgus, licet pietatem præſeferat, ſed pii, ſimulque periti ac ſapientes: cum ſæpe contingat propoſitionem quæ offendit aures piæ plebis, non offendat nec moveat doctos. Id præſertim videre eſt in propoſitionibus quæ enuntiant abuſus & ſuperſtitiones, quæ ab hominibus iis quidem piis, ſed parum peritis nonnumquam admittuntur in quarumdam imaginum aut quorumdam Sanctorum cultu. Dicitur III. *continere aliquid abſonum & ſubiecto de quo fertur, indignum*: ac per hoc patet, hanc propoſitionem non tam peccare in ſenſu, quam in modo quo ſenſus profertur.

De propoſitionibus temeraria & ſeditioſa.

Propoſitio temeraria eſt *propoſitio quæ in materia fidei ac morum profertur abſque auctoritate aut Scripturæ, aut unanimis Traditionis, aut ſaltem aliquorum Patrum*: & a fortiori, ſi maior pars Epiſcoporum & Theologorum iudicet eam aut Scripturæ, aut Traditioni, aut doctioribus Patribus adverſari. Nam temerarium dicitur quod abſque fundamento aſſeritur ac in medium profertur. Hujuſmodi autem eſt propoſitio in materia fidei & morum prolata ſine auctoritate aut Scripturæ, aut Traditionis, aut Patrum, quæ ſunt loca & fontes unde, ut diximus, erui debent argumenta fidei & morum. Hinc aperte colligitur, Caſuiſtarum effatum, *Honor potior eſt quam vita*, non ſolum eſſe ſcandaloſum & pernicioſum, ſed etiam temerarium: cum nullo fulciatur Scripturæ, aut Traditionis, aut Patrum teſtimonio. Et ſic ob eamdem rationem dicito de tot aliis quæ a Caſuiſtis in medium proferuntur, circa cultum Deo debitum, caritatem erga proximum, homicidium vitandum &c. Non omnis tamen propoſitio temeraria eſt ſimul hæretica aut erronea, ut ex illarum definitionibus clare patet: bene quidem

omnis

Digitized by Google

omnis propoſitio formaliter hæretica eſt etiam temeraria.

Propoſitio ſeditioſa ea eſt *quæ per ſe apta eſt parere ſeditionem :* & hoc patet ex ipſius nominis etymologia. Et quidquid alii contendant, melius ſtatuunt alii hanc propoſitionem eo ſenſu inter theologicas notas comprehendi, quia ad ſcandaloſam propoſitionem reducatur : cum ſeditio ad quam illa movet, contingere nequeat ſine ſpirituali multorum ruina, & abſque eo quod plura letalia peccata committantur.

De propoſitionibus ſuſpecta de hæreſi, ſapiente hæreſim, hæreſi proxima.

Propoſitio ſuſpecta de hæreſi convenienter definitur *propoſitio quæ cum multa probabilitate indicatur hæretica*. Dicitur I. *indicatur hæretica :* ideſt contradictorie oppoſita veritati, quæ aut explicite & immediate revelata eſt, aut ſi implicite tantum & mediate, ab Eccleſia ſolemni iudicio declarata fuit revelata. Dicitur II. *indicatur hæretica cum probabilitate :* ſcilicet per argumenta ex quibus tametſi non habeatur moralis certitudo, omnis tamen hæſitatio non excluditur. Idcirco abſolute hæretica dici nequit, ſed ſolum de hæreſi ſuſpecta; & cum multa probabilitate: cum propter levem probabilitatem propoſitio aliqua trahenda non ſit in hæreſis ſuſpicionem; dum hoc æquitati repugnat, ſine gravi fundamento, ideſt ſine ratione petita a Scriptura aut Traditione, quæ ad aſſenſum non unum vel aliquem, ſed ingentem doctorum numerum, paucis exceptis, moveat ac determinet.

Propoſitio ſapiens hæreſim definitur *propoſitio quæ multo maiore cum probabilitate quam ſuſpecta de hæreſi indicatur hæretica*. Dicitur *maiore cum probabilitate :* cum probabilitas pro maiore vel minore pondere rationum quibus fulcitur, maior ſit vel minor. Unde, ſicuti quando magna eſt probabilitas de aliqua propoſitione, quod ſit hæretica, iuxta antea dicta, ſtatuitur ſuſpecta de hæreſi : ſic quando maxima eſt probabilitas ſeu vehemens ſuſpicio, tunc conſtituitur propoſitio ſapiens hæreſim. Patet igitur fundamentum ſecundum diverſos gradus conſtituere propoſitionem aut ſuſpectam de hæreſi aut hæreſim ſapientem. Ad hoc vero ut propoſitio inuratur cenſura, quod ſapiat hæreſim, iuxta Canum *lib. XII. de Loc. Theol.* attendenda eſt non propoſitio in ſe ipſa, ſed præcipue conditio ſeu mens ſcriptoris a quo in medium prolata eſt.

Ex poſteriore reſponſione colligendum I. quod attendi debeat conditio ac fides proferentis, ſi propoſitio ſuſpecta de hæreſi vel hæreſim ſapiens conſideretur in ordine ad puniendum vel abſolvendum proferentem : cum in eo caſu dubium ſit, an propoſitio prolata ſit in hæretico ſenſu; & tale dubium ſolvi nequit niſi ex ſtatu & conditione proferentis. Quia ſi proferens eſt hæreticus, habetur moralis certitudo in ſua propoſitione hæreticum ſenſum intellexiſſe. Ideo iſta propoſitio : *Non oportet Euchariſtiæ ſacramentum ſolemni ritu per vias publicas deferre :* in ore Lutherani qui negat in Euchariſtia extra uſum realem Chriſti præſentiam, aut in ore Calviniſtæ, qui eam in omni caſu negat; eſt hæretica. Econtra non eſſet ſuſpecta in ore Catholici, qui timeret ne propter aliquam peculiarem circumſtantiam debita reverentia ſanctiſſimo ſacramento per vias publicas delato non exhiberetur. Colligendum II. attendenda eſſe antecedentia & conſequentia, ſi quæſtio ſit de propoſitione quæ in libro aliquo contineatur. Nam licet ſecundum verba quibus conſtat, & ſeparata a reſtrictionibus quæ illam in eo libro aut præcedunt aut ſubſequuntur, ſit aliquando non ſolum ſuſpecta de hæreſi, ſed etiam certo hæretica, nihilominus ſana eſſe poteſt in mente auctoris, habita ratione connexionis quam habet in libro cum antecedentibus & conſequentibus.

Propoſitio hæreſi proxima definitur ea *quæ a maiore & saniore parte doctorum ex Scriptura & Traditione indicatur eſſe hæretica, licet non audeant eam dicere eſſe ſimpliciter hæreticam, & aliqui non infimæ notæ Theologi contendant ipſam cenſura huiuſmodi notandam non eſſe*. Ex hac definitione conſtat manifeſte, propoſitionem hæreſi proximam idem prorſus eſſe cum propoſitione ſuſpecta de hæreſi aut hæreſim ſapiente; cum aliud non dicat quam ſummam probabilitatem, quod revera ſit hæretica.

Propoſitiones ſuſpectæ de hæreſi, ſapientes hæreſim, proximæ hæreſi ſemper merentur ſpeciem aliquam cenſuræ : quia ſemper temerariæ ſunt, & nonnumquam etiam ſcandaloſæ; cum ſemper adſit gravis probabilitas, eas contradictorie adverſari veritati quam tenet Mater Eccleſia.

De propoſitionibus improbabili & damnabili.

Propoſitio improbabilis *ea eſt quæ nullo Scripturæ, aut Traditionis, aut rationis theologicæ fundamento nititur*. Probabilitas enim in rebus quæ ad fidem ac mores ſpectant, non oritur niſi ex argumentis petitis a Scri-

ptura, Traditione, aut theologicis rationibus. Iure igitur ac merito propoſitio quæ huiuſmodi argumentis non nititur, dicitur improbabilis. Improbabilitas, ſecundum plures graves Theologos, eſt cenſuræ ſpecies non diſtincta a temeritate: cum propoſitio quæ nec Scriptura nec Traditione nititur, ſit nova; ac proinde in rebus quæ ad fidem & mores ſpectant, ſemper ſit falſa & temeraria. Quia omnes veritates, ut antea notavimus, quæ ad fidem & mores pertinent, Apoſtolis ſaltem implicite revelatæ ſunt: idcirco quod eſt novum, ſemper falſum eſt & temerarium.

Propoſitio damnabilis eſt *ea quæ prohibenda eſt, abſtrahendo a ſpeciali cenſura qua affici poſſet*. Ex definitione patet primo, propoſitionem damnabilem differre a propoſitionibus quibus ſpecialis cenſura iam inuſta eſt. Secundo, propoſitionem damnabilem ſe habere per modum generis, reſpectu omnium propoſitionum quibus aliqua cenſura debetur. Propoſitio multiplici titulo dici poteſt damnabilis. I. Quoties fundamentum habetur ei inurendi aliquam cenſuram ex recenſitis. II. Quando ea propoſitio inurit cenſuram alteri propoſitioni, quæ licet falſa, non meretur tamen cenſuram; cuiuſmodi eſt illa in Bulla Pii V. quæ incipit, *Ex omnibus*, & numero eſt 22. *Cum Pelagio ſentiunt qui textum Apoſtoli ad Roman. cap. II.* „ Gentes quæ legem non habent, naturaliter „ quæ legis ſunt, faciunt " *intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus*. III. Cum aliqua propoſitio iniurioſe reiicit oppoſitam, licet falſam; ut videre eſt in iſta alia quæ eſt numero 30. in dicta Bulla Pii V. *Fures ſunt & latrones, qui docent tentationi ulli ſine gratiæ ipſius adiutorio reſiſtere hominem poſſe ſic, ut ab ea non ſuperetur*. IV. Cum propoſitio detrahit famæ alicuius; cum propter talem rationem libelli famoſi iure ac merito ab Eccleſia proſcribantur.

Summi Pontifices in decreto quo propoſitiones proſcribunt, ſolent uti adverbio *reſpective*, quod mutuati ſunt a Concilio Conſtantienſi, ad ſignificandam aliquam ex recenſitis notis (ſcilicet hæreſis, erroneitatis, temeritatis &c.) afficere unamquamque ex propoſitionibus disiunctive, ita ut nulla ſit in quam non cadat una ſaltem ex notis quæ in proſcriptionis decreto referuntur.

Adde his omnibus prohibitionem Innocentii XI. quæ habetur in eius decreto quo proſcripſit ſexaginta quinque propoſitiones ad mores ſpectantes: ubi iubet abſtinendum inter Theologos diſputantes ab iniurioſis contentionibus & paci ac caritati conſulendum, & ſimul præcipit in virtute ſanctæ obedientiæ ut in libris imprimendis, inſcriptis, theſibus, diſputationibus, prædicationibus caveant ab omni cenſura & convicio contra propoſitiones quæ inter Catholicos controvertuntur, donec a ſancta Sede iudicium ſuper his proferatur.

De diſpoſitionibus quibus ſacra Theologia ſit addiſcenda.

Hiſce expoſitis quæ pertinent ad loca ſeu principia, ex quibus haurienda ſunt argumenta in iis quæ ad fidem & mores pertinent, necnon regulis pro dignoſcendis propoſitionibus in materia fidei & morum cenſura afficiendis; par eſt ut media neceſſaria quoque breviter exponantur, quibus candidati ad Theologicæ Moralis diſciplinæ ſtudium, ut ſcientiam eiuſdem aſſequantur, animum applicare debeant.

Plura ſunt media neceſſaria ad Moralis Theologicæ diſciplinæ cognitionem adipiſcendam. Primo nimirum, ut inferiores animi concupiſcentiæ cohibeantur. Ratio eſt: quia corrupti mores intellectum ita excæcant, ut in iis in quibus creaturarum amor dominatur, non raro dicant bonum malum, malum bonum. Impediunt pariter ne mens attendat ad rationes, quibus damnatur obiectum cui corrupta voluntas inhæret: immo efficiunt ut tota ſit in exquirendi ratiunculis, quibus licitum & honeſtum probetur quod placet voluntati, iuxta illud effatum: *Unuſquiſque iudicat prout eſt affectus*.

Neceſſe eſt ſecundo, ut qui ſtudio Theologiæ incumbit, caritate flagret ſaltem inchoata: nam, ut ſæpe ait S. Auguſtinus, *non intratur in veritatem, niſi per caritatem*.

Neceſſe eſt tertio, ut Theologiæ candidatus humili vacet orationi. Oratio enim plurimum confert ad rerum divinarum cognitionem. Hinc Pſalmiſta divinam illam ſcientiam ſæpe poſtulabat: *Averte* (ait Pſalm. CXVIII.) *oculos meos, ne videant vanitatem*. Quare Eccleſia ipſa precatur Deum, ut *fideles quæ agenda ſunt, videant, & ad implenda quæ viderint, convaleſcant*.

Neceſſe eſt quarto, ut Theologus in diligenti ſtudio quod adhibere debet, rectum ſibi finem proponat; ſuam ſcilicet & proximi ſalutem: iuxta D. Bernardum *ſerm.* XXXVI. *in Cantic.* ubi ſic ait: *Sunt qui ſcire volunt ut ſciant; & turpis curioſitas eſt: & ſunt qui ſcire volunt ut ſciantur ipſi; & turpis vanitas*

tas eſt: ſunt item qui ſcire volunt ut ſcientiam ſuam vendant, v. g. pro pecunia, pro bonoribus; & turpis quæſtus eſt.

Neceſſe eſt quinto, ut Theologus iis in primis det operam quæ ad gloriam Dei, ad ſuam & proximi ſalutem conferunt. *Quid eſt autem*, ait *loc. cit.* S. Bernardus, *ſapere ad ſobrietatem? Vigilantiſſime obſervare, quid ſcire magis priuſve oporteat. Tempus enim breve eſt ... Sed tu cum timore & tremore tuam ipſius operari ſalutem pro temporis brevitate feſtina.* Iuvenin.

TRACTATUS
DE ACTIBUS HUMANIS.

CAPUT I.

De actibus humanis.

§. UNICUS.

De natura & multiplicitate actuum humanorum.

Quid per humanam actionem intelligatur.

PER humanam actionem non ſecus intelligitur quivis actus a facultatibus hominum procedens, ſed ille dumtaxat qui procedit a facultatibus quas humano generi præ brutis Creator attribuit: nempe actio illa quæ, veluti prælucente intellectu, ac decernente voluntate, ab homine promanant. Quare actus qui fiunt ab homine, ſpectari poſſunt I. late, nempe pro quacumque actione elicita ſeu facta ab homine etiam non voluntaria, nec libera, ſed pro ut tamen diſtinguitur a brutis; ut primæ cognitiones primi voluntatis motus, infantium, amentium volitiones: quia licet ſaltem duo poſteriores ſint voluntarii, non tamen ratione dirlguntur; cum fiant ſine rationis advertentia, & deliberatione tum actuali, tum virtuali, ac ſine libera voluntatis electione, utpote qui non ſecus ac actiones mere naturales, ut nutritio & augmentario, omnem rationem & voluntatem antevertant. Et hi actus (ut notat D. Thomas 1. 2. *quæſt.* 1. *art.* 1.) poſſunt quidem dici hominis actiones, ſed non proprie humanæ; cum non ſint hominis ut homo eſt, ſed potius ut animal: & eas poſſunt quidem homines exercere, & non exercere, ſed eas exercere nequeunt niſi ſub ratione boni tantummodo ſenſibilis, non vero ſub ratione boni moralis, ſicuti ad actum humanum requiritur. II. Sumuntur minus late, ſeu ſtrictius & magis proprie, pro quocumque actu voluntario tum libero, tum non libero ſeu ſpontaneo, cuiuſmodi ſunt motus voluntarii ſpontanei, quos refugere nequit voluntas; ut eſt propenſio in bonum commune, imperturbabilis amor beatarum mentium erga ſummum & incommutabile bonum. Unde voluntarium & ſpontaneum in hoc inter ſe differunt: quod voluntarium dicitur id quod procedit a deliberatione, ſeu motu ipſius voluntatis; ſpontaneum vero, quod fit ſponte ac nullo cogente. Hinc licet omne voluntarium ſit etiam ſpontaneum, quia fit cum propenſione voluntatis; econtra non omne ſpontaneum eſt ſimul voluntarium: nam ſpontaneum commune eſt etiam belluis & rebus inanimatis; cum & bruta ſponte ad aquam currant & ad paſcua, & aqua ſponte fluere dicatur; voluntarium vero ſolis convenit agentibus ratione præditis. III. Tandem ſtrictiſſime accipiuntur pro actibus factis ab homine cum cognitione & advertentia rationis, atque libera voluntatis deliberatione ſeu electione: nempe pro actionibus factis ab homine, quatenus homo eſt, ſeu prout mente præditus, quæ pollet intelligentia atque voluntate, ſeu libera agendi facultate; cum ſola huiuſmodi mens directionis capax ſit.

Voluntarium & ſpontaneum in quo differunt.

Ut autem actiones noſtras feliciter dirigamus, opus eſt ut conſideremus earum principia, regulas, ſpeciem, ac fines. Hiſce conſonat doctrina D. Thomæ, qui *cit. loc.* ait: *Illæ ſolæ actiones vocantur proprie humanæ, quarum homo dominus eſt. Eſt autem dominus ſuorum actuum per rationem & voluntatem. Unde & liberum arbitrium dicitur facultas voluntatis & rationis.* Quare cum ipſo D. Thoma actus humanus communiter definitur a Theologis, *actio a deliberata hominis voluntate procedens*. Verum cum actus humanus procedat a voluntate, vel conſentanee ad rectam rationem, vel ab ipſa diſſentanee; ſub tali reſpectu ſumi ſolet communiter a Doctoribus pro actu morali, & cum eo converti, ac proinde moralis appellari, quamvis rigoroſe loquendo latius pate-

Definitio actus humani.

patere videatur actus humanus quam moralis. Nam actus illi quos non raro eliciunt pueri libere quidem, ſed ante cognitionem boni & mali moralis (ut dum ex apprehenſione & cognitione ſolius commodi vel incommodi naturalis deliberate eligunt unum obiectum præ alio, ſaccarum puta pro ſale) poſſunt quidem dici actus humani, ſed non rigoroſe loquendo actus morales.

Dicitur I. *a deliberata voluntate:* quia ad hoc ut actus dicatur, & revera ſit ſub dominio & poteſtate hominis, ac ideo ſit ei imputabilis ad laudem, vel vituperium, ad præmium, vel ad pœnam, exigit motum liberum voluntatis, ac proinde deliberatum, qui procedat ex advertentia rationis, & ex libera voluntatis electione: ideſt debet eſſe actus voluntarius & liber. Nam agere dicuntur etiam mortua & inſenſibilia elementa, bruta, & ipſe homo, quando, ut iam notavimus, agit ſine conſilio & deliberatione. Hinc opera deliberata mentis, in quorum exercitatione ſita eſt vitæ honeſtas & turpitudo, placuit Ciceroni (quod probarunt Latini omnes, & cum S. Ambroſio & Auguſtino ceteri Patres) appellare potius nobiliori vocabulo humanorum officiorum quam actuum, utpote quod magis proprium ſit ad explicandas hominis actiones, quæ inquantum homo, ſcilicet rationabiliter & libere agit; cum perſolvere & ſervare officium de nemine iure dicatur, qui implenda munera inſpectione & libertate non ſuſcipit. Dicitur II. *a voluntate deliberata:* ideſt cum rationis advertentia & libertate, ac ideo ſcienter & libere.

Quid ſit advertentia, & primaria eius diviſio. Nota, quod cum voluntas ſit potentia cæca, non fertur in obiectum, niſi intellectus cuius ductum in omnibus ſequi debet, illud ei præſentet prævio ſuo lumine, ſeu eiuſdem obiecti cognitione, quæ eſt ipſa advertentia rationis ad humanos actus requiſita. Et hæc alia eſt formalis, expreſſa, directa, & actualis, ſeu actuale iudicium de actione aliqua ponenda vel omittenda, cum ſufficienti lumine cognitionis ex parte intellectus ad diſcernendum inter bonum vel malum morale; alia implicita, virtualis, indirecta, & interpretativa, quæ eſt obligatio advertendi, ſcilicet quod quis poſſit & debeat ſcire & advertere, quamvis actu non advertat. Actus vero huiuſmodi, nempe a voluntate deliberata procedens, vel procedit ſeu producitur conſentanee ad rectam rationem, & tunc actus eſt bonus & honeſtus; vel diſſentanee, & eſt malus ac turpis. Et ſub hoc reſpectu boni vel mali, actus humanus dicitur actus moralis: idcirco actus humani non ſunt morales præciſe ex eo quod ſint liberi, ſed ex conformitate aut difformitate quam habent cum recta ratione. Quare in actibus humanis tria inſpicienda ſunt: videlicet voluntarium, liberum, & morale. Morale vero pendet a duobus prioribus, nempe a voluntario & libero, utrumque quorum ita ſpectat ad rationem ſeu eſſentiam actus humani, ut alterutro deficiente, actus non ſit amplius humanus, nec ideo moralis præcipue quoad partem actus mali: quia non datur malum morale, ideſt peccatum, niſi ſit voluntarium & liberum. Nam quod ſit neceſſario neceſſitate phyſica, imputari nequit ad culpam; cum in tali caſu non ſit in libera poteſtate illud vitandi, & ad impoſſibile nemo teneatur. *Qua e actus humanus dicatur moralis.*

Obiiciet fortaſſe hic aliquis, viſionem beatificam, indeque conſequentem delectationem ſeu fruitionem eſſe actus humanos, nec tamen liberos; cum ſint neceſſarii neceſſitate naturali, idcirco non habeat homo eorum dominium, nec fiant ex deliberata ipſius voluntate. Reſp. actiones illas eſſe quidem humanas quoad ſubſtantiam, utpote quæ procedunt ab homine per eius potentias nobiliores; ſed non quoad modum: quia non procedunt iuxta eum modum operandi hominis ſecundum præſentem rationalis naturæ conditionem, ideſt ſecundum modum operandi libere, ſed neceſſarie, ſecundum eum modum operandi qui communis eſt naturali agenti; adeo ut licet ſint ſupernaturales, fiunt tamen iuxta modum operandi naturalem, quatenus fiunt abſque indifferentia iudicii & ſine libertate. Hic autem ſermo eſt de actionibus humanis, quæ tales ſunt, ideſt humanæ non tantum quoad ſubſtantiam, ſed etiam quoad modum.

Inſuper advertentia rationis, ſeu cognitio, alia eſt perfecta; & eſt cognitio clara & diſtincta eius quod agimus, ſeu etiam circa illud animadverſio ſive conſideratio: alia imperfecta; & eſt cognitio confuſa & indiſtincta, quæ confuſio plerumque contingit vel ex diſtractione ſeu evagatione mentis ad alia obiecta, vel ex ſubita ingruente paſſione, ex qua gravis in animo excitatur perturbatio. *Alia advertentiæ diviſio.*

Unde humanum officium, ſeu actus humanus ſummatim ſumptus & ut ſic, eſt actus ille qui procedit a voluntate directa per cognitionem intellectus ſcientis, in quo actus ipſe conſiſtit, & expedita, ideſt quæ plenam & liberam habet nunc diſpoſitionem ſeu facultatem ad agendum & non agendum vel con- *Quid ſit actus humanus ſummatim ſumptus.*

conſentaneæ rectæ rationi, & ſic recte & honeſte, vel diſſentaneæ, ac proinde turpiter & inhoneſte. Ex quo fit, ut actus humani alii honeſti ſint, & laude necnon æterna cæleſti mercede digni; alii inhoneſti, & vituperio afficiendi ac ſempiternis ſupplicis.

Actiones autem a voluntate elicitæ duplicis ſunt generis. Aliæ quæ verſantur circa finem, ut voluntas ſeu appetitio, intentio, fruitio: aliæ circa media, ſeu circa ea quæ ad finem perducunt, ut conſenſus, electio eorumdem mediorum, & uſus. Verum de his fuſius videbimus ſuo loco in agendo de fine.

Cum igitur Theologica diſciplina tota verſetur ut humanæ operationes ea inſtituantur perfectione, dignitate, ac merito quibus æterna ſalus, quæ ultimus eſt hominis finis, comparetur; hinc præcipuum huius facultatis opus in hoc intendit, ut oſtendat quid in humanis officiis ſeu actibus ſit regulare vel irregulare, iuſtum aut iniuſtum, bonum aut malum. Quia tamen ad hoc multa concurrere debent, alia ſcilicet ut principia, alia ut proprietates, alia ut regulæ: priuſquam ſingula hæc ſuo loco pertractentur, pro clariore intelligentia ſit.

CAPUT II.

De principiis actuum humanorum.

Quid intelligatur nomine principii actus humani.

PRincipia actuum humanorum ea intelliguntur quæ ad actus humanos morales producendos quoquo modo concurrunt. Hæc autem alia ſunt interna, quæ intus ab homine poſſidentur; externa alia, quæ extra illum poſita ſunt. Interna alia ſunt congenita, alia acquiſita. Congenita ea ſunt quæ habet homo a propria ipſius natura, ut intellectus, voluntas, libertas. Intellectus tamen & voluntas hic accipiuntur non præciſe, quatenus unus intelligit, & altera vult; ſed prout hoc efficiunt in ordine ad mores & practice. Intellectus eſt ſpiritualis animæ virtus, ſeu facultas, quam Philoſphi rationem appellant, quæ, mediante primorum principiorum ſeu regularum cognitione præconcepta, & eſt illa quæ a Theologis dicitur ſyndereſis, actus humanos dirigit ac ordinat ut honeſtate informentur. Duobus vero modis intellectus reſpicit obiecta: aut ſimpliciter, ideſt in ſe tantum; aut cum diverſis relationibus quas inter ſe habent, aut reſpectu noſtri, aut cum variis circumſtantiis quæ eadem obiecta comitantur. Hic intellectus veluti in ſpeculo regulas & obiecta repræſentat voluntati, quæ iuxta prævium examen intellectus earumdem regularum, variorum obiectorum, & relationum deliberat ac ſtatuit quid velle & agere debeat, quid non, quid proſequi, vel effugere. Unde voluntas, quatenus moralis, eſt facultas proſequens quod ut bonum, ſugiens quod ut malum eidem ab intellectu proponitur. Principia acquiſita ea intelliguntur quæ ſtudio & labore comparantur, ut habitus virtutum, quorum inveſtigatio ad Philoſophum potius quam ad Theologum ſpectat. Principia extrinſeca ſunt obiectum, finis, & circumſtantiæ. Proprietates ſunt bonitas & malitia, quæ dant actui humano moralitatem. Regulæ tandem aliæ internæ; ut conſcientia: externæ aliæ; & ſunt leges omnes tum naturales, tum poſitivæ divinæ & humanæ.

§. I.

De principiis internis actuum humanorum.

Quamvis ut ſupra notatum fuit, unum ex internis principiis actuum humanorum ſit intellectus, quia huiuſcemodi facultas hic non conſideratur ut ſimpliciter ſpeculative veritatem cognoſcens, ſed prout morali practico iudicio voluntatem dirigit in ſuis operationibus, & eſt lumen rationis ſine quo voluntas rationabiliter operari nequit; idcirco eſt lex voluntatis, moderator, ac regula: cum tamen remittamus examinare quæ ſpectant ad intellectum ut eſt morale principium humanorum actuum, quando de eorum regulis agemus; nunc de ſola morali voluntate, eiuſque actibus, & præcipue de voluntario, quod eſt alterum actuum humanorum principium, diſcutiendum relinquitur, ideſt quid & quotuplex ſit, & quid ſit involuntarium, ac quæ eius cauſſæ.

§. II.

De voluntate.

Voluntas quid ſit.

Voluntas eſt facultas, ſeu potentia, quæ eſt radix ac initium humanarum operationum, dum ab ipſa promanat ac elicitur motus omnis & excitatio, ſive interior, ſive exterior, ad opus quodcumque quod peragitur ab homine humano modo operante, ideſt cum conſilio & deliberatione. Et cum non habeat pro obiecto niſi bonum ſaltem apparens, ac proinde nonniſi bonum ei placere queat, hoc ſolum proſequitur, quatenus ut tale ab intellectu eidem proponitur, ſicuti ab eo quod ut malum eidem obiicitur, refugit. Hinc voluntas eſt alterum internum

Digitized by Google

num principium actuum humanorum, proſequens quod ſibi utpote bonum placet, refugiens ab eo quod ut malum ipſi diſplicet. Et cum libera ſit in ſuis deliberationibus, idcirco apta eſt ut per regulas ſeu leges in ſuis operationibus dirigatur.

Duæ potentiæ voluntatis. Idea autem voluntatis alias duas potentias, ut ita dicam, includit, quarum adminiculo ſua circa actus humanos officia exercet. Una eſt ſpontaneitas; & per hanc concipitur voluntas ut operans proprio inſtinctu ac motione: altera libertas; & per iſtam apprehenditur voluntas taliter operans, ut agere poſſit & non agere. Ratione ſpontaneitatis attribuuntur voluntati actus quidam ſeu motiones. Et horum alii ſunt interni & immediati, quorum impreſſione ſola voluntas afficitur, atque ab ipſa immediate exequuntur, & conſummantur in ipſa voluntate, ſine alterius potentiæ concurſu: & tunc dicuntur actus interni eliciti; cuiuſmodi ſunt volitio, deliberatio, amor, odium, deſiderium, fruitio &c. Et hi verſantur circa finem, ideſt finem habent pro obiecto. Alii externi, mediati, & imperati, qui per aliam potentiam complentur ſeu conſummantur; ut meditatio, locutio, deambulatio, conſenſus circa media, eorumdemque electio & uſus. Huiuſmodi actus referuntur ad media, ideſt media habent pro obiecto. Dicuntur autem imperati: quia non procedunt ab aliis potentiis, ideſt a propriis cuiuſcumque actus, niſi ex imperio voluntatis, ſeu niſi quatenus voluntas imperat iiſdem potentiis illorum actuum executionem.

Hinc iuxta ordinem actuum voluntatis diſtinguunt Philoſophi & Theologi actus virtutum moralium, licet omnes procedant immediate a voluntate, in elicitos & imperatos. (Actuum voluntatis diviſio.) Actus virtutis elicitus eſt ille qui a virtute immediate producitur; ut oratio a virtute religionis: imperatus vero qui nonniſi mediate a virtute procedit, ideſt non revera producitur ab ipſa eadem virtute, ſed tantum imperatur alteri virtuti ut talem actum producat. Sic oratio ad impetrandam veniam peccatorum a virtute pœnitentiæ imperatur religioni; ac ideo oratio elicita eſt a virtute religionis, & imperata a virtute pœnitentiæ. Actus vero exteriores imperati a voluntate, alii appellantur tranſeuntes, quia extra cauſſam agentem in obiectum exterius tranſeunt; ut ſcriptio, percuſſio, ædificatio: alii dicuntur immanentes qui nihil ſenſibile extra agentem producunt; quales vulgo æſtimantur capitis nutus, motio brachii, oculi frictio &c. Sic convenientius actus immanentes habentur hi qui intra ipſam mentem manent; ut amor, deſiderium &c.

Quia igitur ad humanos actus, quicumque illi ſint, æque confluere debent intellectus & voluntas; cum actum quemcumque voluntatis præcedere debeat actus intellectus, a quo tamquam a duce voluntas regitur: hinc ratio actuum utriuſque potentiæ ſecundum communem Scholarum regulam diſponitur iuxta duplicem eorum ordinem quem habent in voluntate, dum hæc verſatur circa finem intentum & obtinendum, intentionis videlicet & executionis. (Actus humani habent duplicem ordinem in voluntate.) Ordine intentionis prior actus eſt agnitio finis ſeu obiecti, ſecundum ſe. Hunc actum quo obiectum ſeu finis agnoſcitur, ſequitur actus voluntatis, qui dicitur ſimplex inefficax volitio, ſeu potius velleitas: & hæc ſimplex volitio amoris nomen ſibi vindicat, ſeu eſt affectio ſive amor conceptus a voluntate erga finem cognitum, quo voluntas quodam velut pondere fertur in eumdem finem aut obiectum, ſive in rem quæ nobis bona & conveniens, ſeu commoda iudicatur. Obiectum enim amoris non eſt bonum in ſe ſpectatum, ſed quatenus nobis conveniens aut cauſa effectiva delectationis iudicatur. Huic ſuccedit efficax intentio finis, quæ eſt motus voluntatis, quo hæc fertur in finem per media quædam conſequendum; tametſi media nondum definita ſint, cum hoc fiat per electionem. Quando igitur voluntas ex amore efficaciter concepto erga finem ad ipſum contendit per media, quæcumque illa ſint, huiuſcemodi voluntatis actus dicitur intentio. Quare in hoc differt intentio a ſimplici voluntate, quod iſta nude & ſimpliciter finem attingat, illa vero, nempe intentio, finem reſpicit quatenus eum per media aſſequi poſſumus. Et hoc fit, non quia voluntas eodem primo actu & per ſe feratur in finem & media, cum intentio & electio ſint duo diſtincti voluntatis actus, quorum prior verſatur circa finem, reſpicit alter media; ſed quia primarius intentionis actus finem reſpicit, ex obliquo vero, & ut loquar cum Scholis, implicite, virtualiter, & connotative ad media refertur. Intentioni ſubſequitur actus intellectus, qui dicitur conſilium, inquiſitionem mediorum complectens ad finem conſequendum, & conſultationem de mediorum utilium valore, reiectis inutilibus. Hos actus ſubſequitur actus intellectus, dictus electio mediorum vel medii efficacioris ad finem obtinendum. Et ſic ordo intentionis complectur. (Ordo executionis.) Ordinem intentionis ſubſequitur ordo executionis, incipiens ab actu intellectus qui dici-

Digitized by Google

dicitur imperium, quo intimatur ſeudenuntiatur voluntati, eidemque declaratur ut moveat applicetque ſubiectas facultates executivas ad opus. Actum imperii ſequitur actus voluntatis, qui dicitur uſus activus voluntatis applicantis inferiores potentias ad operationes quibus utimur, mediis ad finem conſequendum electis. Uſui activo voluntatis ſubſequitur uſus paſſivus facultatum exteriorum, puta manus ad ſcribendum, vel aliarum potentiarum ad alia opera peragenda quæ opus ſunt ut finis obtineatur. Fine tandem obtento, ſequitur ultimus voluntatis actus: nempe fruitio & gaudium finis adepti, ac quies vitalis in ipſo fine. Nam fruitio eſt aſſecutio aut poſſeſſio finis, & tamquam iucunda quædam fructus perceptio. Fruitio vero vel eſt inchoata; & hæc ſpe percipitur, *Spe gaudentes*, ait Apoſtolus: vel perfecta; & hæc in fine adepto acquieſcit, proinde ea re fruimur cuius poſſeſſio beatos nos efficit.

Hi ſunt actus qui in humanis negotiis ſervantur, quando prudenter & conſulto, non temere & impetu agimus.

Nota, tres illos actus elicitos qui circa finem verſantur, voluntatem nimirum, intentionem, & fruitionem, non aliud eſſe quam amorem, deſiderium, & gaudium. Amor vero duplex eſt: concupiſcentiæ ſcilicet & benevolentiæ, quia bonum concupiſcimus, & perſonæ bene volumus, immo & perſonam ipſam amore benevolentiæ proſequimur, cum bonum ei volumus, & amore concupiſcentiæ, cum bonum quod nobis & alteri volumus. Iuxta amorem Caietanus odium etiam diſtinguit: nimirum odium inimicitiæ quo alicui perſonæ malum volumus, & abominationis, cum malum ſcilicet deteſtamur quod alicui poteſt contingere. Amor eſſentialiter includitur in deſiderio & gaudio, ut odium in timore & triſtitia, quando uterque actus amoris & odii efficax eſt. Nam per deſiderium efficaciter volumus bonum abſens, & eo delectamur cum adeſt. Verum quia, quod ad propoſitum noſtrum propius attinet, eſt actus voluntatis generatim ſumptus, quatenus actus omnes voluntatis tranſcendit, qui ab ipſa voluntate nomen recipit, & eſt regula a quo præcipue ratio tota humanorum officiorum ſeu actuum dependet, & ad eorum eſſentiam pertinet, quale eſt voluntarium: hinc operæ pretium eſt, ſicuti inſtitutum noſtrum exigit, ut de hoc ſpeciatim diſſeratur; cum ab eo Theologiæ actuoſæ pars magna veluti ligata pendeat.

§. III.

De voluntario.

Voluntarium generatim inſpectum triplici modo ſumitur. Primo videlicet, voluntarium dicitur pro eo quod fit ſine ulla præcepti obligatione: ſic eccleſiaſticus in ſacris conſtitutus recitans præter divinum officium preces quaſdam voluntarias, ideſt ſine ullo debito eas recitandi, dicitur eas voluntarie recitare. Sed de tali voluntario non eſt hic ſermo. Secundo, accipitur voluntarium prout coincidit cum ſpontaneo: & ita illud omne voluntarium dicitur quod non fit vi, aut ignorantia, ſed procedit ab aliquo principio intrinſeco, ex prævia cognitione; & tale voluntarium coincidens cum ſpontaneo illud dicitur quod procedit a potentia appetitiva ex prævia obiecti cognitione. Huiuſmodi autem voluntarium commune eſt, ideſt convenit etiam brutis. Sed nec de tali voluntario eſt præſens inſtitutum. Tertio tandem modo, voluntarium ſtricte accipitur, quatenus procedit a voluntate, & ſoli congruit rationali naturæ, quæ vera pollet voluntate: & de hoc hic agendum. Voluntarium generatim triplici modo ſumitur.

Voluntarium tertio modo acceptum definitur a D. Thoma, quod *procedit a principio intrinſeco cum cognitione finis*, ſive ut actus procedens ſeu elicitus a voluntate cum cognitione eorum in quibus actio conſiſtit. Utraque convenit omni voluntario, ſive neceſſarium ſit, ut amor Dei in beatis; ſive liberum, ut idem amor in viatoribus: quia uterque eſt a voluntate, quæ eſt principium nobis intrinſece inhærens. Definitio voluntarii.

Dicitur, quod *procedit a principio intrinſeco*: videlicet voluntarium eſt actus procedens a principio quod extat, ſeu inſidet intrinſece in operante; & in hoc voluntarium differt a motu violento & artificiali, qui profluunt a principio extrinſeco rei motæ: idcirco huiuſcemodi motibus reſiſtit & repugnat voluntas. Voluntarii vero principium eſt intrinſecum, ſive actum eliciat, ſive imperet. Additur *cum cognitione finis*. Belluæ agunt quidem ſponte; motus augmenti in corpore humano naturaliter, ideſt ſine vi extrinſece cogente, procedit ab anima ſecundum gradum vegetativum; fertur lapis deorſum motu proſiliente a gravitate: ſed nec actio belluæ, nec actus augmenti, nec deſcenſus lapidis, licet intrinſeci, ſunt voluntarii; quia mere naturaliter ſine cognitione finis procedunt. Quod igitur fit præter inclinationem voluntatis, aut citra cogni-

Digitized by Google

gnitionem, minime eſt voluntarium. Quocirca ratio voluntarii ſaltem perfecti non convenit niſi actibus elicitis & imperatis, quos præcedat cognitio finis. Nam voluntarium (ut docet etiam Philoſophus *V. Ethic.*) eſt a principio intrinſeco cognoſcente ſingula in quibus eſt actio. Cognitio autem illa finis eſt practica, quatenus finis bonum quoddam eſt. Unde actio intellectus, qua finem ut quoddam verum eſt, percipit, proprie non eſt voluntaria, licet cognitio ipſa aut iudicium ſit radix ſeu principium ex quo motus voluntatis habet quod ſit voluntarius. In hoc enim, iuxta ſupra allata de belluis &c. motio appetitus ab inclinatione naturali ſecernitur, quod actio voluntaria ſit a principio intrinſeco cum cognitione; naturalis vero a principio quidem intrinſeco prodeat, ſed citra cognitionem. Obiectum enim formale appetitus voluntarii eſt bonum ut apprehenſum, ab eo videlicet qui appetit aliquid ex iudicio propriæ cognitionis. Unde & diverſi ſunt appetitus, ſentiens & rationalis, penes diverſa genera perceptionum.

Iuxta duplicem finis cognitionem, duplex eſt etiam voluntarium.

Quare ſequitur ex dictis (ſicuti docet etiam D. Thomas 1. 2. *quæſt.* VI. *art.* 2.) iuxta duplicem finis cognitionem, perfectam nempe & imperfectam, duplex pariter eſſe voluntarium. Unum perfectum, quod derivatur a perfecta finis cognitione: quando ſcilicet non ſolum apprehenditur res quæ finis dicitur, ſed eius quoque ratio & coaptatio, ſeu proportio cum mediis quæ ducere poſſunt ad eius finis conſecutionem, percipitur, ſeu cognoſcitur. Et talis cognitio finis, ac proinde tale voluntarium ſoli rationali naturæ competit. Alterum imperfectum, quod procedit ab interno principio ſine perfecta cognitione finis; quando nempe finis ſeu res ſolum percipitur abſque eo quod cognoſcatur ratio finia & proportio actus cum fine: ut fit in brutis, in quibus reperitur talis imperfecta agnitio finis habita per naturalem ſenſum & æſtimationem; immo & in agentibus rationalibus quoad repentinas actiones, quæ rationis attentionem antevertunt. Huiuſmodi ſunt pariter quidam actus voluntarii ex quodam naturali inſtinctu profecti, ideſt per modum naturæ; ut actus voluntatis circa bonum in communii apprehenſum, & actus intellectus circa verum in communi, vel circa ens: cum in tali caſu bonum per modum unius concipiatur, & ſine ulla relatione ad media vel ad circumſtantias. Quando igitur bonum ita percipitur, ut nullus fit rationis progreſſus, nec ulla finis cum mediis compatatio; tunc motus illi conſequuntur voluntarii quidem in nobis, ſed modo quodam naturali: quando vero iudicamus aliquid eſſe bonum, id comparando cum fine & principiis univerſalibus; tunc actus ille non ſolum eſt voluntarius, ſed eſt liber & ſecundum rationis modum, cuius iudicium eſt in poteſtate noſtra. Nam actus voluntatis liber non eſt, niſi actus appetitus qui iudicium rationis eo quo diximus modo iudicantis conſequitur. Sic actio omnis aut appetitio a principio intrinſeco cum cognitione perfecta eſt voluntaria, ſicuti motus omnis actus a forma naturali naturalis eſt, & non violentus. Perfectam igitur cognitionem finis ſequitur voluntarium, ſecundum rationem perfectam; prout ſcilicet, apprehenſo fine & his quæ ad ipſum finem ordinantur, aliquis deliberans de fine & de his quæ ſunt ad finem, poteſt moveri in finem & non moveri: imperfectam autem cognitionem finis ſequitur voluntarium imperfectum, quatenus apprehendens finem non deliberat, ſed ſubito ad finem movetur. Hinc, ut antea notavimus, ſoli naturæ rationali competit voluntarium ſecundum rationem perfectam.

Porro ex his ſequitur I. voluntarium eſſe ſeu verificari non tantum de actu qui libere a voluntate elicitur, ſed de actu quoque neceſſario ab ipſa procedente. Huiuſcemodi, iuxta Thomiſtarum ſcholam, eſt actus dilectionis Dei in patria, & omnes actus quibus divinæ Trinitatis perſonæ ſe invicem diligunt: cum tales actus oriantur & ſint a principio intrinſeco cum perfecta cognitione finis. Etenim divinæ perſonæ neceſſario ſe invicem diligunt. Spirant enim ſe diligendo tertiam perſonam, quæ eſt Spiritus Sanctus, qui cum ſit verus Deus, non poteſt non eſſe; ac proinde dilectio, qua mediante, a Patre & Filio Spiritus Sanctus procedit, quæ dilectio licet adfirmanda ſit neceſſaria, nihilominus tamen eſt voluntaria. Unde ex hoc ſequitur, quod quanto magis cognitio eſt perfecta, eo magis voluntarius ſit actus qui eam conſequitur; ac ideo magis quam actus liberi prædicti voluntarii ſint.

Vocabula voluntarii & liberi non idem ſignificant.

Sequitur item II. non idem ſignificari per vocabula voluntarii & liberi. Voluntarium enim nec plus nec aliud exigit, niſi procedere a principio intrinſeco cum cognitione finis; liberum vero exigit procedere cum indifferentia, & ita eſſe, ut potuerit non eſſe. Unde quamvis verum ſit, quod omne liberum debeat eſſe voluntarium; non tamen econtra verum eſt, quod omne voluntarium debeat eſſe liberum. Voluntarium enim habet quamdam maiorem extenſionem quam habeat libe-

Digitized by Google

liberum: quia voluntarium dicimus intrinſecum motum voluntatis erga obiectum lumine rationis propoſitum, ſive ſpontaneus ſit ille motus, nec voluntas illum refugere valeat, cuiuſmodi eſt propenſio ad bonum in communi, & inflexibilis beatarum mentium erga ſummum & incommutabile bonum amor; ſive perſeveret in voluntate electio ſeu facultas reluctandi, ut eſt boni mutabilis delectatio, & ipſe amor Dei in hac caliginoſa Mundi mortalitate, ubi nondum Deus quid ſit in ſe humanis mentibus apparuit. Quando electio, ſeu optio ac renitendi facultas viget in voluntate; tunc ipſius motus non ſolum dicuntur voluntarii, ſed etiam liberi: idcirco voluntarium tolli poteſt ſeu impediri ab exrerna vi & coactione; liberum vero ab inevirabili neceſſitate. Qua tamen ſtante neceſſitate, adhuc operari poteſt voluntas ſpontanee & libenter; ut iam patet ex dictis de amore boni in communi, & de amore beatorum erga Deum: quia licet beati neceſſitate trahantur ad amandum Deum, ipſum tamen ſpontanee & lubenter diligunt. Sed de libero fuſius ſuo loco dicetur.

Tria requiruntur ad rationem voluntarii.

Colligitur ergo ex hactenus dictis, ad rationem voluntarii tria requiri. I. Quod ſit a principio intrinſeco; nempe ab influxu & inclinatione voluntatis ipſius agentis: ita ut ſi penitus proveniat a principio extrinſeco, vel contra propenſionem ipſius principii intrinſeci, ſeu volunratis, non eſt voluntarium. Idcirco non ſunt voluntaria nec violentia, quæ eſt a principio, ideſt a cauſſa prorſus exrrinſeca, ut tractio ad carcerem a ſatellitibus; nec motus ipſi amoris & odii, quos voluntas aliquando contra propriam inclinationem experitur. II. Ut ſit a cognoſcente, ideſt præcedat cognirio rei volitæ, iuxta commune effatum: *Nihil volitum, quin præcognitum*. Hinc in brutis poteſt quidem dari ſpontaneum, utpote procedens ab intrinſeco narurali inſtinctu, non tamen voluntarium; cum eorum operationes fieri nequeant cum advertentia reflexa rarionis qua carent, & cognitione finis ſub ratione finis, ideſt ut moventis ad eligenda media, prout media ſunt. Ita in hominibus morus omnes qui rationem præveniunr; ur ſunt in hominibus piis nonnulla inefficacia peccati deſideria, quæ modo velleitates, modo motus primi appellantur. III. Ut ſit a cognoſcente ſingula quæ ad actum pertinent: videlicet obiectum, ſeu id circa quod actio verſatur; finem, ſeu id propter quod actio fit; & circumſtantias, ea ſcilicet omnia quæ actionem comitantur, ut inferius explicabitur. Quid enim volumus, prius ut tale cognoſcere debemus. Unde ex hoc manifeſte oſtenditur, voluntarium extendi ad menſuram cognitionis, ita ut iuxta eas actiones quæ cognoſcuntur, ſtat voluntarium, & non ulterius. Puta ſi quis occidat Clericum quem cognoſcit quidem eſſe hominem, non vero cognoſcit eſſe Clericum: talis occiſio erit voluntaria quoad hominem, cum cognitio præcedens ſir ſolius hominis, & erit ſimplex homicidium; non erit autem voluntaria quoad Clericum, quia cognitio talis circumſtantiæ non præceſſit, ac proinde non erit ſacrilegium. Hæc tamen in decurſu maiore claritate & diſtinctione patebunt.

§. IV.

De diviſione voluntarii.

Voluntarium neceſſarium & liberum.

Voluntarium I. dividitur in neceſſarium & liberum. Neceſſarium eſt, quod neceſſario procedit a voluntate, non tamen coacte, ſed ſpontanee & cum iucunditate; qualis eſt amor quo ſe invicem diligunt perſonæ Sanctiſſimæ Trinitatis, & quo beati Deum diligunt in patria. Sed tale voluntarium nobis non convenit in via niſi reſpectu noſtræ beatitudinis in genere ſumptæ, quam neceſſario velle debemus. Liberum vero eſt quod procedit a voluntate cum libertate tali & indifferentia, ut ipſum voluntas ſuſpendere poſſit, vel contrarium elicere; & huiuſmodi ſunt actus omnes procedentes a voluntate deliberata in hac vita. Liberum vero (& de hoc ſemper erit ſermo in tota Morali diſciplina) aliud eſt perfectum, quod procedit a voluntate cum plena advertentia, ſeu ex prævia cognitione perfecta finis, nempe cum cognirione, qua non ſolum cognoſcitur res quæ finis eſt, ſed etiam ratio finis, & proportio mediorum ad finem; aliud imperfectum cum ſemiplena adverrentia, ut fit in repentinis actionibus, quæ rationis attentionem antevertunt.

Formale virtuale, & habituale.

II. Dividitur voluntarium in formale, & eſt motus ipſe volendi, ideſt ipſa volitio, quæ actualiter procedit a voluntate; in virtuale, quod eſt effectus procedens ab ipſo voluntario formali, & eſt continuatio non interrupta ipſius actus formalis; & in habituale, quod eſt ipſum voluntarium actuale & virtuale præteritum, quod non fuerit retractatum. Sic peccatum commiſſum, quod per pœnitentiam non fuerit deletum, dicitur habitualiter voluntarium. Ita votum emiſſum, quod per diſpenſationem aut alio modo non fuerit relaxatum. III. Dividitur in

Phyſicum, & morale. in phyſicum, quando operor per me ipſum quod volo; v. g. cum per me ipſum tribuo eleemoſynam pauperi: & in morale, quando per alium facio quod volo; ut ille qui per emiſſarium occidit inimicum. IV. In voluntarium expreſſum, quando expreſſis verbis, vel alio manifeſto ſigno præbeo aſſenſum ad aliquid; & in tacitum, implicitum, præſumptum, ſeu interpretativum, quando licet expreſſe & clare non ſignificatur, tamen ex facto ipſo vel tali circumſtantiarum concurſu deducitur, ſeu datur probabile fundamentum exiſtimandi voluntatem conſenſiſſe. Et hoc contingit præcipue in triplici caſu. Primo, quando aliquid agitur coram illo ad quem pertinet; ipſe autem dum obloqui poſſet, tacet: hic per iuris fictionem dicitur conſentire, iuxta illud: *Qui tacet conſentire videtur*. Cap. Qui tacet *de regulis iur. in 6.* Secundo, dum urget nimis, ideſt prægravat aliqua lex, adeo ut executio in eo caſu videatur excedere limites diſcretionis: tunc cenſetur per epicheiam legislatorem noluiſſe caſum illum comprehendere. Tertio tandem, cum quis eſt moraliter certus, eum ad quem pertinet, ratum habiturum id quod agit: hoc dicitur illi qui ratum habebit, interpretative voluntarium. V. Dividitur in voluntarium in ſe & immediate, & voluntarium mediatum & in ſua cauſſa, ex qua ſecundum prudentum æſtimationem ſequatur effectus. Voluntarium in ſe & immediate eſt illud quod immediate & in ſe quis vult, ideſt amat, ſeu odio habet: ut cum volo furari, occidere &c. Voluntarium vero in ſua cauſſa eſt illud quod ex aliquo immediate volito vel non volito oritur, ſeu ſequitur: ut quando quis voluntarie ſe inebriat, ſciens ſe in ebrietate ſolitum eſſe blaſphemare, rixari &c. Illa autem cauſſa vel eſt poſitiva, ut dum quis patitur pollutionem ex eo quod libere in pravis cogitationibus immoretur; & hoc tunc dicitur voluntarium in cauſſa poſitiva: vel negativa; & tunc dicitur voluntarium in cauſſa negativa, ſeu in actu quo vel implicite vel explicite electa eſt non remotio cauſſæ ex qua ſecutus eſt effectus. Sic voluntaria eſt in cauſſa negativa mors infantis, reſpectu illius qui venenum vel gladium ex manibus eiuſdem infantis non eripuit. Ad hoc tamen ut effectus qui ſequitur ex aliqua cauſſa, ſive poſitiva, ſive negativa, ſit voluntarius non ſolum phyſice, ſed etiam moraliter, ideſt ut ad meritum vel demeritum imputetur ei qui cauſſam voluntarie non amovit, tria requiruntur. Primo, ut operans advertat, vel advertere potuerit, ex cauſſa poſitiva vel negativa effectum illum ſecuturum eſſe. Hinc defectu huius conditionis non eſt reus qui, debita cum cautela ſcloppetum explodendo, ſe ipſum vel alium occidit. Secundo, ut effectum illum impedire potuerit, auferendo, aut non ponendo cauſſam. Unde reus eſt qui obſcenas imagines, quæ ſunt cauſſa pravarum cogitationum, aut retinet apud ſe, aut alteri vendit. Tertio, ut cauſſam ex qua ſequitur effectus, teneatur aut auferre, aut non ponere. Ex defectu huius tertiæ conditionis non peccat Parochus, qui excipiens mulierum confeſſiones, & prudenter ſe gerens in interrogando patitur invitus obſcenas cogitationes motuſve turpes. VI. Voluntarium dividitur in directum, quod procedit ex poſitiva motione, ſive influxu actuali voluntatis; ſive opus fiat per ipſam, ut occiſio hominis ab homicida, ſive hoc alteri committat, vel conſulat: & in indirectum, ut quando voluntas, licet non influat poſitive, ideſt expreſſe non ſit ei volitum, ipſi nihilominus non iniuſte imputatur, quoniam cum poſſet & teneretur malum aliquod impedire, neglexit; ut cum quis deputatus ad cuſtodiam vineæ non impedit furta quæ fieri videt, cum ſine gravi periculo vitæ impedire poteſt. Quare ad hoc ut omiſſio ſit culpabilis, tria requiruntur: nempe ut quis potuerit, & debuerit agere, & non egerit. Voluntaria directa coincidunt cum his quæ ſunt voluntaria in ſe, expreſſe, & formaliter; voluntaria vero indirecta coincidunt cum voluntariis in cauſſa implicite, virtualiter, & interpretative. VII. Tandem dividitur in plene voluntarium, quod fit abſque ignorantia ulla & ulla renitentia voluntatis; & in voluntarium non plene, quod procedit a voluntate cum aliqua ignorantia vel renitentia.

Expreſſum, & tacitum.

In ſe, & in ſua cauſſa.

Directum, & indirectum.

Plene, & non plene.

Nota I. voluntarium non eſſe idem, ideſt non coincidere cum volito: quia volitum eſt res quæ deſideratur; voluntarium vero eſt actus mere voluntatis, quo ego aliquid volo & deſidero. Unde ad hoc ut aliquid ſit voluntarium, debet procedere a voluntate ſe deliberante; ut autem aliquid ſit volitum; ſatis eſt ut voluntas in eo ſibi complaceat. Sic quod Deus glorificetur a ſanctis viris, mihi eſt volitum, non autem voluntarium.

Nota II. dari non poſſe voluntarium expreſſe nolitum efficaciter: quia voluntas non poteſt idem efficaciter velle, & ſimul nolle. Poteſt tamen idem efficaciter velle, & inefficaciter nolle; ut fit in proiectione mercium in mare metu naufragii, dum ſævit

Digitized by Google

vit periculoſa tempeſtas: & ita accidit in qualibet actione quæ fit cum diſplicentia voluntatis. Et hoc eſt voluntarium ſimpliciter, & involuntarium ſecundum quid: nempe voluntarium ſimpliciter dicitur, cum aliquid eſt volitum efficaciter; involuntarium vero ſecundum quid eſt, dum idem quod eſt efficaciter volitum, eſt ſimul inefficaciter nolitum.

Nota III. dari poſſe omiſſionem voluntariam ſine omni voluntatis actu ad eam pertinente. Non enim implicat, quod voluntas eo tempore quo urget præceptum aliquid faciendi, puta audiendi ſacrum, omnem prorſus actum ſuſpendere poſſit, ut nec Miſſam velit audire, nec poſitive id nolit. Et in hoc caſu dabitur omiſſio voluntaria ſine omni actu voluntatis, & peccaminoſa: & hæc omiſſio ideo eſt voluntaria, quia licet non procedat a voluntate phyſice & poſitive, procedit tamen a voluntate moraliter & interpretative, ſeu, ut aliis placet, tamquam actus negativus ſitus in non agere. Cum enim voluntas ſit potentia libera, potens agere & non agere, eius exercitium æque conſiſtit in non agere ac agere: idcirco morali hominum iudicio non minus cenſetur ab ea procedere quod non agit, dum poteſt & debet, quam quod phyſice agit.

Nec pariter requiritur præceptum ſeu obligatio faciendi quod omittitur, ad hoc ut omiſſio, & ſic malus effectus ex ea ſecutus ſit voluntarius: ut de una patet in eo qui omittit matrimonium non præceptum; & de altero in eo qui omittit comedere eo tempore quo comedere licet. Quia effectus ex tali omiſſione proveniens, fames nempe & mortificatio corporis, eius voluntati adſcribitur, tametſi nulla ſupponatur obligatio talem effectum impediendi.

Requiritur quidem præceptum ſeu obligatio faciendi id quod omittitur, ad hoc ut malus effectus ex omiſſione ſecutus cedat in culpam: quia, ſecluſa obligatione præcepti impediendi talem malum effectum, hic nec directe nec indirecte procedit a voluntate omittentis. Sic peccata hominum non ſunt Deo voluntaria, quamvis ea per gratiam efficacem non impediat; ita mors extrema fame laborantis non eſt voluntaria ei qui eadem neceſſitate preſſus illi denegat panem: nec Deus tenetur impedire peccata, nec alter mortem proximi cum tanto ſuo incommodo.

§. V.

De tempore quo effectus pravus indirecte & in cauſſa voluntarius imputatur ad culpam.

Ad hoc ut effectus malus ſecutus ex aliqua actione cenſendus ſit indirecte, virtualiter, ſeu in cauſſa voluntarius, ac proinde ad culpam agenti imputandus, requiritur profecto, quod agens adverterit ſeu præviderit, vel potuerit & debuerit advertere & prævidere periculum effectus ſecuturi poſitionem illius cauſſæ ſeu actionis, ſive bona, ſive mala ſit talis actio. Quia ſi quis nullam habuit de effectu ſecuturo, nec potuit nec debuit habere advertentiam ſeu præviſionem; tunc nullatenus cenſendus eſt talis effectus prævisus, ac proinde nec voluntarius, nec culpabilis, utpote proveniens ex naturali inadvertentia. Nam, iuxta commune Scholarum effatum, *nil eſt volitum, niſi præcognitum*. Quid requiratur ut effectus malus imputetur ad culpam.

Dixi, ut effectum illum impedire potuerit, auferendo, aut non ponendo cauſſam. Sic reus eſt qui obſcœnam tabellam, quæ eſt occaſio pravarum cogitationum, aut retinet apud ſe, aut vendit alteri. Item, ut cauſſam ex qua ſequitur pravus effectus, teneatur aut auferre, aut non ponere. Defectu hujus conditionis non peccat Parochus, qui excipiens confeſſiones mulierum, & debita cum prudentia ſe gerens in interrogationibus, invitus patitur pravas cogitationes & obſcœnos motus.

Hinc infertur, effectus pravos qui ſequuntur in ebrietate, imputari ad culpam voluntarie ſe inebriantibus, utpote virtualiter voluntarios & in cauſſa, ſi frequenter accidant, eo quod prævideri potuerint: ſecus vero, ſi perraro contingant; quia tunc non fuerunt prævisi, nec prævideri potuerunt. Unde excuſatur Loth a ſacris Interpretibus de ſuo inceſtu ex inopinata ebrietate, utpote prorſus imprævisо. *Gen. cap.* XIX.

Similiter non imputantur ad culpam circumſtantiæ invincibiliter ignoratæ: quia non fuerunt prævisæ in cauſſa. Quare Iacob non peccavit ingrediendo ad Liam (*Gen. cap.* XXIX.) quia bona fide credebat ſe ingredi ad Rachelem coniugem ſuam. Sola tamen advertentia, ſeu prævisio pravi effectus ſecuturi ex actione, non ſemper ſatis eſt ut is cuipiam imputetur ad culpam, quando actio per ſe licita utilis ſit vel neceſſaria, nec pravus ille effectus intendatur, neque in eo agens ſibi complaceat: quia effectus per accidens

cidens & præter intentionem ſecutus non imputatur ei qui utitur iure ſuo. Unde qui expertus eſt equitando ſe pollui, ſine tamen periculo conſenſus, non tenetur pedeſter incedere deſiſtendo ab equitatione: nam equitatio eſt res licita & utilis, nec per ſe eſt cauſſa huiuſmodi pravi effectus. Et ſic concludendum eſt de omni actione licita neceſſaria vel utili, quæ per accidens ſit cauſſa alicuius pravi effectus non intenti, & abſic periculum conſenſus pravi affectus.

Dixi, quod actio per ſe licita, quamvis periculoſa occaſio alicuius pravi effectus, poteſt licite fieri, dum neceſſaria ſit vel utilis, & non intendatur pravus effectus, nec agens in illo ſibi complaceat. Nam ſi non ſit neceſſaria vel utilis, vel ſit periculum conſenſus; tunc certe ea licite poni nequit: cum non ſolum malum, ſed omnem occaſionem, licet ex ſe non illicitam, omneque mali periculum effugere teneamur. Hinc non erit licitum inducere ſermonem inſtructivum circa caſtitatem, quando adeſſent ſimplices perſonæ quæ poſſent ſcandalum pati. Quando vero actio per ſe licita duos habet effectus, bonum unum, alterum pravum; non ſemper quis actionem hanc ponere poteſt, intendendo bonum effectum, & ad pravum ſolummodo permiſſive ſe habendo. Etenim propter quodcumque bonum permitti non poteſt quodcumque malum. Quo caſu vero liceat eam ponere, quo non, prudentum iudicio, omnibus conſideratis, ſtandum eſt.

§. VI.

De involuntario, necnon de iis quæ cauſſare poſſunt involuntarium.

Involuntarium quid ſit. Ex ipſa voluntarii expoſita natura facile deprehenditur quæ ſit involuntarii ratio, ideſt quid ſit involuntarium; cum hoc illud ſit cui deeſt aliquod requiſitum ad eſſentiam voluntarii. Unde ſi ad voluntarium concurrere debent & principium intrinſecum, ideſt voluntatis propenſio & influxus, & cognitio eorum circa quæ verſatur actio voluntaria, ideſt obiecti, finis, circumſtantiarum: certe illud cenſeri debet involuntarium quod ſit abſque voluntatis propenſione, ut dum quis agit ex violentia vel metu, vel ſine prævia intellectus cognitione, ut ſit in eo cui in agendo ex ignorantia vel paſſione tollitur aut deturbatur cognitio.

Inſuper advertendum, quod ſicuti voluntarium ſumi poteſt dupliciter; & pro eo quod ſit libere, & pro eo quod ſit libenter, ſive interim libere fiat, vel non: ita & dupliciter ſumi poteſt involuntarium. Primo, prout opponitur voluntario libero; ſecundo, prout opponitur voluntario lubenti. Et de hoc duplici involuntario hic agitur.

Quocirca multiplex eſt, ſeu in multiplici ſenſu dicitur ſeu dividitur involuntarium: nempe in poſitivum, & negativum. Involuntarium poſitivum eſt illud quod ſit contra innatam voluntatis propenſionem, & cum poſitiva ipſius voluntatis reſiſtentia, necnon eum ipſius triſtitia & nolleitate: idcirco involuntarium hoc modo ſumptum, dum abſolute eſt tale, debet eſſe contra poſitivum voluntatis affectum. Et hoc dici poteſt, & eſt involuntarium ſimpliciter, ad differentiam involuntarii quod ſit non ſine aliquo voluntatis affectu, & non cum abſoluta, ſed ſolum conditionata ipſius voluntatis oppoſitione, quod dicitur involuntarium ſecundum quid, & ſimul voluntarium ſimpliciter. Involuntarium negativum eſt illud quod vel non procedit a voluntate, cum poſſit, vel negative ſe habendo, & dicitur involuntarium negative, ſeu potius privative; & tales ſunt actus intellectus, appetitus ſenſitivi, & potentiarum externarum ſine voluntatis imperio eliciti: vel ſit ſine poſitiva voluntatis reſiſtentia, ſeu deficit ab aliqua ratione eſſentialiter ad voluntarium requiſita. Patitur v. g. quis in dormiendo pollutionem; tunc pollutio dicitur, & eſt illi negative voluntaria: quia ex una parte poſitive non reſiſtit, & ex alia deficit ſufficiens cognitio, & expedita facultas ad agendum vel non agendum, quæ eſſentialiter ad voluntarium requiruntur, ut antea iam vidimus. Quare conſtat manifeſte, involuntarii poſitivi unicam eſſe cauſſam, ſcilicet poſitivam voluntatis reſiſtentiam; involuntarii vero negativi non unam tantum eſſe, ſed plures, nempe illas omnes unde contingere poteſt quod deſit aliqua ratio ad voluntarium eſſentialiter requiſita. Involuntarium poſitivum, & negativum.

Expoſita diverſimoda involuntarii ratione, nunc rectus ordo poſtulat ut agere ſuſcipiamus de cauſſis quæ parere poſſunt involuntarium, ſingulas explicando. Cauſſæ involuntarii quatuor recenſeri ſolent a Theologis, ideſt quæ perimunt, vel minuunt voluntarium: nempe vis, concupiſcentia, metus, & ignorantia, licet non uno eodemque modo. Nam cum violentia efficiat ut prorſus inviti agamus, tollit omnino voluntarium. Voluntarium enim dici nequit quod ſit a principio extrinſeco, omnino renitente voluntate. Similiter cum ea quæ fiunt ex metu, ſianc quo- Quatuor involuntarii cauſſæ.

quodammodo renitente voluntate, ſaltem minuit voluntarium. Sed clarius, dum iſta ſigillatim ſuo loco diſcutiemus.

Nota, quod licet involuntarium coactum, neceſſarium, violentum ab aliquibus confundantur tamquam termini ſynonimi idem ſignificantes; merito ac iure ab aliis diſtinguuntur. Violentum enim dicitur etiam de agentibus inanimatis, ut proiectio lapidis ſurſum; nam de iis non poteſt dici involuntarium. Coactum ſeu invitum dicitur de agentibus animatis etiam irrationabilibus; involuntarium vero de ſolo agenti rationali. Neceſſarium dicitur de violento, coacto &c. non omne tamen neceſſarium eſt violentum, coactum, & involuntarium: cum amor beatorum ſit neceſſarius; & tamen non eſt violentus & coactus.

§. VII.

De violentia & coactione.

Definitio violentiæ. Violentia ſeu coactio *eſt motio, ideſt actio ſeu paſſio, cuius principium eſt ab extrinſeco, illo efficaciter renitente qui hanc patitur*. Idcirco violentum ex D. Thoma *1. 2. quæſt. 1x. art. 4. ad 2.* eſt illud quod fit contra naturalem inclinationem ſubiecti cui infertur. Etenim ad violentiam non ſufficit quod quis ſe habeat mere negative; alioquin iuſtificatio parvulorum eſſet involuntaria: ſed requiritur ut ſe habeat contrarie, ideſt ut actualiter vel virtualiter reſiſtat. Dicitur *illo renitente qui hanc patitur*: quia dealbatio parietis, tametſi totaliter fit ab extrinſeco, non eſt violenta; quia non fit contra parietis inclinationem. Dicitur *illo renitenter efficaciter*: quia abnegatio fidei metu mortis non eſt ſimpliciter violenta; utpote quæ non fit cum efficaci renitentia ipſius agentis.

Nota igitur poſſe aliquem pati violentiam & poſitive, dum aliquid fit in ipſo cui omnimode reſiſtit; & negative, dum impeditur contra inclinationem ne in actum exeat, v. g. ne audiat, ne videat.

Violentia alia abſoluta, alia ſecundum quid. Violentia duplex eſt. Alia abſoluta, quæ eſt actio procedens a principio extrinſeco, cui omnino patiens repugnat, ut tractio ad carcerem per ſatellites; & hæc tollit voluntarium: alia inſufficiens & ſecundum quid, ut quando actio violenta partim procedit a principio intrinſeco, ideſt a conſenſu voluntatis, partim ab extrinſeco, ut conſenſus quem extorquet gravis metus; & hæc non tollit, ſed ſolum minuit voluntarium. Coactum vero eſt idem ac violentum; ideoque ſimiliter dividi poteſt.

Vis & coactio ſecundum quid & inſufficiens profecto non tollit, ſed tantum minuit voluntarium; cum actus in tali caſu procedat & ab intrinſeco, ideſt a voluntate, & ab extrinſeco, ideſt a cauſſa violentiam inferente. Vis vero & coactio abſoluta penitus tollit voluntarium: quia actio facta per vim abſolutam eſt totaliter ab extrinſeco, & voluntarium non poteſt eſſe niſi a principio intrinſeco, ideſt a voluntate, & ſecundum eius inclinationem. Quare voluntas non poteſt cogi vi abſoluta quoad actus interiores & ſibi proprios, ſive elicitos, ſive ſibi ipſi imperatos, ut in amore v. g. & odio: quia omnis actio elicita a voluntate, & in ipſa conſummata, eſt volitio; ſicuti omnis operatio ſive affectio intellectus eſt intellectio. Repugnat autem volitionem non eſſe a voluntate & quid voluntarium, ac ſecundum eius inclinationem: nec voluntas poteſt velle invita, cum actus elicitus, puta amoris, pendeat eſſentialiter a principio intrinſeco, neque adeo poſſit a principio extrinſeco proficiſci. Sunt enim omnes actus voluntatis eliciti a principio intrinſeco cum cognitione, & ex ipſa voluntatis inclinatione manant; immo actus elicitus eſt ipſa voluntatis inclinatio: non quod actus elicitus interdum non fiat contra aliquam voluntatis propenſionem, eamque inadæquatam; ſed illa ſemper a fortiori ſuperatur. Qui peccat, agit contra ingenitam nobis propenſionem ad bonum, verum, & honeſtum; ſed vincit inclinatio ad bonum apparens. Idcirco voluntarium & violentum implicant contradictorie: quia per eumdem actum voluntas vellet nolendo, & fugiendo diligeret, ſeu vellet ſimul idem & non vellet, diligeret & non diligeret.

Violentia poteſt inferri voluntati quoad actus exteriores, qui ab exterioribus viribus corporis exequuntur, puta ad brachium movendum ad occidendum hominem, quod ipſa voluntas ad tale facinus movere nollet: Hinc fit, quod ſæpe non valeamus complere ſeu exequi quod cupimus, quia impedimur in potentiis executivis corporis ab aliqua exteriore cauſſa inclinationi noſtræ adverſanti.

§. VIII.

De concupiſcentia.

Circa concupiſcentiam prius obſervandum, nomen concupiſcentiæ uſurpari vel pro corrupta

Digitized by Google

rupta hominis natura, ſeu pro ingenita poſt originale peccatum omnibus hominibus propenſione ad malum, quæ a Theologis *ſenſualitas* dicitur, ſeu *fomes peccati*, *lex carnis*, *membrorum* &c. vel pro actu ipſo ſeu motu appetitus ſentientis, ſeu partis corporeæ rebellantis adverſus ſpiritum, quod eſt pœna peccati originalis, in pœnam rebellionis voluntatis humanæ, quæ legi divinæ reluctavit obedire: & in hoc poſteriore ſenſu hic accipitur.

Definitio concupiſcentiæ. Concupiſcentia igitur ſic ſumpta eſt *motus ſeu paſſio animæ ſenſitivæ ſive appetitus ſenſitivi proſequentis bonum ſenſibile, aut malum ſenſibile refugientis*. Motus hic accipitur tum pro habituali propenſione, qua inclinamur, tum pro actuali motione, qua ab appetitu ſenſitivo ad aliquid proſequendum vel fugiendum excitamur ac impellimur. Nomine vero appetitus ſenſitivi exprimitur voluntas, quatenus verſatur circa ſenſibilia, proſequens bonum ſenſibile delectabile, ideſt perceptibile ſenſibus externis, ſeu bonum ipſis placens & iucundum, ſive malum iiſdem ſenſibus diſplicens. Apud Theologos tamen per concupiſcentiam hæ ſolum paſſiones aliquando intelliguntur quæ verſantur circa bonum ſenſibile. Concupiſcentia ſecundum priorem ordinarium ſenſum, ideſt prout eſt motus appetitus ſenſitivi bonum delectabile proſequentis, & malum refugientis, dupliciter conſiderari poteſt. Primo, ut concupiſcibilis eſt, ad quam pertinent amor, deſiderium, gaudium, odium, fuga, triſtitia. Secundo, ut iraſcibilis, ad quam ſpectant audacia, ſpes, deſperatio, ira. Et de concupiſcentia ſub hac duplici conſideratione hic agitur.

Concupiſcentia antecedens, conſequens, & concomitans. Concupiſcentia ſecundo modo accepta, ideſt pro actuali motione appetitus ſenſitivi, alia eſt antecedens, quæ actum omnem & conſenſum voluntatis præcedit, ipſamque allicit ſeu inclinat ad actum ut cum, viſa muliere, excitatur appetitus ſenſitivus, & hic allicit voluntatem ad deſiderium. Alia conſequens, quæ initium habet ab ipſo voluntatis actu; nempe quando ex deſiderio voluntatis excitatur paſſio in corpore, ſecundum quod motus ſuperiorum virium, ſi ſint vehementes, redundant in inferiores: non poteſt enim voluntas intenſe moveri in aliquod, quin excitetur aliqua paſſio in aſpectu ſenſitivo, ait hic Sylvius. Alia concomitans, quæ ita ſequitur voluntatis conſenſum, ut ſit cauſſa ardentioris motus eiuſdem voluntatis. Unde concupiſcentia tunc voluntatis conſenſum antecedit, cum ſpirituum animalium motus ob ſolam corporis affectionem vel obiectorum præſentiam in organis corporeis, nihil conſentiente, immo repugnante voluntate, excitatur; tunc vero concupiſcentia conſequitur actum ſeu motum voluntaris, cum voluntas concupiſcentiæ motibus occaſionem præbet, ſcilicet cum voluntas eſt cauſſa quod concupiſcentia moveatur. Inſuper concupiſcentia alia gravis eſt, quando aliquantum rationem conturbat, & tamen rationis uſum non tollit; alia graviſſima, quando ita vehemens eſt, ut rationis uſum & libertatem perimat.

Num vero concupiſcentia minuat voluntarium, ad clariorem quæſtionis intelligentiam videtur ulterius notandum, voluntarium dici aliud abſolute, ut quando actus procedit a principio intrinſeco, ideſt a voluntate cum cognitione etiam circumſtantiarum obiecti: aliud voluntarium perfecte, quando videlicet actus fit cum cognitione etiam circumſtantiarum obiecti ac dignitatis illius: aliud libere, quando actus fit cum indifferentia & libertate. Hiſce poſitis.

Concupiſcentia auget quodammodo ſimulque minuit voluntarium, ſub diverſo tamen reſpectu. Concupiſcentia ſeu motus appetitus ſentientis, ſive antecedat, ſive comitetur, ſive ſubſequatur actum voluntatis, ſemper auget voluntarium ex parte propenſionis in primo gradu, ideſt abſolute reſpectu obiecti ad quod directe voluntatem movet; ſed illud imminuit ex parte cognitionis. Nam, ut alias iam vidimus, ad voluntarium duo requiruntur: amor, ſeu propenſio ſcilicet quædam appetitus rationalis erga finem ſeu rem circa quam agere debet; & advertentia rationis, ſeu cognitio obiecti, finis, circumſtantiarum. Quando concupiſcentia, ſeu motus appetitus ſentientis, voluntatis actum præcedit, præcipue quando fervens ſit, efficit ut voluntas rem ſibi propoſitam avidius appetat, ac propter ſummam animi cum corpore ſocietatem vehementiore niſu & amore in ipſam feratur. Et de hoc ab ipſa experientia convincimur, dum per eam ſenſibiliter deprehendimus eo maiore impetu nos in res propoſitas propendere, quo magis antecedens concupiſcentia excitatur ac fervefcit. Aliquando vero ipſa antecedens concupiſcentia minuit voluntarium: ſub alio tamen reſpectu, ideſt in ſecundo & tertio gradu, ſeu defectu plenæ cognitionis circumſtantiarum & obiecti, ipſiuſque dignitatis, atque liberioris optionis. Et revera, ſi loquamur de inclinatione voluntatis ad bonum, contra quam nititur innata cupiditas, mani-

Concupiſcentia ſub diverſo reſpectu auget & minuit voluntarium.

Digitized by Google

niſeſte patet concupiſcentiam minuere voluntarium, propterea quod luſta ac certamen cupiditatis animum diverberando efficit ne bonum proſequatur vehementiore conatu, & ardore caritatis: illud enim magis eſt voluntarium, ad quod voluntas ſe per ſe ipſam movet, quam id ad quod ab alio movetur. Immo ſi paſſio adeo ſit vehemens, quæ mentem ita perturbet, abſorbeat, ac veluti in delirium rapiat, ut non advertat ad circumſtantias, meritum, & dignitatem obieſti, non attendat ad legem divinam, nec ad ea quæ voluntatem a perverſa electione poſſunt deterrere, nec lumen ſupernæ gratiæ aſfulgeat; tunc profeſto concupiſcentia valde minuit voluntarium defeſtu non ſolum cognitionis, ſed etiam libertatis ſeu indifferentiæ: quia quo maior eſt propenſio qua fertur voluntas a concupiſcentia in obieſtum, eo minorem habet indifferentiam atque libertatem. Etenim indifferentia eſt regula libertatis, ita ut ubi maior ſit indifferentia, ibi maior adſit libertas. Quare gravis concupiſcentia antecedens poteſt aliquando non ſolum minuere, ſed totum etiam impedire & tollere voluntarium formale, ac ideo peccatum quando peccatum non potuit & debuit prævideri, quatenus penitus cognitionem auferat & advertentiam, quæ ad peccatum neceſſario requiritur. Non datur enim peccatum, niſi voluntarium direſte vel indireſte; nec datur voluntarium ſine advertentia ſaltem virtuali finis & circumſtantiarum. Hoc tamen contingere nequit niſi in motibus qui vulgo a Theologis vocantur primo primi, utpote qui ita antecedant omnem omnino mentis advertentiam & voluntatis conſenſum, ut potius a corpore ipſo quam a mente proficiſcantur. Unde huiuſcemodi motus revera non ſunt voluntarii, nec culpabiles; quod tamen dici nequit de motibus qui dicuntur ſecundo primi, utpote qui, licet antecedant plenam advertentiam & perfeſtam voluntatis deliberationem, non antecedunt tamen inchoatam advertentiam & ſemiplenam, ideoque non tollunt ii omne voluntarium, ſed ſolum minuunt, ac ideo non vacant omni culpa ſaltem veniali: quia cum nullum bonum ſenſibile animum rationalis creaturæ inſuperabili neceſſitate compellere valeat; hinc, licet tum ſemiplena advertentia aſtuum facultas liberi arbitrii adhuc ſub quadam morali neceſſitate perſeveret, paſſio non cauſſat involuntarium niſi ſecundum quid. Verum aliquando fieri poteſt, quod paſſio etiam vehemens non cauſſet involuntarium etiam ſecundum quid. Etenim contingere poteſt ut ex nulla parte ſibi appareat malum, ſed tantummodo deleſtabile & bonum ſaltem apparens, nec quidquam proponatur voluntati quod eidem adverſetur, ac proinde quod ex mera induſtione paſſionis nihil inveniatur quo quidquam involuntarii admiſceri poſſit.

Indifferentia eſt regula libertatis.

Nota, motus concupiſcentiæ in triplici claſſe diſtingui a Theologis. Alii enim dicuntur primo primi, alii ſecundo primi, alii perfeſte deliberati. Motus primo primi ſunt ii qui naturaliter in nobis excitati omnem prorſus voluntatis noſtræ conſenſum deliberationemque ita antecedunt, ut potius a corporis facultatibus quam ab anima ſeu a ratione procedant; ac proinde huiuſcemodi motus non ſunt in noſtra poteſtate. Motus ſecundo primi, licet plenam deliberationem antecedant, fiunt tamen cum aliqua & ſemiplena advertentia; idcirco licet imperfeſte liberi, ſunt tamen ſemiplene deliberati, & impediri poſſent. Motus denique perfeſte deliberati ſunt illi qui procedunt cum advertentia rationis, cum pleno conſenſu atque completa deliberatione. Motus tertii ordinis ſunt peccata mortalia, ſecundi venialia, primi neutrum, ideſt nec mortale nec veniale peccatum.

Concupiſcentia ſeu paſſio, ideſt motus appetitus ſenſitivi qui voluntatem conſequitur (motus nempe quem quis propria voluntate excitat in appetitu ſenſitivo, ut inde promptius in obieſtum feratur; puta ſi quis excitet in ſe magnum vini deſiderium, ut eo melius ſuæ indulgeat intemperantiæ, ac deleſtabilius bibat) huiuſcemodi motus profeſto auget voluntarium, operiſque executionem promovet; & peccatum gravius redditur. Nam ſi paſſio ſecundum illud minuit peccatum ſecundum quod minuit liberum, cum paſſio conſequens non minuat liberum, ſaltem moraliter, dum eius motio effeſtus eſt voluntatis, quæ in ſemetipſa ſponte & libere malum prævidens, ardorem deſideriumque mali ſuſcitavit; igitur nec peccatum minuit. Non minuit liberum: quia vehementius incumbimus in ea quæ nos magis deleſtant. Et hoc ita per ſe patet, ut opus non ſit longius in re hac immorari. Concupiſcentia igitur, ſive antecedens, ſive conſequens, auget voluntarium ratione propenſionis, & illud in primis quod in latiore ſignificatione ſumptum commune eſt pueris & belluis: antecedens vero illud etiam minuit, ſi cognitionis ratio habeatur; utpote quæ, ſicuti iam vidimus, rationem conturbat, ipſius aciem plus minulve ſemper obtundit, iudi-

ciumque pervertit, ut ſaltem perfecte attendere non valeat ad ea quæ a perverſa actione removere queant.

Sequitur igitur ex iam dictis manifeſtiſſime, motus paſſionis concupiſcentiæ ſeu ſenſitivi appetitus omnem advertentiam deliberationemque voluntatis antecedentes poſſe quidem minuere voluntarium, minime vero, præter in imprævisis motibus primo primis, tollere omne prorſus voluntarium; utpote qui non valeant prorſus adimere voluntatis propenſionem, nec rationis cognitionem ſaltem virtualem, nempe quod potuerint ac debuerint cognoſci ea quæ ad actionem ſpectant, licet ex hac parte poſſint huiuſcemodi imprævisi antecedentes paſſionis motus voluntarium aliquantulum imminuere. Dixi, *ex hac parte*, ideſt cognitionis: cum ex parte propenſionis ſemper, ut iam vidimus, ipſum voluntarium augeant.

Obiici poteſt contra primam concluſionem. Incontinens agit ex concupiſcentia: idcirco contra voluntatis inclinationem. Igitur concupiſcentia non auget, ſed minuit voluntatis propenſionem, & ſic voluntarium. Reſp. ex concupiſcentia minui etiam quandoque voluntarium, quando pugna occurrat inter ipſos affectus. Sic avarus interdum ex libidine pecuniam profundit, quæ dolore eum afficit & diſplicentia, non ſecus ac mercatorem proiectio mercium in mare, ingruente magna tempeſtate. Ita timor conturbat voluptates. Incontinens experitur quidem interdum quamdam voluntatis repugnantiam ortam ex remorſu conſcientiæ, quæ repugnantia prodit non ex ipſa actione ad quam directe movet appetitus ſenſitivus, ſed ex effectu qui pravam comitatur aut ſequitur actionem præter intentionem agentis, ad quem effectum directe movet concupiſcentia: ut eſt peccatum, pœna temporalis vel æterna, infamia &c. Nam pena magis diſplicet quam actio, quæ fit ex magna voluntatis propenſione. Idcirco quando incontinens libidini ſuæ obſequitur, agit contra voluntatem conditionalem & inefficacem, non vero contra abſolutam & efficacem.

Habitus, ſive boni, ſive mali, non imminuunt voluntarium.

Ex his intelligitur facile, habitus, ſive boni ſint, ſive mali, non imminuere voluntarium: quia cum ex habitu promptiores efficiamur ad agendum ob maiorem facilitatem quam habitus affert potentiis noſtris ad actionem, fit nos magis voluntarie operari. Unde pravi habitus adeo non excuſant, ut nos magis reos efficiant quo altiores egerint radices: iſtam enim velut neceſſitatem voluntas ipſa inducit. Gravius profecto peccant qui peccant ex habitu pravo: quia cum voluntarie hoſce pravos habitus foveant, actus inde prodeuntes ſunt in ſe & in cauſſa liberi, eoque peiores quo propenſius in malum feruntur. Porro hi pravos ſuos habitus fovere cenſentur qui eos evellere non ſatagunt. Immo peccant, quoties de prava ſua conſuetudine advertentes eam emendare non proponunt: quia deliberate manent in periculo peccandi; quod grave peccatum eſt. Quocirca talis peccator tenetur ſuum pravum habitum in confeſſione aperire. Cum vero bonus eſt habitus, tunc voluntarium & liberum perficit, tametſi potentia ad peccandum magis imminuitur quo promptiores ſumus ad agendum ex recta ratione.

Obiici poteſt ulterius. Gravius eſt peccatum ex malitia quam ex concupiſcentia. Igitur in hoc reperitur aliquid involuntarii. Reſp. negando conſequentiam: quia exceſſus petitur ex eo quod primum ſit magis liberum quam ſecundum, non vero ratione maioris aut æqualis voluntarii. Cum enim peccatum malitiæ ex plena libertate fiat ſine ignorantia & paſſione, maius eſſe debet peccatis quæ ex infirmitate ſeu paſſione procedunt: ſed non ideo plus habet voluntarii. Ubi enim maior libertas, ibi maior indeterminatio; & ubi maior indeterminatio, ibi minus inclinationis, ac proinde voluntarii. Hinc magis voluntarie Deus amat ſe quam Mundum exiſtentem.

Inſuper non valet hæc illatio. Eſt minus voluntarium: ergo eſt involuntarium ſecundum quid. Alias omnia peccata eſſent involuntaria ſecundum quid, dum quolibet aſſignabili dari poteſt magis voluntarium.

Nota, ſi motus concupiſcentiæ & paſſionum a voluntate deliberate præmoveantur, & verſentur circa materiam gravem, ſunt letalia peccata; venialia vero, ſi circa materiam levem. Quod ſi a vitiata natura vel a dæmone excitentur, & nonniſi ſemiplene advertantur, ac imperfecto conſenſu admittantur; licet ſint in materia gravi, erunt culpæ tantummodo veniales: quia deficit ſufficiens nempe plena advertentia & deliberatio, quæ requiritur ad mortale. Nullum autem erit peccatum ex hiſce imprævisis concupiſcentiæ ac paſſionis motionibus, quantumvis vehementer & inordinate erumpentibus, ſi iis qui eas patiuntur, revera diſpliceant, ac pro viribus illis obſiſtant, & eas comprimere & extinguere conentur: immo ſibi magnum meritum comparabunt; quia ſunt prorſus involuntarii, & qui eis contradicit, divinis quærit obtemperare man-

da-

Digitized by Google

datis, & ſpiritualem ſui ſalutem operari, iuxta illud Apoſtoli ad Rom. cap. VIII. *Nihil ergo nunc damnationis eſt iis qui non ſecundum carnem ambulant.*

§. IX.

De metu.

Metus quid ſit. Metus ex D. Thoma in *IV. diſt.* XXIX. *quæſt.* I. *art.* I. eſt *trepidatio, ſeu inquietudo & perturbatio mentis ob inſtans vel futurum periculum malum aliquod patiendi.* Periculum hoc intelligendum eſt de periculo ſaltem probabili: quia ſi nulla ſit probabilitas periculi, non poteſt perturbare animum ſeu mentem hominis, niſi eius qui illa integra & ſana non utatur. Nomine vero periculi damnum, diſpendium, malumve, quod imminet, intelligitur.

Metus diviſio. Metus alter gravis eſt, alter levis. Gravis inſuper alius gravis eſt abſolute, qui dicitur cadens in virum conſtantem, & eſt, probabilis opinio de aliquo malo gravi in ſe imminenti, & quod timens non poſſit ſaltem probabiliter effugere: ut exilium, diuturna iactura bonorum omnium, amiſſio ſeu mutilatio alicuius membri, vicina mors, triremis, gravia verbera, iniuſta depoſitio a dignitate, infamia moraliter indelebilis &c. Hæc enim mala ab omnibus ut gravia concipiuntur. Sufficit autem ad metum gravem & rationabilem, ut hæc incommoda timeantur etiam perſonæ ſibi coniunctiſſimæ: puta coniugi, genitori, vel filio. Alius eſt metus gravis reſpectivus, ideſt reſpectu alicuius perſonæ: nam malum quod ſatis non eſt ad commovendum virum conſtantem, valde tamen perturbat & exagitat tales certas perſonas; ut feminas, pueros, ſenes, alioſve homines naturaliter puſillanimes. Metus vero levis eſt ille (& dicitur etiam iniuſtus, improbabilis, irrationabilis, non cadens in virum conſtantem) qui excitatur a malo levi; vel ſi etiam a gravi malo, ſine ullo tamen gravi ſeu probabili fundamento, ac ideo irrationabiliter conceptus: Verum ut metus levis & iniuſtus iudicari queat, attendenda eſt qualitas, ætas, ſexus perſonæ quæ timore percellitur. Interdum enim metus gravis erit, prudens, ac rationabilis reſpectu unius, qui reſpectu alterius levis erit. Ad metum gravem refertur metus reverentialis: ſcilicet gravis metus cenſetur ille quo quis timet quod habere poſſit maiores, nempe genitores alioſve ſuperiores quibus ſubiicitur, diu ac graviter infenſos. Talis metus licet ſecundum ſe non ſit gravis, quinimmo in foro externo reputetur levis; in foro tamen conſcientiæ aliquando creditur gravis, iuſtus, & excuſabilis, præcipue ſi accedant circumſtantiæ ſequentes: videlicet diuturna & quaſi irreconciliabilis offenſio maiorum, minæ, preces nimium importunæ, verbera, timor quod male in poſterum tractabitur. Metus levis afficit timidos, gravis etiam audaces.

Metus oriri poteſt vel ab intrinſeco timentis, ut ab infirmitate, ob quam mortem timet; vel ab extrinſeco neceſſario & naturali, ut ab imminenti naufragio, incendio; vel ab extrinſeco libero, ut ſi metus incutiatur ab homine vel dæmone, ut timens impellatur ad opus quod agere nollet. Metus vero ab extrinſeco libero dupliciter poteſt incuti. Vel iuſte, ideſt ab illo qui ius habet illud incutiendi ob iuſtam rationem: ut ſi iudex minitetur exilium aut aliam gravem pœnam ſtupratori, niſi per matrimonium vel certam pecuniæ ſummam erogando ſatisfaciat perſonæ quam defloravit. Vel iniuſte, ut ſi ab illo incutiatur qui ius non habet, nec iuſtam cauſſam: ut ſi pater virginis defloratæ mortem intentaret defloratori, niſi eam ducat, cum hic ius non habeat, niſi denuntiandi defloratorem ad iudicem, non vero tali vi ad matrimonium poſſit illum inducere; vel cum ſicarius gladium viatori intentat, niſi loculos ei porrigat.

Metus tandem dupliciter poteſt ſe habere ad actionem. Vel cauſſaliter: nempe quando influit in actionem, ita ut actio ſine tali metu non fieret; idcirco tunc dicitur cauſſa. Sic a timore naufragii inducitur mercator ad proiectionem mercium in mare. Vel concomitanter: & eſt quando, licet actio fiat cum metu, metus tamen illius cauſſa non eſt. Nam etiamſi non eſſet metus, adhuc actio fieret; puta dum latro furatur cum metu: quia etiam ſine metu furaretur.

Metus reſpectu actionis aliquando eſt cauſſa totalis, aliquando partialis. Cenſetur cauſſa totalis, quando actio fit præciſe propter metum, ita ut, ceſſante metu, non fieret: ut contingit in eo qui ob metum dat loculos latroni, quos non daret, ſecluſo metu. Cenſetur autem partialis, quando ſic movet ad actionem cum aliis cauſſis, ut etiam ipſo deſinente, adhuc actio poneretur: ut cum quis deteſtatur furtum ex metu ſupplicii, & ex amore virtutis; ita tamen ut etiamſi non infligeretur pœna latronibus, adhuc ille deteſtaretur furtum ex amore virtutis.

Metus gravis cadens in virum conſtantem minuit quidem voluntarium, ſed non prorſus

Actiones factæ ex metu num ſint voluntariæ.

ſus tollit. Idcirco iuxta D. Thomam 1. 2. *quæſt.* VI. *art.* 6. actiones quæ fiunt ex metu, licet gravi, ſunt voluntariæ ſimpliciter, & involuntariæ ſecundum quid; idest hic & nunc, conſideratis omnibus circumſtantiis, ſunt efficaciter volitæ, & ſolum inefficaciter involuntariæ, ſeu nolitæ abſolute & ſecundum ſe, ideſt præciſe a circumſtantiis: quia metus, tametſi gravis, non tollit cognitionem & advertentiam in intellectu circa ea omnia quæ ad actionem pertinent, nec iudicium & liberam electionem in voluntate. Etenim mercator, ſæviente tempeſtate, in conſultatione ſervandi merces vel vitam, potius quam merces eligit ſervare vitam, quam iudicat multo mercibus pretioſiorem. Quare qui metu mortis quantumvis certo imminentis, conculcant ſacramenta, idolum colunt, interficiunt hominem &c. abſque dubio grave peccatum committunt. Ergo ſimpliciter voluntarie hi agunt. Ea enim ſunt ſimpliciter voluntaria, quæ procedunt a voluntate efficaci tamquam a cauſſa: quia ſicut aliquid dicitur voluntarium ut imperatum, quia procedit a volitione; ita dicendum eſt voluntarium ſimpliciter, ſi procedat a voluntate ſimpliciter, qualis eſt volitio efficax. Unde S. Thomas hic ait, ea quæ per metum aguntur, etſi ſint mixta ex voluntario & involuntario, magis tamen eſſe voluntaria quam involuntaria, atque adeo eſſe voluntaria ſimpliciter, & involuntaria ſecundum quid. Et ita intelligendus eſt S. Joannes Damaſcenus, ubi hæc vocat media inter voluntarium & involuntarium, non ut neutrum horum abſolute ſint, ſed potius ut ſint ſimpliciter voluntaria, habentia admixtum aliquid involuntarii.

Metus num cauſſet involuntarium.

Hinc conſtat, quod proprie loquendo metus neutiquam cauſſat involuntarium, ſed affectus rei quam ob metum deſerere cogimur. Et hoc patet in dicto mercatore proiiciente merces in mare ex metu naufragii, qui niſi haberet affectum ſuis mercibus, non pateretur triſtitiam & repugnantiam in earum proiectione: adeoque talis proiectio non fieret ei involuntaria, non ſecus ac talis mercator non haberet in navi niſi inutiles lapides, vel merces eſſent alterius, dum in tali caſu iſtas proiiceret ſine ulla diſplicentia & involuntarietate; immo cum gaudio eas proiiceret, ſi illæ eſſent ſui inimici. Igitur non ex metu, ſed ex affectu ad merces oritur involuntarietas: & ideo quæſtio quæ verſatur inter Theologos, eſt tantummodo, num metus cauſſet involuntarium occaſionaliter, inquantum nempe eſt occaſio actus qui a parte rei involuntarius eſt, licet involuntarietas habeatur non a metu, ſed ab effectu actioni contrario.

Quæ fiunt ex metu gravi, ſpectato abſolute & in ſe, ideſt præciſe a circumſtantiis in genere liberi, ſunt involuntaria ſecundum quid: quia ſunt contra inclinationem voluntatis, & ſine plena indifferentia contradictionis, eo quod voluntas non a ſe ſola, ſed ab impulſu etiam timoris ad hoc eligendum impellatur. Unde promiſſiones, tranſactiones, vota, donationes, aliive ſimiles contractus, facti ex metu gravi iniuſte a cauſſa extrinſeca ad extorquendum conſenſum incuſſo, licet natura ſua validi ſint; quia, ut diximus, metus non tollit voluntarium ſimpliciter: tamen ex lege ſunt reſcindibiles ad placitum illius qui metum paſſus eſt. Unde contra iniuriam quam in metu iniuſte incuſſo paſſus eſt, reſtitui debet priſtinæ libertati, & in quocumque etiam damno inde ſecuto redintegrari: quod verum eſt ante omnem iudicis ſententiam. *L. I. tit. Quod metus.* Ad hoc tamen requiritur quod metus iniuſte incuſſus ordinatus fuerit ad extorquendum contractum: quia ſi incuſſus fuiſſet ob alium finem, & metuens, ut ab hoc ſe ſubtraheret, voviſſet, donaſſet, promiſiſſet; contractus tunc eſſet validus, & nullatenus ad arbitrium reſcindibilis.

Jus poſitivum eccleſiaſticum excipit quoſdam contractus, in quibus conſenſus per metum gravem fuit iniuſte extortus, ut nedum reſcindibiles ſint ad arbitrium, ſed ipſo facto irriti & nulli: quorum alter eſt matrimonium ipſo facto nullum, ut ex *cap.* Locum, & ex *cap.* Veniens *de Sponſalibus*; alter profeſſio religioſa cum votis ſolemnibus per metum emiſſa, ut ex tit. *De his quæ vi metuſque cauſſa fiunt*, necnon ex Concilio Tridentino *ſeſſ.* XV. *De Regular. cap.* XIX. Sic etiam alii contractus ita extorti a iure irritantur, inter quos recenſentur promiſſio & erogatio dotis, electio Prælati, protractio iuriſdictionis, teſtimonia teſtium in teſtamentis.

Juramenta vero tali metu extorta ex communi ſententia valida ſunt & implenda, ſi impleri poſſint ſine peccato & alterius iniuria: quia iam ſunt ſufficienter voluntaria, & ita ex debita divino Numini reverentia exeqnenda. Poteſt tamen metum paſſus, ſi nimis gravetur, expoſito motivo, petere a iuramento relaxationem ab eo apud quem talis facultas reſidet, & ſimul petere reſtitutionem eorum quæ vi iuramenti iam tribuerit.

S mi-

Similiter quæ extorquentur per metum etiam levem, ut ſine hoc metu non fierent, ſaltem in foro conſcientiæ, ſunt reſtituenda: quia qui patitur metum etiam levem, privatur ſua plena & integra libertate, ac proinde iniuria afficitur. In foro tamen externo ad perpetuas lites evitandas metus levis non conſideratur, nec admittitur.

Quæ fiunt ex metu, non ſemper ſunt involuntaria.

Quæ fiunt ex metu, non ſemper ſunt involuntaria ſecundum quid, præcipue quando actus ad quem impellit metus, ſecundum ſe malus non eſt. Poſſunt enim aliqua quæ fiunt ex metu, eſſe ſecundum inclinationem voluntatis; quia ſecundum ſe bona: ac proinde nullo modo involuntaria. Poteſt quis ſervare Dei mandata ex metu inferni: obſervantiam vero divinorum mandatorum bonam eſſe nemo dubitat. Inſuper non poteſt ſemper metus, quando eſt efficax, relinquere diſplicentiam in operante: quia datur caſus, in quo illa diſplicentia eſſet cauſſativa eiuſdem mali quod quis vitare vult; ut patet in eo qui ex metu gehennæ deteſtatur peccatum cum diſplicentia, ut ſi non eſſet gehenna, vellet peccare. Talis enim convincitur velle malum quod vitare vult, & ſic velle, & non velle. Quia cum illa diſplicentia denotet affectum ad peccatum, affectus autem ad peccatum ſit cauſſativus gehennæ; ſequitur evidenter, quod vellet gehennam vitare, & non vellet. Ex quo patet, quod metus aliquando debet excludere omnem diſplicentiam, & conſequenter quod actus ex illo procedens non ſit ſemper involuntarius ne quidem ſecundum quid.

Dices. Metus gehennæ etiam inefficax non excludit pro nunc affectum ad peccatum: quia qui nunc ſibi complacet in peccato, poteſt habere voluntatem agendi poſtea pœnitentiam, per quam gehennam vitabit. Volitio enim finis etiam efficax non infert neceſſario ſubitam applicationem mediorum, ſed quando ſolum urget obtentio ſeu conſecutio finis. Qui enim vult hodie efficaciter venturo menſe pergere Romam, non eſt neceſſe ut hodie vel altero die ante ſtatutum tempus pergendi Romam iter capiat. Igitur metuens efficaciter gehennam non debet ſemper hic & nunc excludere quod eſt cauſſativum gehennæ, ſed ſatis eſt ſi habeat voluntatem illud vitandi, quando inſtabit tempus gehennæ vitandæ. Reſp. quod qui retinet affectum ad peccatum, non poteſt efficaciter metuere gehennam: quia cum gehennam vitare nequeat niſi pœnitendo, & ſit incertus num habiturus ſit tempus & gratias efficaces, ſine quibus pœnitere non valet, præſertim cum videatur Deum irridere, dum rurſus vult illum offendere a quo ſolo gratias expectat: videtur ſane non velle omnino efficaciter gehennam vitare.

Sequitur igitur I. ex dictis: nempe, ſi vitans peccatum ex metu gehennæ nullum affectum habere debeat ad peccatum, opera bona facta ex metu non amittere ſuam bonitatem, ceteris paribus; videlicet ſi concurrant cetera quæ ad meritum requiruntur, ſtatus ſcilicet gratiæ, & directio ſaltem virtualis caritatis.

Sequitur II. gravi aſſentientem peccato ex metu gravis mali imminentis mortaliter delinquere, eo quod metus non tollat voluntarium ſimpliciter. Minuitur tamen ob metum aliqualiter malitia peccati; nempe proportionabiliter ad mali comminati gravitatem: ſicuti ob rationem eamdem minuitur voluntarium. Etenim quo gravius eſt malum quod timetur, eo maiorem involuntarietatem refundit in operationem: numquam tamen peccatum ita imminuit, ut de mortali fiat veniale; niſi forte metus taliter mentem perturbet ac ſubvertat, ut rationis uſum penitus auferret, ac veluti in inſaniam abriperet.

Nota, in aliquo caſu, quando ſcilicet malum imminens quod timetur, gravius eſt malo quod ad illud effugiendum eligitur, lex naturalis ceſſat obligare: ut quando quis actualiter aggreſſus ab inimico mortem ei intentante, ſi alia via ſe defendere nequeat niſi illum occidendo, ſecundum multos, ſervato tamen moderamine inculpatæ tutelæ, licite poteſt inimicum interficere; minime intendendo aggreſſoris occiſionem, ſed ſuam tantummodo defenſionem, quæ alio modo ei ſuppetere nequit. Tunc enim lex de non occidendo ceſſat obligare. Item ceſſant in tali caſu etiam leges poſitivæ divinæ, commune Eccleſiæ bonum non concernentes. Unde timor prudens gravis mali etiam temporalis excuſat ab integritate confeſſionis: item ab obſervando voto emiſſo, a laborando in die feſto, & ab aliis huiuſce generis. Cenſetur enim in hiſce caſibus divina clementia, cui iam noſtra innoteſcit infirmitas, obligationem remittere; ac indulget prævalere legem naturalem de non incurrendo gravi incommodo: ſemper tamen ſecluſo eorumdem divinorum præceptorum contemptu. Dixi, leges poſitivæ divinæ commune Eccleſiæ bonum non concernentes. Nam ſi commune Eccleſiæ bonum reſpiciant, ab his ſervandis timor nullus quantumvis gravis excuſare poteſt: v. g. ne quis in adminiſtrandis ſacra-

ſacramentis uteretur debita materia & forma, ne utramque ſpeciem conſecraret, confeſſionis ſigillum ſervaret, aliaque huiuſmodi; quæ cum cedant in commune Eccleſiæ damnum, hoc prævalere debet cuicumque malo quod homo in his ſervandis incurrere poſſet; ac proinde numquam excuſari poſſet qui ex metu contrarium faceret.

§. X.

De ignorantia & inadvertentia.

Cum inter ea quæ pariunt involuntarium, recenſeatur etiam ignorantia; nunc operæ pretium eſt inquirere quid illa ſit, qualiſve ignorantia cauſſet involuntarium.

Ignorantiæ nomen late ſumptum importat carentiam ſcientiæ ſeu cognitionis quomodocumque acceptæ. Si vero ignorantia ſit carentia cognitionis nullatenus debitæ, ideſt rei quam quis ex ſua conditione ſcire non tenetur, ut ignorantia iuriſprudentiæ in ruſtico, dicitur neſcientia, ſeu ignorantia puræ negationis. Verum cum hic accipiatur ignorantiæ nomen in deteriorem partem, prout verti ſolet in dedecus; ſumitur pro neſcientia rerum earum quas, ſpectato ſtatu ſuo & conditione, decet quemlibet eiuſdem conditionis non ignorare. Hinc in tali ſenſu definitur *carentia ſcientiæ debitæ*, non accipiendo *Tò debitæ ſcientiæ* rigoroſe, ſed pro eo quod convenit & decet.

Definitio ignorantiæ.

Inadvertentia *eſt carentia advertentiæ ſeu animadverſionis*. Animadverſio autem eſt, cum animus ad aliquid intendit, ſeu de illo cogitat. Æquiparatur autem inadvertentia ignorantiæ: cum idem ſit, ſi ignorem præceptum de non comedendo carnes die Veneris, ac ſi ad præceptum illud non advertam, aut de illo non cogitem. Unde quidquid dicetur de ignorantia, proportionaliter intelligendum erit de inadvertentia.

Definitio inadvertentiæ.

Ignorantia ſtricte ſumpta ſpectari poteſt vel ex parte eius qui ignorat, vel ex parte rei quæ ignoratur, vel ex parte actionis ipſius quæ fit ex ignorantia. Quare ignorantia dividitur reſpectu ſubiecti, obiecti, voluntatis, & actus. Reſpectu ſubiecti, ſeu perſonæ ignorantis, alia eſt ignorantia puræ privationis; cum quis caret ſcientia præciſe: ut fit, quando quis Chriſtianus neſcit fidei myſteria, ſacramenta &c. Alia pravæ diſpoſitionis, aut pravi habitus; & eſt illa quæ coniungitur errori: ut ſi quis non ſolum ignoraret myſteria fidei, ſed etiam crederet aliquem errorem contra eadem fidei myſteria. Reſpectu obiecti, ideſt rei quæ ignoratur, alia eſt ignorantia malæ electionis, alia ignorantia iuris, alia facti, alia pœnæ. Ignorantia malæ electionis eſt, cum quis actu non conſiderat id quod hic & nunc poſſet & deberet conſiderare; ſive hæc eius inconſideratio proveniat ex paſſione inſurgente, ſive ex habitu. Ignorantia iuris ſeu legis ac præcepti ea eſt quæ verſatur circa ius ſeu præceptum: ut ſi quis ignoret præcipua dogmata & leges ſuæ religionis, vel ſtatuta ſuæ civitatis. Hæc autem diverſa eſt ſecundum legum diverſitatem. Unde alia eſt ignorantia iuris poſitivi, quod libera Dei vel hominum voluntate ſtatutum eſt; & eſt ius divinum, eccleſiaſticum, & civile: alia iuris naturalis, ſeu legis illius quæ a Deo auctore naturæ ipſi inſita eſt, & in hominum animis veluti inſculpta, quæ magis vel minus clare dictat quod licitum eſt, aut illicitum, ſeu quod præceptum eſt, aut vetitum. Ignorantia facti ea eſt quæ verſatur circa factum, ideſt quando quis ſciens legem, factum ignorat, ſeu actionem vel circumſtantiam illius, ratione cuius factum cadit ſub legem: v. g. ſciens affinitatem eſſe matrimonii impedimentum dirimens, neſcit eam quacum contrahit, eſſe ſibi affinem. Ignorantia autem facti alia eſt facti proprii; ut quando neſcit an horas canonicas recitaverit: alia facti alieni; quando quis ignorat v. g. an ille fecerit teſtamentum. Ignorantia pœnæ eſt ea qua quis ignorat pœnas latas in delinquentes. Reſpectu voluntatis, ideſt potentiæ in qua occurrere poteſt ignorantia, alia eſt invincibilis, alia vincibilis. Ignorantia invincibilis ſeu inſuperabilis ea eſt quam quis communibus naturæ vel gratiæ auxiliis vincere nequit, nec debet; ſeu eſt neſcientia eorum quæ quis ſcire non poteſt, nec tenetur: vincibilis vero quæ iiſdem auxiliis vinci poteſt. Scis v. g. dies feſtos: neſcis autem an ſit dies feſtus necne; nec ullo modo de hoc tibi occurrit hæſitatio. Hæc tua ignorantia eſt invincibilis; tametſi plures non deſint quos interrogare poſſis: quia cum de hoc nullatenus advertis, inquirere non teneris, cum ſis in pleniſſima bona fide. Si vero dubitas de exiſtentia diei feſti, nec ullum habes quem poſſis interrogare de rei veritate; adhuc tua ignorantia eſt invincibilis: quia licet tunc tenearis perquirere, tamen non potes. Econtra vero dubitas an hodie ſit dies feſtus, & habes plures per quos de hoc potes fieri certior; ſi inquirere omittas, tunc tua ignorantia eſt vincibilis: quia potes

Ignorantiæ diviſio reſpectu ſubiecti, obiecti, & voluntatis.

Digitized by Google

potes & debes eam vincere & reſolvere. Ignorantia vincibilis ſubdividitur in craſſam aut ſupinam, quam D. Thomas dicit indirecte voluntariam; & affectatam, quam citatus Doctor appellat directe voluntariam. Craſſa ſeu ſupina ea eſt, quando quis directe quidem non affectat ignorare quæ ſcire poteſt & debet; ex quadam tamen negligentia ſeu ignavia negligit, ideſt non curat ſcire, ſeu non adhibet debitam diligentiam ut talem ignorantiam eiiciat & evitet. Dicitur craſſa: quia homines craſſi ſolent eſſe deſides. Dicitur ſupina: quia qui ſupine iacet de nulla re curare videtur. Affectata vero dicitur, quando quis de induſtria aliquid ignorare ſeu neſcire affectat aut ſtudet, v. g. præceptum ſeu obligationem ſuam, ut liberius poſſit peccare, iuxta illud Pſalm. xxxv. *Noluit intelligere, ut bene ageret.*

Ignorantiæ diviſio reſpectu actus.

Ignorantia denique, ſpectata ratione ipſius actus, alia eſt antecedens, alia concomitans, alia conſequens. Ignorantia antecedens ea eſt, quæ antecedit omnem actum, ſeu determinationem ſive conſenſum voluntatis: idcirco nullo modo eſt voluntaria; & aliquo modo eſt cauſſa, cur velimus & operemur id quod, ſi hæc non adeſſet, ideſt ſi naturam operis quod facimus, ſciremus, opus non fieret. Cum huiuſcemodi ignorantia acceſſit Iacob ad Liam putans eſſe ſuam uxorem, ad quam ſine tali ignorantia (ideſt ſi ſciviſſet non eſſe ſuam uxorem) accedere noluiſſet. Hæc ignorantia dici ſolet *tuta, probabilis, & invincibilis*. Tuta quidem, quia cum hi qui tali ignorantia laborant, operentur cum bona fide, excuſantur a culpa. Probabilis, quia canones eam probant. Invincibilis, quia moraliter non potuit ſuperari, vel quia non venit in mentem dubitare, aut advertere, ſeu cogitare de oppoſito; ut contigit in Iacob, dum acceſſit ad Liam cum certiſſima ſuppoſitione quod eſſet Rachel promiſſa ſibi in uxorem: vel etſi in mentem venerit, ſeu adverterimus poſſe nos forſan decipi & errare in conſenſu vel deliberatione erga talem actionem; tamen, adhibita ſufficienti diligentia quam adhibere oportebat pro indaganda rei veritate, nihil detegi potuit quo veritatem deprehendendo ignorantia depelleretur. Cenſetur autem adhibita ſufficiens diligentia, quam adhibere oportebat, quando id factum ſit quod viri prudentes ac timorati eiuſdem conditionis in ſimili negotio præſtare ſolent. Ignorantia concomitans ea eſt quæ ita coniungitur operi quod fit, ut etiam ſine tali ignorantia (ideſt tametſi id quod agimus, ſciremus, ſeu cognitio haberetur de natura & qualitate operis) adhuc opus idem faceremus; ita ut ignorantia concomitans nec movet ad operandum, nec removet ab operatione. Unde talis nec eſt voluntaria, nec involuntaria poſitive, ſed non voluntaria; ac proinde neque facit opus eſſe voluntarium, neque eſſe involuntarium, ſed illud tale relinquit, quale alioquin erat futurum: cum hæc non inducat nec ad volendum, nec ad nolendum, ſed per accidens ſe habeat ſive ad actum voluntatis, ſive ad opus quod agitur. Accidit enim eam ignorantiam ſimul inveniri cum tali voluntate vel facto, cum interim nec ſit illius cauſſa, nec effectus. Ignorantia huiuſcemodi eſt in illo qui ignorans eſſe diem ieiunii comedit carnes, quas ſimiliter & æque comediſſet, etiamſi cognoviſſet diem hunc eſſe diem ieiunii. Ignorantia tandem conſequens, quæ etiam vocari ſolet iniuſta, improbabilis, vincibilis, ea eſt quæ conſequitur aliquem actum voluntatis, ab eoque cauſſatur; ideſt quæ ſequitur determinationem vel explicitam vel implicitam ipſius voluntatis, ſeu quam directe vel indirecte quis voluit: ut ſi quis ignorare vellet quo die indictum ſit ieiunium, quo liberius gulæ indulgeret. V. g. ſi die Veneris neſciat abſtinendum a carnibus, & ſibi occurrat de hoc aliqua dubitatio, & cum poſſit de re hac inquirere, id negligat ſive ex pura ignavia ſive ut liberius comedere poſſit: iſta illius ignorantia dicitur conſequens, non quia conſequatur comeſtionem, dum, ut patet, illam antecedit, ſed quia conſequitur ad voluntariam omiſſionem, qua deſinit inquirere, cum poſſet & deberet; quæ voluntaria omiſſio conſideratur ac ſi eſſet actus poſitivus voluntatis. Unde hæc ignorantia proprie eſt ſupina vel affectata, ac ideo vincibilis, non tollens voluntarium, nec proinde excuſans a peccato, ſed potius ipſum augens peccatum. Hiſce igitur prænotatis.

Ignorantia conſequens, ideſt vincibilis, ſi craſſa ſit & non affectata, minuit voluntarium: ſcilicet facit quod opus ſit voluntarium ſimpliciter, & involuntarium ſecundum quid. Ita ex D. Thoma 1. 2. *quæſt.* lxxvi. *art.* 4. Voluntarium ſimpliciter: quia talis ignorantia eſt volita ſaltem indirecte, quatenus ignorans omittit neceſſariam diligentiam ut diſcat quod ignorat; vel officium ſuſcipit ad quod adimplendum ſatis non eſt, nec requiſitam ſcientiam ſibi comparat. Quare culpa quæ ex huiuſmodi ignorantia oritur, eſt voluntaria in cauſſa, ideoque

voluntaria ſimpliciter: nam qui vult cauſſam, vult etiam effectum. Involuntarium vero ſecundum quid: quia minus efficaciter intenditur quod fit contra aliquam propenſionem voluntatis, ſicut in eo qui cum tali ignorantia operatur, qua ſecluſa, ut ſupponitur, non ita operaretur; ut cum quis, non adhibita debita diligentia, putans occidere feram, occidit amicum. Unde notandum, quod quando vincibiliter ignorantia gravis eſt, quæ iam eſt menſuranda ex conditione perſonæ, ſtatus, officii &c. numquam transfert peccatum de mortali in veniale, iuxta D. Thomam.

Ex his colliges merito a ſummo Pontifice Alexandro VIII. damnatam fuiſſe hanc quorumdam modernorum propoſitionem: *Peccatum philoſophicum eſt actus humanus disconveniens naturæ rationali & rectæ rationi; theolologicum vero & mortale eſt transgreſſio libera divinæ legis. Philoſophicum, quantumvis grave, in illo qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, eſt grave peccatum, ſed non offenſa Dei, neque peccatum mortale diſſolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum.* Hic notandum occurrit, peccata ignorantiæ vincibilis, etſi minus malitiæ contineant, maiore tamen periculo exponere, & eatenus quam maxime eſſe timenda, utpote quæ plerumque cum impœnitentia finali ſint coniuncta. Nam nullas certe illud emendare cogitabit, in quo cenſet ſe non peccare. Unde enixe ita Eccleſia precatur: *Illumina oculos meos, ne umquam obdormiam in morte*: Pſalm. XII. & Pſalm. XVIII. *Ab occultis meis munda me*.

Ignorantia concomitans comitatur quidem actionem, ſed non eſt eius cauſſa: quia talis actio fieret etiam ſine hac ignorantia. Ut ſi quis quærens occidere ſuum hoſtem, fortuito inter venandum putans occidere feram, ipſum occideret. Hæc ignorantia ex D. Thoma 1. 2. *quæſt.* VI. *art.* 8. non parit nec voluntarium; quia obiectum eſt omnino ignotum, & ſine debito cognoſcendi, alias eſſet conſequens & vincibilis: neque involuntarium; quia actio nec diſplicet, nec repugnat voluntati. Idcirco quæ ſiunt cum tali ignorantia, dicuntur non voluntaria.

Ignorantia antecedens, quæ ſola eſt vere invincibilis, ſive illa ſit iuris etiam naturalis, in hypotheſi quod detur ignorantia iuris naturalis, ſive facti, tollit omnino voluntarium & culpam: quia procedit ſine cognitione earum rerum in quibus actio eſt ſeu conſiſtit, ut neceſſario requiritur ad voluntarium, ſicut alias dictum eſt; & nullum eſt peccatum niſi voluntarium. Calvinus, Zanchius, Ianſenius, aliique ideo negarunt ignorantiam iuris naturalis excuſare a peccato, quia hæc ſit voluntaria in ipſo Adami peccato. Sed hæc ratio nimis probat. Nam ſi ita eſſet; imputandi eſſent in peccatum etiam motus improviſi concupiſcentiæ, utpote qui profluant a voluntario Adæ peccato, & in illo liberi fuere. Confirmatur noſtra ſententia ex ſummis Pontificibus Pio V. Gregorio XIII. Urbano VIII. qui damnarunt ſequentes Baii propoſitiones. 46. *Ad rationem & definitionem peccati non pertinet voluntarium.* 68. *Infidelitas pure negativa in iis quibus Chriſtus non eſt prædicatus, peccatum eſt.*

Dictum fuit *etiam iuris naturalis, poſito quod detur huiuſmodi ignorantia*, de qua vertitur quæſtio inter Theologos, quorum ſententia ut clarius eluceſcat ac percipiatur, notandum videtur, ius naturale tripliciter ſpectari poſſe: ſcilicet in ſuis principiis, quale eſt illud, *Quod tibi non vis, alteri ne feceris*; in concluſionibus quæ ex his principiis deducuntur, ut ſunt præcepta Decalogi, *Non occides*, *Non mœchaberis*; & in concluſionibus remotioribus, cuiuſmodi ſunt uſura, matrimonii indiſſolubilitas &c. Sciendum ulterius prima principia primariasque concluſiones ſpectari poſſe vel ſimpliciter & abſolute, ut Mendacium non dices; vel in quibuſdam circumſtantiis, ut Non mentiaris, etiamſi proximus ab iniuſta morte liberari nequeat. Hiſce prænotatis, conſultius videtur ſuſtinere communior pars Theologorum, non dari ignorantiam invincibilem circa prima principia iuris naturalis, neque circa primarias eius concluſiones. Quia, ut differit D. Thomas, peccatum non ita humanam naturam corrumpit, ut tollatur omne rationis lumen, quo percipere poſſimus prima principia per ſe nota; alias homo non eſſet amplius homo: & qui hæc novit, ex his facile concluſiones elicit, quæ immediate conſequuntur. Sed circa concluſiones remotiores, ut prohibitio plurium uxorum, matrimonii indiſſolubilitas, etiam gravi cauſſa interveniente; cum hæc nonniſi longiore diſcurſu deducantur a primis principiis, præcipue indocti homines & tardioris ingenii, conſuetudine & aliorum exemplo præoccupati, poſſunt illas ignorare. Quinimmo concluſiones ipſas primarias iuris naturalis in quibuſdam circumſtantiis poſſunt aliquando ignorare; v. g. in hypotheſi quod homicidium aut oppreſſio virginis

Non datur ignorantia invincibilis circa prima principia & primarias concluſiones iuris naturalis.

non

non poſſet vitari ſine officioſo mendacio, fieri poteſt ut aliquis ſibi perſuadeat in hoc caſu mendacium nedum eſſe licitum, immo præceptum.

Advertendum tamen, quod difficilius dignoſcitur ignorantiæ invincibilitas in iis quæ ſunt iuris naturalis, quam in iis quæ ſunt iuris poſitivi. Etenim probabilius qui laborat ignorantia iuris naturalis, non adhibuit debitam diligentiam, non oravit, Deum intus monentem audire contempſit, forſitan animum non attendit ad radium licet exiguum rationis, qui ipſius menti identidem affulſit. Quare qui ex tali ignorantia peccant, non ita facile excuſantur; ſicuti ii qui ignorantia facti aut iuris poſitivi laborant, in quibus non requiritur tanta diligentia & attentio, circa ignorantiam iuris poſitivi, ut cenſeatur invincibilis. Communis eſt Theologorum & Canoniſtarum ſententia, ſufficere eam diligentiam quæ moraliter ſit in hominis poteſtate, & quæ communiter eſt in aliis hominibus eiuſdem profeſſionis, ſpectatis circumſtantiis perſonæ & rerum tractandarum: nec requiritur illa maior quæ dari poteſt, & ut quis excellat inter doctiſſimos, ſecluſis contractibus.

Dixi, *ſecluſis contractibus*: quia, ut dicetur ubi de iuſtitia & iure, ſunt quidam contractus, qui requirunt diligentiam ſingularem & peritiam excellentem. Hinc Actuarius, Notarius, Paſtor, Confeſſarius, Advocatus non peccant, nec damna tenentur compenſare, ſi errent per ignorantiam eorum quæ ſciunt peritiſſimi, dummodo ſciant facilia, ſcilicet ea quæ communiter ſciunt hi qui ad munus illud ſunt idonei.

Quoad ignorantiam vero facti, qua afficiuntur quandoque etiam viri perdocti, hæc non videtur vincibilis voluntaria, & culpabilis iis qui ſolliciti ſunt ut fidei mandata obſervent, ab omni peccato quantum eorum patitur fragilitas, ſe abſtinent, orationibus inſiſtunt ut per divinum auxilium pia eorum voluntas adimpleatur.

Quod autem dictum eſt de ignorantia, applicandum ut plurimum eſt ignorantiæ ſeu cohærentius inadvertentiæ, quæ eſt privatio debitæ inſpectionis, ſeu oblivio, quæ eſt privatio debitæ recordationis rei alioquin notæ.

Hæ omnes redduntur culpabiles iuxta gradum debiti & poteſtatis ad eas præcavendas, attentis circumſtantiis ſtatus, officii, materiæ, perſonæ in illis occurrentibus.

Colliges igitur ex his omnibus quæ hactenus diximus, omnes actus humanos, ideſt qui fiunt ab homine humano modo operante, eſſe ſemper voluntarios, niſi homini inferatur vis aut metus gravis incutiatur, aut a gravi motu concupiſcentiæ eius mens fortiter perturbetur, aut ex inſuperabili ignorantia operetur: quia in hiſce caſibus deficit cognitio intellectus, vel propenſio voluntatis; quarum utraque neceſſaria eſt ad actionem ſeu eſſentiam actus humani.

§. XI.

De libero.

Quia actus humani ſunt media quibus homo viator meritum vel demeritum pro ſua ſorte in altera vita, vel felici in cæleſti patria, ſi honeſti ſint ac laudabiles, ac ideo præmio afficiendi, vel miſera in inferorum ſuppliciis, ſi pravi & vituperabiles, ac ideo digni vindicta & punitione: ad hoc non ſufficit, ut ſint tantummodo voluntarii, ſed res exigit ut ſint etiam morales, ideſt regulis morum ſubiecti, ac proinde liberi ſeu procedentes a voluntate libere operante, nempe cum arbitrio, dominio, ac diſpoſitione ſuper eoſdem actus quorum eſt meritum conſtituere. Actio enim quæ nullo modo eſt libera, non procedit ab homine ut agente morali, ac ideo non eſt moralis. Nam homo non conſtituitur in ratione agentis moralis niſi per ſubordinationem ad regulas morum, quibus quoad proprias actiones per arbitrii libertatem ſubordinatur. Quare actiones pure naturales ac neceſſariæ non ſunt aptæ differentiarum particularium, quarum ratione dividitur eſſe morale, nimirum bonitas & malitia moralis, vel proprietatum quæ ad moralem bonitatem vel malitiam humanorum actuum ſubſequuntur, puta meriti vel demeriti imputabilitas ad præmium vel pœnam, ad laudem vel vituperium. Etenim ad hoc ſatis non eſt quod actio ſit voluntaria & ſpontanea, ut patet in amore beatorum, qui licet voluntarius & ſpontaneus, non eſt tamen meritorius: ſed requiritur quod ſit etiam in hominis arbitrio, dominio, & poteſtate; quod habet a ſola libertate, cuius vi ut dominus diſponere poteſt homo de ſuis actibus in bonum & malum, ad laudem & vituperium, ad præmium vel ad pœnam. Unde ex hoc infertur, quod licet omne liberum ſit ſimul voluntarium, non omne tamen voluntarium eſt liberum; ut comprobatur ex eodem amore beatorum, & ex amore beatitudinis in genere; qui licet ſint voluntarii, non tamen ſunt liberi, ſed na-

Homo quomodo conſtituatur in ratione agentis moralis.

Digitized by Google

natura neceſſarii. Iure igitur ac merito inter principia actuum humanorum adſcribitur libertas, tamquam humanæ voluntatis attributum, ipſam in genere moris complens & perficiens. Ideirco tametſi libertas & moralitas non idem importent & ſignificent; nihilominus ob connexionem quam inter ſe habent in actibus humanis, actus humani & liberi etiam morales dicuntur.

Notandum I. duas eſſe voluntarii præcipuas ſpecies. Aliud nempe eſt voluntarium neceſſarium, aliud contingens, ſeu liberum. In actibus enim qui a voluntate cum advertentia rationis procedunt, nonnulli ſunt qui ab ea ita procedunt, ut non poſſint ab ea non procedere, ut amor beatitudinis in genere; alii vero poſſunt non procedere, ut amor viatorum in obiectum in quo beatitudo vel vera vel apparens poſita eſt. Ad prius voluntarii genus reducuntur operationes Dei ad intra, ad poſterius operationes ipſius ad extra.

Nota II. neceſſarium neceſſitate naturali, ideſt quod omne rationis iudicium prævenit (ut ſunt quidam concupiſcentiæ motus ex inclinatione voluntatis per peccatum corruptæ, ſed abſque aliqua rationis advertentia) non eſſe liberum; ſeu huiuſmodi voluntario neceſſario libertatem non convenire. Ita enim docent & S.Thomas *quæſt.* VI. *art.* 9. *de Mal.* & Summi Pontifices Pius V. Gregorius XIII. & Urbanus VIII. qui propoſitiones haſce quas Baio attribuunt, proſcripſere. 39. *Quod voluntarie fit, etiamſi neceſſario fiat, libere tamen fit.* 66. *Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.* 75. *Motus pravi concupiſcentiæ ſunt, pro ſtatu hominis vitiati, prohibiti præcepto*,, Non concupi-,, ſces. "*Unde homo eos ſentiens, & non conſentiens, tranſgreditur præceptum* ,, Non con-,, cupiſces: "*quamvis tranſgreſſio in peccatum non imputetur*.

Nota III. ex conſtitutione Innocentii X. contra quinque Ianſenii propoſitiones inferri, voluntarium neceſſarium, etiam deliberatum, ſuppońens rationis advertentiam, ſatis non eſſe ad meritum & demeritum. Nam ut hæretica damnata fuit hæc propoſitio, quæ habetur in dicta conſtitutione. *Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ, non requiritur in homine libertas a neceſſitate, ſed ſufficit libertas a coactione*.

Nota IV. quod actio humana partim libera, partim neceſſaria eſt: nempe quoad exercitium eſt libera, ſed quoad ſpecificationem neceſſaria; qualis eſt appetitio boni in genere, & repudiatio mali in genere, appetitio item beatitudinis, & fuga miſeriæ communi notione apprehenſæ. Actio vero quæ ſit libera quoad ſpecificationem, & neceſſaria quoad exercitium, nulla dari poteſt: quia ſi potentia ſit libera quoad hoc vel illud agendum, manifeſte ſequitur quod etiam libera ſit ad agendum; cum econtra poſſit eſſe neceſſaria quoad hoc, ideſt quoad ſpecificationem, libera tamen quoad exercitium, ideſt ad exercendum actum circa illud, & ad non exercendum.

Libertas generatim ſpectata eſt *immunitas ab omni ſubiectione & ſervitute*. Unde tot ſunt ſpecies libertatis, quot ſervitutis, a qua quis ſolvi & liberari poteſt. Quare alia eſt libertas a peccato, quæ hominem facit ſanctum; alia a miſeria, quæ beatum; alia æquilibrii, ut vocant Theologi, ſcilicet libertas, qua donati erant in ſtatu innocentiæ, & hac inter bonum & malum erant conſtituti, ut non magis in malum propenderent quam in bonum, ſicuti factum fuit poſt Adæ peccatum, ex quo hominum ſenſus ad malum proni eſſe cœperunt & multum proclives. Immo dici poteſt amiſiſſe etiam libertatem a peccato, a miſeria, & a concupiſcentia: quia cum libertas ſit immunitas aut exemptio ab omni eo quod obeſſe poteſt, recte quis dicitur liber a peccato, cum iuſtus eſt; liber a miſeria, cum eſt beatus; liber a vinculis, cum expeditus; liber a concupiſcentia, cum ab ipſius ſtimulis minime urgetur. Verum cum non ſit noſtrum inſtitutum circa hæc verſari, breviter dicemus de aliis libertatis generibus, quæ etiam poſt Adæ peccatum humano generi remanſerunt, utpote quæ ab hominum mente, ideſt ab anima rationali divelli nequeant, ac in iiſdem vis liberi conſiſtit arbitrii. Libertas definitio.

Libertas igitur alia eſt naturæ, alia arbitrii. Libertas naturæ ea eſt per quam habet quævis res, ut ſine ullo obſtaculo tendat in ſuum finem, ſeu in bonum ſibi conveniens. Sic dicitur aqua libere fluere, quando violenter non retinetur; & beati libere ferri in Deum, quia corpore mortali non prægravantur. Et ex his patet, hanc libertatis ſpeciem non excludere neceſſitatem, ac in hoc ſenſu voluntarium & liberum eſſe aliquando omnino idem. Libertas vero arbitrii eſt potentia quædam activa quæ, poſitis requiſitis omnibus ad agendum, poteſt non agere vel agere; vel agere hoc & eius oppoſitum, ideſt bene vel male. Idcirco actus ille liber dicitur, vel qui nullo cogente fit, vel etiam qui ſic exercetur, ut pro libito omitti poſſit. Ad liberum vero ar- Libertas alia naturæ, alia arbitrii.

Digitized by Google

arbitrium generaliter ſumptum ſufficit libertas contradictionis. Idcirco licet Deus non habeat libertatem contrarietatis ad bonum & ad malum, ſicuti habent homines viatores; habet tamen liberum arbitrium: quia poteſt unum bonum decernere & omittere, vel ex pluribus bonis unum eligere. Hinc quando Sancti Patres explicant liberum arbitrium per potentiam ab bonum & ad malum, loquuntur de libero arbitrio hominis, quatenus per actus tendere poteſt in amorem & odium, ideſt in bonum & malum: & libertas contrarietatis involvit imperfectionem potius quam perfectionem; cum perfectius ſit non poſſe velle malum quam econtra.

Dicitur I. *potentia*: quia libertas arbitrii non eſt actus, dum homo liber manet, tametſi non agat. Neque eſt habitus: quia idem habitus non inclinat ad actus contrarios; puta ad actum temperantiæ & intemperantiæ, ad quorum utrumque ſe habet libertas arbitrii.

Dicitur II. *activa*: ut libertas arbitrii diſtinguatur a potentia paſſiva, quæ eſt indifferentia ad recipiendam hanc vel illam formam, puta albedinem vel nigredinem; & non determinatur a ſe ipſa, ſed ab agente qui eam diſponit. Libertas vero arbitrii eſt potentia indifferens ad agendum vel non agendum, & ſui ipſius determinativa.

Dicitur III. *poſitis requiſitis omnibus ad agendum*: in quo cauſa libera differt a cauſis neceſſariis. Hæ nimirum, quamdiu non ponuntur prærequiſita ad agendum, indeterminatæ ſunt & indifferentes ad hunc vel illum effectum; v. g. ignis ad comburendum lignum, vel ad liquefaciendum metallum: ubi vero ponuntur, neceſſario determinatæ ſunt ab objectis & diſpoſitionibus; ignis v. g. neceſſario comburit lignum præparatum & ſibi applicatum. Cauſa vero libera, poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis poteſt ſuſpendere ſuum actum, & nonniſi a ſe ipſa determinatur.

Ad libertatem autem arbitrii exercendam prærequiritur rationis judicium, quod dicitur imperium: ita tamen ut non neceſſario ab ipſo arbitrium determinetur; ſed ut ipſius libertas in mediorum electione exerceatur. Duplicem libertatem in actibus voluntatis diſtinguere ſolent Theologi: ſcilicet libertatem a neceſſitate intrinſeca ſeu a coactione; & libertatem a neceſſitate intrinſeca ſeu naturali, ut ex D. Thoma *Part. I. quæſt. lxxxii. art. I. ad I.*

Libertas a coactione quid ſit.

Libertas a coactione ſeu ſpontaneitatis ſecundum Theologos eſt immunitas ab omni violentia illata contra voluntatis inclinationem, qua libertate voluntas generatim amat bonum, & malum odit; & liberum a coactione idem eſt omnino ac voluntarium placens, aut ſpontaneum, quod nempe fit a voluntate abſque coactione: idcirco omnis actus voluntarius eſt liber a coactione.

Libertas a neceſſitate quid ſit.

Libertas vero a neceſſitate, ſeu libertas electionis & indifferentiæ, quæ eſt liberum arbitrium & libertas ſimpliciter, dicitur ea *quæ neceſſitatem omnem tam interiorem ſeu naturæ, quam exteriorem ſeu coactionis excludit*: & in hoc ſenſu eſt liber qui poteſt agere & non agere, hoc medium eligere vel non eligere. Sed cum electio unius præ alio multipliciter fieri poſſit, utpote quæ alia ſit ad agendum vel non agendum, alia ad agendum hoc vel ſuum contrarium, hoc vel aliud: hinc libertas a neceſſitate, ſeu electionis & indifferentiæ,

Eius diviſio.

alia eſt contradictionis, ad agendum ſcilicet vel non agendum, nempe ad amandum vel non amandum, cum agere & non agere ſint contradictoria; alia contrarietatis ad agendum hoc vel eius oppoſitum, ideſt ad ambulandum vel ſedendum, quæ duo ſunt inter ſe contraria; alia diverſitatis ſeu diſparitatis, ſcilicet ad agendum hoc vel aliud, non tamen oppoſitum, ut orare vel ſtudere, quia ſicuti amare & odio habere ſunt contraria, ita orare & ſtudere ſunt inter ſe diverſa ſeu diſparata. Item alia eſt libertas quoad exercitium, alia quod ſpecificationem. Libertas quoad exercitium eſt ea qua flectere poſſumus ſeu tendere in utramque partem contradictionis; ita ſcilicet ut poſſimus unam aliquam rem velle & non velle, agere & non agere. Libertas vero ſpecificationis in hoc conſiſtit, quod poſſimus tendere in utramque partem contrarietatis; ita ſcilicet ut poſſimus velle & nolle, poſſimus eligere unum actum & eius contrarium, ideſt poſſimus amplecti & agere bonum & malum. Ex hac diſtinctione libertatis oritur ea diviſio qua dividuntur appetitiones, ut aliæ ſint plane liberæ, aliæ plane neceſſariæ, aliæ partim liberæ, partim neceſſariæ. Plane liberæ illæ ſunt quarum habemus libertatem quoad exercitium, & ſimul quoad ſpecificationem; cuiuſmodi ſunt actus humanæ voluntatis circa bona & mala particularia, circa indifferentiam, & circa media ad finem ordinabilia, veluti ſedere, ſtare, ambulare, loqui: nullum enim iſtorum ita appetimus, quin poſſimus idem non appetere, immo & repudiare, eiuſque oppoſitum eligere & amplecti. Omnino neceſſariæ ſunt illæ appetitiones quæ & quoad exercitium & quoad ſpecificationem ſunt neceſſariæ, neque contradictionis, neque contra-

tra-

Digitized by Google

trarietatis libertatem habentes: huiuſmodi ſunt brutorum appetitiones; & in rationabilibus neceſſarius eſt amor quo beati feruntur in Deum clare viſum.

Variæ ſunt ſpecies neceſſitatis. Libertati cum opponatur neceſſitas; hinc ſicuti libertatis, ita & neceſſitatis variæ ſunt ſpecies. Etenim alia eſt neceſſitas coactionis, quæ eſt vis alicui illata contra eius inclinationem; & hanc pati nequit voluntas, cum illa ſit a principio extrinſeco: alia eſt neceſſitas inclinationis, quæ eſt motiva, ſeu impulſio & motus interior ita determinans voluntatem ad unum, ut voluntas ab eo abſtinere nequeat. Et hæc neceſſitas pariter duplex eſt. Alia dicitur naturalis inclinationis ſeu naturæ, quæ nempe menti congenita eſt, & provenit a principio intrinſeco ad unum naturaliter determinante; talis eſt in Deo ſe amante, & in homine beatitudinem in communi proſequente. Alia inclinationis advenientis, quæ oritur a motu accidentali, quo mens ad aliquid determinatur: ſive immutabiliter, ut contingit in beatis, qui ex Dei viſione ad eius amorem perenniter accenduntur; ſive mutabiliter & tranſitorie, ut contingit in eorum ſententia qui duas admittunt delectationes, terrenam nimirum & cæleſtem, quæ ſucceſſive ſimul & invincibiliter ad bonum & ad malum trahunt. In hoc igitur coactio differt a naturali neceſſitate, ſeu naturali propenſione, quod coactio fiat a principio extrinſeco contra voluntatis inclinationem; & proinde tollit tum liberum, tum voluntarium: neceſſitas vero naturalis inclinationis oritur a voluntate ipſa; nec proinde tollit voluntarium, ſed ſolummodo liberum ſtricte ſumptum, nempe id quod fit ex electione. Alia eſt neceſſitas antecedens & abſoluta, quæ vel rationis & voluntatis uſum antecedit, ut in motibus primo primis, vel conſenſum ita extorquet, ut eum voluntas denegare nequeat; alia neceſſitas conſequens ſeu hypothetica, quæ ſequitur liberum voluntatis conſenſum, electionem, & determinationem. Hæc autem libertatem indifferentiæ & electionis minime lædit. Nam v. g. in hypotheſi quod me determinaverim ad loquendum, vel ad ambulandum, neceſſario ambulo, neceſſario loquor, ex neceſſitate conſequenti, orta ab intrinſeca mei ipſius libera voluntatis electione & determinatione. Unde hæc neceſſitas minime obſtat quominus poſſim loqui, vel a loquendo abſtinere: quare liberum arbitrium in me remanet; cum eligendi poteſtas remaneat, quæ in eo maxime conſiſtit, ut actum exercere poſſim vel omittere.

Neceſſitas alia eſt ſpecificationis, cum voluntas ad unam ſpeciem actus ita determinatur, ut ad actum ſpeciei oppoſitæ ſe determinare nequeat; ſic Chriſtus ad bonum ita erat determinatus, ut in peccatum declinare non poſſet: alia exercitii, cum quis non ſolum ad hanc ſpeciem actus, ſed ad hunc etiam numero actum determinatur, ut non modo non poſſit ad oppoſitum ferri, ſed neque ab iſto poſſit abſtinere; ſic Deus amat ſe ipſum neceſſario. Hæc autem neceſſitas exercitii circa unum non impedit libertatem circa alia eiuſdem generis: ſic Deus amat creaturas.

Alia eſt neceſſitas phyſica, quæ ſimpliciter & abſolute aliter agere non poteſt, ideſt qua voluntas ita fertur in unum, ut aliud hic & nunc agere nequeat; talis eſt neceſſitas qua beati amore feruntur in Deum: alia moralis, cum eadem voluntas ita ad unum trahitur, ut nonniſi cum magna difficultate, quæ tamen actu & de facto vinci poteſt, in aliud ferri valeat. Et hanc neceſſitatem moralem licet ſuperare poſſimus, numquam tamen ſuperabimus; quia totas vires non ſumus adhibituri. Unde, ſtante hac ſola neceſſitate, habemus liberam electionem, & vel laudem meremur, ſi actio noſtra fuerit honeſta, vel vituperium, ſi inhoneſta.

§. XII.

De eſſentia libertatis.

Quamvis omne liberum ſit etiam voluntarium, certiſſimum tamen eſt, eſſentiam libertatis non poſſe conſiſtere in ſolo voluntario, ut iam antea notatum fuit; cum voluntarium, ut magis late patens, ſtare poſſit etiam cum neceſſario, cum quo ſtare nequit liberum: ac proinde hoc dicit & importat aliquid plus quam mere voluntarium, ideſt exemptionem a determinatione, ſaltem quoad exercitium, ſeu ad ponendum actum vel non ponendum. Hinc ratione talis indeterminationis requiritur in libertate aliqua indifferentia, quæ licet non ſit eſſentialis libertati univerſim ſumptæ, quatenus nempe includit tum libertatem ſpontaneitatis, tum libertatem electionis; non poteſt tamen intelligi libertas electionis ſeu arbitrii, citra indifferentiam. Ita D. Thomas *Par. I. quæſt. LXXXIII. art. I.* Liberum enim arbitrium eſt vis electiva mediorum, ſervato, non prætermiſſo ordine finis. Ac ideo dicitur etiam libertas electionis: quæ certe intelligi nequit ſine indifferentia; cum citra talem indiffe- Liberum non poteſt conſiſtere cum ſolo voluntario.

ren-

rentiam intelligi nequeat virtus ſeu facultas electiva. Nam ubi premit neceſſitas, ibi nullus datur locus electioni, quæ verſatur circa ea ſolummodo quæ aſſumi poſſunt & omitti: & (ut ait D. Thomas 1. 2. *quæſt.* XIII. *art.* 2.) in his quæ ſunt determinata ad unum, electio locum non habet. Idcirco libenter quidem & voluntarie, ſed non libere, hoc eſt ex electione ſeu ex libertate electionis, beati Deum amant in patria, bonum in hac vita generatim proſequimur &c.

Inſuper ad libertatis naturam id requiritur, ratione cuius voluntas habet dominium in ſuos actus, ut *Gen. cap.* IV. ubi tradens Scriptura ideam libertatis, ita exprimit eiuſmodi dominium: *Subter te erit appetitus tuus; & tu dominaberis illius.* Hoc vero dominium in ſuos actus non habet voluntas niſi ratione poteſtatis agendi & non agendi, ideſt ratione indifferentiæ, quæ eſt prima ſpecies moralitatis, ut ſentit D. Thomas *Lib. I. cont. Gent. cap.* LXVIII.

Indifferentia alia eſt ad agendum, alia ad patiendum. Indifferentia vero duplex eſt. Altera ad patiendum; ut cera eſt indifferens ad multas formas ſuſcipiendas: altera ad agendum, qua aliquod agens eſt indifferens vel ad actum, vel ad ſpeciem actus. Hæc porro indifferentia activa rurſus diſtinguitur in indifferentiam contradictionis, ſcilicet ad agendum vel non agendum (nam agere & non agere ſunt contradictoria) & in indifferentiam contrarietatis & diverſitatis, ſcilicet ad agendum hoc vel oppoſitum, hoc vel illud, hoc vel illo modo: puta ad ſumendum cibum frigidum vel calidum, & hæc eſt indifferentia contrarietatis; vel ad venandum, v. g. aut piſcandum, & hæc eſt indifferentia diverſitatis ſeu diſparitatis.

Indifferentia vero quæ verſatur circa actus ſpecie diverſos, alia eſt ſervato, & non prætermiſſo ordine finis; alia non ſervato ordine finis. Sic homo qui in ordine ad debitum ultimum finem poteſt eligere actus ſpecie diverſos, ieiunium v. g. aut eleemoſynam, dicitur indifferens indifferentia contrarietatis, & non prætermiſſo ordine finis: econtra homo qui volens occidere alium hominem, poteſt ad hoc eligere venenum aut gladium, dicitur indifferens indifferentia contrarietatis, non ſervato ordine finis; nam hic malum finem, ideſt hominis occiſionem, ſibi proponit.

Indifferentia contradictionis duplex. Indifferentia contradictionis dividitur in ſuſpenſivam, & activam. Prior eſt inactio quædam ſine ulla determinatione ad unum potius quam ad aliud: poſterior econtra eſt poſitio actus cum potentia ad actum illum non ponendum.

Circa libertatem convenientem actibus voluntariis hominis ad merendum vel demerendum in hac vita, quæ ſecundum Catholicam doctrinam ſtatuitur communiter a Theologis contradictionis, indifferentiæ, ac electionis arbitrii; errarunt Stoici, Aſtrologi, Manichæi, Wicleſiſtæ, Calviniani, Lutherani, & Ianſeniſtæ. Nam Stoici ex facto, Aſtrologi ex ſiderum influxu, Manichæi ex duplici anima quam in ſingulis hominibus admittebant, quarum una ut bona ad bonum, altera ut mala ad malum neceſſario traheret ſtatim ac alterutra prævaleret; alii vero ex efficacia tum gratiæ, tum concupiſcentiæ cui dicunt reſiſti non poſſe, exitium liberi hominis arbitrii moliti ſunt. Contra quos ſit

§. XIII.

De indifferentia contradictionis.

Ad moralitatem actuum humanorum requiritur libertas etiam a neceſſitate. Ad moralitatem actuum humanorum, quibus homo meretur & demeretur, ſatis non eſt libertas a coactione, ſed requiritur libertas a neceſſitate & electionis, quæ eſſentialiter conſiſtit in indifferentia contradictionis, nempe in expedita virtute & facultate ad operandum & non operandum. Etenim ad hoc ut actio humana mereatur laudem vel vituperium, nempe ut bona vel mala ſit moraliter, debet procedere ab homine cum dominio, electione, & deliberatione ſaltem virtuali iudicii, ac proinde libere & cum indifferentia. Quando enim homo neceſſario agit, non eſt dominus ſuæ actionis; cum in tali caſu illam non habeat in ſua poteſtate & arbitrio, & ideo eligere nequit ac deliberare, ſi facienda ſit vel non: quia tunc ita operatur, ut non poſſit ſe abſtinere ab actione. Unde Scriptura ait Eccli. XXXI. *Qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus; facere mala, & non fecit:* & D. Thomas 1. 2. *quæſt.* LXXV. *art.* 2. docet ad humanum actum duo requiri; rationem advertentem, & voluntatem libere operantem. Quare ſummi Pontifices Pius V. Gregorius XIII. & Urbanus VIII. damnarunt hanc Baii propoſitionem: *Quod voluntarie fit, etiamſi neceſſario fiat, libere tamen fit:* & Innocentius X. hanc proſcripſit propoſitionem Ianſenii: *Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ, non requiritur in homine libertas a neceſſitate, ſed ſufficit libertas a coactione.* Et hanc doctrinam ratio quoque clare comprobat. Etenim actus humani ideo morales dicun-

Digitized by Google

cuntur, quia ſubiacent regulis morum, & ab iis regulari poſſunt & dirigi: quod fieri non poſſet, ſi eſſent tantum voluntarii, ſpontanei, non liberi; ſcilicet non eſſent in hominis arbitrio & poteſtate, utpote qui tunc eſſent ſecundum ſe invariabiles, nempe ad unum neceſſario determinati, ut patet in amore beatorum & beatitudinis in genere.

Obiici hic poteſt cum Ianſenio. Actus qui eſt in noſtra poteſtate, vere liber eſt. Quilibet vero actus, eo ipſo quo voluntarius, eſt in poteſtate noſtra; ut ex S. Auguſtino *lib. III. de lib. arbitr. cap.* III. colligitur. *Hoc eſt*, inquit, *in poteſtate noſtra, quod cum volumus, facimus*. Igitur ex S. Auguſtino actus, eo ipſo quo eſt a voluntate noſtra, eſt etiam a poteſtate noſtra. Reſp. eſſe in poteſtate noſtra quod eſt in voluntate, ſeu a voluntate noſtra, quod cum volumus, facimus, quando illud facere poſſumus vel non facere, quodque cadit ſub electione & determinatione voluntatis; non vero quando facimus tantum ſponte, licet neceſſario. Quare S. Auguſtinus locutus eſt iuxta communem morem cogitandi & loquendi. Communis enim ſenſus eſt, nos facere aliquid, cum volumus, aut ſi volumus; & nos etiam illud non facere, cum nolumus, aut ſi nolumus, illud non facere: ita ut penes nos ſit velle aut nolle facere, prout libet, ut alibi docet S. Auguſtinus. Notat enim S. Thomas, quod actus naturales non ſunt, nec dicuntur in poteſtate naturalis agentis, cum natura ſit determinata ad unum.

Sed dices contra allatam ſolutionem, docere SS. Auguſtinum & Thomam, libertatem remanere cum neceſſitate qua diligitur beatitudo, quæ neceſſitas diligendi beatitudinem excludit indifferentiam etiam contradictionis. Igitur ad libertatem actuum humanorum, quibus mereri vel demereri debent homines, non requiritur indifferentia contradictionis. Reſp. falſum eſſe, iuxta D. Thomam, voluntatem liberam non eſſe circa beatitudinem libertate contradictionis, ut habet ſanctus Doctor *quæſt.* VI. *de Mal. art. unic.* Ita enim ibi ait: *Bonum perfectum, quod eſt beatitudo, voluntas non poteſt non velle, ita ſcilicet quod velit eius oppoſitum. Poteſt tamen non velle actus: quia poteſt avertere cogitationem beatitudinis, inquantum movet intellectum ad ſuum actum. Et quantum ad hoc nec ipſam beatitudinem ex neceſſitate vult.*

Collige I. liberum hominis arbitrium, ſeu libertatem electionis, quæ nobis opus eſt ad merendum, eſſe facultatem activam & indifferentem. Activam profecto; quia per eam, poſitis omnibus prærequiſitis ad agendum, agere vel non agere valemus: indifferentem; quia ita nos reddit dominos noſtrorum actuum, ut pro libito noſtro eos ponere vel ſuſpendere poſſimus, immo aliquando oppoſitas elicere operationum ſpecies, bonum ſcilicet & malum. Unde ex hoc inferre licet, hanc arbitrii libertatem non verſari circa ultimum finem ſeu felicitatem noſtram generatim ſumptam; cum non valeamus non expetere noſtram felicitatem. Immo non verſatur nec circa ea quæ neceſſario coniuncta ſunt cum ſummo noſtro bono, & ſine quibus hoc ſummum noſtrum bonum obtineri nequit; cuiuſmodi ſunt eſſe & vivere ſaltem ipſius animi: quia hæc quoque non minus ac noſtram beatitudinem neceſſario amamus.

Collige II. indifferentiam contradictionis ſuſpenſivam nec eſſe eſſentialem libertati, nec illius perfectionem aut conditionem; cum hæc ſit privatio cuiuslibet actus: nam ideo aliquis dicitur in ſuſpenſo eſſe, ex eo quod ſit ſine ullo actu, ac ſine ulla determinatione ad unum potius quam ad aliud. Unde patet ad evidentiam, huiuſcemodi privationem cuiuslibet actus eſſe non poſſe eſſentiam, perfectionem, nec conditionem libertatis. Quævis enim potentia & virtus a propriis actibus ſuam perfectionem acquirit ac conſequitur; ac ideo eo perfectior eſt potentia & virtus, quo proprior eſt actui. Hinc Deus dicitur perfectiſſimus: quia eſt actus puriſſimus, expers cuiuſcumque potentialitatis; ita ut incapax ſit ut aliquid de novo agat, vel perfectio aliqua ei adiiciatur. Etenim in ſuis operationibus ab extra tota mutatio ſit in obiecto circa quod agit, non in ipſo, quaſi in novum exeat actum ad quem eſſet antea in potentia.

Nota, dari quidem aliquam omiſſionem liberam, ſeu peccatum omiſſionis, quod in ſe nullum actum includit: quia omiſſio actus non eſt actus; ut omiſſio ſanctificationis ſabbati eſt ſabbati non ſanctificatio. Sed tamen omiſſio omnis, modo libera ſit, ſemper ex aliquo voluntatis actu ſaltem interiore proficiſcitur, quo voluntas ſe ad hanc omiſſionem determinavit: quia facultas activa & indifferens aliquo actu ſe determinat ad agendum vel non agendum. Unde cum liberum arbitrium ſit facultas activa & indifferens, aliquo actu ad agendum vel non agendum ſe determinat. Ita S. Thomas 1. 2. *quæſt.* LXXI. *art.* 5.

§. XIV.

§. XIV.

De indifferentia contrarietatis.

Indifferentia contrarietatis non pertinet ad eſſentiam libertatis.

Indifferentia contrarietatis, ideſt indifferentia ad agendum hoc vel illud hoc modo vel illo, non ſervato, ſed prætermiſſo ordine finis, ſeu indifferentia ad bonum vel ad malum, ideſt ad peccandum vel non peccandum, non pertinet ad eſſentiam libertatis ſeu liberi arbitrii; pertinet tamen ad ſtatum puri hominis viatoris. Et quoad primam partem eſt ſententia D. Thomæ, qui in *II. Diſt.* xxv. *quæſt.* I. *art.* I. *ad* 2. ſic habet. *Ad perfectionem liberi arbitrii non pertinet ut indeterminate ſe habeat ad bonum vel ad malum.... Et ideo ubi perfectiſſimum eſt liberum arbitrium, ibi in malum tendere non poteſt. Sed hoc ad libertatem arbitrii pertinet, ut actionem aliquam facere vel non facere poſſit. Et hoc de eo convenit: bona enim quæ facit, poteſt non facere; nec tamen malum facere poteſt.* Et revera ad hoc ut habeatur electio, in qua natura ſeu ratio perfectæ libertatis conſiſtit, ſufficit poteſtas agendi vel non agendi, ſeu indifferentia contradictionis. Æque enim libertate electionis liber eſt qui ex pluribus ſibi oblatis unum vel aliud eligit, quam ille cui cum una res tantum offeratur, licet non poſſit in tali oblatione hanc præ aliam eligere, poteſt tamen hanc accipere & non accipere. Igitur ad rationem liberi arbitrii non eſt neceſſaria indifferentia contrarietatis. Confirmat ſententiam hanc S. Auguſtinus, qui expreſſe contra Pelagianos probavit potentiam ad malum, ſcilicet ad peccatum, non eſſe de eſſentia libertatis, immo eſſe maximam libertatis imperfectionem. *Si liberum non eſt* (ait ſanctus Doctor lib. I. operis imperfecti contra Iulianum num. 99.) *niſi quod duo poteſt velle, ideſt bonum & malum; liber Deus non eſt, qui malum non poteſt velle, de quo etiam ipſe dixiſti, verumque dixiſti:* „ Deus eſſe niſi iuſtus non poteſt." *Sic ſine Deum laudas, ut ei auferas libertatem?*

Quoad ſecundam vero partem, nempe indifferentiam contrarietatis pertinere ad ſtatum puri hominis viatoris, hoc patet ex teſtimoniis Scripturæ, Conciliorum, Sanctorumque Patrum: ubi in tali ſenſu explicatur libertas pertinens ad ſtatum puri hominis viatori, dum eam (explicant tamquam poteſtatem extendendi manum ad bonum & ad malum. Hinc S. Hieronymus *Epiſt.* cxlvi. inquit *Solus Deus eſt in quem peccatum non cadit: cetera, cum ſint liberi arbitrii, in utramque partem poſſunt ſuam flectere voluntatem.* Si potentia peccandi non eſt pars noſtræ libertatis; neque potentia non peccandi ſeu abſtinendi a peccato erit pars eiuſdem libertatis. Unde cum hæc, ſcilicet potentia abſtinendi a peccato, ſit pars noſtræ libertatis; niſi conſtituere vellmus libertatem quæ careat potentia tum peccandi, tum abſtinendi a peccato, ſequitur quod etiam potentia ad peccandum ſit pars noſtræ libertatis: quia libertas circa unum ex contradictoriis involvit libertatem circa aliud, ut breviter docet S. Thomas his verbis: *Si operari eſt in poteſtate noſtra; oportet etiam quod non operari ſit in poteſtate noſtra, & e converſo.*

Contra tamen dices. Voluntas noſtra, in qua reſidet libertas, non habet pro obiecto niſi bonum. Ergo circa peccatum verſari nequit: ac ideo potentia peccandi non eſt pars noſtræ libertatis. Reſp. voluntatem habere pro obiecto bonum ut abſtrahens ab honeſto, utili, & iucundo; non bonum quod neceſſario ſit honeſtum: ut nimis infeliciter experientia comprobatur.

COROLLARIUM I.

Origo liberi arbitrii ab animæ rationalis amplitudine eſt repetenda. Nam cum ipſa ſit bonis omnibus creatis maior; a nullo minime completur, ſed ſingula ſic perluſtrare poteſt ut, quolibet neglecto, ad aliud ſe convertere queat: in quo vis conſiſtit liberi arbitrii.

COROLLARIUM II.

Subiectum liberi arbitrii proprie eſt mens ipſa, quæ quatenus intelligit, *intellectus*, quatenus vult, *voluntas*, ac demum quatenus eligit, *liberum arbitrium* dicitur. Liberum autem arbitrium ſtatuunt Scholæ eſſe radicaliter in intellectu, & formaliter in voluntate: ſeu radicem & initium liberi arbitrii eſſe in intellectu, complementum vero & formam in voluntate, prout voluntas ex multis rebus ab intellectu propoſitis poteſtatem habet eligendi unam præ alia.

§. XV.

De radice libertatis.

Radix libertatis eſt indifferentia iudicii circa aliquod obiectum, aut circa aliquem actum. Libertatis vis in illo radicatur, ſeu illud radix eſt ex quo exſurgit ac oritur libertas, ratione cuius voluntas indifferens

eſt

eſt circa aliquod obiectum, aut circa aliquem actum: indifferentia enim, ut iam ſtatutum eſt, conſiſtit in ipſamet liberi arbitrii natura ſeu eſſentia. Unde cum voluntas indifferens ſit circa obiectum vel actum; ratione indifferentiæ iudicii circa aliquod obiectum, aut circa aliquem actum, vera libertatis radix cenſenda eſt indifferentia iudicii. Nam tunc voluntas eſt indifferens circa aliquod obiectum, vel actum aliquem; cum habet motivum propter quod obiectum illud aut actum talem amet vel non amet. Ex ratione vero indifferentiæ iudicii voluntas habet motivum propter quod amet tale obiectum aut talem actum: videlicet in eo poſita eſt iudicii indifferentia, quod intellectus in objecto aut in actu apprehendat ſpeciem boni vel mali. Quotieſcumque autem intellectus apprehendit in eodem obiecto aut actu ſpeciem boni vel mali, voluntas habet motivum propter quod obiectum illud aut actum talem amet vel non amet, eligat vel non eligat. Igitur ratione eiuſdem indifferentiæ iudicii voluntas eſt indifferens erga aliquod obiectum, vel erga aliquem actum.

Quocirca patet, non eſſe in beatis libertatem arbitrii ad amandum Deum: quia cum intellectus beatorum iudicet de rebus ut ſunt, non apprehendit in Deo ſpeciem aliquam mali, cuius ratione eorum voluntas poſſit non amare Deum. Ex oppoſito vero reperitur in viatoribus libertas arbitrii circa Dei amorem: quia horum intellectus in illo amore apprehendit ſpeciem mali, inquantum amor ille impedit ne homo viator ſuis obtemperet paſſionibus, & ne in id rapiatur in quod corrupta ſua natura ille fertur.

Colligitur ex dictis, quod ſi voluntas, iuxta iudicium quod ſit ab intellectu ex apprehenſione boni vel mali in obiecto, & actu, motivum habet propter quod obiectum illud aut actum talem amet vel non amet; voluntas ſemper ſequitur ultimum iudicium practice practicum, & illud amplectitur quod tali iudicio melius iudicat. Nam ſemper ſequitur voluntas eam determinationem per quam ad agendum vel ab actu abſtinendum ſe determinat: alias hoc iudicium non eſſet ultimum; cum ideo illud ultimum dicatur, quia nullum aliud iudicium ipſum ſubſequitur, per quod voluntas ad agendum vel ab actu abſtinendum ſeſe determinet. Et ſemper amplectitur quod tali iudicio practice practico melius iudicat: etenim ſi non amplecteretur quod melius iudicat in hoc ultimo practico iudicio, non ſequeretur ultimum iudicium practicum, quo obiectum vel actus licet malus ſub ratione boni apprehenditur ob intellectu, & ut quoddam bonum ipſi voluntati proponitur; ac proinde malum, quatenus malum eſt, appeteret. Nam minus bonum cum maiore comparatus habet rationem mali.

COROLLARIUM.

Actus omnes humani, qui a voluntate procedunt cum cognitione *obiecti, finis, circumſtantiarum*, ſunt voluntarii & liberi a coactione; quia ſunt immunes ab omni externa vi cogente. Verum a neceſſitate naturalis inclinationis iis ſolummodo liberi ſunt qui taliter fiunt, ut ſuſpendi ſeu non fieri poſſint. Hinc igitur concludendum, quod ſoli actus qui fiunt cum cognitione & libertate, ſunt obiectum moralis chriſtianæ, ſeu capaces ſunt bonitatis, & malitiæ moralis, meriti & demeriti.

§. XVI.

De moralitate actuum humanorum.

Cum proprium ſit voluntatis agere propter bonum regulis rationis conveniens, quod idem eſt ac morale, quod ratio proponit, lex regulat, conſcientia dictat, voluntas divina iubet: hinc poſt conſideratam naturalem humanorum actuum conſtitutionem, eorumdemque voluntarietatem ac libertatem, cum per hanc ad eſſe morale traducantur; operæ pretium exigit ut de ipſorum moralitate pertractetur, ideſt prout regulis morum ſubduntur, vel ab eis deficiunt. Soli enim actus voluntarii & liberi apti ſunt ſubiectionis ad normam vitæ moralis: quia in illis ſolis tenetur homo rectæ rationi ſe conformare, dum in illis ſolummodo operatur cum advertentia rationis apprehendentis bonum & malum, ſeu cum indifferentia iudicii. Et ſane ubi non adeſt lex, nec habetur prævaricatio. Lex vero non decernit pœnas & præmia actibus neceſſariis, ſed liberis, qui ſoli regulari poſſunt per prudentiam, & ordinari per leges, non ſecus ac res externæ factibiles menſurabiles ſunt per artem.

Nota I. dupliciter actuum humanorum naturam conſiderari poſſe. Et ſecundum eſſe quod habent phyſicum & naturale; & eſt ipſa actio naturalis nude & ſimpliciter ſpectata, quatenus eſt & eſſe poteſt extra nihil, & in hoc conſiſtit eorum bonitas phyſica ac abſoluta; & ſecundum eorum eſſe mo- Humanorum actuum natura dupliciter poteſt conſiderari.

Digitized by Google

morale, ideſt ſecundum eorum moralitatem quam habere poſſunt. Morale autem ſignificat id quod ad mores pertinet. Mos generatim ſumptus eſt frequens ſeu aſſuetus operandi modus: qui communis eſt vel generi, v. g. omnibus animantibus; vel ſpeciei, puta homini. Mos vero oritur vel ex naturali inſtinctu & inclinatione naturæ: & hoc conſtituit mores, ſeu uſus animalium & inſenſatorum hominum; ideſt ſolitum quemdam modum quem hi tenent in agendo. Vel oritur ex electione voluntatis, ſeu liberæ determinationis ex rationis iudicio: & hoc parit mores hominum qui prout tales non agunt niſi ex deliberata voluntate; nempe cum conſilio & iudicio rationis, ac libera deliberatione. Nam ad eſſe morale humanarum actionum neceſſe eſt quod hæ procedant a voluntate hominis libere operante. Quia actio quæ nullo modo eſt libera, non procedit ab homine ut agente morali; cum in tali ratione non conſtituatur homo, niſi per ſubordinationem ad regulas morum, quibus non ſubordinatur in actionibus quas ſine ulla libertate peragit: ut ſunt actiones pure naturales & neceſſariæ, quæ non ſunt capaces vel differentiarum particularium ſecundum quas dividitur eſſe morale, nimirum bonitatis vel malitiæ moralis; vel proprietatum quæ conſequuntur ad bonitatem vel malitiam moralem humanorum actuum, ſcilicet meriti vel demeriti, imputabilitatis ad præmium & ad pœnam, ad laudem vel vituperium. Tales enim actiones non ſunt in poteſtate & ſub dominio hominis; ut requiritur ad hoc ut actio bona ſit vel mala, imputabilis ad præmium vel ad pœnam. Hinc actiones puerorum ante uſum rationis & amentium non ſunt bonæ moraliter vel malæ.

Unde morale multipliciter ſumitur. Primo, prout provenit a more, quod idem eſt ac conſuetudo; ſecundo, pro morali inclinatione ad aliquid agendum; tertio, pro imputabilitate actus ad laudem vel vituperium, ad præmium vel ad pœnam. Et in hoc tertio ſenſu actus humani dicuntur morales, ideſt non a more & conſuetudine qua homines communiter agunt, nec ab inclinatione ad agendum; ſed a more ſeu conſuetudine, ex qua habent homines ut ſecundum prudentum æſtimationem digni ſint laude vel vituperio, præmio vel pœna. Recte autem talem appellationem ſortita eſt actio humana, eo quod ei proprium ſit dependere ex conſuetudine, & conſuetudinis facilitate: & omnes tales actus ſunt liberi; id quod actibus naturalibus non convenit. Si quis enim centies & etiam millies lapidem ſurſum proiiciat, numquam lapis aſſueſcet aſcendere: quia motus eius ſurſum vel deorſum non eſt liber, ſed unus violentus, alter naturalis.

Nota II. quod morale libertati humanorum actuum adiicit ordinem, ac relationem ad naturam rationalem; & eſt illud per quod homo ſit honeſtus vel inhoneſtus, bonus vel malus ſecundum prudentum æſtimationem. Liberum quippe dupliciter ſpectari poteſt. Vel præciſe, prout deliberate elicitur a voluntate; vel prout elicitur conſentanee vel diſſentanee ad rectam rationem: & ſub hoc reſpectu actus humanus imbibit moralitatem, ſeu bonitatem vel malitiam; ex quo ſit laude dignus vel vituperio. Omne igitur liberum eſt morale; & e converſo omne morale eſt liberum: quia omnis actus liber vel eſt conſentaneus naturæ rationali, & ſecundum rectum rationis iudicium; vel rationali naturæ ſeu rectæ rationi diſſentaneus. Quare dicendum, moralitatem actus humani non conſiſtere in ſolo libero: quia cum hoc pertineat ad rationem phyſicam actus, prius actus concipitur liber quam moralis; & liber concipitur, quia deliberate procedit a voluntate, moralis vero prout proficiſcitur conſentanee vel diſſentanee ad regulas morum. Ac proinde moralitas ſuperaddit libero ſubiectionem regulis morum. *Liberum dupliciter ſpectari poteſt.*

Moralitas igitur, ſeu eſſe morale in actibus humanis, eſt ordo quem facit ratio in actibus liberis, eos diſponendo conformiter vel difformiter ad regulas morum: ſeu conſiſtit moralitas in reſpectu tranſcendentali, quem actus voluntatis dicit ad ſuum obiectum, non præciſe ſumptum, ſed ut regulis morum ſubiectum. Uno verbo: moralitas nihil aliud eſt *niſi quædam convenientia quam actus humani habere debeat cum morum regulis:* ac proinde actiones humanæ morales vocantur, quando referuntur ad morum regulas, quibus ſi conveniant, ſunt moraliter bonæ ac virtuoſæ, ſi vero iiſdem diſconveniant, ſunt malæ moraliter & vitioſæ. Regulæ autem morum ſecundum D. Thomam 1. 2. *quæſt.* lxxi. *art.* 6. duæ ſunt: una proxima & homogenea, ideſt humana ratio; altera remota, quæ eſt lex æterna, quæ in Deo reſplendet, & qua omnia recte diſponuntur. Ita enim æterna lex explicatur a D. Auguſtino lib. I. de lib. arbitr. cap. VI. *Ea eſt*, inquit, *quo iuſtum eſt ut omnia ſint* *Moralitas actionis quid ſit.*

ordinatiſſima. Sed de his infra ſuo loco agemus.

Moralitas actionis duplex. Moralitas actionis duplex eſt. Una obiectiva, altera formalis. Moralitas obiectiva ſe tenet mere ex parte actus ſecundum ſe conſiderati; & petitur a ſolo obiecto actus ſecundum ſe conſiderati, ſine ullo ordine aut reſpectu ad operantem. Huiuſcemodi moralitas repetitur in actibus non liberis; ut ſunt motus concupiſcentiæ indeliberati, qui tametſi defectu libertatis ad peccatum imputari nequeant, ſecundum ſe tamen moraliter pravi ſunt, moralitate nempe obiectiva: quia ex obiecto difformes ſunt rectæ rationi. Moralitas autem formalis ſeu exercitii ea eſt quæ dicit ordinem, ſeu refertur ad operantem; & conſiſtit in habitudine agentis ad rectam rationem, prout conſentanee aut diſſentanee ad illam operatur. Idcirco exigit libertatem in operante. Habitudo vero qua actus humanus conſtituitur in eſſe morale, nihil aliud eſt iuxta veriorem Philoſophiam, quam actio ipſa, quatenus ſubſtat regulis rectæ rationis; ac ideo non eſt entitas aliqua actui humano ſuperaddita.

Expendimus haſtenus quæ humanorum actuum eſſentiam reſpiciunt, ſcilicet eorum voluntarietatem, libertatem, & moralitatem; nunc autem occurrit ut agamus de eorum bonitate & malitia quæ ſunt eorumdem proprietates.

CAPUT III.

De proprietatibus actuum humanorum.

§. UNICUS.

De eorumdem bonitate & malitia.

SI, iuxta Dialecticorum documenta, proprium alicuius rei illud cenſetur quod ab eiuſdem profluit eſſentia, ac unice, ipſique, ac ſemper convenit; profecto propriæ ſunt actibus humanis, qui iam ſemper ut tales ſimul morales ſunt, bonitas & malitia, utpote quæ ſequantur ex ipſorum convenientia vel diſconvenientia cum rationali natura ſeu recta ratione, in qua, ut vidimus, formalis eorum moralitas conſiſtit. Nam & bonitas actionis humanæ promanat tamquam ex ſuo fonte, ex conformitate & convenientia cum rationali natura; & malitia ex diſformitate & repugnantia cum eadem rationali natura oritur: ac utraque in hoc conſiſtit, nempe bonitas in convenientia, malitia in diſconvenientia cum eadem rationali natura; adeo ut ſi cum iſta actiones conveniant, bonæ ſint & honeſtæ, ſi diſconveniant, malæ ſint & inhoneſtæ. Recte enim & ex virtute vivere, idem eſt homini ac rationabiliter vivere: quia cum res quæcumque tunc bona ſit, quando ea operatur ad quæ natus eſt homo, qui natura rationalis eſt; certe homo non poteſt eſſe bonus, nec bene agere, niſi rationabiliter & ex recto rationis iudicio operando. Hæc autem doctrina comprehendit etiam actiones ſupernaturales: nam licet ſint ſupra naturam, ipſi tamen maxime conveniunt, cum ex S. Auguſtino, poſſe habere fidem, naturæ ſit humanæ, non pecoreæ. Actio igitur humana moraliter bona definiri poteſt, *actio humana libera naturæ rationali ſeu rectæ rationi conſentanea, quatenus illius regulis ſubſtat*: & econtra mala. Definitio actionis humanæ bonæ moraliter. Nemo igitur non videt quam longe a veritate errarint Lutherus, Calvinus, aliique, dum volebant omnes humanas actiones etiam iuſtorum hominum malas eſſe & peccata, tametſi ſecundum Dei miſericordiam non imputentur humanæ fragilitati; cum, ut revera docet fides, neque omnia iuſtorum opera mala ſint, nec omnes actiones humanæ ſint malæ, ſed quandoque bonæ, quandoque malæ, prout conveniunt vel diſconveniunt cum natura rationali, ſeu cum recta ratione. Actio humana ex ſe habet quod ſit conſentanea naturæ rationali, quod illam perficiat. In eo quippe ſita eſt eſſentia boni relativi, de quo hic agitur: hic enim agitur de bono relative ab hominem, non ad pecora. Bonum quippe duplex eſt: abſolutum, & relativum. Bonum abſolutum eſt integritas & perfectio rei ſecundum ſe ſpectatæ, quam integritatem laudavit Deus in ſuis creaturis, quando Mundum condidit, ut Gen. cap. 1. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona*: quia ſcilicet ſingulæ erant perfectiſſimæ in ſua ſpecie. Bonum relativum eſt virtus perficiendi aliud, ſeu perfectivitas; ita ut bonum idem ſit ac alterius perfectivum. Obſervandum tamen, non omne bonum abſolutum eſſe ſimul relativum; quia calor qui eſt bonus igni, eſt nocivus aquæ; venenum quod perficit ſerpentem, corrumpit hominem. Denique ait S. Auguſtinus, quod pecoris eſt natura, vitium eſt hominis, ſeu quod eſt conſentaneum naturæ pecoreæ eſt vitium in homine.

Proprietates autem boni relativi ſunt convenientia & appetibilitas: hoc enim ipſo quod res eſt alterius perfectiva, eſt quoque ei conveniens; ac conſequenter ab ea appetibilis. Igitur nihil eſt conveniens aut appetibile niſi bonum; nullum autem bonum niſi

niſi perfectivum: ac proinde ſola actio humana cenſenda eſt bona, utpote quæ ſola ſit hominis perfectiva. Hinc divitiæ, gloria, voluptas, fama, honores non ſunt verum hominis bonum: quia hæc illum non perficiunt, nec meliorem reddunt; immo ſi nimis iis adhæreat, eum deprimunt deterioremque reddunt.

Regula commenſurandi moralitatem actuum humanorum. Regula vero ſaltem primaria, qua expendi debet & commenſurari moralitas, ſeu bonitas vel malitia humanarum actionum, eſt recta ratio, ut docent communiter Theologi. Porro recta ratio alia eſt increata, quæ in Dei mente ſubſiſtit, & dici ſolet lex æterna; altera creata, quæ eſt lumen a Deo naturæ rationali impreſſum, ſeu ipſa legis æternæ opinio, iudicans quid faciendum ſit vel fugiendum, aut quid ſimpliciter bonum ſit vel malum. Et de his fuſius dicemus iam ſuo loco. Cum his autem duabus regulis conferendus eſt actus humanus, tum ratione obiecti, tum ratione finis, tum ratione circumſtantiarum. Nam obiecto, fine, & circumſtantiis quilibet actus continetur: & hæc tria dicuntur moralitatis principia; cum ab his pendeat quod actio humana ſuis regulis conformetur, vel ab illis diſſentiat, ac proinde bona ſit vel mala.

CAPUT IV.

De principiis extrinſecis actuum humanorum.

NOmine principiorum moralitatis intelliguntur ea omnia per quæ actus humanus fit moraliter bonus, vel malus, vel indifferens; & hæc ſunt tria tantum: nempe obiectum, finis, & circumſtantiæ, unde multiplex in actum humanum derivatur honeſtas. Omnis enim actus humanus verſatur circa aliquid; & hoc eſt obiectum illius: fit propter aliquid; & hoc eſt eius finis: necnon certis quibuſdam accidentalibus eidem adiunctis qualificatur; & hæc ſunt illius circumſtantiæ. Ita ut ex ordine quem actus humani habent ad obiectum, finem, & circumſtantias, fiunt boni, vel mali, vel indifferentes. Ad hoc igitur ut actus humanus ſit bonus moraliter, neceſſe eſt ut conveniat cum lege ſeu regulis morum, ratione obiecti, finis, & etiam circumſtantiarum; ut autem ſit malus, ſatis eſt quod repugnet regulis morum, ratione tantum vel obiecti, vel finis, vel circumſtantiarum, non vero ratione omnium, iuxta illud effatum: *Bonum ex integra cauſſa, malum ex quocumque defectu*. Et hoc comprobatur a divina Scriptura, præcipue *Matth. cap.* XVII. loquendo de hypocritis, & ex D. Thoma 1. 2. *quæſt.* XVII. *art.* 9. *in corp.* Etenim natura boni eſt ut non conſiſtat ſine concurſu omnium perfectionum ſibi debitarum, ita ut ſi in una tantum deficiat, in malum degeneret. Sic in Phyſica corpus humanum vitioſum dicitur, ſi careat etiam uno membro ſibi debito, puta oculo, pede &c. Igitur in moralibus bonitas ſtare nequit ſine concurſu omnium perfectionum ſibi debitarum, ita ut quæcumque deſit, declinet in malitiam. Unde invaluit illud celebre D. Dionyſii de divin. nominib. cap. IV. *Bonum ex integra cauſſa, malum autem ex ſingularibus defectibus.*

Ad dignoſcendum igitur, quando actiones noſtræ bonæ ſint ob earum conformitatem ad morum regulam, nempe ad æternam legem, quæ nobis indicit ut ſecundum rationis dictamen operemur, ideſt faciamus quod poſt ſeriam conſiderationem iudicamus honeſtum eſſe, & ideo faciendum; ſatis eſt ut attendamus ad obiectum, finem, & circumſtantias. Nam quando hæc bona ſunt, ideſt ſecundum exigentiam ſeu intentionem legis quæ vult honeſtatem, actio quoque bona erit & honeſta. Unde manifeſte colligitur, quod actus humani ſuam deſumunt ſpecificam moralitatem, ſeu ſuam eſſentialem malitiam & bonitatem ex triplici fonte, ideſt ab obiecto, fine, & circumſtantiis. Iſta enim ad integritatem actionis, ut moralis eſt, omnino pertinent; ut circa obiectum honeſtum verſetur, & propter finem itidem honeſtum, ac debitis ſit munita circumſtantiis.

§. I.

De obiecto actuum humanorum moralium.

Quid hic intelligatur nomine obiecti. Obiecti nomen hic non intelligitur late pro omni eo quod menti repræſentatur, ſed ſtricte & proprie, ideſt pro re omni & perſona quæ primo & per ſe ab actu voluntatis attingitur: & ſic res aliena eſt obiectum furti, Deus obiectum caritatis, proximus odii, invidiæ, homicidii &c.

Obiectum vero dupliciter conſiderari poteſt. Metaphyſice & materialiter, prout eſt ens poſitum extra nihil, ideſt pro eo circa quod verſatur actio; ut miſeria pauperis eſt obiectum materiale miſericordiæ: & formaliter, nempe pro ratione qua actio tendit in obiectum, ſeu pro modo quo obiectum attingitur ab agente, ideſt conſentanee ad regulas morum ſeu ad rectam ra-

tionem; ſic ſublevatio pauperis eſt obiectum formale actus miſericordiæ, quia virtus miſericordiæ tendit in miſeriam pauperis, ut ipſum ab ea ſublevet. Quare obiectum formaliter conſideratum ſemper eſt illud a quo actio tamquam a forma ſpecificatur, ſeu accipit ſuam ſpecificam rationem ſeu eſſentiam: ideſt actus humanus conſtituitur in tali eſſe morali bonus quidem, ſi obiectum ob ſuam conformitatem ad legem bonum ſit; malus vero, ſi obiectum ob ſuam diſconvenientiam a lege ſit malum, ut ex D. Auguſtino Tract. II. in Epiſt. Joan. ad Parthos: *Talis eſt quiſque, qualis eius dilectio. Terram diligis? Terra eris. Deum diligis? Quid dicam, Deus eris?* Obiecti igitur bonitas non utilitate aut delectatione, ſed honeſtate ſola penſatur.

Actus humani unde deſumant ſuam ſpecificam bonitatem.

Ab obiecto actus humani, ſive interni, ſive externi, prius ſuam deſumunt ſpecificam moralitatem, nempe ſuam intrinſecam ſeu eſſentialem bonitatem & malitiam, quam a fine extrinſeco & circumſtantiis eam mutuentur. Unde, ut tradit S. Thomas, obiectum ſe habet ut forma & regula extrinſeca menſurans actus humani bonitatem. Quod quidem intelligitur de obiecto, non prout in ſe ſpectato, ideſt conſiderato ſecundum entitatem realem, ſed prout ſubeſt intellectui illud in genere moris, ideſt ut honeſtum eſt & rectæ rationi conſentaneum, repræſentanti, ſeu prout illud eſt conſonum regulis morum, & indutum circumſtantiis honeſtatis. Siquidem ad idem materiale obiectum non minus actus mali quam boni feruntur; eamdem pecuniam quam amat avarus vir divitiarum, flocci facit vir ſanctus theſaurizans ſibi theſauros in cælo: ſicuti etiam in ſpeculativis idem obiectum, prout diverſorum ſubeſt lumini principiorum, a diverſis quoque ſcientiis conſideratur. Obiectum actus humani coincidit cum fine operis, ſeu cum fine intrinſeco operationis: omnis enim potentia tendit per operationem in obiectum circa quod operatur. Et hoc intelligit S. Thomas, dum interdum ait, actus humanos ſpecificari a fine. Loquitur enim non de fine operantis extrinſeco, ſeu quem ſibi agens proponit; ſed de fine intrinſeco, ſeu operis, in quem actio ſponte propendit: a quo actus humanus primariam ſuam ſumit ſpecificationem. Requiritur tamen per modum conditionis finis extrinſecus bonus: quia bonum niſi fiat bene, nihil apud Deum valet, ut ſuo loco dicemus.

Quoad alios vero actus, ideſt malos, idem quoque dicendum: nempe primariam malitiam eſſentialem per ſe accipere ab obiecto, tametſi per accidens eam a fine extrinſeco vel a circumſtantiis recipiant; quando nempe actus bonus ex obiecto ſit malus ex fine malo vel ex mala circumſtantia. Actus tamen indifferens non debet deſumere bonitatem nec malitiam ab obiecto, utpote qui ſecundum ſuam ſpeciem quam ex obiecto inſpecto accipit, neque bonus eſt, neque malus: cum ex hoc dicatur indifferens. Sed nunc de actuum humanorum honeſtate ſermo habetur.

Ad id quod dicitur de actu interno & externo, dicendum, dari quidem inter utrumque mutuum bonitatis & malitiæ fluxum & refluxum, ideſt mutuam communicationem bonitatis & malitiæ; ſed in diverſo genere cauſſæ. Actus quippe internus reſpicit externum ut menſuram & cauſſam formalem extrinſecam, quam in intentione agens ſibi proponit ut iuxta illam operetur; actus vero externus bonitatem & malitiam ab interiore in genere cauſſæ efficientis participat. Planius etiam dici poteſt, tam actum internum quam externum, quorum eſt eadem moralitas, primariam bonitatem deſumere ab obiecto ſeu a materia externa, non phyſice, materialiter, ſeu entitative ſumpta, ſed ut conſona regulis morum, quam uterque actus reſpicit & attingit: externus quidem immediate; & internus, mediante externo. Unde uterque actus in moribus non ponitur in numero, ideſt non computatur ut duo actus, ſed pro uno eodemque. Hiſce igitur præmiſſis, ſit concluſio.

Quod actus humani ſumant bonitatem vel malitiam moralem ab obiecto, prout ipſum obiectum ſubeſt intellectui illud in genere moris repræſentanti. Conſtat id ex Scriptura Oſee cap. IX. *Facti ſunt abominabiles, ſicut ea quæ dilexerunt.* Quæ verba clare indicant actuum humanorum malitiam, ob quam homo ſit Deo abominabilis, derivari ab obiectis malis in quæ tendit, & quibus efficitur malus. Unde S. Auguſtinus *Epiſt.* CLV. *ad Maced. alias* III. ait: *Mores noſtri ..... ex eo quod quiſque diligit, diiudicari ſolent:* & D. Thomas 1. 2. *quæſt.* XVIII. *art.* 2. *in corp.* ait: *Prima bonitas actus moralis attenditur ex obiecto legibus conveniente ..... Primum malum in actionibus moralibus eſt ex obiecto legibus diſconveniente: ſicut accipere aliena.* Ab obiecto enim, ut dictum eſt, tamquam a forma & ratione movente, habet actio humana ut ex ſe eſſentialiter ſit conformis regulis morum & bona, ſi obiectum præcipiatur a lege; difformis & mala, ſi obiectum prohibeatur. Unde amor Dei bonus

Digitized by Google

nus eſt, quia præceptus odium malum, quia vetitum.

Et hoc virtutum & vitiorum exemplo facile comprobatur. Etenim virtutes & vitia ac eorum actus moraliter ſpecificantur, ſeu moralem ſpeciem ſumunt ab obiecto, circa quod verſantur, veluti a propria forma; & propter diverſam rationem ſeu naturam obiecti invicem ſpecie differunt. Sic virtutes theologicæ differunt ſpecie a moralibus: quia illæ habent pro obiecto Deum, non vero morales: morales quoque ob talem obiecti diverſitatem inter ſe differunt.

Et ſane in genere naturæ actus ſpeciem ſumunt ab obiecto, iuxta commune axioma. Igitur etiam in genere moris; cum eadem currat ratio. Idcirco ſi obiectum in quod tendit actus, ſit bonum, bonus ſimiliter erit actus; ſi obiectum malum, malus erit actus. Relationes enim ſpeciem deſumunt a ſuo termino, iuxta effatum communiter receptum apud Philoſophos. Quare cum moralitas actuum humanorum ſit relatio ad obiectum circa quod verſantur, & illud obiectum ſit eorum terminus; ſequitur quod moralitas, ſeu bonitas vel malitia moralis, humanorum actuum ſumatur ab obiecto circa quod illi verſantur. Ac proinde bonitas & malitia faciunt diverſam ſpeciem actuum moralium: & quia habent diverſum obiectum, nempe unum conforme, & alterum diſſonum regulis morum; & quia bonum & malum ſunt differentiæ quarum ſingulæ conſtituunt diverſas ſpecies.

Diximus ſupra actus humanos recipere ſuam ſpecificam moralitatem *ab obiecto, prout ſubeſt intellectui*: quia poteſt obiectum eſſe in ſe malum, & actus circa illud verſans eſſe bonum, ſi obiectum repræſentetur intellectui ſine ulla culpa operantis.

Bonitas moralis obiecti penſatur ſola honeſtate.

Diximus pariter *ut honeſtum eſt*: quia bonitas obiecti non utilitate aut delectatione, ſed ſola honeſtate penſatur. Nam obiectum utile aut delectabile tantum, quando non ſit etiam honeſtum, ex ſe non habet ut efficiat actionem moraliter bonam: quia omne bonum quod ad mores pertinet, neceſſe eſt, ut idem ſit honeſtum; delectabile enim ad inhoneſtum vel turpe revocatur.

Notandum autem, quod ad hoc ut actus humanus ſit moraliter bonus, neceſſe eſt ut ſaltem confuſe & in actu exercito tendat in obiectum ut bonum & honeſtum, nempe feratur in bonitatem obiecti propter ipſam tamquam rationem formalem. Unde non ſufficit voluntarium interpretativum honeſtatis obiecti, ſed requiritur ut hæc ſit præcognita & directe volita: ita ut ſi quis reddat alteri quod ſuum eſt ex ſolo metu, faciet quidem actum obiective bonum & honeſtum, non tamen moraliter bonum, eo quod non agat propter ipſam bonitatem. Ex oppoſito vero, ad hoc ut actus ſit moraliter malus, non eſt neceſſe ut ipſa malitia obiecti directe ſit volita ſeu intendatur; ſed ſufficit quod cognita ſit & volita interpretative: alioquin fere nemo peccaret; cum omnes ſolam delectationem quærant, non vero malitiam. Ut autem actus habeat plures malitias, puta actus venereus malitiam fornicationis, inceſtus, adulterii, ſatis eſt quod voluntas feratur in obiectum in quo cognoſcit multiplicem malitiam: ad hoc vero ut actus habeat plures bonitates, v. g. ieiunium temperantiæ, religionis, pœnitentiæ, requiritur quod ipſæ bonitates ſint volitæ & intentæ propter ſemetipſas.

Porro cum ad hoc ut obiectum formale motivum conferat moralem bonitatem operi, requiratur intentio ipſius, & attentio ad ipſum in agendo; quia utriuſque diverſa ſunt genera: hinc ad hoc ut nihil deſit quod ad clariorem conferat intelligentiam, operæ pretium eſt ut ſingula breviter explicentur. Quadruplex diſtinguitur intentio. Prima dicitur *interpretativa*; & eſt, cum quis ita afficitur, ut ſi tale motivum in mentem veniret, ex illo operaretur. Et hæc nullam tribuit actibus humanis bonitatem: quia nullatenus in illos influit. Sic non ſufficit ad culpam, quia Deus neminem condemnavit propter mala quæ feciſſet, ſi hæ aut illæ occaſiones occurriſſent. Secunda eſt *habitualis*; ut in amente, qui multa facit ex habitu quem mente ſanus contraxerat. Hæc item præciſe ſumpta nullam confert actibus bonitatem aut malitiam: quia actiones quæ fiunt ex habitu, non ſunt liberæ nec morales, ac proinde nec bonitatis vel malitiæ capaces; ut patet in allato exemplo amentis, qui multa dicit ac facit ex habitu, propter quæ non meretur laudem aut vituperium. Tertia eſt *actualis*; cum quis actu advertit ad honeſtatem obiecti, & ex ea movetur. Quarta eſt *virtualis*; & eſt effectus actualis intentionis quæ præceſſit. Et in hac, ſcilicet in virtuali, dicitur illa virtualiter manere: quia virtute actualis intentionis ſit ut operemur; ut ſi quis domo diſcedat ut eat ad inviſendum amicum, licet diſtrahatur ab intentione actuali, modo hanc non retractet, immo operetur ut hanc exequatur, hæc virtualiter perſeverat, & vi illius operatur omnia quæ ordinata ſunt

Intentio quadruplex.

Actiones factæ ex habitu non ſunt bonæ & morales.

ad implendum quod in actuali ſibi propoſuit. Unde tertia ſeu actualis intentio non eſt per ſe neceſſaria, ſed ſufficit virtualis, ut actiones vi illius elicitæ bonæ ſint vel malæ.

Recta autem intentio, quæ ad hoc præceſſit ut omnes diei actiones ordinatæ ſint ad Dei gloriam, erit per totum diem virtualiter permanens, ſi pius ille affectus in ſingulas diei actiones influat: alioquin non eſſent effectus, ſed obiectum præcedentis voluntatis; obiectum vero non deſumit bonitatem illam a bona voluntate quæ circa illud verſatur.

Ut intentio qua quis mane intendit omnia opera referre ad Dei gloriam, ſit efficax, oportet ut quoslibet contrarios affectus quibus mens præveniri ſolet, puta lucri faciendi, voluptatis capiendæ, famæ conſequendæ, comprimat, ac ſola ubique dominetur: alias ſequentia opera non eſſent eius effectus, ſed cupiditatis.

Quantumcumque matutinis horis ferveat huiuſmodi intentio; vix tamen erit cauſſa omnium operum, niſi identidem iteretur, præſertim ſi opera illa varia ſint & diſparata, & operans modicam habeat virtutem: quia corpus quod corrumpitur, aggravat animam, & caro continuo concupiſcit adverſus ſpiritum. Unde ſicut aqua ad ignem ſemel calefacta paulatim tepeſcit, ac tandem frigeſcit propter naturalem ad frigus propenſionem; ſic & intentio noſtra ſenſim remittitur, niſi per certa temporis intervalla nos ipſos excitemus, admoneamus, mentemque ad Deum erigamus.

Dixi I. *præſertim ſi opera illa varia ſint & diſparata*. Nam ſi quis per totam diem vacaret unico operi, puta peregrinaretur motivo religionis, vel litteris operam daret motivo caritatis, facilius intelligeretur perſeverare pia intentio; maxime ſi initio remiſſa non fuerit, nec contrario affectu, puta vanitatis, oppugnetur.

Dixi II. *& operans modicam habeat virtutem*. Diuturnior enim eſſe poteſt pia intentio in viris ſanctis, tum quia ardentius in Deum feruntur, nec proinde tam cito tepeſcunt; tum quia paſſiones in illis moderatiores ſunt: pia enim affectio conſtantior eſſe ſolet in animo propenſo in bonum quam in repugnante.

Nota, quod cum malitia & bonitas ſint differentiæ eſſentiales actus moralis, quando plures ſunt bonitates vel malitiæ, nempe una ex obiecto, alia ex fine, alia ex circumſtantiis, bonitas aut malitia deſumpta ex obiecto eſt prima & eſſentialis. Primum malum in actionibus moralibus eſt quod eſt ex obiecto: ita D. Thomas, poſtquam probavit bonitatem actus ex obiecto eſſe primam & eſſentialem. Nam cum obiectum actum ſpecificet in genere moris; dat actui ſpecificato differentiam eſſentialem, non ſecus ac rationale facit in homine. Si enim actus humanus abſtrahatur ab obiecto, non eſt amplius bonus vel malus, ſed indifferens.

§. II.

De influxu actus exterioris in interiorem quoad augmentum bonitatis vel malitiæ.

Ut res facilius clariuſque elucidetur, ſupponendum, quod cum ſola potentia libera, quæ eſt voluntas, capax ſit moralitatis, ideſt bonitatis & malitiæ, utpote quæ ſola ſubiiciatur regulis morum, quibus minime ſubduntur actus neceſſarii nec externæ potentiæ, niſi prout ſunt inſtrumenta & executrices internarum determinationum voluntatis miniſtræ; ſolus actus interior eſt formaliter moralis, exterior vero extrinſeca denominatione petita ab interiore cui ſubditur, & a quo procedit. Hinc conſtat in ordine morali, ideſt quoad moralem bonitatem & malitiam, actum exteriorem eſſe cum interiore unum tantum formaliter actum, ſolumque unum formaliter peccatum, ſi actus malus ſit; licet materialiter plures dici poſſint actus, & plura peccata: quia actus exterior, ſi ſecundum ſe tantum conſideretur, & non ut ab interiore voluntatis actu procedit, nec bonus nec malus eſt moraliter, ſed tantum bonus naturaliter. Nam actus externi omnem bonitatis & malitiæ ſeu peccati rationem accipiunt ab interno & proprio actu voluntatis: non enim datur actus moralis, niſi ſit humanus; nec datur actus humanus, niſi voluntarius, ideſt procedens a voluntatis deliberatione. Unde communiter invaluit illud effatum: *Nullum peccatum, niſi voluntarium*.

In ordine morali actus internus & externus ſunt unus actus.

Hoc tamen non obſtante, cum inquirant hic Theologi non utrum actus exterior addat interiori novum diſtinctum numero peccatum, ſed ſolummodo an externum opus addat aliquid ad malitiam vel bonitatem ſolius voluntatis; ideſt num efficiat ut gravius peccet graviuſque mereatur puniri is qui peccatum opera conſummavit, quam is qui ſola voluntate peccavit: adhuc locus difficultati remanet. Ad cuius dilucidationem

nem diſtinguendum eſt. Nempe vel difficultas verſatur circa voluntatem, quæ cum poſſit in opus procedere, non procedit, ex eo quod nondum ſit plena voluntas opus perpetrandi: & in hoc caſu malitiæ voluntatis aliquid accedit ex operis conſummatione. Etenim plenior conſenſus eſt voluntatis in peccatum, quando hoc ipſum opere conſummatur, quam dum adhuc intra fines includitur voluntariæ cogitationis. Vel verſatur circa voluntatem, quæ non ideo prorumpit in opus, quia ipſi deſit facultas vel occaſio operis, cum ceteroquin parata ſit peccatum ipſo opere perpetrare: & in hoc caſu adhuc diſtingui debet. Videlicet vel contingit voluntatem converti ad rem illicitam æquali affectu, ſive actu eam aſſequatur, ſive non: & tunc per opus externum nihil accedit ad malitiam voluntatis, neque gravius peccat opere ſimul & voluntate malum perpetrando, ac ſi ſola voluntate. Vel contingit eamdem voluntatem ipſa operis perpetratione magis affici ad rem illam quam illicite concupiſcit, quam ſi intra ſolius voluntatis conſenſum rei eiuſdem deſiderium includeretur: & tunc certum eſt, quod opus externum aliquid addat ad malitiam voluntatis, non quia tota malitia non ſit in voluntate tamquam in proprio ſubiecto, ſed quia malitia voluntatis augetur, & peccatum fit gravius occaſione operis externi. Plerumque enim fit ut habitus actus exercitio creſcat, magiſque confirmetur, tametſi id non quovis actu ſemper fieri ſoleat, quod etiam de malitia voluntatis intelligendum eſt.

Porro ex duobus poſterioribus modis prior conſtituit voluntatem in æquali conditione, prout coniuncta eſt operi, ac prout ab opere conſummando eſt impedita. Poſterior ſtatuit quamdam voluntatis extenſionem ex ipſa executione.

Inſuper vel loquimur de bonitate aut malitia quam actus exterior habet ex fine ad quem a voluntate, ideſt ab actu interiore, ordinatur: & tunc actus exterior nihil bonitatis addit vel malitiæ actui interiori & voluntati, niſi contingat ipſam voluntatem ſecundum ſe fieri ex actu exteriore meliorem in bonis; in malis peiorem; quia in tali caſu tota malitia eſt ab actu interiore voluntatis. Ita S. Thomas, qui deinde obſervat, tribus modis contingere poſſe quod ipſa voluntas fieri poſſit per reſpectum, ſeu ratione actus exterioris, vel bona, vel mala. Primo, ſecundum numerum: v. g. cum quis vult bono vel malo fine aliquid peragere, & tunc non facit, poſtmodum autem vult & facit. Tunc voluntas fit melior in actibus bonis, & peior in malis: quia actus interior voluntatis iteratur; ac proinde eſt duplex bonum, vel duplex malum. Secundo, quantum ad extenſionem: ut ſi quis velit bonum aut malum facere, & propter aliquod impedimentum prorſus deſiſtat; alter vero ſemper continuet modum bonitatis, quouſque perficere valeat quod facere cupit. Patet enim quod plus boni vel mali ſit in voluntate quæ perſeverat in intentione, quam in ea quæ ab intentione ceſſat & deſiſtit. Tertio, quoad intenſionem. Etenim ſunt quidam actus exteriores, qui peculiarem habent delectationem vel pœnalitatem; & ii prout tales ex natura ſua habent intendere voluntatem vel remittere: quanto autem intenſius tendit voluntas in bonum vel in malum, tanto melior eſt vel peior. Ita Sylvius.

Vel loquimur de bonitate aut malitia quam actus exterior habet ex obiecto ſuis affecto circumſtantiis: & tunc, nempe prout bonus eſt vel malus ex obiecto & circumſtantiis, ideſt prout convenit aut diſconvenit rectæ rationi ac divinæ legi qua præcipitur vel prohibetur, tunc certe actus exterior addit ad bonitatem vel malitiam actus interioris, quatenus actus exterior reddit actum internum, ſive bonus ſit, ſive malus, maiorem extenſive bonitate vel malitia, atque hunc quaſi explicat ſeu protendit. Actus enim exterior conſideratus ſecundum bonitatem aut malitiam quam habet ex obiecto & circumſtantiis, eſt finis & terminus in quem tendit actus interior, qui per actuale opus foras erumpit ex intimo corde per ſenſuum miniſterium; non ſecus ac dum mortuum cadaver domo effertur ad tumulum: ait hic P. Berti. Idcirco actus exterior addit ad bonitatem vel malitiam actus interioris; cum omnis inclinatio vel motus perficiatur in hoc, quod conſequitur ſuum finem & terminum in quem tendit.

Actus externus addit interno malitiam vel bonitatem tantum extenſive.

Quare externum opus eſt etiam indicium diuturnioris voluntatis, ac demonſtrat pravitatem animi vel rectitudinem eſſe ampliorem. Et ſane ſi animus ſe retrahat, motus quoque corporei in ratione moraliter agendi ceſſant. Etenim dari nequit externum liberum opus, ideſt morale, ſeu bonum vel malum morale, quando voluntas hoc non intendat, immo repugnet & adverſetur. Verum fieri poteſt ut animi intentio vigeat ac perſeveret, ſive improba ſit, ſive recta,

Digitized by Google

etiamſi per externam executionem opus non perficiatur, eo quod hoc impediat aliqua cauſſa quæ ab intima voluntate & animo aliena ſit ac diverſa, ut iam antea notavimus. Hoc pacto *Matth. cap.* v. exardeſcens concupiſcentia oculorum pro adulterio reputatur. Et cum voluntas ab opere ſeparari queat, & ad opus progredi; hinc multiplicata ſunt præcepta: v. g. *Non furtum facies*, & *Non concupiſces rem alienam:* quorum altero prohibetur opus quod voluntate mala perpetratur, ideſt operis conſummatio; damnatur altero mala voluntas, ideſt etiam ſola voluntatis de hoc malo opere intentio. Unde ex his infertur, malitiam quæ deprehenditur in furto, eſſe quamdam amplificationem ſeu extenſionem pravitatis præconceptæ & præexiſtentis in furis animo, & quaſi proceſſionem concepti partus ex utero ad lucem: nec alias ad lucem eductum, alterum diverſumque omnino eſſe peccatum quod unum iubet præceptum, ab altero peccato quod aliud præceptum prohibet; ſed adinſtar fetus qui idem eſt conceptus in utero ac quando oritur, & ſolummodo diverſus, quia in utero eſt partus nondum completus, & dum ex utero prodit, conſummatur & perficitur. Bonitas itidem vel malitia eadem eſt quæ per actum interiorem in mente quaſi in utero concepta, accedente actu externo, ſuam acquirit ultimam perfectionem, qua actus interior in ſua bonitate vel malitia penitus completur: ita ut antequam ponatur actus exterior, perfecta illa dici nequeat ſeu conſummata, præſertim ſi opportunitas extet actum externum peragendi.

Supereſt igitur expendendum, utrum hæc maior peccati extenſio ſeu conſummatio per actum exteriorem, ſicuti eſt certiſſimum argumentum diuturnioris malitiæ ac animi in malo perſeverantis, ita peccatum ipſum adaugeat, ut plus habeat demeriti vel dedecoris opus cum interno affectu coniunctum, quam ipſe internus affectus ſine operis conſummatione. Pro quo ſit ſequens concluſio.

Actus externus per ſe nihil addit decoris aut turpitudinis interno.

Actus exterior nihil per ſe addit decoris aut turpitudinis actui ſincero & efficaci voluntatis, dum deliberate inclinata eſt in honeſtam rem vel pravam. Nec penſatur apud Deum ex opere externo, ſed ex animi affectu, præmii dignitas ac ſupplicii gravitas. Et hoc comprobant teſtimonia Scripturarum Sanctorumque Patrum, quæ explicant æque gratam Deo ſinceram voluntatem efficacemque dandi aliquid quod non habetur, vel aliquid faciendi ad quod deſit exequendi facultas, ac ſi reipſa datum fuiſſet vel peractum. Habetur enim *Gen. cap.* XXII. Abrahamo, propter ſinceram eius voluntatem filium ſacrificandi, ac ſi actu eum immolaſſet, dictum fuiſſe a Domino: *Quia feciſti hanc rem, & non peperciſti Unigenito Filio tuo propter me*. De muliere etiam paupercula, quæ in Gazophylacio, ſive in Synagogæ, erario immiſerat duo tantum æra minuta, teſtatus eſt Dominus Luc. cap. XXI. *Vidua hæc pauper plus quam omnes miſit:* magis profecto animum æſtimans quam cenſum. Paulus item *II. Corinth. cap.* VIII. ait: *Si enim voluntas prompta eſt ſecundum id quod habet, accepta eſt, non ſecundum id quod non habet*. Quæ omnia demonſtrant nullam oblationem eſſe Deo acceptam quæ a corde non ſit, neque aliam promereri mercedem, præter eam quam poſtulat æqui rectique animi intentio. Et hoc idem dicito de opere malo. Quidquid igitur bonitatis & decoris habet opus externum bonum, fœditatis ac dedecoris opus malum, trahit a propoſito bonæ vel pravæ intentionis veluti a materno utero, non ſecus ac fetus conceptus in ſinu matris naturam vitamque ex ipſa conceptione & ſinu matris recipit ac recognoſcit. Igitur opus externum per ſe malitiam aut bonitatem interiori non auget. Et ita ſentiunt Sancti Patres. S. Cyprianus in *Epiſt. ad Lucium Papam* loquens de merito Martyrum dicit, nihil meriti eorum fidei confeſſioni ex dilatione martyrii imminui. *In Confeſſoribus Chriſti martyria non minuunt confeſſionis merituri:* minuerent vero, ſi actus exterior per ſe aliquid adderet bonitatis efficaci martyrii deſiderio. Et clarius etiam ſuam de hoc exponit ſententiam S. Auguſtinus *lib. I. de lib. arbitr. cap.* III. inquiens: *Si cui etiam non contingat facultas concumbendi cum coniuge aliena, planum tamen aliquo modo ſit id eum cupere, & ſi poteſtas detur, eſſe facturum, non minus reus eſt quam ſi in ipſo facto deprehenderetur*. Et D. Bernardus *Epiſt.* LXXVII. ait: *Quid planius quam quod voluntas pro facto reputetur, ubi factum excludit neceſſitas?*

Ratio quoque ſententiam hanc confirmat. Etenim nequit aliquid per ſe ac directe alteri communicare quod in ſe nullatenus habet. Unde, cum actus exterior nullam per ſe habeat bonitatem vel malitiam, utpote qui ex ſe ipſo nulla polleat libertate ac moralitate, dum totam libertatem ac moralitatem recipit ac participet ab actu interiore; ita ut intantum inficiatur actus externus & probroſus redditur, inquantum a libera procedit voluntate: profecto bonitatem

ullam

ullam vel malitiam per ſe communicare nequit actui interno, ſeu augere. Hinc Hugo de S. Victore *lib. XXI. de Sacram. part.* XIV. ait dari differentiam inter meritum prorſus æquale, ſi æqualis ſit utriuſque voluntas. Idcirco totum meritum in voluntate eſt. Igitur ſi totum meritum & quoad diverſitatem gradus, maioris ſcilicet vel minoris, ſtat in ſola interiore voluntate, ideſt in bonitate actus voluntatis, quod intelligendum eſt etiam de demerito reſpectu malitiæ eorumdem actuum; ſequitur evidenter, actum exteriorem non habere ex ſe bonitatem vel malitiam, qua per ſe augere poſſit interioris bonitatem aut malitiam.

Dicitur *per ſe*: quia per accidens & occaſionaliter externa actio augere poteſt, & de facto auget interioris actus bonitatem aut malitiam, non ſolum quando voluntas plena prorſus non eſt, ideſt non æque intenſa ac diuturna ſine actu exteriore ac dum ipſi exteriori actui eſt coniuncta; ſed etiam quando ex plena voluntate actus efficaciter procedit. Etenim actus exterior efficit, ſeu eſt occaſio, quare interior animi pravitas fiat diuturnior & perſeverans. Item reddit etiam eamdem animi pravitatem intenſiorem, quatenus operis externi conſummationem magis præconcepta delectatio allicit ac mulcet, & animus dum explet quod conceperat, in inanibus voluptatibus vehementius inhiat. Et ita intelligendus eſt S. Auguſtinus, ubi *Tract.* LVIII. *in Ioan.* de lotione pedum quam aliqui ſancti prætermittunt, hæc ait: *Et apud ſanctos ubicumque hæc conſuetudo non eſt, quod manum non faciunt, corde faciunt .... Multo autem eſt melius, & ſine controverſia verius, ut etiam manibus fiat.* Sic loquitur Sanctus Pater non conſiderando voluntatem, quatenus eſt æqualis, dum coniungitur operi, & dum ab opere impeditur, ſed inquantum contingit voluntatis affectum per operis conſummationem creſcere: eumque qui prius, inerat ait ipſe humilitatis affectu confirmari. Et Hugo Victorinus obiicienti, cur poſt voluntatem opus requiratur, ſi per ipſum nil additur? reſpondet, requiri ut opere voluntas augeatur: tale enim eſt cor hominis, ut opere ſuo amplius inardeſcat, ſive ad bonitatem amandam, ſi rectum, ſive ad malum, ſi pravum eſt.

Hinc manifeſta ſuadet ratio, cur bona opera quando poſſumus actu peragere debeamus, nec ſemper ſufficiat bona intentio: quoniam ſcilicet voluntas non eſt efficax, ſi non operetur, dum poteſt. Tandem ex bono opere plura procedunt commoda, maxime ædificatio proximi, & mutuæ caritatis neceſſitudiniſque vinculum; ſicuti ex oppoſito ex pravis operationibus multa proficiſcuntur mala, ut ſcandalum, proximi offenſio, aliaque detrimenta. Patet igitur, actum exteriorem per accidens, ratione ſcilicet malorum quæ ex ipſo nonnumquam ſubſequuntur, malitiam augere actus interioris, tametſi efficacis.

Dices. Actus interior & exterior non ſolum diſtinctis prohibentur legibus, ſed etiam donantur diverſis præmiis, ſi boni ſint, diverſiſque puniuntur ſuppliciis, ſi mali. Etenim in Decalogo vetita non ſolum ſunt adulteria & furta, ſed concupiſcentia etiam & rei & mulieris alienæ prohibetur. Ex duobus qui æqualem habent voluntatem Miſſam audiendi ac ſacram Communionem prout decet percipiendi, procul dubio is fructum participat qui de facto Miſſam audit & prout decet ſacra ſe reficit Euchariſtia, non vero qui hanc tantum bonam voluntatem habuit, nec exequi voluit. Item laureola martyrii non confertur niſi ei qui paſſus eſt martyrium, non item illi qui æquali vel forſan maiore moriendi pro Chriſto voluntate exardeſceret, quæſita etiam totis viribus occaſione moriendi religionis cauſſa. Tandem per actum exteriorem incurritur irregularitas, excommunicatio, debitum reſtituendi: quibus pœnis ſola peccandi voluntas quantumvis efficax minime punitur. Ergo ſignum eſt quod actus exterior addit novam malitiam ſuper actum interiorem.

Reſp. diſtinctionem præceptorum, quando ex eadem ratione præcepta ſtatuuntur, malitiæ diverſitatem non augere, ſicut fit in præceptis quibus vetat Deus & rem alienam auferre, & ipſam concupiſcere. Concupiſcentia enim alienæ rei & uxoris ideo ſpecialibus præceptis, quibus prohiberetur abuſus unius & ablatio alterius, vetita eſt, quia periculum erat ut homines carnales (ſicuti Iudæi quibus tradita fuere Decalogi præcepta) ſibi viderentur legem obſervaſſe, ſi a ſolis actibus externi ſe cohiberent; tametſi exteriorum actuum conſenſum præberent. Et revera, non obſtante hac præcautione, Phariſæi quondam lapſi fuere, ut ex Chriſti verbis colligitur Matth. cap. VII. *Audiſtis quia dictum eſt, antiquis: Non mœchaberis. Ego autem dico vobis: Omnis qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo.*

Ad exempla vero adducta dicendum, quod qui rite venerando intereſt ſacrificio, vel ſacrum percipit Euchariſtiæ myſterium, non ideo ma-

maiorem conſequitur fructum, quia actus exterior bonitatem interiorem per ſe augeat, ſed quia gratia ex opere operato profluit ex participatione divinorum myſteriorum, ideſt ſacræ Synaxis; qua effuſione carent qui ad ſacramenta non accedunt. Ad id autem quod ſubditur de martyrii laureola, dicendum, laureolam non requirere actum magis meritorium, ſed magis pœnalem: quia congruum eſt ut actuali laboris experimento aliquod ſpeciale ſolamen aut decus reſpondeat. Unde ſæpe contingit, opus magis meritorium eſſe minus ſatisfactorium: proindeque ſatisfactio & laureola ſicuti non ſunt maioris meriti eſſentialia ſigna, ita nec maioris bonitatis. Punit autem Eccleſia actus externos malos: quia de internis non iudicat. Deus autem qui ſcrutatur renes & corda, non minore afficiet pœna voluntatem efficacem mali, quam operis executionem: quia apud eum voluntas pro facto reputatur. Quare S. Auguſtinus lib. I. *de liber. arbitr. cap.* III. ait. *Si cui etiam non contingat facultas concumbendi cum coniuge aliena, planum tamen aliquo modo ſit id eum cupere, & ſi poteſtas detur, eſſe facturum, non minus reus eſt, quam ſi in ipſo facto deprehenderetur.*

Nec pariter inferri poteſt, actum externum malitiam interioris augere, eo quia non ſatis ſit aperire in confeſſione ſolum internum actum, quando conſummatum fuit per externum, ſed ſemper externum ſit exponendum, quando peractum fuerit: ita ut ſatis non ſit dicere ſe habuiſſe efficaciſſimum deſiderium de adulterio & homicidio, ſed ipſius adulterii & homicidii conſummatio apperienda ſit, ſi forte contigerit. Quia non ideo tenemur aperire in confeſſione actum externum, quia interni malitiam augeat, modo malus ſit ſive denominatione intrinſeca, ut quando malitiam recipit a ſuo obiecto propriis circumſtantiis affecto; ſive extrinſeca a malitia interiore perita; ut quando a fine malo agentis vitioſitatem participat: ſed quia præceptum confeſſionis abſtrahit ab eo unde malitia provenit, & quodvis opus malum præcipitur aperiendum. Et huiuſcemodi divinum præceptum, quo tenemur explicare externos actus in ſacramentali confeſſione, perpetuus Eccleſiæ uſu & praxi apertiſſime demonſtratur, eiuſque ratio ſufficiens eſt legiſlatoris voluntas, quæ peccatores ad tale onus adſtrinxit. Ita P. Contenſonius. Ceterum quoniam externum opus peccatum eſt, hinc ſive per ipſum creſcat voluntatis malitia, ſive per accidens, ſive etiam non creſceret, ſemper dicendum eſt, plus mali eum feciſſe qui opere peccatum conſummavit, quam eum qui in ſola voluntate illud retinuit. Et certe plus mali fecit qui peccatum opere conſummavit, non quia plura commiſerit crimina, ſed quia peccatum mente intus conceptum exteriore actu complevit. Quare & gratias Deo reddere debemus, qui quandoque voluntati noſtræ in peccatum propenſæ occaſionem complendi peccati miſericorditer ſubtrahit (ſicuti admonet Concilii Neocæſarienſis Canon IV.) quod etiam oſtenditur exemplo Davidis, qui gratias reddidit Deo, cuius providentia ac diſpoſitione prohibitus fuerat ne Nabal occidendi propoſitum exequeretur: *Benedictus*, inquit, *Dominus qui ſervum ſuum cuſtodivit a malo*. I. Reg. cap. XXV. Sic Eſtius.

§. III.

De circumſtantiis actuum humanorum.

Circumſtantiæ ſunt quædam morales conditiones, quæ actus humanos comitantur & modificant, & multum conferunt ad reddendas actiones humanas bonas & malas: ut locus, tempus, perſona, modus &c. Nam circumſtantiæ ſeptem vulgo recenſentur, ut in ſequenti verſu.

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Circumſtantiæ comitantur actus humanos.

Dicuntur circumſtantiæ *comitari actum*: quia omnis actus fit ab aliqua perſona; & eſt *Quis*; verſatur circa aliquod obiectum; & eſt *Quid*: fit in aliquo loco; & eſt *Ubi*: aliquo inſtrumento exequitur; & eſt *Quibus auxiliis*: fit ob aliquem finem; & eſt *Cur* (de qua circumſtantia, utpote quæ pariter eſt unum ex ſpecificativis, ut iam diximus, actuum humanorum, fuſe infra agemus) habet etiam ſuum modum quo fit, ſcilicet intenſive vel remiſſe; & eſt *Quomodo*: fit tandem aliquo tempore; & eſt *Quando*.

Moraliter illos modificant.

Dicuntur etiam circumſtantiæ *modificare moraliter actum humanum*: quia diverſam rationem ſive ſpeciem vel gradum moraliter conferunt actui humano, ſecundum quod diverſis regulis morum plus minuſve convenit. Circumſtantiæ autem diſſentiunt, unde afferunt actui humano vel diverſam ſpecifice, vel maiorem tantum aut minorem bonitatem vel malitiam. Sic ratione perſonæ ſpecies malitiæ peccati carnalis in perſona Deo dicata per votum diverſa eſt ac in ſimpliciter ſæculari, diverſa in coniugatis ac in perſonis liberis; diverſa ratione obiecti, ſi

res

res furto ablata ſit ſacra vel profana; diverſa ratione loci, ſi peccatum ſit commiſſum in loco ſacro aut in profano & ita ratione auxilii, quo utimur ad actionem, ratione finis, quare operemur; ratione modi, quo operemur, ideſt affectus vel diverſi, vel magis aut minus intenſi; & ratione temporis, quo operamur, actiones noſtræ humanæ vel recipiunt ſpeciem moraliter diverſam, aut maiorem vel minorem perfectionem aut imperfectionem in eadem ſpecie.

Quod vero actus humani, ſive interni, ſive externi, modificentur moraliter, ideſt ſuam deſumant bonitatem aut malitiam a circumſtantiis, eſt communis doctrina: & patet ex Scriptura *Luc. cap.* XXI. ubi tenuis oblatio duorum ærum minutorum collata a paupere vidua longe plus commendatur & extollitur quam amplæ divitum, piæ contributiones. Item Concilium Tridentinum *ſeſſ.* XIV. *cap.* V. docet, circumſtantias mutantes ſpeciem ſubiiciendas eſſe Eccleſiæ clavibus, eo quia ſine illis nequeant peccata ſufficienter exponi: quod non contingeret, ſi actus humani non deſumerent ſuam bonitatem aut malitiam etiam a circumſtantiis; quia adhuc ſine illis poſſent peccata ſufficienter explicari.

Et ſane ſicuti dantur obiecta conſentanea aut diſſentanea naturæ rationali, ideſt rectæ rationi, ſic & circumſtantiæ. Si enim turpe eſt ſpoliare ſuis bonis proximum divitem; certe turpius eſt exſpoliare indigentem: alterum enim ſpectat ad obiectum iuſtitiæ; alterum ad rationem circumſtantiæ. Hinc fit, quod in moralibus dentur actus alii aliis meliores, licet idem habeant obiectum eumdemque finem: quia alii circumſtantias habent aliis meliores, ideſt perfectiores in eſſe moris; non ſecus ac in artificialibus ratione circumſtantiarum contingit, cum quædam dentur artefacta, quæ præter perfectionem quam obtinent a figura quæ eſt forma artificialis, aliam maiorem recipiunt unde elegantiora fiunt, a variis accidentibus, puta ex partium habitudine, diſpoſitione &c. ac proinde fit quod inter hæc quoque alia dentur aliis politiora ſeu perfectiora.

Quare circumſtantiæ quandoque addunt actui humano novam ſpeciem bonitatis vel malitiæ moralis: quando nempe efficiunt ut actus ſit conformis vel difformis diverſis ſpeciebus virtutum; ut carnale peccatum in Sacerdote & Religioſo eſt contra caſtitatem & religionem, quod in ſimplici ſæculari eſt tantum contra caſtitatem. Quandoque circumſtantiæ augent tantum bonitatem in eadem ſpecie virtutis, & malitiam in eadem ſpecie vitii, quando maior vel minor eſt honeſtas in exercitio virtutis, maior vel minor turpitudo in vitio ſequendo: ſic laudabilior eſt qui ſublevat pauperem in neceſſariis quam qui in ſuperfluis; gravius peccat contra iuſtitiam qui furatur multum, quam qui modicum. Actus igitur humani præter bonitatem eſſentialem quam deſumunt ab obiecto & a fine de quo proxime loquemur, aliam etiam recipiunt accidentariam a circumſtantiis. Quia ſicuti bonitas naturalis non conſiſtit in ſola eſſentia, ſed in complexu etiam accidentium quæ integram eius perfectionem conſtituunt, adeo ut ſi vel unus etiam deficiat, res vitioſa reddatur; ſicuti patet in corpore humano, quod ſi uno oculo careat, defectuoſum dicitur: ita bonitas moralis actuum humanorum non eſt repetenda a ſolo obiecto vel fine, a quibus formalem, ſpecificam, & eſſentialem moralitatem recipiunt, ſed etiam a concurſu adiunctorum ſeu circumſtantiarum, quæ ſunt perfectiones humanis actibus debitæ; alias ſunt imperfecti & vitioſi, quia, ut iam vidimus, bonum ex integra cauſſa, malum ex ſingulari defectu. Etenim ſicut obiecta, quia ſubiacent regulis morum, poſſunt eſſe his conſentanea vel diſſentanea, ac propterea afferre actibus humanis moralem bonitatem & malitiam; ita etiam circumſtantiæ ſimiliter ſubiacent iiſdem regulis, a quibus vel præcipiuntur, vel prohibentur, vel permittuntur.

Nota, ad hoc ut actus humanus bonitatem vel malitiam trahat a circumſtantiis, requiri ut ſint prævifæ, & aliquo modo intentæ, quatenus honeſtæ ſunt: quia, ut iam vidimus, nulla datur bonitas moralis, niſi ſit voluntaria actu vel virtualiter. Ut autem conferant malitiam, ſatis eſt quod cum vitari poſſint & debeant, nihilominus, voluntas illa vitare negligit: malum quippe eſt nolle declinare a malo. Hinc qui dat eleemoſynam Sacerdoti non attendens circumſtantiam perſonæ, non elicit actum religionis, ſed miſericordiæ dumtaxat: qui vero eum percutit, nullam Sacerdotii habens rationem, peccat ſimul contra iuſtitiam & contra religionem. Et ratio huiuſce diſcriminis eſt, quod bene agere ſit quædam perfectio, quæ in actibus humanis elucere nequit ſine aliqua diligentia & conatu voluntatis; male vero agere ſit defectus, qui ſequitur negligentiam & ſocordiam.

Quia ad moralem bonitatem actus humani requiritur quod ſit conſentaneus regulis mo-

morum, ideſt rectæ rationi & legibus, ex obiecto, fine, & circumſtantiis, ut ſi in quocumque horum deficiat, fiat malus: ſequitur quod idem numero actus non poſſit habere duplicem oppoſitam moralitatem (ſcilicet ab obiecto aut circumſtantiis malitiam, a fine bonitatem quamvis partialem & inadæquatam) ſed unicam eſſe in ipſo actu moralitatem bonitatem videlicet aut malitiam. Ita D.Thomas *II. diſt.* XXXVIII. Et quod de uno principio dicitur, idem intelligendum de aliis; ut ſi unumquodque non conſentiat rectæ rationi & legibus, reddat eo ipſo actionem malam, tametſi ex aliis principiis talis non ſit: quia huiuſcemodi actus humanus non regulatur a rectæ rationis dictamine, quæ præcipit ut bonum bene fiat, & ut malum cenſeatur quod male quocumque modo fit.

In his quæ lege poſitiva prohibentur, obiectum variari poteſt.

Et ne quid deficiat ad clariorem intelligentiam circa moralitatem eſſentialem quam actus humani recipiunt ab eorum obiecto, a fine, & a circumſtantiis, notandum reſtat, quod in his quæ lege poſitiva prohibentur, obiectum variari poſſit, & ſic etiam actus humanus moraliter: quia cum obiectum tunc ſit malum, quia prohibitum; ceſſante prohibitione per legis abrogationem, vel per aliquam ſupervenientem circumſtantiam ad quam lex ſe non extendit, vel per ignorantiam invincibilem, ceſſat etiam malitia in obiecto. Idcirco actio licita fieri poteſt & non culpabilis: v. g. eſus carnium vetitus die ieiunii, adveniente morbo, fit licitus, vel ſaltem non culpabilis, ut in eo qui invincibiliter ignorat illum eſſe diem ieiunii. Ex oppoſito vero, obiecta actuum humanorum quæ naturali lege prohibentur, invariabilem malitiam continent: quia non ſunt mala quia prohibita, ſed prohibentur quia natura ſua ſunt mala. Quinimmo, licet intentio mala agentis, ut vanæ gloriæ, hypocriſis &c. poſſit vitiare obiecta bona, & eorum bonos actus qui lege naturali præcipiuntur: tamen bona intentio agentis & quivis honeſtus finis ſibi propoſitus non poteſt cohoneſtare & excuſabile reddere quod ex obiecto & circumſtantiis natura ſua eſt malum: ut furari cum fine & intentione erogandi in eleemoſynam vel in alia pia opera. Quia bonum ex integra cauſſa, malum ex quocumque defectu.

CAPUT V.

De fine, ſeu de circumſtantia finis actuum humanorum.

QUia finis qui in actionibus omnibus phyſicis, etiam civilibus ac œconomicis, eſt prima cauſſa motiva; cum omnis agens non moveatur ad agendum, niſi a fine: in moralibus etiam eſt præcipuus moderator ac regula quoad moralitatem humanarum actionum, quæ præcipue ac principaliter a fine dependent; ac proinde finis in moralibus primum locum obtinet. Nihil enim valet bonitas ac honeſtas quam ex alio capite habeat actio, quando finis ad quem eſt ordinata ab agentis intentione, ſit pravus. Hinc dici ſolet, quod intentio facit omnia: nempe actio humana qualificatur ab eo quod pro fine agens ſibi in agendo proponit. Quare ita advertit S. Auguſtinus Enarr. II. in Pſalm. XXXI. *Non valde attendas quid homo faciat, ſed quid cum facit aſpiciat*: & S. Thomas I. 2. *quæſt.* I. *art.* 3. ait: *Actus dicuntur humani, inquantum procedunt a voluntate deliberata. Obiectum autem voluntatis eſt bonum & finis: & ideo manifeſtum eſt quod principium humanorum actuum, inquantum ſunt humani, eſt finis.* Quod ſi tanti momenti res ſe habet reſpectu finis, plane operæ pretium eſt ut breviter quidem, ſed meliore & accuratiore quo fieri poſſit modo, quod ad finem in univerſum pertinet, exponamus.

§. I.

De varia finis acceptione.

Nomen finis generatim conſiderati in duplici ſumitur ſenſu. Primo, late & improprie pro termino qualicumque, ut in Pſalm. CXVIII. *Omnis conſummationis vidi finem.* Sic mors dicitur vitæ finis, veſper finis diei. Secundo, ſtricte & proprie, ut communiter adhiberi ſolet præcipue a Philoſophis & Theologis: & eſt bonum illud quod concupiſcens omne agens in ipſum tendit agendo, ideſt ad illud conſequendum actiones ſuas ordinat ac dirigit, & hoc obtento, a tali motu deſiſtit. Unde in hoc ſenſu ſignificat cauſſam finalem, ducta denominatione ab illa cauſſæ finalis cognitione, quod ſit quid ultimum vel ſimpliciter, vel ratione mediorum quæ ad finem conſequendum eliguntur.

Fi-

Finis igitur proprie dictus habet rationem non ſolum cauſæ; quia impellit & movet ad operandum (ſic ſanitas optata ac intenta movet ad quærenda & accipienda remedia) ſed etiam termini; quia, fine conſecuto, agens ceſſat operari circa finem. Et (ut ait D. Thomas 1. 2. *quæſt.* 1. *art.* 3.) id ad quod terminatur actus humanus, eſt id quod voluntas intendit tamquam finem.

Finis eſt prima actuum humanorum cauſſa.

Quomodo vero finis, qui iam numeratur inter circumſtantias actuum humanorum (cum de fine extrinſeco hic agatur) ſit prima eorum cauſſa: ut res clarius intelligatur, diſtinguendi ſunt in eo qui formaliter agit propter finem, duo actuum humanorum genera. Alterum eorum qui dicuntur imperantes; & ſunt iidem ac actus eliciti, de quibus iam antea, nempe efficax intentio & deſiderium ipſius agentis obtinendi finem: alterum eorum qui vocantur imperati; & ſunt electio & uſus mediorum ad finem obtinendum. Porro finis reſpectu actus imperati eſt circumſtantia illi bonitatem tribuens vel malitiam accidentalem; reſpectu vero actus imperantis ſeu eliciti eſt cauſſa motiva illi conferens bonitatem vel malitiam eſſentialem. Qui v. g. largitur eleemoſynam ad obtinendam remiſſionem peccatorum, duos elicit actus. Alter eſt imperans, qui verſatur circa finem; & eſt intentio obtinendi peccatorum remiſſionem, & cauſſa motiva huiuſce actus eſt peccatorum remiſſio quam agens intendit: ac proinde alium elicit actum, qui actus eſt elicitus a virtute pœnitentiæ ex qua ſpeciem eſſentialem deſumit. Alter vero actus eſt electio & elargitio eleemoſynæ imperata a præcedenti actu pœnitentiæ: hic autem actus, ideſt largitio eelemoſynæ, elicitur a virtute miſericordiæ, cuius proprium obiectum & motivum eſt ſublevare miſeriam pauperum; & ex illo obiecto habet ſpeciem eſſentialem. Unde cum accidentale ſit illi, nempe elargitio eleemoſynæ quæ imperetur a virtute pœnitentiæ, & fiat propter hunc vel alium finem: finis, nempe remiſſio peccatorum, reſpectu illius eſt vera circumſtantia non tribuens illi niſi bonitatem accidentariam. Idemque occurrit in actu malo, puta in furto ob adulterium perpetratum. Intentio adulterii in eo qui ſic furatur, eſt actus adulterii ſeu intemperantiæ, imperans furtum quod eſt actus iniuſtitiæ. Prior actus qui eſt imperans, malitiam eſſentialem deſumit ex adulterio quod habet rationem finis & primi moventis, & eſt obiectum illius actus. Poſterior vero eſt eſſentialiter malus ex proprio iniuſtitiæ obiecto; accidentaliter autem ex fine, nempe ex adulterio ex cuius intentione imperatur: & ideo finis reſpectu illius eſt circumſtantia.

Quare bonitas & malitia actuum humanorum potiſſimum ex fine repetenda eſt; cum ex dictis actio idcirco bona ſit vel mala moraliter, quatenus eſt deliberate voluntaria: & maxime ex fine eſt voluntaria; quia finis appetitur propter ſe, cetera vero propter ipſum. Propter quod autem unumquodque tale, & illud eſt magis tale, aiunt Philoſophi. Namquod amatur propter aliud, ait S. Auguſtinus, non illud amatur, ſed aliud propter quod amatur: puta potio medica non amatur, ſed ſanitas propter quam potio amara ſumitur.

§. II.

De duplici modo, quo finis proprie dictus accipi poteſt.

Finis proprie dictus poteſt ſumi dupliciter: in actu primo, & in actu ſecundo. Finis in actu primo eſt res ipſa quæ movere poteſt ad agendum. Virtus autem movendi eſt eiuſdem rei bonitas, ſive vera, ſive apparens: intantum enim allicit & movet, inquantum eſt amabilis & appetibilis; ac proinde quatenus apparet bona. Nam malum, prout malum apparet, allicere nequit, ſed potius retrahit: quia, prout tale apparet, non appetitur, ſed timetur. Igitur finis in actu primo eſt bonum ſaltem apparens propter ſe appetibile.

Finis in actu ſecundo eſt res bonitate ſua ſaltem apparenti actu illiciens, trahens, ac movens. Cauſſalitas eius ſeu influxus eſt motio ſeu allicientia: nam illud eſt cauſſalitas finis, quo poſito, intelligitur finis in actum influere, & ut ita dicam, cauſſare, & quo ſublato, non influit. Unde cum amor & deſiderium finis ſit motio in quam intelligitur finis actu influere, & ſublata hac motione amoris ac deſiderio finis, finis non amplius influit, ideſt non allicit: ſicuti, ſublata ignis actione, ideſt calefactione, ignis actu non agit, nempe non calefacit, ſed eſt tantum in potentia ad agendum ſeu calefaciendum; ſequitur quod ignis cauſſalitas ſit motio, ſeu amor & deſiderium ipſius finis (ut D. Thomas *quæſt.* XXII. *de Verit. art.* 2.) ſicuti influere cauſſæ efficientis eſt agere, ita influere cauſſæ finalis eſt appeti & deſiderari. Porro hic agitur de fine ſumpto præſertim in actu ſecundo.

§. III.

§. III.

De finis definitione.

Finis definitur *id in cuius gratiam aliquid fit*: vel eſt bonum per ſe, cuius obtinendi gratia aſſumimus media & operamur. Dicitur primo, *id*: nempe res quæ ſaltem bona appareat. Voluntas enim, ut antea notatum fuit, allici nequit aut moveri niſi ab aliquo bono ſaltem apparenti; cum voluntas amare nequeat niſi id quod ſibi bonum videtur: nam malum ut malum non allicit, ſed potius avertit & abſtrahit. Dicitur ſecundo, *bonum per ſe*: ideſt per ſe & propter ſe conveniens. Nam ſi ſpectaretur ut conveniens propter aliud, hoc non eſſet finis ſed medium; & finis eſſet illud aliud ad quod conſequendum aptum foret & conveniens, iuxta illud S. Auguſtini: *Quod amatur propter aliud, non illud amatur, ſed aliud propter quod amatur*. Idcirco ſolum bonum honeſtum & iucundum habere poteſt rationem finis; non vero bonum utile, utpote quod prout tale ad aliud ordinatur. Unde non eſt bonum niſi ratione finis, ad cuius executionem utile eſt, & propter eum amatur: ideoque non poteſt habere rationem finis, ſed tantum medii. Dixi, prout utile: nam pecunia, tametſi ex ſe non habeat niſi rationem boni utilis; cum tamen illam apprehendat avarus ut bonum delectabile, illam ut finem intendit, & ſolo eius amore operatur, eamque adeptus tantum abeſt ut in proprios uſus eam conſummet, quin illam ſedulo ſervat & in eiuſmodi poſſeſſione quodammodo conquieſcit. Dicitur tertio, *cuius gratia*, ideſt cuius amore & deſiderio agens operatur. Ex hoc diſtinguitur finis proprie dictus tum a medio, tum a fine improprie dicto ſeu a puro termino. Diſtinguitur a medio: nam tametſi multa fiant etiam propter medium, v. g. propter pharmacum parandum aut pecuniam lucrandam, pharmacum tamen & pecunia dici nequeunt finis; cum illa non fiant amore pharmaci vel pecuniæ, ſed ſolo amore ſanitatis per pharmacum & commodæ ſuſtentationis per pecuniæ copiam obtinendæ, in quibus agens requieſcere intendit. Diſtinguitur pariter finis proprie dictus ab alio termino ſeu fine improprie accepto, in quem agens materialiter ſuas dirigit operationes tamquam in terminum, ſive volitum, ſive etiam nolitum, non iam ut illum appetat, ac ideo gratia illius operetur: ut facile videre eſt in eo qui cum multa paret pro tempore ægritudinis, ad quam certo novit terminandam eſſe ſanitatem qua nunc potitur, non habet tamen pro fine ægritudinem, ſed pro termino; quia nec appetit nec amat ægritudinem, ſed quantum poteſt repellit. Dicitur quarto, *aliquid fit*, ſeu *aſſumimus media*, nempe illud omne quod ad finis aſſecutionem inſervire poſſe cenſemus, *& operamur*. Per quod ſignificatur, finem primam eſſe cauſſam omnium operationum, ſive naturalium, ſive artificialium, ſive moralium; quatenus eſt principium tum conſultationis, qua de mediis mediorumque electione ſcrutamur, tum operationis qua eiuſmodi media actu adhibentur. Et hoc expreſſe tradit S. Thomas *Part. I. quæſt. LXXXII. art. I.* hiſce verbis: *Finis ſe habet in operativis, ſicuti principium in ſpeculativis, ſeu demonſtrativis*: & *I. 2. quæſt. VIII. art. 2.* hoc modo loquitur: *Sic ſe habet finis in appetibilibus, ſicuti ſe habet principium in intelligibilibus*. Perinde ac ſi diceret, hoc eſſe finem in operabilibus, quod in ſcientiis eſt principium ſeu præmiſſæ: ita ut ſicuti præmiſſæ ſunt principium ſeu cauſſa concluſionis; ſic finis ſit principium & cauſſa conſultationis, qua de mediorum delectu inquiritur, & cauſſa pariter operationis qua eiuſmodi media actu adhibentur gratia finis conſequendi, iuxta illud ſæpe notatum a Doctore Angelico: *Quod eſt primum in aliquo genere, eſt cauſſa omnium quæ ſunt poſt*. Quod concordat cum alio principio, ideſt: Omnia quæ ſunt in aliquo genere, derivari a principio illius generis.

Porro finis eſt principium & prima omnium cauſſa, ſive naturalium, ſive moralium, ſive artificialium: quia omnia appetunt bonum ſuum, ac ad illud tendunt & moventur ſive a ſe ipſis, ut rationalia, ſive a ſuperiore voluntate, nempe divina, ut irrationalia & inanimata, quæ a Deo aguntur & diriguntur, ſicut ſagitta a ſagittante, ait S. Thomas. Idcirco finis eſt bonum cuius gratia omnia fiunt: & cum omne bonum ſit perfectivum; ſequitur finem cuiuſque rei eſſe ſuam perfectionem. Patet igitur bonum & finem viciſſim non reciprocari. Nam licet omnis finis ſit bonus ſaltem apparenter, alias non alliceret, nec appeteretur; omne tamen bonum non eſt finis: multa enim ſunt bona, propter quorum conſecutionem ab aliquibus nihil fit. Scientia & victoria ſunt quid bonum: ſed non ſunt finis ignavi ac otioſi; cum neuter operetur eorum gratia.

Finis eſt prima omnium cauſſa.

§. IV.

Digitized by Google

§. IV.

De effectibus finis.

Effectus ſeu operationes finis ſunt primo, voluntas, ſive ſimplex volitio & amor finis: ſecundo, intentio ſeu deſiderium efficax ipſius finis: tertio, conſilium: quarto, conſenſus: quinto, electio: ſexto, imperium: ſeptimo, uſus mediorum: octavo, fruitio ſeu quies in fine adepto. Ex his effectibus tres verſantur circa finem, nempe voluntas, intentio, & fruitio; reliqui autem circa media.

I. *De cognitione finis.*

Primus illapſus humani appetitus in finem, ſeu prima humanæ mentis converſio ſeu acceſſus ad finem, eſt cognitio ipſius finis voluntatem allicientis, qua cognitione proponitur voluntati eius amabilitas & convenientia: cum nihil volitum ſit, quin præcognitum. Unde ſicuti appetitus naturalis ſequitur formam naturalem, & ſenſitivus formam apprehenſam per ſenſum; ita appetitus rationalis amore proſequitur formam per intellectum ſibi propoſitam. Et hæc apprehenſio debet eſſe non ſolum ſpeculativa, quæ ſemper voluntatem dubiam indeterminatamque relinquit; ut patet in peccatore, qui bonum ſcit, & non facit, malum cognoſcit, & non fugit: ſed debet eſſe practica alliciens & impulſiva, quatenus exhibet obiecti bonitatem, quæ ad ſui amorem invitet ac excitet.

II. *De ſimplici voluntate, ſeu volitione finis.*

Propoſita voluntati ab intellectu obiecti bonitate, ſequitur ſimplex illius volitio, ſeu amor & complacentia, quæ volitio ſæpe voluntas appellatur, mutuato nomine a ſua potentia; cuius obiectum eſt bonum verum vel apparens, ſicuti obiectum adæquatum intellectionis eſt veritas. Quod ſi aliquando feratur ad malum per modum fugæ, id operatur propter bonum quo allicitur. In ipſis peccatis puræ malitiæ quærit voluntas aliquod bonum, apparens in obiecto cuius deformitatem clare perſpicit. Bonum autem eſt obiectum huiuſce volitionis & amoris non in ſe ſpectatum, ſed prout iudicatur conveniens, & cauſſa effectrix delectationis. Quare ſolet diſtingui obiectum hoc in materiale, quod eſt omne illud in quo voluntas acquieſcit; & formale, quod eſt ratio cur rem amemus. Motivum quoque dici ſolet, ſeu id propter quod rem expetimus. Hæc autem volitio, ſive amor & complacentia, quæ eſt primus partus quo incipit voluntas in actum prorumpere, a ceteris actibus neceſſario præſupponitur. Niſi enim placeat bonum apprehenſum, puta caſtitas; nullus ſequitur conatus ad illud conſequendum. Sed ſi ſit ſolitarius, non efficit ut bonum evadat finis in actu ſecundo: quia ſimplex complacentia poteſt verſari circa bonum apprehenſum ut impoſſibile; v. g. circa victoriam, quam imbellis ſibi repræſentat ut impoſſibilem. Bonum autem apprehenſum ut impoſſibile non habet rationem finis, quantumcumque placeat: cum nihil fiat gratia illius. Eſt igitur voluntas ſeu velleitas ſimplex amor finis, nulla habita ratione ſeu conſideratione mediorum; cum velleitas non tam circa obiectum quam circa actum ipſum verſetur qui, certa conditione poſita, fieret, ſed tamen non fit, aut perfecte non fit. Et hoc modo dicitur Prov. cap. XIII. *Vult & non vult piger*. Unde qualiſcumque, ſive conditionata, ſive abſoluta ſit hæc ſimplex voluntas, quæ generatim dici ſolet velleitas, quaſi ſemivoluntas, niſi adiunctam habeat intentionem finis, dici nequit eiuſdem finis effectus.

III. *De intentione finis.*

Volitionem, ſeu amorem & complacentiam finis comitatur illius intentio, quæ reſpicit finem non abſolute ſolum, ſed comparative ad media; nam per hoc diſtinguitur a ſimplici volitione, ſive conditionata ſit, ſive abſoluta: quæ tamen non duplicat obiectum, contenta ſe finem tantum attigiſſe; naturale eſt enim velle poſſidere quod placet & amatur. Unde intentio eſt efficax deſiderium finis, ſeu actus voluntatis efficaciter tendentis in bonum per media conſentanea aſſequendum. Quocirca intentio continet ſaltem virtualiter propoſitum inquirendi & adhibendi media, ſine quibus finis obtineri nequit. Etenim qui vult ſincere & efficaciter conſequi finem, puta vincere cupiditates, intelligitur velle uti mediis quæ neceſſaria ſunt ad optatum finem obtinendum. Patet igitur, ex intentione totam humanorum actuum ſeriem & œconomiam dependere. Profecto qui efficaciter finem intendit & exoptat, is ſollicitus conſiderat de mediis quibus ad illius poſſeſſionem perveniri poteſt, illaque, ſi ad manum non habeat, ſedulo inquirit.

IV. *De conſilio ſeu deliberatione circa media.*

Intentioni ſeu efficaci finis deſiderio ſuccedit conſilium. Porro conſilium eſt deliberatio

ratio

ratio circa media; quod eſt tertius finis effectus. Conſilium eſt diſcurſus intellectus practici inquirentis & ponderantis media, eorumque convenientiam ac proportionem cum fine iudicantis. Conſilium quippe non eſt de fine, ſed de mediis. Illud enim eſt finis in agibilibus, ait Doctor Angelicus, quod prima principia in ſpeculativis. Unde ſicuti in ſpeculativis nulla poteſt occurrere controverſia circa prima principia (v. g. an idem poſſit ſimul eſſe & non eſſe) ſed circa concluſiones ex iis deductas: ſimiliter in practicis non initur conſilium, nec deliberatur de fine; puta an Deus ſit colendus, parentes honorandi, ſalus comparanda, fornicatio evitanda. Sine huiuſmodi conſilio appetitus finis & propoſitum illius aſſequendi eſt inefficax & mera velleitas, ut advertit S. Auguſtinus *lib. VIII. Confeſſ. cap.* VIII. & IX. Ad hoc igitur ut intentio finis ſit plena & efficax, neceſſe eſt ut moveat ad deliberandum de mediis: quia ſicuti non poteſt finis ſine mediis obtineri; ita nec efficaciter ſine illis intendi. Conſilii autem inquiſitio ſupponit media non eſſe determinata, ſed incerta & dubia: quæ enim determinata ſunt, ſub inquiſitione non cadunt. Supponit etiam rem de qua agitur, eſſe alicuius momenti: frivolum enim eſſet ingentem inquiſitionis ſollicitudinem rebus levibus adhibere.

V. *De conſenſu*.

Conſilii inquiſitionem & iudicium conſequitur voluntatis conſenſus, qui eſt quartus finis effectus, & eſt actus voluntatis adhærentis conſilio rationis, approbando media propoſita, eaque acceptando tamquam utilia & conducentia ad finem præintentum; qui actus diſtinguitur ab electione unius medii præ alio: & hoc fit, quando proponunt voluntati plura media ad finem obtinendum idonea. Quod ſi contingat, in ordine ad finem dari unicum medium idoneum: tunc conſenſus non diſtinguitur ab electione: quæ tunc non eſt determinativa alicuius medii inter plura; ſed idem actus eſt conſenſus, prout complacet in medio propoſito, & electio, prout illud aliis non idoneis præfert, quæ ideo non placent. Quando ratio conſilium dat ex imperio voluntatis, naturaliter placet conſilium; & facile voluntas conſentit iis quæ tunc ratio proponit: quia conſentanea ſunt eius inclinationi. Sed ſi conſilium ſuggeratur exterius, puta a ſapiente, voluntas nonnumquam repugnat, momenta opponit contraria, & conſilium datur fruſtra, niſi cordis duritia tollatur a Deo, interius voluntatem præparante, & inclinante per gratiam ſuam ad verum bonum pet congrua media amplectendum.

VI. *De electione & imperio*.

Electio quæ numeratur quintus effectus finis, eſt actus liber voluntatis, quo ex pluribus mediis idoneis & placentibus per conſenſum unum ceteris præfert in ordine ad finis præintenti conſecutionem. Dicitur *liber*; & talis eſt etiam cum unicum præſto eſt medium quo ad finem perveniatur: quia electio talis medii omitti poteſt. Hinc peccat qui vitam aliter quam periurio ſervare non valens, periurium adhibet: quia & finem & medium omittere poteſt. Dicitur *ex pluribus mediis*: quia, ut iam ſupra notavimus, electio verſatur circa media, non circa finem; quia cum electio ſit præacceptio, præſupponit amorem finis, qui ſit ratio diſcernendi & unum alteri præferendi. Electio autem prudenter fieri debet, ut recta ſit & honeſta; eligendo ſcilicet quod efficacius eſt & rectius conducens ad debitum finem obtinendum: quia recta electio eſt fructus ad quem tendit deliberatio. In deliberatione enim prudentia, quæ conſiliativa dicitur a S. Thoma, inquirit media ad finem, & ex his excogitatis iudicat unum præ ceteris eligendum utpote magis aptum. Igitur ſi voluntas aliud minus idoneum eligat, agit contra prudentiam & rectam rationem; cum prudentia communiter definiatur habitus cum recta ratione electivus, vel recta agibilium ratio.

Sextus finis effectus dicitur imperium; & eſt actus practicus intellectus imperantis uſum ſeu executionem mediorum: & vocatur imperium monaſticum, quo intellectus practicus ex efficacia electionis habitæ poſt prudens conſilium & deliberationem imperat potentiis omnibus internis & externis, ipſi etiam voluntati, in qua poſt electionem datur uſus activus ſeu executio, quæ poſt electionem vincenda ſupereſt, ut media adhibeantur & exequantur quæ tamquam ad finem magis idonea electa fuere. Plerumque enim contingit voluntatem non exequi ea quæ elegerat & obſervanda propoſuerat, propter naſcentes difficultates tum ex parte paſſionum quæ rebellant, tum ex circumſtantiis quæ in deliberatione & electione non fuerunt præviſæ, tum ex parte ipſiuſmet voluntatis quæ inconſtans eſt & remittit ex priſtino intentionis fervore: & ita, evaneſcente cauſſalitate ſeu motione finis, omnes ſupra expoſiti effectus vani ſunt & inu-

inutiles, & operans quaſi in media via ſubſiſtit, niſi recta ratio præcipiat & prudentia ſtimulis conſcientiæ voluntatem impellat. Unde S. Thomas omneſque Philoſophi communiter inter partes prudentiæ numerant memoriam, ſollicitudinem ſeu vigilantiam, circumſpectionem, & cautionem contra totidem defectus prudentiæ oppoſitos; ſcilicet oblivionem, negligentiam, inconſiderationem, & inconſtantiam.

VII. *De uſu mediorum, & aſſecutione, ſeu fruitione finis.*

Imperium ſequitur ſeptimus finis effectus, qui eſt uſus activus voluntatis exequentis præceptum: qui actus omnino diſtinguitur ab electione; cum habeat obiectum formaliter diverſum. Electio enim verſatur circa media ut futura; uſus autem media attingit ut præſentia & in executione ponenda per egreſſum actualem a potentiis externis, quas applicat voluntas per actionem virtualiter tranſeuntem, iuxta exigentiam & difficultatem negotiorum occurrentium & præintenti finis naturam: quod non levem ſæpe addit difficultatem; ad quam prompte celeriterque ſuperandam, opus eſt novo conatu, ita ut ſæpe frangatur animus, niſi virtute conſtantiæ ac perſeverantiæ roboretur. Hic autem uſus dupliciter ſumitur: ſcilicet active, & paſſive. Active ſumptus eſt actus elicitus voluntatis applicantis ſeipſam aliaſque potentias ad exequenda media prædicta; ut volitio dandi eleemoſynam aut ieiunandi: paſſive autem eſt ipſa executio; v. g. elargitio eleemoſynæ aut ieiunium.

Mediorum uſui ſeu actuali eorum executioni ſuccedit aſſecutio finis eiuſque fruitio, quæ eſt octavus finis effectus; & eſt omnium humanorum actuum complementum & corona, ex quo ſequitur quies in agente. Idcirco aſſecutio finis eiuſque fruitio definitur quies in fine poſſeſſo: & eſt velut fructus operantis. Ad fruitionem quippe uſus terminatur, ſicut motus ad quietem; deſiderium & animæ contentio ad rei concupitæ poſſeſſionem. Hinc uſus eſt circa media; fruitio vero circa finem. *Ea re frui dicimur* (ait S. Auguſtinus lib. XI. de Civit. Dei cap. XXV.) *quæ nos non ad aliud referenda per ſeipſam delectat; uti vero ea re quam propter aliud quærimus. Unde temporalibus magis utendum eſt quam fruendum, ut frui mereamur æternis.*

Ceterum quies illa quæ fruitionis nomine intelligitur, eſt quidem ceſſatio motus quo tenditur in finem; ſed non ideo eſt mera operationis cuiuſcumque privatio. Eſt enim actus vitalis voluntatis, quæ in poſſeſſione boni amati & obtenti ſuaviter conquieſcit, ut explicat S. Auguſtinus *ibid. cap.* x.

Dices. Tametſi actus virtutum non ſint ultimus finis, ſed media ad ipſius finis conſecutionem; poteſt nihilominus vir iuſtus prudenter frui, delectari, & conquieſcere in iiſdem actibus virtutum. Igitur fruitio non eſt minus mediorum quam finis; ideoque licitum eſt frui non ſolum fine, ſed etiam mediis. Reſp. actus virtutum non eſſe pura media, ſed media ſimul & finem, quibus non illicitum eſt frui. Nam cum fruitio ſit finis non minus quam mediorum; illicita quidem eſt in puris mediis quæ nullatenus habent rationem finis, licita econtra prudenter, & rationabiliter cenſenda eſt in mediis non puris, ideſt in his quæ licet ſint media, habent ſimul rationem finis. Et ut ſolutio quæ eſt magni momenti, melius intelligatur, ſciendum quod docet S. Auguſtinus *loc. cit.* ubi ait: *non eſt alia vita hominis otioſa atque culpabilis, quam male utens, & male fruens. Frui vero* (iuxta eumdem ſanctum Doctorem lib. I. de Doctr. Chriſt. cap. III.) *eſt amore alicui rei inhærere propter ſe ipſam: uti autem, quod in uſum venerit, ad id quod amas, obtinendum referre.*

Medium itaque duplex eſt: purum ſcilicet, & non purum. Media pura dicuntur quæ ita neceſſaria ſunt & utilia ad finem conſequendum, ut nullatenus ſint per ſe appetibilia, ut pharmacum. Non pura vero quæ & propter ſe ſunt appetibilia; ſub quo reſpectu ſunt finis: & ulterius conducunt ad nobiliorem finem aſſequendum, & in tali reſpectu habent rationem medii. Huiuſmodi ſunt actus virtutum, qui ſunt propter ſe expetibiles, ac ſimul inſerviunt ad obtinendum ultimum finem. Verum cum magni referat ad mores noſſe quid liceat amplecti ut medium non purum, & ita eo frui ac delectari; quidve ut medium purum, quo ſolummodo utendum eſt: paulo fuſius hæc ſunt explicanda. Medium duplex.

Nota igitur, illud in moralibus ſpectandum eſſe ut purum medium quod naturam rationalem nec perficere nec meliorem reddere poteſt. Idcirco ex dictis neceſſario ſequitur quod rem aliquam eatenus appetere licet, quatenus nobis eſt bona: quia malum velle, nefas eſt. Unde cum id quod naturam rationalem nec perficere, nec meliorem reddere poteſt, ſecundum ſe ſpectatum non ſit nobis bonum quo frui & delectari liceat, ſequitur, quod hoc ſpectandum ſit ut purum medium,

ſive ut utile, ſive ut neceſſarium ad idquod nobis bonum eſt, ideſt ad illud quod poteſt noſtram rationalem naturam perficere melioremque reddere.

Quare temporalia quantumcumque ſenſibus delectabilia, ut fama, honor, rerum abundantia, quibus nos utimur ſine ſenſu voluptatis, ſunt pura media; quibus dumtaxat uti licet, nullatenus frui: quia naturam rationalem nec perficiunt, nec meliorem reddunt; immo amor illorum, qui dicitur cupiditas, eam inficit & corrumpit. Igitur abuſus eſt, non uſus, ac proinde peccatum, delectari prælationis honore & nominis celebritate: quia turpis vanitas eſt. Idem dicito de aliis: cum ex S. Auguſtino aliud hominis peccatum non ſit quam frui utendis, & uti fruendis. Idcirco circa intentionem finis & quotidianum rerum uſum maxime vigilare debet Chriſtiana pietas.

Actus Chriſtianæ virtutis ſunt media ad ultimum finem, ut *Matth. cap.* XIX. colligitur. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva Dei mandata.* Sunt tamen media non pura; ideſt ſunt etiam finis, quorum poſſeſſio animam perficit melioremque reddit. Hinc propter ſe expeti poſſunt, illiſque frui poſſumus, ut ſimul liceat eis uti tamquam fine & mediis. Unde Chriſtus ait Matth. cap. VI. *Quærite primum regnum Dei, & iuſtitiam eius; & hæc omnia adiicientur vobis.* Verum, quia opus iuſtitiæ in hac vita undequaque perfectum eſſe nequit, iuſtus in eo penitus non conquieſcit; ſed ſicut deſiderat cervus ad fontem aquarum, ita eum fontem ipſe deſiderat quem qui ſemel deguſtaverit, non ſitiet in æternum. Ille autem fons eſt ultimus finis ac vera beatitudo.

§. V.

De finis diviſione.

Finis alius internus, alius externus. Finis dividitur primo in internum ſeu operis, & in externum ſeu operantis. Finis internus ſeu operis eſt ille ad quem actus proxime ac immediate tendit & terminatur. Sic ſublevatio pauperis eſt finis internus & immediatus eleemoſynæ: quia eleemoſyna proxime & immediate tendit ad ſublevandum pauperem. Hinc finis ille dicitur finis operis, & eſt plane idem cum obiecto; & bonitas quam habet actus ex fine intrinſeco ſeu operis, eſt ipſi eſſentialis. Finis externus ſeu operantis eſt ille ad quem actus remote & mediate, ideſt mediante fine interno, refertur. Sic remiſſio peccatorum eſt finis externus eleemoſynæ in eum finem collatæ: quia ait Sapiens Eccli. cap. III. *Ignem ardentem extinguit aqua; & eleemoſyna*, mediante pauperis ſublevatione, *reſiſtit peccatis*. Hinc finis dicitur operantis, non vero operis: quia hoc opus, nempe elargitio eleemoſynæ ſive pauperis ſublevatio, non tendit nec ordinatur ex natura ſua ad peccatorum extinctionem ſeu remiſſionem, ſed ex intentione operantis. Quare bonitas quam actus accipit ſeu deſumit a fine externo, non eſt ipſi eſſentialis, ſed accidentalis tantum.

Finis qui, cuis & quo. Dividitur ſecundo finis in finem *qui*, *cui* & *quo*. Finis *qui* eſt res illa ſeu obiectum quod per media obtinere intendimus ſeu optamus. Unde dicitur etiam finis ut *res*, vel finis obiectivus, vel finis *cuius*, ſcilicet cuius conſequendi gratia aliquid fit. Finis *cui* eſt ſuppoſitum cui quæritur res, quæ eſt finis *qui*. Finis vero *quo* eſt poſſeſſio finis obiectivi, ſeu actio qua finis obiectivus poſſidetur. Sic Deus eſt finis obiectivus hominis; viſio beatifica eſt finis *quo*, vel ut alii dicunt, finis formalis.

Ultimus & intermedius. Alius tandem eſt finis ultimus, quem ita intendit voluntas, ut in eo ſiſtere velit: ſive in eo ſiſtere debeat; & tunc dicitur finis ultimatus, qualis eſt ſolus Deus: ſive in eo ſiſtere non debeat, ſed ulterius progredi; & tunc dicitur ultimus reſpective, qualis eſt pecunia reſpectu avari. Alius eſt finis non ultimus ſeu intermedius; & is eſt ad quem actio ita refertur, ut ipſe ad ulteriorem finem referatur.

§. VI.

De iis quibus proprium eſt agere propter finem.

Res omnes, ſive rationales, ſive irrationales, ſive præditæ ſenſu, ſive ſenſu expertes, aliquo modo operantur propter aliquem finem; immo 1. 2. *quæſt.* 1. *art.* 2. docet D. Thomas, *quod omnia*, quoquo modo, *agentia neceſſe eſt agere propter finem*. Nam inter cauſſas ad invicem ordinatas hæc eſt ſubordinatio, ait hic Sylvius, ut ſi prima ſubtrahatur, neceſſe ſit alias ſubtrahere. Quare cum prima cauſſarum omnium ſit finis, eo quod materia non conſequatur formam, niſi ſecundum quod movetur ab agente, & hic non operatur niſi ex intentione finis: ſequitur, quod ſi finis ſubtrahatur, nulla aliarum cauſſarum quidquam cauſſabit. Hoc ſanctus Doctor *Lib. III. Gent. cap.* 11. late probat contra quorumdam antiquorum errorem, qui ſtatuebant ac vole-

Omnia agunt propter finem, ſed diverſimode.

lebant omnia fieri ex materiæ neceſſitate. Verumtamen valde diverſus eſt modus quo agunt propter finem rationales creaturæ ac aliæ omnes, ſive irrationales, ſive ſenſitivæ, ſive ſenſu expertes. Etenim quæ ratione ſunt præditæ ſe ipſas ad finem movent: quia per liberum arbitrium, quo etiam præditæ ſunt, habent propriarum operationum dominium; idcirco habent in ſua poteſtate in finem propoſitum cendere, & ſe ipſas ex prævio rationis iudicio ad eum finem movere, ſeu propter eum finem agere vel non agere. At vero creaturæ quæ ratione carent, non proprie ſe ipſas movent in finem, ſed in eum tendunt propter naturalem inclinationem quaſi ab alio motæ: quoniam vel non cognoſcunt finem, cuiuſmodi ſunt creaturæ inſenſibiles; vel ſi etiam finem cognoſcunt, rationem tamen finis non cognoſcunt, hoc eſt ordinem & habitudinem finis ad media, & convenientia ac proportionem mediorum ad finem. Licet enim creaturæ irrationales quæ ſenſum habent, cognoſcere poſſint rem quæ eſt finis, & etiam cognoſcere poſſint ſeu per potentiam æſtimativam apprehendere rem illam eſſe ſibi convenientem; ordinem tamen atque dependentiam, quæ eſt inter rem hanc & illa media quibus nata eſt acquiri, non cognoſcunt. Rationales autem non ſolum rem eam quæ eſt finis, apprehendunt ut ſibi convenientem, ſed etiam cognoſcunt habitudinem, ſeu proportionem ac dependentiam finis & mediorum. Huiuſce cognitionis ſignum eſt, quod homines, quando de aliquo bono acquirendo, vel de malo tollendo ſeu arcendo conſultant, ita loqui ſolent: Hoc bonum eſt ad iſtud: iſtud eſt bonum contra hoc. Et hinc fit, quod homines poſſint ordinare media in finem. Irrationales autem creaturæ nihil ordinare poſſunt in finem: quia ordinare media in finem eſt rationis; quod fieri nequit ſine cognitione illius habitudinis ſeu dependentiæ quæ eſt mediorum ad finem, ut ex D. Thoma *loc. cit. ad 2.* Unde bruta agunt quidem propter finem; ſed mota ab alio, non a ſe ipſis. Si autem dicatur, bruta habere in ſe ipſis principium agendi; idcirco movere ſe ipſa: reſpondeo cum D. Thoma, bruta eo quod habeant potentiam cognoſcitivam quæ eſt principium directivum motus, & appetitivam quæ eſt veluti principium imperans motum, a ſe ipſis revera moveri (ut ait Philoſophus *lib.* VIII. *Phyſic.*) quatenus nimirum poſſunt ex ſe ipſis motum inchoare tum propter præviam imaginationem excitatam ab obiectis in phantaſia, tum propter ſenſitivam appetitionem. Verum non habent bruta in ſe ipſis virtutem quæ ſit ordinativa mediorum in finem; ſine qua non ſufficit ea habere in ſe principium motus, & propter illum poteſtatem ſe ipſa movendi.

Nec officit exemplum de cane eſuriente poſito in vinculis, qui cum non poſſit propter vincula conſequi cibum ſibi propoſitum, nititur vincula diſrumpere ut cibum accipere queat, medium ita ordinans in finem; ſicuti facit etiam, dum inſequens cervum pervenit ad trivium, ubi explorat odoratu an cervus primam, vel ſecundam, vel aliam viam tenuerit. Nam non movetur in primo caſu ad ruptionem vinculorum ex deſiderio cibi tamquam finis ſibi oblati, ac ad eum ordinans ruptionem vinculorum tamquam medium; ſed ſimul movetur ad eum cibum & vinculorum infractionem, quatenus ex eis integratur unum obiectum totale ſui appetitus, quod eſt cibi conſecutio. In ſecundo pariter caſu non movetur ad inquirendam odoratu viam quam tenuerit cervus, quaſi diſcurſu utatur; ſed ſolo naturali impetu & odoratu movetur ad cervum per eam viam inſequendum in qua odorem percipit, quem non ſentit in aliis viis.

Si autem quæratur, a quo moveantur creaturæ irrationales in finem: reſpondeo moveri ab auctore naturæ qui rerum omnium fines & media, mediorumque habitudinem & ordinem cognoſcit ac ordinat, naturaleſque propenſiones rerum imprimit, ut omnia tendant in finem vel apprehenſum, ſicuti animalia bruta, vel non apprehenſum, ſicuti ea omnia quæ omnino cognitione, ac imaginatione carent: ut in tali propoſito D. Thomas. Nam tota irrationalis creatura comparatur ad Deum, ſicut inſtrumentum ad agens principale.

§. VII.

De ſpecificatione quam actus humani recipiunt a fine extrinſeco.

Non ſecus ac ab obiecto, a fine quoque extrinſeco ſeu operantis deſumunt actus humani ſuam ſpecificam moralitatem, ſeu eſſentialem eorum moralem bonitatem vel malitiam; ut docet ſcriptura *Matth. cap.* VI. ſub figura oculi ſimplicis & nequam: & D. Auguſtinu. Enarr. II. in Pſalm. XXXI. *Non enim*, ait, *valde attendas quid homo faciat, ſed quid cum facit aſpiciat.* Finis enim ex-

extrinſecus ſeu operantis eſt ultimus ipſius terminus, in quem actus illius tendit: Etenim ideo hunc vel illum actum operatur, ut finem quem ſibi propoſuit, obtineat. Quocirca finis extrinſecus ſeu operantis habet rationem cauſſæ & termini. Cauſſæ quidem; quia excitat ad operandum, v. g. ſanitas intenta ad quærenda & adhibenda remedia: termini quoque; quia, hoc fine obtento, agens quieſcit. Quare tot addi poſſunt actioni operantis moralitates, quot ſunt fines qui ab ipſo intenduntur: v. g. in eleemoſyna præter levamen alterius miſeriæ, qui eſt finis obiectivus operis, poteſt intendi & ſatisfactio pro peccatis, qui eſt actus pœnitentiæ; & gloria Dei, qui eſt actus caritatis erga Deum; & eiuſdem cultus, qui eſt actus religionis; & ſuffragium pro animabus Purgatorii, qui eſt actus miſericordiæ ſpiritualis; & impetratio divinorum auxiliorum, qui pariter eſt actus religionis & caritatis erga ſe ipſum. Et idem dicito de furto pecuniæ, quod fieri ab aliquo poteſt & ut illa proximum ſpoliet, qui eſt finis obiectivus furis; & ut illa pravo uſu ſive adulterii contra caſtitatem, ſive homicidii contra caritatem & iuſtitiam abutatur.

Dixi *a fine extrinſeco*: ad quem ſcilicet opus non ex ſe, ſed ex ſola operantis intentione ſeu ordinatione dirigitur; ut dum quis orat ut credatur iuſtus, furatur ut ſe inebriet. Nam de fine intrinſeco, ad quem opus ex natura ſua tendit independenter ab operantis intentione (ut in ieiunio corporis mortificatio, in eleemoſyna ſublevatio pauperis) iam diximus agentes de obiecto: quandoquidem hic finis cum illo coincidit.

A fine igitur etiam extrinſeco recipiunt actus humani ſuam ſpecificam moralitatem, ſeu moralem bonitatem vel malitiam: quando nempe dum ex obiecto ſunt indifferentes, morales fiunt; ideſt eſſentialiter boni vel mali in genere moris, ex intentione ſeu fine operantis, & ex malis redduntur peiores, vel ex boni meliores. Et hæc eſt communis apud Doctores. Actus autem dicitur indifferens, quando nulli ſubiacet legi, ſeu a nulla lege eſt præceptum: ut deambulatio, comeſtio &c. Si tamen hæ fiant ob finem malum, puta deambulatio luxus oſtentandi, comeſtio gulæ inordinate explendæ cauſſa; ſpeciem ſeu naturam malitiæ a tali malo fine accipiunt, ita ut ex indifferentibus malæ moraliter reddantur: bonæ vero, ſi fiant ob finem bonum, ſcilicet deambulatio ut ex hoc animi levamine promptius ac liberius divino quis reddatur ſervitio, comeſtio ut ſolum percipiatur opportuna refectio. Facit de malo etiam peiorem actum finis malus, ideſt dat actui novam ſpecie vel numero malitiam, ſi finis ſpecie aut numero differat ab obiecto: quia talis malitia redundat in actum qualis reperitur in fine, cum, utpote magis intentus, malitiam ſuam non minus, immo magis communicat actui quam ipſum obiectum, ut omnes fatentur. Ac ideo ſi fureris gladium ut hominem interficias, reus eris duplicis ſpecie peccati: furti nempe, & homicidii. Item ſi clavem fureris ut fureris poſtea pecuniam, veſtes &c. committis duplex numero furtum. Dico, *ut fureris poſtea*: nam ſi eodem tempore moraliter fureris ab eodem utrumque, unicum eſt numero furtum, licet gravius. Aliud eſt, ſi a diverſis perſonis: quia diverſam numero inferres iniuriam etiam eodem tempore. Facit actum ex bono malum; immo malum ſimpliciter: quia tunc vicem gerit obiecti, ac proinde tribuit actui ſpeciem, ideſt eſſentiam malitiæ moralis; puta ſi quis ieiunet vel faciat eleemoſynam ob vanam gloriam. Et quod dicitur de fine malo reddente actum malum peiorem, hoc idem valet de fine bono reddente actum moraliter malum peiorem.

Advertendum I. Ubi fureris ad inebriandum, ſufficit ſi declares in confeſſione furtum & ebrietatem, etiamſi non declares relationem medii: quia malitia quam deſumit medium a fine, eſt tantum extrinſeca & denominationis. Si tamen non poteſt malitia finis & medii ſatis exprimi ſine dicta relatione, eſt aperienda.

Advertendum II. Si medium mortale dirigat ad finem venialem, ut furtum gladii ad oſtentationem; & econtra medium veniale ad finem graviter malum, ut furtum cultri ad homicidium; ſatis eſt confiteri quod eſt mortale, nempe in primo caſu furtum gladii, in ſecundo homicidium: quia non tenemur venialia confiteri.

Finis extrinſecus bonus actum ex obiecto iam bonum meliorem reddit, & econtra.

Nota, quod quando finis extrinſecus bonus eſt, actum iam bonum ex obiecto meliorem reddit, & malum pariter ex obiecto peiorem: ideſt quando obiecto ſua ineſt bonitas quæ voluntatem movet & allicit, tunc bonitas quæ in actum ex fine profluit, non eſt bonitas eſſentialis, ſed accidentalis tantummodo; nempe non conſtituit ſpeciem ſeu naturam illius bonitatis, ſed iam ab obiecto conſtitutam auget. Nam quod rei in ſua eſſentia conſtitutæ advenit, ipſi eſt accidentale. Igitur ex ordinatione talis actus in ulteriorem finem ei omnino ſuccreſcit bonitas

adin-

Digitized by Google

adinſtar formæ cuiuſdam accidentariæ; ita ut illa ipſa bonitas poteſt adeſſe & abeſſe ſine ulla eiuſdem actus mutatione. Ut ſi quis v. g. miſericordia indigentiæ alicuius commotus velit dare ei eleemoſynam, actus ille iam conſtituitur in eſſentiali ſua bonitate; ita ut ad quemcumque finem referatur, ſive pœnitentiæ ut peccatis ſuis ſatisfaciat, ſive religionis, maneat ſemper actus miſericordiæ; quia bonitas ex fine operantis mutationi eſt obnoxia, non autem quæ ex obiecto promanat. Hinc habitus ſuam non deſumunt ſpeciem a fine operantis: cum illi conſtantes ſint & fixi; finis vero exterior variabilis pro libito operantis. Quod tribuit ſpeciem habitibus & naturam, tribuit ſpeciem & actibus: cum habitus ſpeciem habeant ab obiecto, quatenus in illud per actus elicitos tendunt ac verſantur. Igitur actus qui verſantur circa bonum obiectum, ab eo ſpeciem ſuam & eſſentialem bonitatem deſumunt. Non enim virtus ſuperior inferioris virtutis actum imperat, niſi prout in ſua ſpecie iam conſtitutum. Sic actus martyrii a caritate imperatus, ab obiecto fortitudinis ſpeciem ſuam & bonitatem depromit; neque eius mutatur natura, quod is ad ulteriorem finem referatur: talis quippe ordinatio eſt poſterior natura, eamque non facit, ſed factam ſupponit.

Aliquando finis habet rationem proximi & totalis moveri.

Aliquando vero finis habet rationem proximi & totalis motivi: cum ſcilicet in obiecto nulla extat bonitas, aut nulla ipſius habetur ratio. Ut ſi quis ambulet ob Dei cultum, ita ut ambulationis delectatione non moveatur; tunc patet, eſſentialem bonitatem actus a fine proficiſci, non ab obiecto: ut docet Ariſtoteles *V. Ethic. cap.* II. furantem ſcilicet propter adulterium magis adulterum eſſe quam furem. Hinc notat Iuveninus, quod etiam reſpectu actus boni ex obiecto, poteſt finis extrinſecus conferre eſſentialem bonitatem actui reduplicative ut imperato a voluntate: quia, ut conſideratus prout imperatur a voluntate, præcipue reſpicit finem operantis; ſiquidem voluntas ex efficacia finis ab operante intenti movetur ad obiectum. Unde ſequitur, unum actum poſſe pertinere ad virtutes ſpecie diverſas; ad unam ſcilicet ut elicitam, ad aliam ut imperatam: ſicuti patet in eleemoſyna, quam ſi quis elargiatur ut Deo pro peccatis ſatisfaciat, habet ſpeciem iuſtitiæ; & prout ordinatur ad pauperis miſeriam ſublevandam, ſpeciem habet miſericordiæ. Dupliciter igitur actus humani recipiunt ſuam ſpecificationem a fine extrinſeco. Principaliter ac abſolute, quando obiectum non eſt per ſe bonum, ſed indifferens; vel ſi quæ ſit in eo bonitas, nullo modo ad eam attendimus: & tunc eſſentialis bonitas electionis, ideſt actus ut eliciti, repetitur a fine; cum tunc finis ſit motivum primarium, immo & adæquatum electionis. Secundo, quando obiecto ſua ineſt bonitas quæ voluntatem movet & allicit: & tunc bonitas quæ ex fine profluit in actum ut elicitum, eſt ipſi, ut iam diximus, tantummodo accidentaria, cum in tali caſu non conſtituat naturam bonitatis, ſed iam conſtitutam ſupponat.

Nota, actus humanos eſſe indifferentes qui ex ratione obiecti nec boni, nec mali ſunt moraliter, eo quia a quavis lege nec imperati ſint, nec vetiti. Sed de his ſuſius infra.

Inquiri hic ſolet a Theologis, an actus malus in bonum honeſtumque finem relatus, ſeu factus ob bonum finem, deperdat ſuam malitiam, aut ea ſaltem illi imminuatur: num peccet v. g. vel ſaltem levius qui mentiatur ad ſalvandum innocentem. Communiter, paucis exceptis qui ſomniant licitum eſſe mentiri ob gravem cauſſam, reſpondent, finem honeſtum non tollere integre malitiam actus mali: ut patet ex Scriptura *I. Reg. cap.* XV. ubi damnatur Saul, eo quod reſervaſſet quædam ſpolia in Amalecitarum cæde contra divinum præceptum, licet ob bonum finem ea in ſacrificium offerendi. Hinc aſſerit S. Auguſtinus, iuſte reprobari eos qui dicunt, faciamus mala ut eveniant bona.

Actus malus numquam a bono fine honeſtari poteſt.

Ad malitiam moralem ſatis eſt unum deficere eorum quæ ad rectitudinem actus ſunt requiſita: quia malum ex quolibet defectu. Unde ubi medium eſt malum, actus etiam ſimpliciter malus eſt.

Obiicies illud Matth. cap. VI. Si *oculus tuus*, ideſt intentio tua, *fuerit ſimplex*, *totum corpus tuum*, ideſt opus, *lucidum erit*, ideſt bonum. Et ſimilia habentur ex Sanctis Patribus, præcipue Ambroſio *Offic. lib. I. cap.* XX. Et Auguſtino *Enarr. II. in Pſalm.* XXXI. ubi ait: *Bonum opus intentio facit*. Hinc recepta eſt illa ſententia: *Quidquid agant homines, intentio iudicat omnes*. Reſp. Scripturæ & Sanctorum Patrum textus nihil continere in contrario ſenſu noſtræ ſententiæ. Nam intentio non eſt ſimplex, niſi quando eſt recta; nempe quando bonus finis intendatur: ſine qua conditione recta eſſe nequit. Hinc Chriſtus Dominus damnavit perſequentes Apoſtolos, putando ſe obſequium præſtare Deo.

Dices. De duobus malis minus eſt eligendum. Minus autem malum eſt mentiri quam perire innocentem. Ergo eligi poteſt mendacium ut innocens ſalvetur. Reſp. negando conſequentiam: quia non eſt malum reſpectu tui quod pereat innocens, ubi non potes eum ſalvare niſi mentiendo: & ſic non tibi duo mala proponuntur.

Inſtabis. Abraham, Iacob, & Iudith mentiti ſunt: & tamen excuſantur; quia ob bonum finem hoc fecerunt. Reſp. Abraham, dicendo Saram uxorem ſuam ſibi eſſe ſororem, veritatem dixiſſe: quia ſoror ei erat ex parte matris, ſecundum Interpretes. Idem fecit Iacob, cum ſe dixit Eſau: quia talis erat in non perſona, ſed in iure, ob vendita ſibi primogenita, ſicut Ioannes dictus eſt Elias non in perſona, ſed in ſpiritu. Iudith vero dicunt uſam fuiſſe verbis amphibologicis, non mendaciis.

Ceterum minuitur malitia actus ob finem bonum ſive honeſtum ad quem dirigitur: & eſt communis in ter Doctores paucis exceptis contrarium ſentientibus. S. enim Auguſtinus *lib. contra mendac. cap.* VIII. ait: *Peior eſt qui concupiſcendo, quam qui miſerendo furatur*. Et S. Auguſtinum ſecutus eſt D. Thomas 2. 2. *quæſt.* cx. *art.* 2. ubi ait: *Quanto bonum intentum eſt melius, tanto magis minuitur culpa mendacii*. Gravitas enim peccati deſumitur ex affectu ad peccatum. Hinc quando actus malus ordinatur ad finem bonum, profecto minor eſt ad peccatum affectus: quia non tam amatur quod in peccando placere ſolet, quam ratio utilitatis quæ in eo detegitur relative ad bonum quod procurare poteſt.

Ad id vero quod obiici poſſet ex S. Auguſtino, furem, totum ablatum in eleemoſynam impendendo, potius peccatum multiplicare quam imminuere; ac proinde actum malum volitum ob bonum non imminui in ſua malitia: reſpondeo S. Auguſtinum dicere quidem, addere peccata furem qui totum furatum in eleemoſynam impendat; non quia dat eleemoſynam præciſe, ſed quia dando non habet amplius unde reſtituat.

§. VIII.

De diverſis modis quibus ſpectari poteſt finis ultimus.

Finis ultimus ſpectari poteſt dupliciter: obiective ſcilicet, & formaliter. Finis ultimus ſpectatus obiective eſt res bona quæ intenditur; formaliter vero ſumptus eſt ipſa rei poſſeſſio. Res porro quæ eſt ultimus finis obiective, debet eſſe ſummum bonum; alioquin aliud ultra eam eſſet appetendum; & ita non omnia referrentur ad eam, nec in ea appetitus acquieſceret. Idcirco ultimus finis, ſummum bonum, beatitudo ſaltem reſpectu Intellectualium, omnia ſunt ſynonima, idem prorſus ſignificantia.

§. IX.

De diverſo modo quo ſpectari poteſt beatitudo obiective accepta.

Beatitudo ſumpta obiective dupliciter ſpectari poteſt. Primo confuſe ſeu indeterminate, & iuxta rationem univerſalem ſummi boni, abſtrahendo ab omni bono ſumpto ſpecifice: ut videre eſt in eo qui incertus in quo felicitas ponenda ſit, animum ad plura converteret, puta ad divitias, ad voluptates, ad honores, experturus an in illis poſſit acquieſcere. Is ageret quidem amore finis ultimi; ſed confuſe & indeterminate. Secundo, beatitudo ſeu finis ultimus ſpectari poteſt diſtincte & determinate: ut ſi quis rem determinatam, puta Deum vel gloriam mundi, ſibi proponat tamquam ſummum bonum, & illud conſequi nitatur.

§. X.

De propoſito hominis quoad ordinationem omnium ſuarum operationum in ultimum finem.

Inquirere hic ſolent Theologi, num homo, quæcumque vult & operatur, omnia ſemper velit & agat propter finem ultimum. Ad cuius ſolutionem præter ea quæ antea diximus de ultimo fine ſeu de beatitudine quoad duplicem reſpectum quo accipi poteſt obiectum (nempe ſive ſub ratione maxime communi, ſeu confuſe & indeterminate, ſive generaliter; & formaliter, ſeu determinate & ſpecifice) ulterius.

Notandum I. finem ultimum duplicem eſſe poſſe, videlicet ſecundum quid & ſimpliciter, & abſolute. Finis ultimus ſecundum quid eſt ultimus tantum in aliquo particulari negotio, v. g. ſanitas reſpectu ſumptionis cibi, medicinæ, advocationis medici: ideo enim quis ſumit cibum, potionem, pharmacum, medicum advocat, ut ſuæ conſulat ſanitati. Finis ultimus ſimpliciter & abſolute talis econtra eſt finis non alicuius tantum particularis negotii, ſed totius vitæ; ita ut opera omnia totius vitæ ad illum referantur, ipſeque omnibus dominetur. Finis ul. timus duplex.

No-

Homo tripliciter legere poteſt propter finem.

Notandum II. hominem tribus modis agere poſſe propter aliquem finem: formaliter ſcilicet, virtualiter, & interpretative. Agit formaliter propter ultimum finem, quando in operatione actu de illo cogitat, & actum hunc explicite elicit, volo finem hunc. Agit virtualiter, cum operans actu quidem de illo non cogitat, nec elicit expreſſe hunc actum, volo finem illum; ſed agit ex vi cogitationis, & ex vi actus quo ipſum ſibi propoſuit. Agit interpretative, cum operatur id quod ad eum refertur, ſive de eo fine cogitaverit antea, ſive non, ſive illum ſibi propoſuerit, ſive non. Hiſce poſitis

Dico hominem ſemper agere *interpretative* propter ultimum finem ſimpliciter & abſolute ſpectatum, ſeu ſpectatum indeterminate in communi ratione boni. Ultimus enim finis ſimpliciter & abſolute eſt beatitudo, quæ eſt expletio naturalis appetitus. Unde cum nihil faciat homo, niſi ut expleat naturalem appetitum: ſequitur, quod propter hanc ſuam beatitudinem, ideſt propter ultimum finem, ſimpliciter tamen & abſolute, ideſt indeterminate & generaliter ſumptum, ſemper id operetur quod ad illum refertur, ſive antea de illo cogitaverit actu, ſive non. Igitur homo ſemper agit propter ultimum finem, ſeu id ſemper operatur quod ad ſuam beatitudinem ſive veram ſive apparentem refertur; cum in omnibus ſuis actionibus ſaltem implicite eam appetat. Ita ut ſi ab ipſo inquiratur, quare operatus ſit? ſemper ſtatim reſpondebit, Ut bonum habere poſſit: quod denotat interpretativam voluntatem beatitudinis, quæ in ſolo bono conſiſtere & inveniri poteſt. Hinc ait S. Auguſtinus lib. x. de Civit. Dei cap. I. *Omnium certe ſententia eſt qui ratione uti poſſunt, beatos eſſe omnes homines velle.*

Dixi, *indeterminate* & in communi: quia finis ultimus hominis determinate ſumptus eſt Deus ipſe, in quo ſtat noſtra vera beatitudo. Verum homo quidquid vult, non vult propter Deum: cum de eo non cogitet; vel etiam ab eo ſe avertit ut ſe ad creaturas convertat. Idcirco non operatur propter finem ultimum determinate ſumptum.

Dixi *interpretative*: quia homo non ſemper agit actu ſeu formaliter propter finem ultimum ſimpliciter & abſolute. Nam agere propter aliquem finem formaliter, eſt de illo cogitare, eumque per aliquem explicitum actum intendere. Homo autem non ſemper actu cogitat de fine ultimo ſimpliciter & abſolute etiam cum deliberate agit, nec ſemper per actum explicitum eum deſiderat: hoc eſt non ſemper, cum deliberate agit, elicit hunc explicitum actum, volo finem ultimum ſimpliciter & abſolute. Idcirco non ſemper homo agit formaliter propter ultimum finem ſimpliciter & abſolute.

Nequit homo intendere ſimul duos fines ultimos & adæquatos.

Finis ultimus ſecundum D. Thomam 1. 2. *quæſt.* I. *art.* 3. eſt ille cui omnia ſubiciuntur quæ ſunt in hominis poteſtate. Nam ultimus finis omnino affectui hominis dominatur. Non poſſunt tamen dari duo ſupremi domini voluntatis, quibus omnes omnino ſubiiciantur affectus: quia ſaltem amor unius amori alterius non ſupponetur; alias uterque finis eſſet ſupremus dominus. Idcirco impoſſibile eſt voluntatem intendere duos ultimos fines diſparatos: proinde non poteſt homo ſimul & ſemel operari propter duos fines ultimos ſimpliciter & abſolute, juxta illud Matth. cap. VI. *Nemo poteſt duobus dominis ſervire.*

Inſuper ut homo intendat duos fines ultimos ſimpliciter, ac propter eos agat, neceſſe eſt ut eos deſideret: quod eſt impoſſibile. Nam finis ultimus ſimpliciter debet explere & ſatiare appetitum. Si autem poſſent duo fines ultimi ſimpliciter deſiderari, ac propter eos quis poſſet operari; ſequeretur, quod appetitus expletus non eſſet ex unius conſecutione: quod repugnat rationi finis ultimi, qui debet eſſe ita ſatiativus, ut nihil relinquatur extra ipſum appetendum. Igitur voluntas non poteſt ſimul intendere duos fines ultimos ſimpliciter & totaliter; ac proinde non poteſt homo propter duos fines ſimpliciter operari.

Item vel homo unum & illis finibus ad alium referret, vel non. Si primum; finis quem ad alium referret, non eſſet finis ultimus ſimpliciter: cum ſit de ratione finis ultimi ſimpliciter, ut ad alium finem non referatur. Si ſecundum; finis ille quem homo ſibi ultimo proponeret, non eſſet quoque finis ultimus ſimpliciter. Nam de ratione finis ultimi ſimpliciter eſt, ut omnes ad illum referantur, ipſeque aliis omnibus prædominetur. Igitur nullatenus fieri poteſt ut homo ſimul appetat duos fines ultimos ſimpliciter & totaliter, ac propter illos operetur.

§. XI.

De beatitudine.

Definitio beatitudinis. Beatitudo intellectualis creaturæ explicatur ſeu definitur a Boetio, *Status bonorum omnium aggregatione perfectus*; a Tullio vero Oratorum principe, *Bonorum omnium, ſecretis omnibus malis, cumulata complexio.* Hiſce conſonant Sancti Patres Auguſtinus, & Thomas Aquinates: a quorum altero *lib. de Civit. Dei cap.* XI. vocatur beatitudo *Rerum omnium optandarum cumulata plenitudo*; & ab altero 1. 2. quæſt. II. art. 1. *Bonum totaliter quietans & ſatians appetitum.*

Ejus diviſio. Obſervandum vero, beatitudinem multipliciter dividi. Et primo in naturalem quæ naturæ rationali ſecundum ſe conſideratæ convenit, & quam creatura ſolis ſuæ naturæ viribus aſſequi poteſt: & eſt ſtatus bonorum omnium naturalium aggregatione perfectus: & in ſupernaturalem, quæ vires excedit naturæ, & ſolis gratiæ auxiliis poteſt acquiri. Secundo, in beatitudinem vitæ, qua homo Deo coniungitur per amorem cuius capax eſt in præſenti vita; & in beatitudinem patriæ, qua homo continua & ſempiterna operatione bono coniungitur increato per viſionem intuitivam divinæ eſſentiæ, ut in ſe eſt. Tertio, alia eſt beatitudo eſſentialis quæ circa primarium obiectum beatificans verſatur; puta circa divinam eſſentiam: alia accidentalis, quæ occupatur circa inferiora obiecta; puta circa Chriſti humanitatem, cognitionem creaturarum extra Verbum &c. Quarto, alia eſt eſſentialis tantum perfecta; alia quæ omnibus numeris completa eſt: Priore fruuntur animæ beatorum poſt mortem quando nihil eis purgandum remaneat; poſteriorem non habebunt, niſi poſtquam in reſurrectione univerſalis iudicii ſua reſumpſerint corpora. Quinto, alia eſt beatitudo obiectiva; & eſt res illa ſeu obiectum, cuius poſſeſſione ſatiatur hominis appetitus: alia formalis. Et hæc nihil aliud eſt quam operatio, qua cum ſummo voluptatis ſenſu ſeu fruitione poſſidetur ſummum bonum, ſeu res illa quæ beatitudo vocatur obiectiva. Et de his præcipue operæ pretium eſt ut aliquid hic dicamus.

§. XII.

De vera hominis beatitudine obiectiva.

Mirum non eſt, quod veteres Philoſophi verſantes inter ſuperſtitioſas gentilitatis caligines, & Hæretici qui a vero lumine receſſerunt, veluti cæci in tanta mentis obſcuritate quæ non niſi ſupernaturalis fulgoris adminiculo ſupernaturales veritates deprehendere valet, variis eorum captioſis ſpeculationibus in varia abierint placita circa beatitudinis obiectum, ipſum inquirentes inter ſæculi bona; quæ ſive ſint corporis ſive animi, ſive fortunæ quæ totus continet quod in mundo bonum vocari ac concipi poteſt, ita ſunt infirma & exigua, ut rationalis appetitus numquam in iiſdem conquieſcere valeat, ut fit in poſſeſſione veræ beatitudinis: quæ proinde neutiquam in realiqua creata, ſed unice in Deo vero bono inveniri poteſt & acquiri.

Nullum bonum creatum explere poteſt hominis appetitum rationalem. Et quoad primum ex ipſa beatitudinis natura res facile comprobatur. Nam de eſſentia beatitudinis eſt, ut ita plene ac perfecte rationalem expleat appetitum, ut cum ipſi optandum aliquod ſemper remaneat, omnino in eo conquieſcat: quod a nullo creato bono haberi poteſt; quia ad hoc ut ſaturetur humanus appetitus, neceſſe eſt ut bonum poſſideatur, quod in pleniſſima ſua perfectione complectatur ac contineat meliora bona quæ umquam excogitari queant. Ex hoc enim tantummodo haberi poteſt, quod intellectus æque ac voluntas contenti ſint, ut ideo quieti reddantur. Cum autem hoc a nullo creato bono haberi poſſit; in nullo horum haberi poteſt beatitudo: idcirco in nullo creato bono excogitari poteſt ac ſtatui verum beatitudinis obiectum, ideſt beatitudo obiectiva.

Inſuper quia obiectum beatitudinis non ſolum implere debet rationalem appetitum; ſed etiam conſtans eſſe debet ac permanens, & ſuperius homine, ipſumque perficere, ac ideo immunem reddere ab omni miſeria; alias illum non bearet: nullum profecto; ſi iuſce vitæ bonum, ſive corporis, ſive animi, ſive fortunæ, (quæ tria, ut iam diximus, complectuntur quidquid boni in naturali ordine inveniri queat & excogitari) hoc præſtare poterit. Nam omnia huiuſmodi bona tranſitoria ſunt, homine inferiora, nec ita illum perficere poſſunt, ut ab omni omnino miſeria expers reddatur. Quocirca non poſſe veræ beatitudinis eſſe obiectum, nemo non videt.

Nec ſolummodo hæc terrena bona ſunt inſufficientia ad hoc ut habeant rationem beatitudinis obiectivæ, ideſt ut hominem felicem reddant ſigillatim accepta; ſed etiam ſi omnia cumulatim ſimul ſumantur: quia ne tunc quidem pariter valent liberare homi-

minem a miſeriis infirmitatum, tum corporis, tum animæ, aliarumque calamitatum quibus ſubiecta eſt humana conditio; ac proinde humanum nequeunt explere appetitum. Unde S. Auguſtinus concludit: *Bonorum ſumma nobis Deus eſt; Deus eſt nobis ſummum bonum, nec infra nos remanendum eſt, nec ultra quærendum.* Hinc

Solus Deus illum explere poteſt.

Quoad ſecundum patet evidenter, Deum nempe ſolum eſſe obiectivam noſtram beatitudinem, ſeu unicum obiectum in quo vera noſtra felicitas ſubſiſtit; ac proinde in eo tantummodo beatos eſſe nos poſſe. Etenim Deus eſt vere ſummum bonum hominis, quod bona alia omnia in ſe contineat: ac ideo ita plene explere poteſt ac perfecte rationalem appetitum, ut cum nihil aliud illi remaneat optandum, non tantum in ejus poſſeſſione conquieſcat, immo nonniſi in eius poſſeſſione quietem invenire poſſit; ut teſtatur D. Auguſtinus lib. I. Confeſſ. cap. 1. *Feciſti nos Domine ad te: inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te.* Et hoc confirmat D. Thomas 1. 2. Quæſt. 11. art. 8. in quo ſic diſcurrit: *Obiectum voluntatis quæ eſt appetitus humanus, eſt univerſale bonum, ſicut obiectum intellectus eſt univerſale verum. Ex quo patet, quod nihil poteſt quietare voluntatem humanam, niſi univerſale bonum, quod non invenitur in aliquo creato, ſed in ſolo Deo: quia omnis creatura habet bonitatem participatam.*

Hinc ſequitur I. hominem neceſſario appetere ultimum finem in communi, & ſemper agere illa generali intentione ad ultimum finem; libere vero ſe determinare ad ultimum finem in particulari, qui vere non eſt alius niſi Deus, principium finiſque cuiuſque rei.

Sequitur II. hominem non teneri quidem actuali intentione tendere in Deum in omni ſua operatione: eo quia actualis intentio requirat actualem mentis intentionem & cogitationem, quam homo habere nequit, dum mortalem hanc vitam degit; cum talis intentio ſit propria beatorum ſpirituum perfectio, qui dum etiam incumbunt ad ſupremam illorum deputationem, nempe ad hominum cuſtodiam, *vident faciem Patris.* Tenetur tamen intentione ſaltem virtuali omnia opera ſua ad Deum referre, ſicut ad hoc implendum invitat Divina Scriptura Pſalm. CIV. *Quærite Dominum, & confirmamini; quærite faciem eius ſemper*: & Matth. cap. VI. *Quærite ergo primum regnum Dei, & iuſtitiam eius*: & I. ad Corinth. cap. X. *Sive ergo manducatis, ſive bibitis, ſive aliud quid facitis; omnia in gloriam Dei facite*; quæ loca explicantur in ſenſu præcepti, & non conſilii, ut a S. Auguſtino *lib. 11. de ſerm. Dom. in monte cap.* XXV. & ad D. Thoma *lect.* III. Et merito: nam finis ultimus ex omnium conſenſu ille cenſetur ad quem omnia ſunt referenda. Idcirco, cum vera ratio ultimi finis non ſit niſi in Deo, omnia hominum opera ad ipſum ſunt ordinanda. Et quia Deus, qui eſt primum movens, omnia ad ſe ipſum movet, & adducit animata, & inanimata, & irrationabilia neceſſario, rationabilia libere; & quia cum appetitus humanus tendat neceſſario in beatitudinem in communi, officium eſt rectæ rationis inveſtigare in quo beatitudo iſta conſiſtat, & cum inveniat eam extra Deum vere non extare, iuxta pondus propriæ innatæ naturaliſque inclinationis, omnia ſua opera debet ad ipſum ordinare ac referre; & eo vel maxime quod a tali ordine pendet conſecutio beatitudinis perfectæ, & proprie dictæ in patria, utpote quæ deſignata ſit a divina providentia in præmium iis qui ad ipſam in hac vita, ſeu in hoc ſtatu viæ, ſuas operationes ordina vere, ideſt iis qui propter Deum eiuſque gloriam operati ſunt.

§. XIII.

De beatitudine formali.

Quid ſit beatitudo formalis.

Cum beatitudo formalis, ut iam antea vidimus, conſiſtat in poſſeſſione ſummi boni, quæ eſt actus poſtremus ultimi finis; eo quia per talem poſſeſſionem. Beati efficimur, quod eſt effectus formalis beatitudinis: merito dici poteſt, illam eſſe modum quo mens creata per ſummum bonum præſens ac poſſeſſum redditur beata; ſive eſſe ſtatum creatæ mentis in ſummo bono viſo & amato gratiſſime quieſcentis; vel ſuaviſſimam creatæ mentis adhæſionem ſeu coniunctionem cum Deo præſenti ac poſſeſſo. Quare beatitudo formalis communiter definiri ſolet *ſummi boni poſſeſſio, vel delectatio mentis creatæ in ſummo bono præſenti ac poſſeſſo.*

In qua ſita ſit.

Eſſentia vero huius beatitudinis a Theologorum Scholis diverſimode conſtituitur. Nam alii, ut Thomiſtæ, volunt eam conſiſtere in intuitiva Dei viſione per quam obiectum præſens & facie ad faciem, ut I. *ad Corinth* cap. XIII. ait Apoſtolus, intuemur. Alii vero, ut Scotiſtæ, ſtatuunt illam in amore fruitivo, quo ſummo & incommutabili bono, tamquam fini ultimo, præſenti ac poſſeſſo adhæremus. Alii tandem in gaudio, ſeu in intimo ac ſuaviſſimo creatæ mentis ſenſu, quo ſummo ſuo bono coniuncta ſic affici-

Digitized by Google

ficitur, ut nihil ultra expetat, ſed in eo tamquam in immenſo quodam deliciarum pelago veluti abſorpta conquieſcat. Nam facultates omnes bonis omnibus explentur, & (ſicuti ait Scriptura) veluti inebriamur voluptate domus Dei, & torrente voluptatis eius potamur. Hoc autem gaudium quo a Deo præſenti ac poſſeſſo perfunduntur beati; dicitur primarium & beatificum, ad differentiam gaudii ſecundarii & acceſſorii, quod non eſt niſi beatitudinis quædam appendix; quo nempe gaudio beati gaudent ſe eſſe beatos, ſeu de ſua beatitudine.

Triplex luminis genus in mente noſtra a Deo infunditur. Verum triplex eſt in nobis gradus cognitionis, ſive triplex luminis genus in mente noſtra a Deo infunditur. Nempe lumen naturæ, quo Deum ipſum multaque alia naturaliter cognoſcimus: lumen gratiæ ſeu Fidei per Ieſum Chriſtum; quo myſteria divina nobis innoteſcunt: puta Trinitatis, perſonarum in una divina eſſentia: lumen gloriæ; quo Deus revelata facie ſe ipſum beatis in ſua gloria a ſe conſpiciendum præbet. Huic triplici lumini triplex amor reſpondet. Naturalis, ſeu naturæ inclinatio qua in noſtrum ſummum bonum propendimus: amor ſupernaturalis, ſive caritas, quam Spiritus Sanctus per Ieſum Chriſtum in nobis infundit, ut, terrenis prorſus deſpectis, cæleſtia tantummodo inquiramus: amor denique fruitionis, quo Deo præſenti & poſſeſſo, tamquam ſummo bono, inenarrabili voluptate perfunduntur adhærentes beati. Amor vero quo Deum naturaliter ſive etiam ſupernaturaliter diligimus, eſt tantum amor viæ, ſeu amor deſiderii, qui ſpe tantum, non reipſa non ſalvos facit optantes diſſolvi & eſſe cum Chriſto; amor vero patriæ eſt amor adhæſionis ſeu fruitionis, quo mentes beatorum intime Deo coniunguntur. Deum igitur videbunt beati, ipſum amabunt, in eoque delectabuntur.

Nota quod lumen gloriæ, ſi ſpectetur in Deo a quo profunditur, nihil aliud eſſe videtur quam Deus ipſe, quatenus mentem creatam ſupernaturaliter illuminat, eamque ad intuitivam ſui viſionem ad quam naturæ viribus pervenire nequit, extollit. Si vero ſpectetur reſpectu mentis creatæ in qua recipitur, dici poteſt ſeu definiri *ſupernaturalis illuſtratio mentis creatæ, qua Deus ipſi revelata facie videndum ſe exhibet*. Cum autem hæc illuſtratio non ſtatim tranſeat, ſed menti hæreat, iure ac merito claritas mentis creatæ appellatur. Mentem enim creatam denominat talem, ideſt videntem, ſummum ens ſeu Deus, cuius intuitiva viſio omnem mentis creatæ vim ita excedit, ut niſi per gratiam cuique tribui poſſit; cum nulla creata ſubſtantia effingi queat Deo æqualis, ſed neceſſario eſt Deo inferior; ac ideo neceſſe eſt ut ſupernaturali adminiculo gratiæ evehatur ut Deum intuitive videat. Ex illis tamen actibus viſionis, amoris ſcilicet & gaudii, videtur gaudium ſempiternum conſtituere felicitatis ſuæ eſſentiam, & per gaudium ſempiternum congrue explicari.

§. XIV.

De gaudio conſtituente ſupernaturalem beatorum felicitatem.

Quia felicitas eſt boni fruitio, & hæc cuiuſcumque actus eſt terminus & quies; non apparet, quomodo melius reponi poſſit felicitas ſeu beatitudo quam in gaudio; quod revera eſt illud quod conſequitur viſioni & amori tamquam terminus: & eſt illa delectatio in qua animus delectatur & conquieſcit. Cum enim beatitudo formalis ſit ſtatus creatæ mentis, quo in ſummo bono viſo & amato, tamquam in ultimo ſuo fine, omnimode expleta & ſatiata ſuaviſſime, dulciſſime, ac iucundiſſime conquieſcit; huiuſcemodi ſtatus profecto melius haberi nequit quam in perfecto gaudio, quo a Deo tamquam ſummo bono poſſeſſo ac præſenti mens beata perfunditur. Gaudium enim ſeu voluptas mentis nihil eſt aliud quam intimus ille ſuaviſſimuſque ſenſus, quo a præſenti poſſeſſo bono ea ſuaviſſime afficitur. Unde ſi bonum illud ſit ſummum, delectatio quoque ſeu voluptas perfecta eſt omnino & completa, qualem percipiunt beati; qui proinde nihil ulterius quærunt, ſed perfecte contenti bono quod poſſident, in ipſo quieſcunt. Igitur beatitudo formalis conſiſtit in ſummo creatæ mentis gaudio, voluptate, ſeu delectatione.

Opponunt Thomiſtæ, beatitudinem formalem eſſe ſummi boni poſſeſſionem. Summi autem boni poſſeſſio habetur per viſionem beatificam, ut habetur *Io. cap.* XIV. ubi Philippus alloquens Chriſtum ait: *Oſtende nobis Patrem; & ſufficit nobis*. Igitur in viſione beatifica beatitudo formalis conſiſtit. *Reſp.* diſtinguendo maiorem. Beatitudo formalis eſt ſummi boni poſſeſſio, quatenus ſummum bonum præſens ac poſſeſſum mentem poſſidentis ineffabili perfundit gaudio; & hoc conceditur: ſecus vero negatur. Nam licet beatitudo formalis ſummatim dicatur ſummi boni poſſeſſio; in hac tamen præciſe poſſeſſione ea non conſiſtit: cum talis poſſeſſio beatum non reddat poſſidentem, niſi prout

in

in ipſo delectationem parit. Ex ipſa enim poſſeſſione, veluti effectus a cauſſa, delectatio producitur, quæ eſt gaudium, felicitas, ac ideo formalis beatitudo; itaut ſi ex tali poſſeſſione delectatio non reſultaret ſeu pareretur, minime poſſidentem bearet. Unde non aliter dicitur beatitudo formalis ſummi boni poſſeſſio, niſi prout mens creata per eam poſſeſſionem in ſummo bono præſenti ac poſſeſſo gratiſſime conquieſcit. Poſſeſſio autem ſummi boni non conſiſtit in viſione beatifica niſi inadæquate & incomplete. Summum enim bonum per talem poſſeſſionem intime creatæ menti coniungitur. Hæc porro coniunctio non fit per ſolam viſionem; ſed etiam per amorem, per quem magis etiam quam per viſionem Deo adhæremus; cum amor ſit conatus mentis, quo mens pendet ſe ſummo bono applicare. Quocirca circa clare ſequitur, completam Dei poſſeſſionem non ſola viſione, ſed viſione & amore contineri.

Sola viſio non beat.

Quoad teſtimonia vero Scripturæ & Sanctorum Patrum, quæ adducuntur & adduci poſſent in contrarium noſtræ ſententiæ; ideſt quod ab illis viſio beatifica beatitudo dicatur: reſpondeo ita dici, quia viſio Dei ſic cum gaudio beatifico coniuncta eſt veluti eius cauſſa ſeu occaſio, ut ſine ea ſtare nequeat, ut Pſalm. XVI. *Satiabor, cum apparuerit gloria eius;* non quia in ſola viſione Dei beatitudo ac felicitas conſiſtat. Immo ſcriptura & Sancti Patres non ſolum mentionem faciunt ſeiunctim viſionis ſeu cognitionis Dei, ſed frequenter etiam ſolius voluptatis, ſtudii, quietis, & pacis: ut Matth. cap. XXV. *Intra in gaudium Domini tui*: Jo. cap. XVI. *Gaudium veſtrum nemo tollit a vobis.*

Non ſolus amor.

Opponunt Scotiſtæ, beatitudinem formalem conſiſtere in actione præſtantiſſima; ac proinde in amore, qui eſt actus præſtantiſſimus. Reſp. negando quod beatitudo formalis in actione huiuſmodi conſiſtat: cum illa ſit ſtatus creatæ mentis in ſummo bono iucundiſſime quieſcentis; qui ſtatus eſt potius affectio paſſiva quam actio creatæ mentis quæ delectatur in bono poſſeſſo, ſeu ab eo ſumma voluptate afficitur. Non enim nos ipſi beamus nos, ideſt non ſumus nos auctores beatitudinis noſtræ; ſed Deus nos beat, ſeu gaudio perfundit. Igitur verum non eſt beatitudinem conſiſtere in actu præſtantiſſimo.

Viſionem & amorem beatificum conſequitur & comitatur ineffabile gaudium & delectatio, iuxta illud Pſalm. XIX. *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo: delectationes in dextera tua uſque in finem.* Et quidem gaudent beati in primis de bono divino. Vera enim amicitia, qualis eſt charitatis, gaudet de bonis amici. Lætantur & gaudent de bono proprio, ſeu de felicitate qua fruuntur in Deo tamquam proprio bono. Quod gaudium non elicitur a ſpe, ut ait Suarez: quia non manet in patria, utpote quæ feratur in bonum futurum & arduum; in patria vero omne bonum præſens eſt & poſſeſſum. Gaudent de bonis aliorum Sanctorum, apud quos non erit invidia nec diſplicentia imparis claritatis: quoniam regnabit in omnibus unitas caritatis. Unde S. Gregorius *Homil.* XVI. *in Ezechiel.* hæc habet: *Etſi diſpar erit meritum ſingulorum, non erit diverſitas gaudiorum: quia etſi alter minus, atque alius amplius exultat; omnes tamen unum gaudium de Conditoris ſui viſione lætificat.*

Viſionem tamen ſimul & amorem gaudium ſequitur ſempiternum.

Viſio intuitiva Dei parit ulterius in beatis firmitatem & ſecuritatem de ſua perſeverantia, quatenus eos reddit impeccabiles. Quia cum peccare ſit deficere a ſummo bono, quo nullus recedere poteſt niſi deluſus falſa ſpecie boni apparentis, iuxta vulgare effatum; *Omnis peccans ignorans*, & illud Prov. *cap.* XIV. *Errant qui operantur malum;* vel ex inadvertentia, ut *lib.* IV. *contra Gentes cap.* XII. notat D. Thomas: impoſſibile eſt profecto beatis quod peccent, utpote qui ob claram Dei viſionem, perfectamque ipſius poſſeſſionem, deceptioni non ſunt obnoxii vel inadvertentiæ. Beati enim Deum videntes, non vident in ipſo niſi quod verum eſt: & cum tali viſione neceſſario attendant ad Deum, qui ſolus & totus omnes animæ eorum potentias occupat; neceſſario attendunt ad id quod a peccando deterrere poteſt. Idcirco non poteſt eis occurrere ulla inadvertentia, quæ ſit ipſis cauſſa peccati.

§. XV.

De affectionibus beatitudinis. De beatitudine corporis.

Tametſi proprie & rigoroſe loquendo beatitudo ad animam tantum pertinere debeat; cum Deus in cuius intuitiva viſione beatitudo formaliter conſiſtit, ut eſt ſpiritualis, obiectum ſit ſolius animæ, quæ pariter eſt ſpiritualis, non corporis, quod totum eſt materiale, ac proinde viſibilis per oculos mentis & non ſenſus: quia tamen corpus comes eſt animæ in omnibus laboribus & certaminibus quibus anima meritum æternæ felici-

Digitized by Google

licitatis comparare ſibi debet in hac vita, ſtatuit Deus ineffabili ſua providentia & miſeratione, ut ſicuti corpus particeps fuit in merito, ita comparticeps fieret mercedis & gloriæ; ac proinde eadem providentia diſpoſuit ut denuo per reſurrectionem ſuæ iungeretur animæ expers ac prorſus immune omnino ab incommodis omnibus & miſeriis quibus nunc premitur, & præterea quibuſdam dotibus exornatum, ut vera eius felicitas exigit. Quæ omnia ut breviter hic exponantur, ſit ſequens Concluſio.

Reſurrectio carnis debita.

Corpora mortuorum aliquando, nempe die iudicii univerſalis, reſurgere debent contra quam veritatem tantummodo ſenſerunt Sadducæi, quos ſecuti ſunt etiam quidam ex veteribus hæreticis, & hiſce aſſentiuntur ii omnes qui cum ob fœdam eorum vitam non audeant bonum ſibi promittere in futuro ſæculo, in aliam prolabuntur impietatem, ut ſibi effingant non dari infelicitatem ullam quam timere debeant poſt mortem. Contra quos

Comprobant Catholicam veritatem divinarum Scripturarum teſtimonia; ut Iob. cap. XIX. *Scio quod Redemptor meus vivit, & in noviſſimo die de terra ſurrecturus ſum, & rurſus circumdabor pelle mea:* & I. ad Corinth. cap. XV. *Ecce myſterium vobis dico: Omnes quidem reſurgemus . . . . Canet enim tuba, & mortui reſurgent incorrupti*. Et hoc profitetur Eccleſia in Symbolis tum Apoſtolorum, tum Conſtantinopolitano: ibi quidem, *Credo carnis reſurrectionem*; hic autem, *Et expecto reſurrectionem mortuorum*. Ne ulla maior ratio de hac veritate afferri poteſt quam divinæ bonitatis & providentiæ iuſta iudicia: quæ ſicut ſtatuunt ut nullum peccatum, quantumvis leve, ſuam pœnam effugiat, iuxta illud Matth. cap. XII. *De omni verbo otioſo reddent rationem*; ita ne quævis levis actio bona ſuo careat præmio, iuxta illud Luc. cap. XXI. *Capillus de capite veſtro non peribit*.

Hinc fit, ut anima deſumptura ſit idem numero corpus a quo per temporalem mortem ſeiuncta fuit, cum omnibus ſuis membris ac partibus quantumvis minimis, quas antea forte non habebat, vel habuit imperfecte. Omnes tantum intellige partes, quæ non ſint ſupervacaneæ, ſed neceſſariæ ad conſtituendum humanum corpus omnibus numeris perfectum.

Reſurget non ſolum idem omnino numero corpus.

Reſumet anima idem corpus, ut adfirmat cum aliis hic Sylvius, iuxta illud, quod ſupra attulimus ex Iob. cap. XIX. *Rurſum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum, quem viſurus ſum ego ipſe & oculi mei conſpecturi ſunt*. Et Apoſtolus I. *ad Corinth. cap.* XV. ait: *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem*. Si enim anima non reſumeret idem numero corpus a quo ſeiuncta eſt in temporali ipſius corporis morte, non reciperet rurſum pellem ſuam, ſed aliam; nec videret iiſdem ſuis prioribus oculis, ſed aliis; nec corruptibile hoc quod nunc habemus, illud eſſet quod indueret incorruptionem, ſed aliud. Et hoc manifeſtiſſime comprobat Chriſti reſurrectio typus futuræ cuiuſcumque humanæ carnis reſurrectionis, in qua Chriſtus primum ac idem omnino ſecum numero corpus aſſumpſit quod fuerat crucifixum.

Reſurgent homines non ſolum cum eodem ſuo corpore, ſive iuſti ſint, ſive reprobi, ſed cum eodem corpore omnibus etiam numeris perfecto, ideſt cum partibus omnibus quæ habent conſtituere corpus humanum integraliter perfectum, ſcilicet ſine membris ſuperfluis, ſi forſan antea aliquod habuerint, & cum neceſſariis ſi iiſdem antea caruiſſent, & in ætate, ſtatura, magnitudine, & robore, ac totius corporis diſpoſitione quæ convenit ætati hominis perfectiſſimæ, qualis eſſe ſolet triginta trium aut quinque annorum. *In virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti*: ait Apoſtolus *Epheſ.* cap. IV. ideſt in ætate iuvenili, qualis ea fuit in qua dicitur conditus Adam, minime attento annorum numero qui in corpore humano ex annis relinqui ſolet. Et hoc dicitur, non quia Eccleſia quidquam circa rem hanc definierit; ſed ex ſententia gravium Theologorum, qui ita opinantur ea ducti ratione: quod ſicut Deus naturam humanam integram condidit; ita ſine defectu valde probabiliter reparabit. Et hoc licet incertum ſit reſpectu corporum reproborum; cum circa hoc non conveniant D. Thomas & D. Bonaventura: eſt tamen certiſſimum reſpectu corporum electorum. Habetur enim *Philipp. cap.* III. quod Chriſtus *reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ*. Unde ſi Chriſtus ſurrexit integer ſine ullo defectu; integri pariter & in valida ætate reſurgent electi. Status enim beatitudinis poſtulat ut iuſti ſine quovis defectu reſurgant: ac proinde cum illis etiam membris quibus caruerint in hac vita, & ſine ſuperfluis, ſi quæ habuerint; quod non impedit ne homines aſſumant idem numero corpus quod habuere, nec identitatem eius tollit.

Sed perfectum & in ætate perfecta potiſſimum in electis.

Difficultas quæ remanet, non levis eſt momenti, ideſt an tranſitus ad immortalitatem

Omnes morientur, ac reſurgent, quantumvis ad diem iudicii adhuc ſuperſtites.

tem futurus ſit, mediante morte: ita ut qui vivent in terris ipſa die iudicii priuſquam ad iudicium accedant, morituri ſint.

Reſolvitur difficultas cum S. Thoma. *lect.* VIII. *in cap.* XV. *Epiſt. I. ad Corinth.* ſecundum partem adfirmativam. Ait enim Sanctus Doctor: *Licet hæc littera, ſcilicet:* „ Non omnes morimur &c. " *non ſit contra fidem; tamen Eccleſia magis acceptat primam: ſcilicet quod omnes moriemur, ac reſurgemus.* Ita Sylvius cum omnibus Scholaſticis excepto Caietano. Et hoc conſtat ex Scriptura Pſalm. lxxxvIII. *Quis eſt homo qui vivet, & non videbit mortem?* Et ad Hebr. cap. IX. *Statutum eſt omnibus hominibus ſemel mori.* Quæ verba cum generalia ſint, proculdubio in generali ſenſu ſunt intelligenda. Nam ſententia mortis lata eſt in omnes Adæ poſteros. Igitur generaliter in omnibus omnino executioni mandabitur. Et hoc manifeſte confirmat illud D. Pauli I. ad Corinth. cap. XV. *Sicut in Adam omnes moriuntur*, qui nempe ab Adam deſcendunt; *ita & in Chriſto omnes vivificabuntur*, qui nempe ſunt Chriſti per fidem & caritatem. Idcirco omnes electi qui erunt etiam tempore adventus Chriſti, vivificabuntur; ſed non tamen vivificabuntur niſi prius mortui fuerint. *Quod ſeminas*, ait ibidem Apoſtolus, *non vivificatur, niſi prius moriatur.*

Quis enim putare probabiliter poteſt, homines fore qui melioris ſint conditionis ſupra Virginem Deiparam, quæ licet tanti meriti eſſet apud Deum, certe mori debuit, antequam vere reſurgeret, ac ſua peculiari reſurrectione, communem ceterorum hominum reſurrectionem præcedente, aſſumeretur in cælum? Adde quod ex Luc. cap. XXIV. *Oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam*; ideſt *crucifigi, & tertia die reſurgere*: ut ibidem legitur. Ex quo ſequitur, multo magis nullum hominem immunem a morte eſſe poſſe, quamtumvis ad diem iudicii ſuperſtes ſit.

Ne autem anima ex nova cum ſuo corpore unione ab illius imperfectionibus prægravetur, ſicuti in hac mortali vita contingit, unde aliquatenus a pleniſſima ſuæ beatitudinis fruitione retardetur; divina ſtatuit benignitas ac providentia, ut corpora electorum in ſua reſurrectione quibuſdam diſponerentur ac exornarentur dotibus ab anima beata in glorioſum corpus manantibus quibus commutata quodammodo in ſpiritualem materiali eius conditione ſuperſtite, ita ſpiritualitati animæ ſe attemperaret, ut ex huiuſmodi ſui corporis perfectione maiorem potius perciperet anima iucunditatem, quam illius qua donata eſt, ne minimum quidem remitteretur. Nomine dotis quibus corpora electorum ad ſpiritualem perfectionem elevabuntur, intelligunt Theologi diſpoſitionem quamdam ſeu qualitatem ſupernaturalem ab anima beata in corpus glorioſum manantem, quæ illud eidem animæ perfecte ſubiectum reddit.

Corporum glorioſorum dotes.

Quatuor vero ſunt eiuſmodi dotes, quibus ſanctorum corpora donabuntur: videlicet impaſſabilitas, ſubtilitas, agilitas, & claritas. Et has dotes deſumunt Theologi ex D. Paulo I. ad Corin. cap. XV. *Seminatur in corruptione, ſurget in incorruptione. Seminatur in ignobilitate, ſurget in gloria. Seminatur in infirmitate, ſurget in virtute. Seminatur corpus animale, ſurget corpus ſpirituale.*

Impaſſibilitas.

Impaſſabilia erunt beatorum corpora, quatenus erunt incorruptibilia. Nam corpus ſolum corrumpitur & imminuitur, quando partium patitur diſſolutionem, aut aliquem doloris ſenſum. Quare cum futurum ſit ut corpora beatorum perfecte animæ ſubiiciantur: nihil ab intrinſeco recipere poſſunt contra eiuſdem naturæ diſpoſitionem: ac proinde nihil pati quod ſit moleſtum, pœnale, & afflictivum. Unde S. Ioannes in Apocalypſi ait cap. XXI. *Abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum: & mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt.* Non erunt tamen immunes beati a paſſionibus quæ perficiunt & delectant. Unde oculi reficientur viſione tum ſanctiſſimæ Chriſti Humanitatis, tum reſplendentium aliorum beatorum corporum: aures recreabuntur ſono laudis perpetuæ, quam dicent Domino omnes ſervi eius.

Claritas & agilitas.

Reſplendebunt fulgenti claritate ſanctorum corpora, ut Matth. cap. XIII. *Iuſti fulgebunt ſicut Sol in regno Patris eorum.* Item ſumma potientur agilitate: ita ut *imperceptibili tempore* ad ſolum animæ nutum transire valeant ab uno ad alium etiam remotiſſimum locum ſine ullo labore, fatigatione, aut moleſtia: ut Sap. cap. III. *Fulgebunt iuſti, & tamquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent*: ideſt non ſecus ac ignis ſcintillæ quæ arundinetum tranſiliunt, per quamlibet differentiam locorum rapide movebuntur, iuxta illud Apoſtoli I. Theſſ. cap. IV. *Simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Chriſto in aera.*

Dixi *imperceptibili tempore*: non tamen in inſtanti. Alias corpus illud deberet eſſe in eodem inſtanti in termino a quo, ad quem,

& in

& in omnibus locis intermediis. Poteſt quidem Deus ſic replicare corpus: ſed tunc in hiſce diverſis locis immotum conſiſteret. Idcirco non tranſiret ab uno ad alium locum: quod requiritur ad agilitatem & motum: Cum motus localis ſit coexiſtentia rei ſucceſſiva in diverſis locis, nulla mediante quiete.

Subtilitas. Habebunt tandem glorioſa beatorum corpora ſubtilitatem, quæ diverſimode a Theologis intelligitur & explicatur. Nam volunt alii hanc ſubtilitatem eſſe qualitatem quamdam, qua corpus glorioſum redditur alterius corporis compenetrativum ac cum ipſo loco eidem coexiſtens. Et hoc explicant exempla corporis Chriſti, quod ſurrexit clauſo ſepulcro, & ianuis clauſis ad diſcipulos penetravit. Alii vero huiuſcemodi ſubtilitatem (quam expoſuit Apoſtolus, cum I. ad Cor. cap. xv. ait: *Surget corpus ſpirituale*,) putant nihil aliud eſſe quam dotem corporis, ipſum animæ perfecte ſubiiciens ſine neceſſitate ſomni, cibi, potus, alimenti. Ita hanc ſpiritualitatem exponit D. Thomas: non negans tamen, quin corpora glorioſa alia corpora penetrare poſſent, quando Deus voluerit; ſed ſolum dicit hoc eis non convenire ex dote ſubtilitatis, ſecluſa Dei operatione. Immo aſſerit numquam futurum ut duo corpora glorioſa ſimul ſint in eodem loco: qui nulla umquam erit ratio tranſgrediendi ordinem debitum, qui loci diſtinctionem exigit. Sive una tamen ſententia, ſive altera pro genuina accipiatur; utraque tamen confutata remanet petulantia Calvini, qui auſus eſt effingere Chriſtum, dum ex templo ingreſſus eſt ad Apoſtolos clauſos in cœnaculo, aperuiſſe oſtia vel intraſſe per feneſtras. Item tamquam hæretica reiicienda eſt opinio eorum qui ex relatis verbis Apoſtoli inferebant, corpus poſt reſurrectionem mutatum iri in ſpiritum, ſimile futurum aeri & vento: cum utrumque repugnet ideæ reſurrectionis, qualis admittitur ab Eccleſia.

Quoad corpora tamen reproborum, docet D. Thomas I. hæc non reſurgere debere cum ſuis deformitatibus, ut alias diximus: quia cum reſurrectio ſit opus Dei, non ſecus ac ille naturam integram condidit, ſic & integram reparabit. II. Futura tamen incorruptibilia eo incorruptibilitatis genere quod ea iterum mori impediat: & hoc eſt ex fide, nam (ut habetur ex Apocal. cap. IX.) *in illis diebus quærent mortem, & non invenient eam*. III. Fore quidem eadem paſſibilia; ac proinde ſupplicia viviſſime ſentient, ut Luc. cap. XIII. habetur de damnatorum pœnis: *Ibi erit fletus & ſtridor dentium*. In quem locum ait S. Auguſtinus En chir. cap. XCII. *Dolor perpetuus non interimit, ſed affligit: ipſa corruptio non finitur.*

§. XVI.

De perpetuitate beatitudinis.

Sanctorum beatitudo erit perpetua nullique viciſſitudini obnoxia: & eſt de fide. Scriptura enim loquens de noſtra futura beatitudine, eam vocat *hæreditatem in corruptibilem, incontaminatam, inmarceſſibilem, vitam eternam, gaudium quod nemo tollet*: ut I. Petr. cap. I. Matth. cap. XXV. Io. cap. XXII. Et S. Auguſtinus Lib. XV. de Trinit. cap. VII. ait. *Nullo enim modo poteſt eſſe vita veraciter beata, niſi fuerit ſempiterna*. Et hoc in ſuis ſymbolis fidei expreſſe profitetur Eccleſia: *Vitam æternam*. Hæc autem perpetuitas convenit formali beatitudini: quia ſtatus beatitudinis, qualis eſt de facto, ex natura ſua id poſtulare videtur. Nam beatitudo formalis cum conſiſtat in aſſecutione & poſſeſſione ſummi boni, unde voluntatis appetitus expleatur & quieſcat; talis certe ſummi boni aſſecutio eſſe nequit, ſi iuſtorum deſideriis non ſatisfaciat. Cum enim voluntas ſit boni appetitus, tamdiu non adipiſcetur ſummum & omne bonum, quamdiu inquietus erit appetitus. Nihil enim iuſtius ac connaturalius eſſe & excogitari poteſt beato quam cupere non privari ſummo bono; cuius poſſidendi ſi deſit ſecuritas, non poreſt non angi timore, non excruciari dolore. *Quid enim illa beatitudine falſius vel fallacius* (ait S. Auguſtinus lib. XII. de Civit. Dei cap. XX.) *ubi nos futuros miſeros, aut in tanta luce neſciamus, aut in ſumma felicitatis arce timeamus?* Idcirco & ratio ipſa, & ſtatus poſſeſſionis ſummi boni exquirit ut beatus clare cognoſcat, firmumque habeat iudicium & perenne dictamen de ſecuritate ſuæ felicitatis.

§. XVII.

De inæqualitate beatitudinis ſanctorum.

De fide eſt contra Iovinianum, beatitudinem in comprehenſoribus eſſe inæqualem; ideſt non omnes beatos habere eamdem gloriæ menſuram: ut ex Scriptura *Io. cap. XIV.* ubi Salvator ait: *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt*; & I. ad Corinth. cap. III. *Unuſquiſque propriam mercedem accipiet ſecundum laborem ſuum.*

Beatitudo datur ſecundum quantitatem merito-

ritorum, ut I. ad Corinth. cap. III. *Qui parce ſeminat, parce & metet; & qui ſeminat in benedictionibus*, hoc eſt abundanter & copioſe, *de benedictionibus & metet*, ideſt reſtitutionem copioſiorem accipiet. Certiſſimum enim eſt, beatorum merita eſſe inæqualia: *Nam qui matrimonio iungit virginem ſuam* (ait Apoſtolus I. ad Corinth. cap. VII.) *bene facit; & qui non iungit, melius facit*. Et hoc patet etiam ex illa parabola Evangelii *Luc. cap.* XIX. de eo qui acquiſivit decem mnas; & ideo ſuper decem civitates conſtituitur: qui autem quinque, ſuper quinque. Et huc pertinet illa quoque Salvatoris ſententia Matth. cap. XX. *Sedere ad dexteram meam vel ſiniſtram, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt a Patre meo*.

Ex inæqualitate meritorum provenit inæqualitas beatitudinis.

Ex his facile eſt intelligere, merito Concilium Florentinum definiviſſe, animas beatorum intueri clare Deum Trinum & Unum ſicuti eſt: pro meritorum tamen diverſitate, alium alio perfectius. Quod & Synodus Tridentina non obſcure ſignificat *ſeſſ.* VI. *can.* XXXII. Et hæc eſt conſona Sanctorum Patrum mens unaque ſententia, quorum teſtimonia brevitatis gratia omitto.

Dices. Beatitudo eſt ſummum bonum. Summo vero bono nullum eſt maius. Nulla igitur beatitudo eſt altera maior: ac proinde nulla concedi poteſt inæqualitas in beatitudine ſanctorum. Reſp. ſolum Deum vere & proprie eſſe ſummum bonum: quod cum non æqualiter participetur a beatis per eam operationem qua beati conſtituuntur; hinc eſt, quod formalis beatitudo non ſit æqualis. Sicuti neque proprie eſt ſummum bonum; licet ſubinde tradant Doctores quod beatitudo eſt ſummum bonum: eo nimirum ſenſu quo tradit D. Thomas 2. 2. quæſt. III. art. 2. quia eſt ſummi boni adeptio & perfecta poſſeſſio.

Nota, hanc inæqualitatem non impedire beatis ſatietatem in eorum appetitu, quaſi alioquin futurum ſit ut qui minorem alio beatitudinem habet, optet ſibi addi gradum beatitudinis quem videt ſibi deeſſe. Quia omnibus beatis is beatitudinis gradus confertur cuius ipſi ſunt capaces, iuxta ſuæ mentis puritatem ultimamque in qua reperiuntur, diſpoſitionem, & iuxta virtutem ſupernaturalem intellectui eorum ſuperadditam, quæ eſt lumen gloriæ. Cum igitur ſanctorum deſideria ſint ordinata, unuſquiſque cupit ſibi dari beatitudinem, ſecundum ſuam ultimam diſpoſitionem & capacitatem, & ea ſibi collata contentus eſt, neque cupit maiorem: non ſecus ac pueri, qui contenti veſtibus ſuæ ætati ac ſtaturæ congruis nolunt indui veſtibus adultorum, & præſertim longioris ſtaturæ ſibi non aptis, ad quas deferendas impares ſunt. Ita Sylvius

§. XVIII.

De aureola beatorum.

Aureola eſt præmium eſſentiale quod confertur beatis. Dicitur aureola, ſive aurea corona, non ſolum quia beati veluti tot reges regnant in cælis cum Chriſto; ſed etiam quia regnum cælorum non obtinetur niſi tamquam præmium & corona, pro certaminibus & victoriis quæ contra ſpirituales hoſtes reportantur, dum vivitur in terris: unde lætanter dicebat Apoſtolus I. ad Timoth. cap. IV. *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi. In reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus iudex*. Ab aurea dicta eſt aureola, ideſt parva corona; & ita poteſt definiri: *Gaudium accidentale in beatis de ſingulari quadam victoria perceptum, & in corpus ſpeciali fulgore redundans*. A Sylvio vero definitur: *Præmium quoddam accidentale præmio eſſentiali ſuperadditum ob excellentem victoriam*.

Dixi *ob excellentem victoriam*. Non enim quodlibet opus ſanctum meretur aureolam; ſed ſolum inſignis victoria de hoſte: non enim quidquid ſuperadditur eſſentiali præmio, eſt aureola. Nam quod ſuperadditur ex conditione naturæ eius qui præmio afficitur, ut gloria corporis: licet ſit præmium accidentale, non tamen eſt aureola: ſed illud ſolummodo quod ſuperadditur ratione operis, excellentem quamdam victoriam continentis per quam Chriſto victori perfectiſſime homo conformatur. Dicitur *accidentale*. Non quia ſit in genere accidentis: nam & viſio Dei, quæ eſt beatitudo eſſentialis, eſt accidens. Neque quia poſſit deficere (eſt enim perpetuum) ſed quia beatitudini eſſentiali ſuperadditur, non ut ad illam neceſſarium, ſed ut eam exornans. Dicitur diminutive *aureola*: quia nihil poteſt ſuperaddi alicui eſſentiali, quin ſit eo minus. Et ideo quantumcumque parvum ſit præmium reſpondens merito ratione caritatis; eſt tamen maius quolibet præmio accidentali. Quia ſicuti primum principium merendi eſt caritas; ita illud præmium quod correſpondet merito ratione caritatis, eſt primum & principale, ſeu eſſentiale. Unde fieri poteſt ut aliqui ſine aureola ſint magis beati, quantum ad beatitudinem eſſentialem, quam alii qui habent

Digitized by Google

lent aureolas: ſi nimirum caritas illorum ſit maior.

Sicuti vero tres ſunt hoſtes, contra quos certandum eſt; Mundus ſcilicet, Caro, & Diabolus: ita triplicis generis eſt victoria quæ reportari poteſt. Vincunt enim & triumphant Martyres de Mundo ob contemptam mortem, quo malo nullum gravius a Mundo inferri poteſt. Triumphant glorioſæ Virgines de Carne, ſi eius illecebris reſiſtant, & de domeſtico hoſte victoriam conſequantur: nam hæc eſt rara victoria. Triumphant Doctores aliique divini verbi miniſtri & interpretes, quando e cordibus hominum quibus impudens error crudeliter dominatur, illum propellunt ac deturbant. Inter has aureolas quænam ſit potior ac præſtantior, non conveniunt in hac quæſtione Theologi. Nonnulli enim Patres, inter quos præcipue Tertullianus, videntur virginitatem præferre martyrio. *Maius eſt vivere* (ait Tertullianus) *cum caſtitate quam mori pro caſtitate*. Tertulliano conſonat S. Hieronymus, a quo hæc habentur. *Inter omnia Chriſtianorum certamina duriora ſunt prælia caſtitatis, in quibus eſt continua pugna & rara victoria*. Communiter tamen cæteris cenſent anteponendam eſſe martyrii aureolam: Quia pugna Martyrum ſecundum ſe eſt fortior & eos vehementius affligens. Aureola vero ſecundum ſe victoribus eſt debita: hæc enim eſt illorum merces, hoc præmium, hoc bravium. Hinc mos eſt ut pingantur omnes ſancti cum aureola, eo quod receperint immarceſſibilem coronam gloriæ, eiſque radii quidam ignei ſeu lucidi adduntur, iuxta illud: *Sic luceat lux veſtra coram hominibus*. Matth. cap. v. Verum per radios non ſignificatur aureola, ſed aurea, ſive eternæ beatitudinis corona quæ ſanctis omnibus eſt communis. Aureola autem poſſet per alium minorem circulum ſupra alterum exprimi.

Chriſtus non habet aureolam: quia aureolam importat aliquid participative & ſecundum diminutionem, non vero ſecundum ſui plenitudinem: ſcilicet gaudium de aliqua participatione perfectæ victoriæ. In Chriſto enim nihil eſt participativum, ſed plena ratio perfectæ victoriæ, per cuius victoriam omnes alii victores conſtituuntur. Et licet fuerit perfectiſſime Virgo, Martyr, & Doctor: non habet tamen ex hoc aureolam; ſed aliquid omni aureola excellentius.

Beata Virgo licet atrociſſimum paſſa ſit martyrium in anima in morte ſeu Filii: quia tamen non eſt verum martyrium, niſi ratione difficultatis quæ eſt in ipſa pugna martyrii: non fuit vere Martyr. Et ideo non habet aureolam martyrii, eo quia non ſit perpeſſa mortem pro Chriſto, vel pro iuſtitia; ſed in pace dormierit.

Hinc facile ſolvitur difficultas quæ in tali propoſito oriri poſſet circa milites qui occumbunt in bello iuſto, ob rei publicæ defenſionem: ideſt, quod idem ſonat, propter iuſtitiam. Hi enim non propterea ſunt martyres, niſi Rempublicam defendant ab illorum hoſtium impugnatione qui fidem Chriſti ſubvertere moliuntur. Qui ita mortem ſubeunt, vere apud Deum ſunt Martyres, & aureolam Martyrum accipiunt; ut docet S. Thomas cum aliis. Ab Eccleſia tamen non adſcribuntur numero Martyrum, uti vellent nonnulli: quia Eccleſia non ſolet adſcribere inter ſanctos, niſi prævia diligenti inquiſitione. Unde cum talis inquiſitio non tam facile haberi poſſit de occumbentibus in bello; cum aliquando hæretici & ſchiſmatici, aliique facinoroſi homines in bello contra infideles decertent, non habito reſpectu fidei, ſed proprii commodi: idcirco non ſolet Eccleſia eos qui ita mortem oppetiere, ut Martyres agnoſcere ac venerari.

Beata Virgo habuit aureolam Doctorum. Nec ulla de hoc hæſitatio occurrere poteſt: cum ut *Luc. cap.* 11. ſemel iterumque dicatur, quod *conſervabat omnia verba hæc* (Chriſti) *conferens in corde ſuo*. Unde valde credibile eſt, eam Apoſtolis tradidiſſe quæ ſola noverat relate ad Chriſtum & ad fidem, eoſque iis de rebus inſtruxiſſe.

Angelis vero non debetur aureola. Quia cum aureola correſpondeat cuidam perfectioni excellentis meriti, hoc haberi nequit in Angelis, quibus vel connaturalia ſunt quæ in hominibus pertinent ad perfectionem meriti: ut puritas a delectationibus carnis: vel pertinent ad præmium eſſentiale: ut perpetua incorruptio ſpiritus: vel ſpectant ad communem eorum ſtatum; ut actus ſecundum quos homines docent.

Aureola differt a fructu: quia quibuſdam aſſignatur fructus quibus non aſſignatur aureola. Fructus autem hic ſumitur, non ut reſpondet fruitioni, neque ut reficit mentem, neque ut ſignificat remunerationem quamcumque; ſed prout reſpondet ei quod ex ſemine oritur in naturalibus, ubi quanto virtus ſeminis eſt efficacior & terra paratior, tanto uberior ſequitur fructus. Ita enim in ſpiritualibus; ubi verbum Dei quod eſt ſemen ex natura ſua efficaciſſimum, ſeminetur, quanto terra cordis noſtri fuerit Aureola differt a fructu.

para-

Digitized by Google

paratior, tanto ſequetur maior fructus. Unde differt ab aureola: quod ipſa ſit præmium accidentale de excellentia operum; fructus vero de diſpoſitione operantis, ſecundum gradum ſpiritualitatis in quem proficit ex ſemine verbi Dei.

Fructus magis reſpondet continentiæ quam alteri virtuti: quia fructus eſt quoddam præmium quod debetur homini ex hoc, quod a vita carnali in ſpiritualem tranſit. Hoc autem eſt præcipue per virtutem continentiæ: quia cum maxime per delectationes venereas anima carni ſubiiciatur, continentia quæ illas delectationes cohibet, maxime liberat hominem a ſubiectione carnis. Tres fructus docet S. Tho. convenienter aſſignari tribus partibus continentiæ: *triceſimum* continentiæ coniugali: *ſexageſimum* viduali; *centeſimum* virginali.

§. XIX.

De beatitudine ſupernaturali quæ competere poteſt homini in hac vita.

Antequam quidquam ſuper hoc ſtatuatur, pro clariori intelligentia advertendum I. nos hic non loqui de beatitudine perfecta & ſimpliciter dicta, quæ hic haberi nequit. Et primo, quia beatitudo habet rationem termini: cum ſit ultimus finis, qui in hoc ſtatu in quo ſemper viatores ſumus & peregrini, obtineri nequit; eo quia in via quies haberi non poſſit, utpote quæ poſita ſit in ſolo termino. Et exinde præſens vita *Iob* cap. VII. comparatur militiæ, quæ inceſſantem patitur motum & agitationem: *militia eſt vita hominis ſuper terram*: cum non ſit nobis pax a lege peccati quæ eſt in membris noſtris, a tentationibus quæ nos continuo infeſtant & exagitant, a conſcientia quæ nos pungit, a iudicii & gehennæ metu qui nos angit, a morte aliiſque miſeriis ac calamitatibus quæ nos cruciant. Unde exclamabat Apoſtolus ad Roman. cap. VII. *Infelix ego homo! Quis me liberabit de corpore mortis huius?*

Datur etiam in hac vita aliqua beatitudo ſupernaturalis.

Advertendum II. dari, hoc non obſtante, etiam in hoc peregrinationis & miſeriæ ſtatu aliquam beatitudinem ſupernaturalem. Hæc tamen non eſt niſi imperfecta & inchoata, de qua clare loquitur Scriptura; quæ beatos vocat timentes Dominum, ut Pſalm. CXXVII. *Beati omnes qui timent Dominum*: vitam innocuam ducentes, ut Pſalm. CXVIII. *Beati immaculati in via*: paupertatis amantes, ut Matth. cap. V. *Beati pauperes ſpiritu*. Imperfecta vero, & tantummodo inchoata eſt beatitudo qua in præſenti vita potiri poſſumus; & eſt quædam prægustatio futuræ beatitudinis quæ nobis parata eſt omnino plena, ad perfectam ſatietatem percipiendam ac fruendam in patria. Idcirco ita nos invitat Propheta Pſalm. XXXIII. *Guſtate, & videte, quoniam ſuavis eſt Dominus*. Quare non ſolum beati dicuntur iuſti propter ſpem futuræ beatitudinis; ſed inſuper propter ipſius participationem ſecundum aliqualem ſummi boni fruitionem: ut notat D. Thomas I. 2. *quæſt.* V. *art.* 3. *ad* 1. Immo iſta prægustatio tanta ſuavitate afficit & exhilarat animum, ut omnia ſæculi oblectamenta veluti detrimentum arbitretur, ac ab iis tanquam ab incommodis & gravaminibus abhorreat, iuxta illud Apoſtoli ad Philipp. cap. III. *Propter quem* (ideſt Chriſtum) *omnia detrimentum feci, & arbitror ut ſtercora*. Tota hic igitur difficultas remanet, in quo hæc inchoata & imperfecta beatitudo conſiſtat. Priuſquam tamen hoc definiatur, pro clariori intelligentia

Notandum, aliquod dici poſſe imperfectum dupliciter. Nempe ſimpliciter, quia deſit ei aliquid pertinens ad eius eſſentiam. Et ita imperfecta eſt ſupernaturalis beatitudo viæ: quia licet ſit quædam ſummi boni participatio, eſt tamen abſque clara Dei viſione, quæ ad eſſentialem beatitudinem neceſſario requiritur; ac proinde beatitudo viæ non eſt ſimpliciter beatitudo, ſed tantum ſecundum quid. Alio modo comparative. Et ſic beatitudo hominum & Angelorum eſt imperfecta, ſi comparetur cum beatitudine qua Deus beatus eſt: non deſinit tamen eſſe beatitudo ſimpliciter; cum habeat quod eſt eſſentiale beatitudini, & quod ipſorum capacitati eſt proportionatum. His præmiſſis, ad dignoſcendum, in quo conſiſtat hæc imperfecta & inchoata beatitudo viæ, melius hoc fieri non poteſt quam per perfectam beatitudinem patriæ, cuius hæc eſt participatio & initium; ac proinde illa eſt huius perfectio & complementum. Quare ſicuti illa conſiſtit in gaudio, voluptate, ac quiete in Deo ſummo bono poſſeſſo per intuitivam ipſius viſionem & amorem; profecto nonniſi in huius gaudii, voluptatis, quietiſve participatione & aliquali poſſeſſione Dei ſummi boni conſiſtere debet. Ita ut etiam in hac vita ſupernaturaliter contemplari poſſimus Deum per fidem, ſaltem abſtractive in figura: & per amorem caritatis quæ a Spiritu Sancto infunditur in cordibus noſtris, diligere; & tum

Unde dignoſcatur in quo conſiſtat.

tum per tales actus iſtarum virtutum, tum per divinorum mandatorum obſervantiam, iuſti eſſe coram Deo & ſancti; & ideo per divinam ipſius gratiam, eidem ſummo bono coniungi, ipſumque talibus mediis poſſidere. Quando hoc in nobis contingat, exſurgit in mente noſtra initium & participatio ſuperni gaudii, quietis, & felicitatis: quam nonniſi in Deo tali modo eidem coniuncti eumdemque poſſidentes invenire poſſumus, eaque potiri; ut advertit S. Auguſt. in 5. Enarrat. in Pſalm. lxxxiv. *Gaudium noſtrum, pax noſtra, requies noſtra non eſt niſi Deus*. Et de hac beatitudine habetur I. Petr. cap. III. *Vos nunc ſimilis formæ facit baptiſma*: & Pſalmus centeſimus decimus: *Beati immaculati in via*. Hæc autem inchoata beatitudo ſpe a nobis percipitur, ut ad Roman. cap. XII. *Spe gaudentes*. Immo etiam per hanc virtutem, ſeu per ſpem ſupernaturalis beatitudinis, iuſti habent ipſius initium in hac vita tamquam in radice: iuſtitia enim & caritas radix eſt perfectæ beatitudinis, quæ in nobis procul dubio germinabit, ſi illæ non haruerint. Habent igitur iuſti viatores perfectam beatitudinem, non quidem in re, ſed in ſpe certiſſimam, ſi in iuſtitia perſeveraverint, ut ad Roman. cap. VIII. *Spe ſalvi facti ſumus*. Ita hic Sylvius.

Verum cum beatitudo perfecta patriæ, quæ eſt ultimus finis hominis, obtineri nequeat ſine merito; cum ſtatutum ſit a divina providentia ut tamquam merces, præmium, corona rependatur: hinc operæ pretium eſt, ex quo breviter aliqua dixerimus de beatitudine, ut aliqua etiam de eius merito ſummatim dicere proſequamur.

CAPUT VI.

De merito.

MEriti nomen derivativum eſt a merendo, & uſurpatur tum in bonam, tum in malam partem, ideſt pro bono vel malo recipiendo: cum dicatur etiam de perverſis hominibus, ut de fure aliiſque facinoroſis, quod mereantur carcerem, mortem, triremes. Sed communius adhibetur in bonam partem, nempe pro eo quod dignos nos reddit ut aliquod bonum nobis rependatur; ſeu prout eſt correlativum ad mercedem ſeu præmium: & in hoc ſenſu hic aggredimur rationem conditioneſque meriti examinare; ideſt agimus de actibus tantummodo moraliter bonis. Etenim infideles ipſi non ignorant actus moraliter malos non mereri niſi ſupplicium ſeu pœnam. Et meritum in hoc ſenſu acceptum definiri poteſt, quod ſit *opus, cui ex iuſtitia debetur merces*: ſi loquamur de merito proprie dicto. Et circa meritum huius rationis, gravis verſatur controverſia Catholicos inter & hæreticos: num videlicet actus boni revera digni ſint ſeu meritorii relate ad præmium.

Meritum proprie dictum quid ſit.

Suſtinent Pelagiani, actus bonos viribus naturæ elicitos eſſe vitæ eternæ meritorios. Lutherani vero & Calviniſtæ fortiter abhorrent a nomine meriti, adeo ut Calvinus *lib. III. Inſtit. cap. XV. §. 2. & ſeqq.* non erubuerit damnare veteres Patres, utpote qui peſſime providerint fidei ſinceritati, dum uſi ſunt vocabulis meriti & mercedis; cum claris verbis habeantur in Evangelio eiuſmodi locutiones, ut Matth. cap. V. *Merces veſtra copioſa eſt in Cælis*. Hinc eius aſſeclæ illum in hac parte deſerunt, agnoſcentes bona iuſtorum opera eſſe meritoria, non quidem vitæ æternæ, ad quam contendunt non perveniri niſi per ſolam fidem, ſed alicuius temporalis præmii, etiam ſpiritualis. Et hoc non iam ex operum dignitate quæ per ipſos ſunt vera peccata, ſed ex Dei indulgentia eorum fæditatem tegentis.

Ad hoc vero ut funditus evellatur hic principalis error, advertendum, adverſarios duo falſiſſima ſupponere principia. Primum nempe actus elicitos etiam inſpirante ac monente Chriſti ſpiritu, vitiari concupiſcentia & privati amoris fæditate. Idcirco vera eſſe peccata, in reprobis quidem mortalia, venialia vero in prædeſtinatis: intelligentes ea venialia præter Catholicorum ſenſum, qui venialia dicunt ſolummodo peccata levia. Siquidem reiiciunt Novatores hanc peccatorum diſtinctionem in levia & gravia: dum nullum agnoſcunt peccatum quod non mereatur damnationem æternam; ſed veniale vocant in electis quodlibet peccatum, licet in ſe graviſſimum, ut ſacrilegia, homicidia, adulteria &c. quatenus non imputat Deus ea prædeſtinatis. Leviora vero, ut mendacia, iocoſa verba & otioſa, ceteraque huius generis, volunt mortalia eſſe in reprobis, & æternis cruciatibus punienda. Secundum autem, non ſine maxima Dei iniuria meritum aliquod tribui bonis operibus etiam ex gratia elicitis: quia ſi opera noſtra eſſent alicuius meriti, liceret in his confidere, quando tota noſtra fiducia in ſolis Chriſti meritis ſit reponenda.

Hinc varia ſunt nobis examinanda: videlicet primo, utrum opera ex gratia elicita

vere

vere bona ſint & meritoria. Secundo, ſi honeſtum ſit operari ob mercedem æternam. Tertio, an liceat reponere fiduciam in bonis operibus. Quarto, quotuplex ſit meritum. Quinto, quot conditiones ad meritum requirantur. Sexto, quædam cadant ſub merito de condigno. Septimo, quæ ſub merito de congruo.

§. I.

De bonitate, ac merito operum quæ ex gratia ſunt elicita.

Opera quæ ſive ante, ſive poſt iuſtificationem ex gratia eliciuntur, de fide eſt, vere eſſe bona, nec dici poſſe peccata. Et hoc conſtat ex Scriptura, quæ Iob. *cap.* I. *&* II. vocat hominem rectum, ſimplicem, iuſtum, timentem Deum, recedentem a malo, nec in omnibus quæ ipſi acciderunt, peccaſſe labis ſuis. Et hoc etiam definitum fuit a Concilio Tridentino *ſeſſ.* VI. *can.* VII. *&* XXV. contra Novatores; *Si quis in quolibet bono opere iuſtum ſaltem venialiter peccare dixerit; aut (quod intolerabilius eſt) mortaliter, atque ideo pœnas æternas mereri, tantumque ob id non damnari, quia Deus ea opera non imputet ad damnationem; anathema ſit.* Conſona huic veritati eſt perpetua Patrum traditio, ut fuſius videre eſt in Theologis Dogmaticis: cum ſatis cenſeam hic præ aliis adducere D. Auguſtinum, qui *lib. de bono coniug. cap.* VI. ait: *coniugalis concubitus generandi gratia non habet culpam; concupiſcentiæ vero ſatiandæ, ſed tamen cum coniuge, venialem habet culpam: adulterium vero ſive fornicatio letalem habet culpam.* Quid clarius, quæſo, exoptari poteſt? Et duplex ratio hoc comprobat. Primo nempe, quod ſi omnia bona opera eſſent peccatum; cum nullum peccatum faciendum ſit, nulla facienda eſſent opera bona: idcirco Deus non eſſet amandus, colendus, non eleemoſyna elargienda. Secundo quod ſi actiones ex gratia elicitæ eſſent peccata, id oriretur vel ex defectu caritatis intenſioris, vel ex commiſſione peccati venialis. Alias rationes proferre nequeunt adverſarii, quæ inficientur bona iuſtorum opera. Verum nihil horum maculare poteſt mortali labe opera ſupernaturalia. Nam motus concupiſcentiæ quibus reſiſtit voluntas, non ſunt culpabiles: quia nulla datur culpa niſi voluntaria. Quod vero minus ferveat caritas in via quam in patria, reddit quidem actionem minus perfectam, ideſt defectuoſam relative, non vero abſolute; ac ideo non culpabilem, ut teſtatur S. Auguſtinus. *lib. de ſpir. & lit. cap.* XXXVI. nempe quod homo cautus, & timidus, poteſt ſaltem ad tempus vitare peccata etiam venialia. Et hoc *lib. III. contra duas Epiſt. Pelagian.* docet etiam ſanctus Doctor.

Nec officit illud *Eccl. cap.* VII. ubi hæc habentur: *Ille eſt homo iuſtus... qui faciat bonum, & non peccet.* Etenim ibi non dicit Sapiens, hominem iuſtum in ſingulis actibus peccare; cum aſſerat *Proverb. cap.* XXIV. eum aliquando ſurgere: *ſepties enim cadet iuſtus, & reſurget.* Aliæ vero obiectiones videri poſſunt apud Dogmaticos. Hæc autem opera bona elicita ex gratia ſunt ea quæ in homine ſunt æternæ vitæ meritoria. Et hoc ex innumeris divinæ Scripturæ locis manifeſtiſſime conſtat. Nam *Matth. cap.* V. invitat nos Chriſtus ut lætemur ob copioſam mercedem quæ ſanctis noſtris operibus parata eſt in cælo: *Gaudete*, ait, *& exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis*: Et ad *Roman.* cap. II. *Reddet unicuique ſecundum opera eius.* Hoc quoque definivit Concilium Tridentinum ſeſſ. VI. Can. XXXII. & ita perpetua tenuit docetque Patrum traditio, inter quos S. Auguſtinus Epiſt. CXCIV. alias CV. ad Sixtum: *Nulla ne ſunt merita iuſtorum? Sunt plane: quia iuſti ſunt. Sed ut iuſti fierent, merita non fuerunt.... Sicuti merito peccati tamquam ſtipendium redditur mors; ita merito iuſtitiæ tamquam ſtipendium vita æterna.*

Nota, quando legitur in Scripturis & in Sanctis Patribus vitam æternam eſſe gratuitam Dei & eius miſericordiæ elargitionem, nec alias eſſe debitam noſtris meritis, Scripturam Sanctoſque Patres intelligendos eſſe de gratuita retributione æternæ vitæ: & quod ſit gratia ac miſeratio Dei, quatenus Deus gratuito nos ad eam eligit, vocat, ac auxiliis efficacibus alias indebitis perducit; non vero quod miſeratio dumtaxat ſit, nullamque habeat rationem præmii, & mercedis, quaſi ea mercede digna non ſint bona iuſtorum opera. Et hoc habet S. Auguſtinus *lib. de corrept. & grat. cap.* XIII. ubi ait: *Quia vita æterna, quam certum eſt bonis operibus reddi, ab Apoſtolo gratia Dei dicitur: cum gratia non operibus reddatur; ſed gratis detur; ſine ulla dubitatione confitendum eſt, ideo gratiam vitam æternam vocari, quia his meritis redditur quæ gratia contulit homini.*

§. II.

De remuneratione ultra condignum.

Quia æterna beatitudo rependitur meritis, & ſecundum eorum menſuram, occurrit hic difficultas: num Deus remuneret iuſtos ultra condignum. Et adfirmative ſentit hic Sylvius. Et hoc probat. Primo ex *Luc. cap.* XIX. ubi ſervo qui decem mnas acquiſierat, iubetur adhuc dari una, ex qua alter qui eam acceperat, non erat negotiatus. Fundamentum vero huius ſententiæ eſt ſola Dei bonitas & liberalitas, quæ tanta eſt, ut merito exiſtimetur non ſolum reddere iuſtis præmium quod merentur, ſed etiam amplius. Illud vero amplius quod Deus iuſtis tribuit ſupra condignum, conſiſtit in aliqua perfectione viſionis beatæ ac fruitionis, ut utraque quoad gradum & intenſionem futura ſit ex Dei bonitate & liberalitate maior quam ſit debita ex iuſtitia propter merita bonorum operum. Illud autem augmentum gloriæ probabilius eſt quod diſtribuat Deus, non ex inæqualitate meritorum quibuſdam præ aliis, ſed iis etiam qui æqualia habent merita; omnibus tamen ſecundum proportionem, iuxta illud II. ad Corinth. cap. IX. *Qui parce ſeminat, parce & metet; & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.*

§. III.

De conditione beatitudinis quoad eius collationem pro meritis, num etiam non pro meritis conferatur.

Licet beatitudo pro meritis ſanctorum operum conferatur tamquam præmium condignum; inſurgit hic nihilominus difficultas: utrum aliquando etiam non pro meritis tribuatur. Difficultas tamen non verſatur circa Chriſtum Dominum; cum pateat ſine meritis ſtatim ab initio ſuæ conceptionis fuiſſe beatum: ſed difficultas eſt de puris hominibus.

Pro cuius ſolutione reſpondet Sylvius cum aliis communiter, nullum qui capax ſit & opportunitatem habeat merendi, conſequi æternam vitam, niſi eam opere aliquo, ſive externo, ſive interno, mereatur. Nam Scriptura generaliter docet, Deum unicuique redditurum ſecundum proprium laborem & ſecundum ſua opera, ut ad *Roman. cap.* II. I. *ad Corinth. cap.* III. *Apocalypſ. cap.* XXII. & alibi. Dicitur enim, non tribuendam eſſe coronam ei qui legitime non certaverit. Dictum eſt *qui ſit capax*: quoniam pueri & amentes per merita Chriſti in baptiſmo ipſis applicata a reatu originali abſolvuntur, abſque eo quod ipſi ullo proprio actu id meruerint. Idemque erit ſi contingat eos interfici pro Chriſto, vel in odium Chriſtianæ Religionis: ut habetur exemplum in pueris Machabæis & in ſanctis Innocentibus pro Chriſto prope Bethlehem occiſis. De adultis vero de quibus eſt difficultas, varie ſentiunt Theologi contra Tannerum, Valentiam, alioſque, etiam ſine bonorum operum meritis ſalvari. Veluti ſi quis voluntatem baptiſmi aut pœnitentiæ habuerit, cum ea contritione imperfecta quæ etſi non ſufficiat ut per eam quis ſtatim iuſtificetur, ſufficit tamen cum ſacramento, & ipſi ita diſpoſito ſacramentum v. g. baptiſmi efficaciter applicetur quando dormit, etſi ſubito moriatur, priuſquam evigilet.

Servandum tamen in hiſce aliiſque huius generis caſibus (ut de moribundo qui priuſquam adveniat Confeſſarius quem advocaverat, deſtitutus ſenſibus, ipſo præſente, nullum valeat exhibere pœnitentiæ ſignum) beneficio ſacramentalis abſolutionis quæ ita diſpoſito non eſt deneganda, eum conſequi peccatorum remiſſionem & ſalvari. Dixi *in hiſce caſibus* æternam recipi a nonullis ſalutem quam poſt Sacramenti ſuſceptionem per aliqua opera non ſunt demeriti. Non tamen ſine operibus meritoriis eam obtinent: nam actus quibus diſpoſiti fuerunt, antequam ſacramentum eis miniſtraretur, opera bona ſunt; ac inſuper continent voluntatem alia bona opera præſtandi, ſi poſſint. Neque huic ſententiæ obſtat Scriptura univerſaliter adfirmans, Deum unicuique redditurum ſecundum opera: nam recte intelligi poteſt, ſecundum opera quæ quiſque fecerit, aut facere debuerit ac potuerit.

§. IV.

Honeſtum eſt agere intuitu mercedis æternæ.

Quod licitum ſit & honeſtum operari intuitu mercedis æternæ, clare demonſtrant divinarum Scripturarum teſtimonia, ut Pſalm. CXVIII. *Inclinavi cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas in æternum propter retributionem*: & Matth. cap. VI. *Quærite ergo primum regnum Dei & iuſtitiam eius.* S. Auguſtinus in Pſalm. CXX. *Quid eſt? inquit: Neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua. Ideſt quando facis opus bonum, propter vitam æternam fac.* De ratione agentis ratio-

na-

Digitized by Google

nalis eſt, ut dum operatur ut rationalis, cum advertentia videlicet & deliberatione, ſemper propter aliquem finem agat: idcirco licite talis agens intendere poteſt in ſuis actionibus humanis aliquem finem; pharmacum ſcilicet ſumere intuitu ſanitatis, decertare propter victoriam. Igitur licite agere poteſt etiam pro æterna vita, quæ eſt finis ſupernaturalium operationum.

Contra tamen dici poteſt, mercenarii eſſe, agere propter mercedem. Unde cum Chriſtus Dominus damnet mercenarios, ſequitur, illicitum eſſe agere intuitu mercedis. Reſp. mercenarii eſſe, agere propter mercedem tamquam finem principalem, ut non niſi propoſita mercede quis iniunctum opus perficeret: non tamen, ſi merces reſpiciatur tamquam finis operis ſecundarius. Porro iuſtus ita affectus eſt, ut Deo imperanti obſequeretur, etiam ſi Deus mercedem non proponeret.

Quærere hic ſolent Theologi, utrum licitum ſit ponere fiduciam in propriis meritis. Quod ut facilius reſolvatur, duo ſunt obſervanda. Primo nempe, fiduciam nihil aliud eſſe niſi perfectam ſpem, ut ex D. Thom. 2.2. *quæſt.*CXXIX.*art.* 6. Secundo aliud eſſe, fiduciam ponere in bonis operibus, aliud fiduciam ex bonis operibus oriri. Fiduciam ponit in bonis operibus qui ea reſpicit ac numerat; & ex his confidit: ſicuti Apoſtolus ſcribit II. ad Timoth. cap. IV. *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi: in reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ.* Verum quia neſcimus, utrum opera noſtra facta ſint in Deo, ideſt ignoramus num ex his meritis ſimus electi, & propterea in his confidere poſſimus: hac de cauſſa fiducia noſtra quandoque eſt cum metu permixta. Nihilominus Spiritus ſanctus qui in iuſtis habitat, & cuius ope iuſte ſancteque operantur, ut docet Apoſtolus ad Rom. cap. VIII. Teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod ſumus filii Dei: ac dat illis fiduciam Deum tamquam Patrem invocandi. *Non enim*, inquit ibidem Apoſtolus, *accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterum in timore; ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba, Pater.* His præmiſſis.

Ex bonis operibus oritur fiducia in Deum, ut ex Scriptura Tob. cap. IV. colligitur: *Fiducia magna erit coram ſummo Deo eleemoſyna, omnibus facientibus eam*: & Rom. cap. V. *Tribulatio patientiam operatur; patientia autem probationem; probatio vero ſpem.* Et ſic docet Sanctorum Patrum traditio: inter quos S. Ioannes Chryſoſtomus hom. II. in II. ad Corinth. *Optamus*, ait, *ut ex benefactis habeatis fiduciam.*

Ratio autem huius ſententiæ eſt. Quia ſicuti ex malis operibus oritur mala conſcientia; ita bona ex operibus bonis: ex bona autem conſcientia excitatur fiducia. Item ex actibus bonis virtutum boni habitus generantur ac perficiuntur. Igitur ſpes, quæ eſt virtus Theologica, augetur ex hominis bonis operibus ac perficitur. Sicut vero ex operibus bonis gignitur fiducia; ita abſolute poni poteſt fiducia in bonis operibus, quamvis in praxi ex variis rationibus non ſit ponenda. Et hoc probatur ex Scriptura II. *Eſdr. cap.*V. ubi ait Nehemias vir ſanctus: *Memento mei Deus meus in bonum, ſecundum omnia quæ feci populo huic:* Et Apoſtolus II. ad Timoth. cap. IV. *Bonum certamen certavi.... In reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ.* Et ratio eſt. Quia cum Deus fidelis ſit in ſuis promiſſis, qui conſcius eſt ſe impleviſſe ea quibus promiſit Deus ſuam mercedem, poteſt dicere fidenter cum D. Auguſtino: *Feci quod iuſſiſti; imple quod promiſiſti.*

Multis porro de cauſſis ponenda non eſt fiducia in propris meritis. Primo quidem quia *neſcit homo, utrum amore vel odio dignus ſit.* Eccli. cap. VI. Secundo, quia nobis non conſtat, utrum opera noſtra facta ſint in Deo, & ex recta procedant intentione. Nam *pravum eſt cor hominum & inſcrutabile Quis cognoſcet illud? Ego Dominus.* Ierem. cap. XVII. Tertio quia nullum opus eſt meritorium, niſi ſit ſupernaturale, ſeu ex gratia & ſpiritu ſancto movente, quod nemo ſcire poteſt, niſi ſpeciali Dei revelatione. Quarto, quia lapſus noſtri ſunt tam frequentes, ut veniam petere tota videatur eſſe noſtra iuſtitia; & merito timere debeamus, ne Deus nos proiiciat a facie ſua, & ſpiritum ſanctum ſuum auferat a nobis, & retrahat auxilia efficacia, ſine quibus nemo perſeverat. Quinto, quia periculum eſt ut ex bonis operibus inflemur & gloriemur in nobis: ut Phariſæus ille *Luc. cap.* XV. Ex his autem reſolutionibus facile conciliantur textus qui inter ſe pugnare videntur, tum ſcripturæ, tum Sanctorum Patrum.

§. V.

De meriti diviſione.

Meritum tripliciter diſtingui poteſt. Primo nempe, in meritum de rigore iuſtitiæ; & eſt opus quod ex ſe & ex dignitate perſonæ meren-

Digitized by Google

rentis tale eſt, ut ei ſecundum perfectum iuſtitiæ rigorem debeatur merces: & huiuſmodi fuit meritum Chriſti Domini. Secundo, in meritum de condigno ſeu ex condignitate; & eſt opus illud cui propter eius dignitatem debetur præmium tamquam merces ex iuſtitia. Et ſi opus cui ex iuſtitia debatur merces, habeat æqualitatem cum mercede, ſine gratia ex parte remunerantis; erit meritum de condigno rigoroſo, ideſt de toto rigore iuſtitiæ: quod ſoli Chriſto convenit. Si vero operis valor & dignitas nitatur gratia, ſeu derivet etiam a gratia remunerantis, erit meritum de condigno ordinario. Idcirco licet dignitas quæ facit meritum de condigno, ex gratia proveniat remunerantis, perſonæ merenti collata, nohilominus ex iuſtitia huic merito debetur merces: quia ſemper rerum eſt, tale meritum eſſe de condigno, quomodocumque dignitas habeatur in actione, ſine ut propria ipſius merentis, ſive ab alio etiam remuneratore ſit accepta; & in eiuſmodi merito contingit quod dicunt Theologi, Deum ſcilicet facere noſtra merita ſua dona. Atque hoc eſt meritum quod communiter intelligi ſolet, quando agitur de meritis bonorum operum. Tertio, in meritum quod dicitur de congruo ſeu ex congruitate, & eſt opus bonum cui præmium debetur non ex obligatione iuſtitiæ, ſed ex decentia quadam & liberalitate, ac ut ita dicam ex honeſtate remunerantis.

Hinc patet, meritum de congruo differe a merito de condigno: quia hoc proprie & ſimpliciter eſt meritum, tametſi non reperiatur in tali merito tantus rigor iuſtitiæ, ſeu non tam perfecta iuſtitia ſicut in merito primi generis quod eſt de toto rigore iuſtitiæ. Meritum autem de congruo ſolum eſt meritum improprie & ſecundum quid; eo quod non habeat æqualitatem ad id quod eius intuitu confertur. Deinde meritum de condigno innititur iuſtitia; adeo ut ſic merenti debeatur merces ex iuſtitia. Meritum vero de congruo innititur miſericordia & decentia: quia ei cui tale meritum ineſt, non tenetur Deus quidquam rependere, quaſi non retribuendo eſſet iniuſtus; ita ut ſit tantum congruentia ſuæ bonitatis ut aliquid det, non quidem ut mercedem aut coronam, ſed ex quadam decentia gratitudinis & liberalitatis. Ac ideo in merito de congruo non requiritur ea dignitas, tum perſonæ, tum operis, quæ neceſſaria eſt ad meritum de condigno: debet tamen eſſe opus bonum eiuſdem ordinis cum ea re ad quam ordinatur; ideſt ſupernaturalis, ſi ad rei ſupernaturalis conſecutionem ordinetur, & inſuper fieri debet in obſequium vel officium utile aut gratum ei apud quem eſt meritum.

Porro meritum de condigno, præcipue ſi agatur de re ſupernaturali, nempe de gratia & æterna vita, neceſſario præſupponit gratiam ſanctificantem; & eſt proprium iuſtorum: meritum vero de congruo, nonnumquam præcedit iuſtificationem; & eſt commune iuſtis & peccatoribus qui ad iuſtificationem diſponuntur. Nam iuſtus etiam alteri gratiam mereri poteſt de congruo, ut infra dicetur, & bona opera peccatoris pœnitentis ſunt meritoria de congruo. Ita communiter Theologi, paucis exceptis.

Tametſi homo, ut iam antea notavimus, mereri poſſit; non poteſt tamen mereri ſimpliciter aliquid a Deo ſecundum abſolutam æqualitatem, ſeu ſecundum perfectum rigorem iuſtitiæ. Quia inter eos tantum inveniri poteſt tale meritum inter quos reperiri poteſt abſoluta æqualitas, quæ Deum inter & hominem reperiri nequit. Igitur nec eiuſmodi rigoroſum meritum: quia Deus & homo in infinitum diſtant; ex quo fit ut homo in omnibus omnino rebus, nulla excepta, naturaliter ſubiiciatur Deo tamquam ſuo creatori, gubernatori, & domino, ac maxima inter eos intercedit inæqualitas. Inſuper totum quod eſt hominis bonum, eſt illi a Deo ſponte & libere donante, eiuſque dominium ſemper retinente: unde nihil homo dare poteſt Deo, quod a Deo non acceperit. Ad hoc vero ut detur inter aliquos perfecta æqualitas, oportet unum alteri non eſſe ſubiectum, & talem intercedere inter eos coaptationem, ut quod unus tribuit, non itidem ſit alterius, ut & gratis dederit, & eius proprietatem nihilominus retinuerit. Sic Sylvius. Quare homo non poteſt aliquid mereri apud Deum, niſi de condigno vel de congruo, ut ſupra explicatum eſt. Reſtat igitur videamus ut conditiones, quæ ad merendum requiruntur.

§. VI.

De conditionibus ad meritum requiſitis.

Quia, ut vidimus, duplex eſt meritum quod cadere poteſt in homine apud Deum, de condigno videlicet & de congruo: idcirco duo ſunt genera conditionum, quæ ad utrumque requiruntur. Aliæ quæ ſe tenent ex parte actus meritorii; aliæ ex parte hominis merentis; aliæ tandem ex parte Dei. Hinc quamvis abſolute loquendo ad meritum de *Conditiones ſingulæ recenſentur.*

con-

condigno duo requirantur ac ſatis ſint (primo, ut opus ex ſe & ex operante habeat dignitatem mercedi proportionatam; ſecundo ut ſit Dei promiſſio pro eiuſmodi opere talem rependendi mercedem) maioris tamen explicationis gratia, illæ conditionis in alias ſolent reſolvi: primo ſcilicet ut actus ſit liber; ſecundo bonus; tertio in obſequium Dei; quarto ab homine qui ſit in ſtatu gratiæ; quinto quod ſit viator; ſexto ut ei merces promiſſa ſit. Primæ tres conditiones reſpiciunt opus; duæ ſequentes operantem; poſtrema Deum remuneratorem. Hæ autem pertinent ad meritum tantum de condigno. Nam pauciores exigit meritum de congruo; ut in proceſſu videbimus.

Prima conditio explicatur.

Opus ut meritorium ſit de condigno, in primis debet eſſe libere factum: ut contra Ianſenium definierunt ſummi Pontifices Innocentius X. & Alexander. VII. damnando hanc ipſius propoſitionem; *Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ, non requiritur in homine libertas a neceſſitate; ſed ſufficit libertas a coactione*. Et iudicium ſummorum Pontificum conſonum eſt doctrinæ Scripturarum, & præcipue *Eccli. cap.* XXI. ubi iuſtus dicitur mereri laudem & gloriam: utpote *qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus; facere mala, & non fecit*. Unde S. Auguſtinus *Lib. V. de civit. Dei cap.* VII. docet, nulla iuſtitia bonis præmia, & malis ſupplicia eſſe conſtituta, ſi a Dei præſcientia neceſſitas imponatur. Nam ad hoc ut quis ſit præmio vel pœna dignus, neceſſe eſt ut ſit Dominus ſuarum actionum, ac de iis diſponere valeat. Ideo enim eſt laudandus vel vituperandus, quod ſe ipſum moverit ac determinaverit ad opus bonum vel malum, a quo abſtinere poterat.

Hinc ſequitur concurrere debere ſecundam conditionem: ſcilicet ad hoc ut actus poſſit habere meriti virtutem, requiritur ut ſit etiam bonus, quocumque modo fiat; quod mereamur ſcilicet, ſive de condigno, ſive de congruo. Cuique enim lumine naturæ compertum eſt, opus laudabile non eſſe ac præmio dignum, niſi fuerit bonum. Quia ex Tertulliano, natura omne malum pudore & timore perfundit: ita ut qui mali operis conſcius eſt, naturaliter de eo erubeſcat; & inde puniri timeat, ſi non ab hominibus, ſaltem a Deo. *Tribulatio* (ait Apoſtolus ad Rom. cap. II.) *& anguſtia in omnem animam hominis operantis malum*: & ibidem cap. VI. *ſtipendia peccati, mors*.

Non ſufficit autem ad merendum quicumque actus bonus moralis, quaſi ſufficeret, ut volebant Pelagiani, etiam a naturali virtute elicitus; ſed debet eſſe ſupernaturalis, non ſolum ad merendum de condigno, ſed etiam de congruo: & eſt de fide, ut definivere plurima Concilia contra Pelagianos & Semipelagianos; idque confirmavit etiam Concilium Tridentinum *ſeſſ.* VI. *can.* I. II. & III. Quod colligitur ex ſacra Scriptura, præcipue *Io. cap.* XV. ubi ait Chriſtus Dominus: *Omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet eum*: & *Qui manet in me & ego in eo, hic fert fructum multum: quia ſine me nihil poteſtis facere*. Et ratio eſt manifeſta: quia debet dari quædam æqualitas & proportio inter medium & finem, meritum & mercedem, ſeu præmium. Quis enim non videt, ruſtici hominis opus non mereri primas Reipublicæ dignitates honoreſque? Unde cum nulla ſit proportio inter opus naturale & præmium, ſeu mercedem ſupernaturalem, & multo magis diſtet cæleſtis hereditas ab actu moraliter bono, etiam heroico viribus ſolius naturæ elicito, quam prima Reipublicæ vel regni dignitas a vili opere hominis ruſtici; cum celeſtis hereditas ſeu beatitudo ſit quid Divinum, omnemque ſuperet & excedat creatum ordinem: ſequitur evidenter, quod tam inſigne bonum non poſſit homo promereri per ullum actum quantumvis perfectum, niſi is ſit ſupernaturalis. Et ita docet D. Thomas I. 2. *quæſt.* CIV. *art.* 3.

Ad hoc autem ut actus ſit ſupernaturalis, duo requiruntur: ſcilicet principium ſupernaturale; & obiectum ſeu finis ſupernaturalis movens. Principium profecto ſupernaturale: quia cauſſa naturalis non operatur niſi naturaliter. Idcirco voluntas humana quæ, ut iam vidimus, principium eſt actuum moralium ad hoc ut ſupernaturaliter operetur, opus eſt ut Chriſto tamquam capiti coniungatur, & cum eius ſpiritu unum fiat principium movens, iuxta citatum textum Io. cap. XI. *Qui manet in me, & ego in eo; hic fert fructum multum: quia ſine me nihil poteſtis facere*. In Chriſto igitur manendum, non ſolum habitu & per gratiam ſanctificantem, ſed etiam actu, per actualem ſcilicet eius ſpiritus influxum. Quia ſicut oculus licet ſanus, ut advertit S. Auguſtinus, ſine corporali lumine non videt; ita anima ſanata per gratiam habitualem, ſine actuali Spiritus ſancti influxu & lumine, ſupernaturaliter non operatur. Item obiecti ſeu finis ſupernaturaliter mo-

Digitized by Google

ventis concurſus requiritur ad ſupernaturaliter operandum. Cum omnis actus deſumat ſpeciem tuam ſeu eſſentiam ab obiecto motivo: ac proinde ſi obiectum ſeu motivum ſit naturale, actis erit mere naturalis; qualis eſt civilis honeſtas, lucrum faciendum &c.

Ad hoc vero ut actus bonum ſupernaturalis ſit meritorius, non eſt neceſſe quod ſit ſupererogationis, ideſt lege nulla præceptus. Et contrarium ſentire, proſcribitur communiter a Theologis tamquam omnino temerarium. Sic enim docet Scriptura, ubi ſæpe habemus, Deum remunerari opera etiam præcepta; immo præcipue in præceptorum obſervantia ſignat rationem meriti: ut Matth. cap. XIX. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*. Et hoc ſolum cuidam inquirenti viam ſalutis, propoſuit Chriſtus Dominus tamquam tutiſſimum medium: *Diliges* (inquit Luc. cap x.) *Deum tuum in toto corde tuo, & proximum tuum ſicut te ipſum. Hoc fac & vives*. Et hoc docet etiam Concilium Tridentinum *ſeſſ.* VI. *cap.* XVI. Sanctum enim ac laudabile eſt implere cum ſancta intentione præcepta. Igitur ſi æterna ſalus promiſſa eſt Divina ſervantibus præcepta; ad meriti virtutem non requiritur quod opus meritorium ſit ſupererogationis.

Dices ſervus qui facit id quod debet, non conſtituit dominum ſibi debitorem; ſicut etiam qui debitum ſolvit ſuo creditori: Igitur cum qui adimplet præcepta, ſit ſervus debitum ſuum mere complens apud Deum qui eſt eius Dominus, non poteſt ex hoc mereri & ſperare mercedem. Reſp. hoc verum eſſe inter homines, qui meritum repetunt ex labore præciſe, ut ſibi utili & indebito; non vero apud Deum, qui meritum repetit ex libera honeſtate operis ad ſui gloriam facti. Alias ne conſilia quidem meritum conſtituerent, utpote quæ ſint Deo debita: ex eo quod a gratia eius dependeat eorum obſervatio, ac proinde a Deo. Immo cum ſimus Dei creaturæ; & nos, & quidquid habemus, de iure ipſi Deo acceptum referre debemus: ac ex inde omnia opera noſtra, etiam ex hoc titulo, ſunt ipſi debita.

Quænam iuſtorum opera meritoria ſint vitæ æternæ de condigno.

Hic tamen occurrit difficultas: num videlicet actus ſupernaturalis cuiuslibet virtutis ſit in homine iuſto de condigno meritorius; an vero ad huiuſmodi meritum requiratur, quod actus ſit elicitus vel imperatus etiam a caritate. Ad faciliorem ſecurioremque difficultatis enodationem, prænotandum cum Tournely. Primo nempe virtutes aliæ ſunt theologicæ, quæ pro obiecto immediato habent Deum ſupernaturaliter conſideratum, eumque directe & immediate attingunt ſua interiore actione; aliæ ſunt morales, quæ habent pro obiecto aliquid diſtinctum a Deo; ut iuſtitia & religio. Hæ vero virtutes vel ſupernaturales ſunt, & a Deo cum gratia ſanctificante infuſæ; vel naturales ideſt animo a natura inditæ, aut ſolis naturæ viribus acquiſitæ. Secundo aliud eſt, actum a caritate elici: nempe quando immediate ab ea procedit, & nullum aliud habet obiectum quam illud quod proprium eſt Caritatis; aliud autem, actum a caritate imperari; quod fit, quando licet actus aliunde fluat quam a caritate, & de ſe feratur in aliud obiectum a caritatis obiecto diſtinctum, producitur tamen ex imperio caritatis, & ad finem eius refertur. Tertio, actus multipliciter referri poteſt ad Deum tamquam finem caritatis. I. Habitualiter & concomitanter; cum ſcilicet producitur ab homine habitualiter iuſto, abſque ullo alio iuſtitiæ & caritatis habituali influxu. Hanc relationem non pauci inſignes Theologi ſufficere putant ad verum meritum: ſecundum quos opus quodlibet hominis iuſti moraliter bonum, etiam in ordine naturali, eſt æternæ vitæ meritorium. Ita Vaſquez, Valentia, Caietanus, aliique plures. Opinio hæc fundatur in ſuppoſitione, vel quod perſonam dignificans quamdam in omnes eius operationes bonas dignitatem influat; vel quod iuſtus ita erga Deum affectus ſit per caritatem, ut ſponte in Deum referat quidquid agit, ſi de eo referendo cogitaret; vel quod idem iuſtus ſe ſuaque omnia, ſaltem aliquando, per actum caritatis in Deum retulerit. II. Actus caritatis poteſt referri ad Deum ex caritate actualiter, vel virtualiter, ut ex his quæ iam diximus, aperte conſtat. III. Opus referri poteſt ad Deum, non tamen ex caritate ſtricte ſumpta, ut actus fidei, ſpei &c. IV. Præmium reſpectu actionis meritoriæ duplex intelligi poteſt: aliud eſſentiale, quod eſt Dei poſſeſſio; aliud accidentale, quod beatitudini accidentaliter eſt connexum, ut aureola quæ datur Martyribus. His prænotatis.

Nullus actus virtutis infuſæ, & multo minus virtutis moralis acquiſitæ, eſt de condigno vitæ æternæ meritorius, ſine ullo imperio ſeu relatione, ſaltem virtuali, caritatis, cui ſoli debetur præmium eſſentiale beatitudinis. Ita Gonetus & Contenſonus,

ac

ac communiter Thomiſtæ contra eos qui cenſent, actus aliarum virtutum infuſarum, dummodo ſint in Deum relati, ab ipſis virtutibus ſine ulla relatione proveniente quomodolibet a caritate, vi ſuæ intrinſecæ ſupernaturalis bonitatis eſſe meritorios æternæ vitæ. Hic tamen occurrit notandum, quod quævis harum ſequenda eligatur, ſemper certum eſt, omnes Theologos adverſari Ianſenianis, qui volunt omnes actus virtutum infuſarum, eo ipſo quod a caritate non imperentur, ex defectu legitimi finis eſſe vera peccata.

Secundum igitur ſententiam Thomiſtarum, Goneti præcipue & Contenſoni quos hic ſequi ſtatuimus, relatio habitualis in finem ſupernaturalem, ſive concomitantia habitus caritatis non ſufficit ut actus virtutis acquiſitæ, ſeu ut opera præcipue quæ ſunt tantum moraliter bona, ſint æternæ vitæ meritoria. Nam ſi de puris moralibus operibus bonis etiam iuſtorum loquamur, clare docet Concilium Tridentinum *ſeſſ.* VI. *cap.* XVI. ubi cum dixiſſet, Chriſtum in ipſos iuſtificatos iugiter influere virtutem quæ bona eorum opera ſemper antecedit, comitatur, & ſubſequitur; addit: *Sine qua nullo pacto Deo grata, & meritoria eſſe poſſunt*. Opera autem tantum moraliter bona hominis iuſti non fiunt ex virtute quam Chriſtus in ea influat. Igitur talia opera meritoria eſſe nequeunt. Inſuper ut actus meritorius ſit æternæ vitæ, neceſſe eſt, ut quoad modum ſupernaturalis ſit, ad hoc ut habeatur neceſſaria proportio meritum inter & mercedem. Hanc autem proportionem ſola caritatis concomitantia modum ſupernaturalitatis nullatenus tribuit actui aliunde naturali: alias econtra etiam ſtatus peccati mortalis influeret malitiam ſeu vitioſitatem in ſingula bona naturalis ordinis; quod dici nequit. Ex eo vel maxime, quod ad meritum de condigno non ſufficit ſola perſonæ dignitas; ſed exigitur etiam dignitas operis, quæ deeſt niſi opus ſaltem virtualiter a gratia producatur. Igitur concludendum cum S. Thoma in *II. ſent. diſt.* XL. *quæſt.* V. *art.* 5. *ad* 6. *Non ſufficit omnino habitualis ordinatio actus in Deum: quia ex hoc quod eſt in habitu, nullus meretur; ſed ex hoc quod actu operatur*.

Ea igitur ſola opera iuſtorum hominum promerentur præmium eſſentiale de condigno, quæ a caritate imperantur; cetera vero non niſi præmium accidentale. Ita Bellarminus & Gonetus cum aliis iuxta D. Thomam, qui 1. 2. *quæſt.* CXIV. *art.* 4. ita docet: *Meritum vitæ æternæ primo pertinet ad caritatem: ad alias autem virtutes ſecundario, ſecundum quod eorum actus a caritate imperantur*. Et id affirmat ibidem ſanctus Doctor non ſolum de aliis virtutibus quæ minoris ſunt neceſſitatis ac virtutis, ſed de ipſa fide, quæ eſt radix Chriſtianæ vitæ ac perfectionis. *Fidei actus*, inquit, *non eſt meritorius, niſi fides per dilectionem operetur*. Et doctrina ſancti Doctoris eſt prorſus conſona Divinarum Scripturarum teſtimoniis, quæ non attribuunt hoc meritum niſi caritati; ut Io. cap. XIV. *Si quis diligit me . . . diligam eum, & manifeſtabo ei me ipſum*: & I. ad Corinth. cap. II. *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus diligentibus ſe*. Et ſimilia aliis in locis habentur. Deus equidem ea media ad finem ordinare ſolet quæ plus cum eo proportionis habent. Maior autem proportio dari nequit cum præmio æternæ vitæ, quam in actu caritatis. Inſuper ſi caritas eſt forma virtutum omnium, perfectio & regina; certe non æquum eſt ut ceteræ virtutes, quæ comparatæ cum caritate ſunt veluti ancillæ, idem habeant præmium ac caritas, niſi ab ipſa imperentur. Tandem quæ vitam æternam merentur, merentur etiam augmentum caritatis. Cum autem actus ſolius caritatis, ideſt a caritate eliciti vel imperati, eiuſdem caritatis augmentum mereri poſſint, longe aliud de aliis virtutibus eſt ſentiendum: tum quia commune eſt omnibus habitibus, ut nonniſi per proprios actus augeantur; tum quia actus aliarum virtutum non ſint per ſe ſatis perfecti, niſi a caritate ipſa perficiantur, & ideo tale augmentum mereri nequeunt, ac proinde nec æternam gloriam.

Item ad hoc ut opus meritum habeat de condigno viæ æternæ, fieri debet in obſequium Dei: quia meritum reſpicit retributionem, prout debitam a certa perſona. Verum merces nec eſt debita, nec exigi poteſt a certa perſona, niſi actio ad ipſam dirigatur, ac tendat in eius obſequium. Hinc Angelicus Doctor *loc. cit. quæſt.* XXI. *art.* 3. ait: *Retributio ſecundum iuſtitiam fit alicui, ex eo quod agit in profectum vel nocumentum alterius*. Tertia conditio.

Inſuper ad merendum opus eſt ut qui meretur, ſit in ſtatu gratiæ. Et hoc eſt contra Baium Doctorem Lovanienſem, qui ſententiam aſſeruit, quæ docet opus bonum citra gratiam adoptionis factum non eſſe regni cæleſtis meritorium, inter errores Pelagii Quarta conditio.

lagii numerandum: & propoſitione 15. docet, rationem meriti in eo ſolum conſiſtere, quod quis obediat legi divinæ. Has propoſitiones cum pluribus aliis proſcripſerunt ſummi Pontifices Pius V. Gregorius XIII. Urbanus VIII.

Sententiam hanc de requiſitis in ſtatu gratiæ ad merendum divinarum Scripturarum oracula non obſcure comprobant. Habetur enim Ezech. cap. XVIII. *Si autem averterit ſe iuſtus a iuſtitia ſua .... omnes iuſtitiæ eius quas fecerat, non recordabuntur*. Si peccatum ſubſequens delet merita prius acquiſita, a fortiori impedit quominus nova merita acquirantur. Et Io. cap. IV. *Qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo*. Idem circa meritum docuit etiam Concilium Tridentinum *ſeſſ.* VI. *cap.* XVI. ſupra laudato. Et præcipua ratio huiuſce conditionis eſt, quod ſi ad merendam de condigno vitam æternam non requireretur ſtatus gratiæ, ſequeretur hoc abſurdum: quod ſicut peccator poſſet mereri de condigno vitam æternam, poſſet mereri ſimiliter de condigno ſuam iuſtificationem, videlicet remiſſionem peccatorum & infuſionem gratiæ ſanctificantis. Quia cum æterna vita conſequenda ſit tamquam hereditas a filiis, iuxta Apoſtolum ad Galat. cap. IV. *Si filius, & heres*, qui mereretur hereditatem, eo ipſo mereretur adoptari in filium: hereditas enim non datur niſi filiis. Immo aliud etiam ſequeretur peius abſurdum: videlicet quod peccator eodem tempore ſimul mereretur vitam æternam (ut vult contraria ſententia) & damnationem æternam; eo quia peccator eſt reus pœnæ æternæ.

Dices. Ad conſequendam vitam æternam nihil aliud proponunt divinæ Scripturæ niſi mandatorum obſervantiam. Ita Matth. cap. XIX. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*. Reſp. hoc proponere Scripturam hominibus per gratiam iuſtificatis ac regeneratis in Chriſto, non vero peccatoribus: cum dicat ipſa Scriptura: *niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei*. Io. cap. III.

Conditio quinta. Ad meritum de condigno requiritur pariter ex divina diſpoſitione, quod homo qui mereri debet, ſit viator, ideſt in ſtatu viæ: ut patet ex illo *Io. cap.* IX. ubi ſtatuitur terminus meriti in morte: *Venit nox quando nemo poteſt operari*: & *Galat. cap.* VI. hortatur Apoſtolus, ut *dum tempus habemus, operemur bonum*: & Eccl. cap. XI. *Si ceciderit lignum ad Auſtrum aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit*. Unde ſi homo debeat perpetuo permanere in eo ſtatu in quo mors eum apprehenderit; certe nihil poſt mortem mereri poteſt. Nulla autem ratio rei huius afferri poteſt quam Dei voluntas, a qua prorſus dependet.

Sexta conditio. Neceſſe eſt tandem ad meritum de condigno pactum ex parte Dei, ſeu gratuita ipſius promiſſio dandi mercedem. Hoc declaravit Concilium Tridentinum *loc. cit.* ubi Patres docent vitam æternam proponendam eſſe iuſtificatis, tamquam mercedem a Deo promiſſam bonis eorum operibus. Veritatem hanc clare tradit Scriptura præcipue Iacob. cap. I. *Beatus vir qui ſuffert tentationem: quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ quam repromiſit Deus diligentibus ſe*. Hinc S. Auguſtinus *ſerm.* CLVIII. *alias* XVI. *de verb. Apoſt.* ait: *Debitor factus eſt Deus, non a nobis aliquid accipiendo, ſed aliquid quod ei placuit promittendo*. Duplici ratione hoc comprobatur. Primo nempe, quia cum ſimus natura ſervi Dei ac eius creaturæ, certe Deus opera omnia exigere poteſt a nobis, & nos ea ipſi reddere tenemur etiam ſine ulla mercedis promiſſione. Quare S. Auguſtinus *Serm.* CLVI. *alias* XIII. *de verb. Apoſt.* hæc habet: *Nihil addi ad iſtam benevolentiam poteſt* (quia nempe mercedem repromittit) *Quis eſt, qui dicat; ſanem te & dabo tibi mercedem?* Secundo, quia nemo tenetur rem ſuam vendere offerenti iuſtum pretium, niſi pactum vendendi præceſſerit; nec Mercenario pretium de merce debetur, niſi conductus laboraverit.

Dices. Ita ſe habet actio bona in ratione meriti, ſicuti mala in ratione demeriti. Unde ſi opus malum damnationem pœnamque meretur citra quodlibet Dei pactum; ac ideo punitur, non quia ipſa pœna promiſſa ſit, ſed quia reus pœnam meruit: immo nonniſi quia reus pœnam meruit, eſt illi promiſſa. Igitur a pari bonum opus meretur mercedem ſine ullo Dei pacto. Reſp. negando conſequentiam. Et lata eſt diſparitas, quod Deus non fiat debitor homini peccanti, immo ipſe peccator fit debitor divinæ iuſtitiæ. Hinc peccata dicuntur debita: *Dimitte nobis debita noſtra*, Matth. cap. VI. Nam creatura poteſt ſe obligare Creatori ſine ulla eius promiſſione.

§. VI.

De conditionibus ad meritum de congruo.

Conditiones ad meritum de congruo quatuor recenſentur. Prima videlicet, opus bonum;

num; ſecunda ſupernaturale; tertia libere elicitum; quarta, ab homine viatore. Et hoc iiſdem probatur plane momentis quibus antea probavimus, conditiones eaſdem exigi ad meritum de condigno: ſunt enim æque procitroque merito efficacia, ut conſideranti facile patebit. Non adduntur ceteræ conditiones, quas propoſuimus cum communi Theologorum ſententia neceſſario requiri ad meritum de condigno; ut ſtatum gratiæ, & Dei pactum ſeu promiſſionem: quia hæ revera non requiruntur ad meritum de congruo; utpote quod præciſe fundetur in Spiritus Sancti motione, & in aliqua dignitate operis beneficio afficiendi. Cornelius enim Centurio *Act. cap.* x. meritus eſt de congruo ſuis orationibus & eleemoſynis quod Deus ipſi non promiſerat.

Dixi, duas illas conditiones non requiri neceſſario ad meritum quodlibet de congruo; ut iudicarem aliquando eas intervenire. Quia *Ezech. cap.* XVIII. Deus peccatori pœnitenti veniam pollicetur; & S. Iacobus ſupponit neceſſarium iuſtitiæ ſtatum ut quis alteri mereatur: *Multum valet* (inquit cap. V.) *deprecatio iuſti aſſidua*. Tandem omnibus conſtat, neminem poſſe ſibi promereri donum perſeverantiæ, niſi ſit iuſtus. Meritum de congruo ſequitur infallibiliter donum, ſi meritum habeat rationem ultimæ diſpoſitionis: ſecus vero, ſi ſe habeat ut diſpoſitio remota. Nam motio Spiritus Sancti ſemper conſequitur ſuum finem, niſi a creatura rationali ponatur obex: quod fit, quando creatura mota a Spiritu Sancto ultimam manum perficiendo operi non imponit, immo ab ipſo retrahit. Unde bona quæ iuſtus aliis meretur, non ſemper ſubſequuntur, quia alii prævium impedimentum opponunt.

§. VIII.

De obiecto meriti, ſeu de iis quæ cadunt ſub merito.

Obiectum meriti ea dicuntur quæ cadunt ſub merito. Res vero quæ cadunt ſub merito, ſunt bona, vel gratiæ, vel temporalia. Bona gratiæ ſunt vel præſentis vitæ, vel futuræ; & hæc omnia vel nobis vel aliis poſtulare poſſumus. Verum cum duplicis generis ſit meritum, ut hactenus vidimus, de condigno nempe & de congruo: hinc ut ordine procedatur, ac difficultates quæ in re hac occurrere poſſunt, diſſolvantur, diſtincte ſimulque breviter rem perpendere ac examinare cenſui.

Quænam cadant ſub merito de condigno.

Bona quæ cadunt ſub merito de condigno, ſunt vita æterna & augmentum gratiæ ſanctificantis. Sic definitur a Concilio Tridentino *ſeſſ.* VI. *can.* XXXII. Et ratio eſt: quia bonis iuſti operibus in Deo factis nulla deeſt ex recenſitis conditionibus quæ ad meritum de condigno requiruntur: quod expreſſe docet etiam divina Scriptura, in qua de vita æterna ita habetur II. ad Timoth. cap. IV. *Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus iudex; non ſolum autem mihi, ſed & iis qui diligunt adventum eius*. De augmento autem gratiæ ſanctificantis legitur Pſalm. LXXXIII. *Ibunt de virtute in virtutem*.

Quare nullus poteſt ſibi mereri de condigno primam gratiam, non ſolum quam aliquis primo accipit cum ex infideli fit fidelis: ſed quamcumque, quæ poſt lapſum in peccatum mortale primo datur: ſive intelligatur actualis, qua Deus peccatorem primo prævenit, excitat, & movet ut a peccato recedere velit & ad ipſum reverti: ſive habitualis ſeu ſanctificans, quæ tunc primo infunditur, quando peccator iuſtificatur, fitque formaliter Deo gratus & ſanctus. Non poteſt quis ſibi mereri primam gratiam; quia opera eius quæ iam facta ſupponenda ſunt ſine gratia, nullam habent proportionem ordinis cum gratia: eo quia illa ſint ordinis naturalis, & gratia ordinis ſupernaturalis: ac eo vel maxime, quod peccatum in quo eſt qui gratiam non habet, eſt impedimentum meriti. Præterquam quod, cum gratia ſit principium bonorum operum, ac ideo etiam meriti: eam nemo mereri poteſt, iuxta commune Theologorum axioma. *Principium meriti non poteſt cadere ſub merito*.

Et quoad primam gratiam actualem, certum eſt non poſſe eam hominem promereri, neque de condigno, neque de congruo. Alioquin, cum non poſſit homo in tali ſuppoſito conſtitutus, niſi naturæ viribus primam gratiam actualem promereri; verum eſſet, quod damnatum eſt in Pelagio: nempe gratiam dari ſecundum merita noſtra. Ac præterea ſequeretur, quod per vires naturæ poſſemus nos ad gratiam præparare; quod pariter reprobatum eſt.

Nec valet dicere, congruum eſſe ut Deus potius eius miſereatur qui ex viribus liberi arbitrii facit quod in ſe eſt, quam eius qui nihil facit. Nam primo reſpondeo, congruum non eſſet ut quis det aliquid alteri, licet alter ne de congruo quidem illud mereatur. Deinde opera facta ex ſolis viribus naturæ, cum ſint inferioris ordinis relate ad ordinem gratiæ, congruitatem ad illam habere non poſ-

poſſunt: alias gratia non ſatis oſtenderetur eſſe gratuita, ſi illam homo per ſuas vires de congruo mereretur.

Hinc primam gratiam habitualem ſeu peccatorum remiſſionem nemo mereri poteſt de condigno: ut conſtat ex Concilio Tridentino *ſeſſ.* VI. *cap.* VIII. Etenim alias ſequeretur, iuſtificationem non eſſe mere gratuitam, contra Apoſtoli doctrinam *Rom. cap.* III. Et ulterius ſequeretur, iuſtificationem non requirere ſtatum gratiæ, ad hoc ut aliquis mereri poſſet de condigno. Probabile tamen eſt, fideles per opera ex gratiæ auxilio elicita poſſe hanc de congruo promereri.

§. IX.

De merito primæ gloriæ.

Nota, hic non agi de parvulis, quibus vita æterna datur ut hæreditas, quia per baptiſmum ſunt filii: non ut merces, quia non ſunt merendi capaces. Agitur igitur de adultis, quorum merito ſi prima gloria reſpondeat, gratiæ utique primæ habituali vel actibus cum ipſa elicitis reſpondet: ideoque non poteſt quis mereri de condigno primam gloriam; alias primus gradus gloriæ retribuendus eſſet homini ante quodvis meritum de condigno. Nam primus gradus gloriæ reſpondet primo gradui gratiæ ſanctificantis, per quam homo fit filius Dei & hæres cæleſtis vitæ. Unde cum primum gradum gratiæ ſanctificantis recipiat homo ante quodlibet meritum de condigno: reciperet ius ad gloriam, antequam eam de condigno meritus fuiſſet. Et hoc tradidit Concilium Tridentinum *ſeſſ.* VI. *cap.* XVI. *Nihil*, ait, *ipſis iuſtificatis amplius deeſſe credendum eſt, quominus plene illis quidem operibus quæ in Deo ſunt facta... Vitam æternam promeruiſſe cenſeantur*. Ubi conſideranda eſt vox, *amplius*. Ergo ſi ſolum qui iuſtificatus eſt, non in fieri, ſed in facto eſſe, nihil amplius deeſt, ut vitam æternam operibus in Deo factis promereri poſſit. Igitur tamdiu ei aliquid deeſt ad hoc meritum, quamdiu iuſtificatus non fuerit.

Quidam tamen, ut Habertus cum aliis, contrarium ſentiunt: nempe hominem primum gradum gloriæ promereri poſſe de condigno. Quia primus gradus gloriæ poſſideri poteſt duplici titulo: ſcilicet titulo hæreditatis, debitæ filiis adoptionis; & titulo mercedis, propter bona opera quæ iuſtificationem ſubſequuntur. Ad illud vero quod ex hoc infertur; nempe quod ſi res ita ſe haberet, poſſet quiſpiam mereri de condigno etiam primum gradum gratiæ ſanctificantis: reſpondent, magnam eſſe diſparitatem inter primum gradum gratiæ ſanctificantis, & primum gradum gloriæ. Primo, quia Scriptura & Patres docent, ſimpliciter & abſolute vitam æternam retribui meritis: nuſquam autem peccatorum remiſſionem: ſed conſtanter eam referunt ad divinam miſericordiam. Secundo quia iuſtificatio, ſeu primæ gratiæ ſanctificantis gradus, ex dictis eſt principium meriti de condigno, quod non cadit ſub merito, ſed ei neceſſario præſupponitur.

Quia augmentum gratiæ ſanctificantis cadit ſub merito, ſequitur, quod ſicut virtutes cum gratia infunduntur; ita cum ipſa illæ itidem augeantur: quia gratia poſtulat eas virtutes tamquam ſui proprietates, per quas iuſtus diſponitur ad omnia opera bona. Idcirco eo ipſo quod iuſtus per intenſiorem gratiam ſanctificantem ad eadem opera bona magis inclinatur; conſentaneum eſt ut ad illa per virtutes magis diſponatur & expeditior fiat. Quare Concilium Tridentinum docet, in iuſtificatione ſimul cum gratia infundi virtutes & dona.

Certum eſt pariter contra Beguardos, & Beguinas a Concilio generali Viennenſi ſub Clemente V. anno 1311. huius erroris damnatos, iuſtum, donec eſt in via, poſſe ſemper proficere in gratia. Et hoc docet tum Scriptura, tum Sanctorum Patrum traditio. Nam *Prover. cap.* IV. hæc habentur: *Iuſtorum autem ſemita, quaſi lux ſplendens, procedit & creſcit uſque ad perfectam diem.* Inter Sanctos Patres S. Auguſtinus *Serm.* CLXIX. *alias* XV. *de verb. Apoſt.* hæc ſcribit: *Perfecti, & non perfecti: perfecti viatores, nondum perfecti poſſeſſores. Et noveritis quod perfectos viatores dicat, qui iam in via ambulant. Quid eſt ambulare? Breviter dico. Proficere.... Si dixeris, ſufficit; periiſti. Semper adde, ſemper ambula, ſemper profice.* Et ratio eſt manifeſta. Quia iuſti ſemper tenentur divina complere præcepta: & opus præceptum, ut alias notavimus, eſt meritorium.

Bonus tamen opus iuſti non poteſt niſi per gratiam mereri in hoc ſtatu de condigno aliud bonum opus: quia, cum iuſtus mereri nequeat de condigno auxilium efficax, igitur nec bonum opus, quod per tale auxilium perfici debet. Non poteſt item mereri iuſtus de condigno piis operibus auxilium efficax: quia nulla de hoc habetur promiſſio; cum Scriptura Sanctique Patres doceant & hortentur, ut continuo Divinum imploretur auxilium, ut acceptis eius donis bene

Digitized by Google

bene utamur, & in bonis operibus perſeveremus. Quod enim obtinetur per orationem, non habet rationem mercedis, ſed gratuiti doni.

Num vero iuſtus mereatur de condigno augmentum gratiæ ſanctificantis per quodlibet opus a caritate elicitum & imperatum: non conveniunt circa hoc Doctores. Sanctus enim Bonaventura & Durandus ſtant pro parte negativa: quia ut aiunt, habitus non augentur per actus ſe remiſſiores; non ſecus ac corpus validum ut quatuor calefieri nequit per aliud corpus quod calidum ſit ut duo. Alii autem magis communiter adfirmant, iuſtos mereri illud augmentum per eiuſmodi actus, etiam remiſſos. Sed non uno modo mentem ſuam explicant. Alii enim contendunt, tale augmentum non ſtatim rependi eiuſmodi actibus præmiſſis: ſed differri donec vel conferatur gloria, vel iuſtus producat actum intenſionem, ad quem actus remiſſus diſponit: Et hanc ſententiam colligunt ex D. Thoma 1. 2. *quæſt.* CXIV. *art.* 8. & alibi. Alii volunt augmentum gratiæ ſanctificantis ſtatim rependi actibus charitatis etiam remiſſis. Et hoc probant: quia nec Scriptura, nec Sancti Patres, nec Concilia huiuſce dilationis meminerunt. Immo Concilium Tridentinum videtur illam excludere, dum diſerte docet, iuſtum renovari de die in diem, in gratia accepta creſcere, & progredi de virtute in virtutem. Et quod dignum eſt ut notetur, Patres Concilii definiere *can.* XXXII. *ſeſſ.* VI. piis iuſti operibus gloriam retribuendam, cum hac conditione, *Si in gratia deceſſerit*: nec ullam conditionem apponunt, ubi ſermo eſt de augmento gratiæ; ſed ſtatuunt ſimpliciter & abſolute, iuſtificatum bonis operibus mereri augmentum gratiæ. Et ratio potiſſima eſſe poteſt: quia actus ſupernatnrales non augent habitus infuſos phyſice, ſicut actus naturalis habitus acquiſitos; ſed moraliter dumtaxat & meritorie: negari autem nequit, Deum aliquando pro actibus remiſſionibus in præmium retribuere habitum longe intenſionem. Namque in glorificatione augetur & perficitur habitus caritatis, in mercedem præcedentium actuum qui in via fuerunt longe remiſſiores beatifico.

§. X.

De merito doni perſeverantiæ in via.

Iuſtus non poteſt ſibi mereri donum perſeverantiæ de condigno, nec etiam de congruo. Et prima pars eſt de fide. Habetur enim id manifeſte in Scriptnra; nt Rom. cap. XI. *Tu autem fide ſtas: noli altum ſapere, ſed time*: & ad Corinth. cap. X. *Qui ſe exiſtimat ſtare, videat, ne cadat*: & ad Philipp. cap. II. *Cum metu, & tremore veſtram ſalutem operamini*. Ex hiſce enim ſequitur, incertam eſſe perſeverantiam; ac ideo nullam dari eius promiſſionem. Et S. Auguſtinus *lib. de dono perſev. cap.* XIII. ait: *Satis dilucide oſtenditur, & inchoandi, & uſque in finem perſeverandi gratiam Dei non ſecundum merita noſtra dari*: Quæ verba excludunt meritum, ſaltem de condigno. Et eo vel maxime, quod perſeverantia eſt complexio omnium auxiliorum, per quæ homo iuſtus non tantum perſeverare poteſt, ſed de facto in finem uſque perſeverat. Hæc autem auxilia efficacia iuſtus de condigno mereri non valet; alias non excideret a gratia, a qua etiam iuſtiſſimi ſæpius decidunt. Non excideret a gratia: quia cum tali auxiliorum efficacium quæ ſucceſſive acciperet iuſtus, collectione quam importat perſeverantia, uſque in finem malum vitaret, bonumque operaretur; & ſic iuſtitia in amiſſibilis foret, omneſque ſalvarentur qui ſemel forent iuſtificati, nec ullus umquam iuſtificatus male moreretur. Quæ omnia ſunt intolerabilia conſectaria doctrinæ Pſeudoreformatorum; ut egregie demonſtrat celebris Boſſuetus. Idcirco ſub merito, ne de congruo quidem, cadit perſeverantia.

Iuſti vero poſſunt ſibi mereri de condigno bona temporalia, non ſecundum ſe, ſed prout alicui neceſſaria ſunt aut valde utilia ad opera virtutum quibus pervenitur ad vitam æternam: Cum bona temporalia in tali ſenſu accepta ſimpliciter cadant ſub merito. Ita Thomas, ac poſt illum Valentia aliique. Quia in bonis operibus comparatis ad bona temporalia reperiri poſſunt omnes conditiones quæ ad meritum de condigno requiruntur. Nam cum ipſa bona ſint condigna reſpectu vitæ eternæ, habent etiam condignitatem ad media illi conſequendæ neceſſaria aut valde utilia, quæ reſpectu illorum poſſunt habere rationem termini. Nec deeſt divina promiſſio; ut colligitur ex *Pſalm.* XXXIII. in quo hæc habentur: *Inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono*: & I. ad Timoth. cap. IV. *Pietas ad omnia utilis eſt, promiſſionem habens vitæ quæ nunc eſt, & futuræ*. Si ergo iuſtus a Divina gratia motus oret vel opera faciat bona, ut conſequatur illud temporale bonum quod Deus novit eſſe illi valde expediens ad ſalutem; apparet, quod

Digitized by Google

quod illud merebitur. Dixi quod Deus novit eſſe illi valde expediens ad ſalutem: quia hominum iudicio ſemper videntur aliqua bona temporalia eſſe neceſſaria, quæ Deus novit ne utilia quidem eſſe, ac proinde quando iuſti bonis illis deſtituuntur, neque illa impetrant, quamvis pro illis obtinendis orent; exiſtimare debent ea ſibi non expedire. Ita Sylvius.

§. XI.

De merito reparationis poſt lapſum.

Dupliciter titulus intelligi poteſt: nempe de merito hominis quod quis ante lapſum ſibi acquirat pro ſua reparatione, ſi labatur; & de merito per quod quis poſt lapſum poſſit ſibi comparare ſuam reparationem a lapſu. Quoad ſecundum iam patet ex alias dictis, hominem poſt lapſum non poſſe ſibi mereri ſuam reparationem a lapſu, cum non poſſit ſibi mereri primam gratiam, nec actualem, nec habitualem, ſine quibus certe non poſſumus a culpa reparari. Tota ergo difficultas eſt quoad primum, videlicet an homo iuſtus poſſit mereri a Deo ut, ſi contingat ipſum labi in peccatum mortale, donetur ei pœnitentia & venia, & ſic reſtituatur in priorem ſtatum æternæ ſalutis. Et de hoc pariter dicendum, quod ille neque de condigno, neque de congruo poſſit hoc mereri. Sententia de fide certa eſt ex Scriptura, præcipue Ezech. cap. XVIII. *Si averterit ſe iuſtus a iuſtitia ſua, & fecerit iniquitatem, omnes iuſtitiæ eius quas fecerat, non recordabuntur amplius.* Ita etiam definierunt Concilii Tridentini Patres. Docentes iuſtificationem impii eſſe ita gratuitam, ut etiam nihil eorum quæ ipſam præcedunt, ullo modo eam mereatur. Ratio enim meriti de condigno pendet ex motione Divinæ gratiæ, quæ cum interrumpatur ac amittatur per mortale peccatum, nec ad alia ſe extendat beneficia, niſi ad ea quæ debentur iis qui ſunt in gratia donec in ea perſeverent; ſequitur manifeſte, neminem poſſe ſibi mereri reparationem poſt lapſum. Nam præmia bonorum operum non debentur homini qualitercumque; ſed quatenus gratiam ſeu ſtatum habet gratiæ, per quam eſt iuſtus & Dei amicus. Unde cum ſtatum illum perdat, quando interrumpitur motio gratiæ per lapſum in peccatum mortale, nihil premii ſupereſt, quod ſit ei debitum. Secus enim ſequeretur, omnes qui ſemel ſunt iuſti ac bene operati ſunt, mori non poſſe impœnitentes; ac proinde neminem eorum damnandum, quia tametſi peccent, deberet eis reddi gratia iuſtificans, dum in contraria ſuppoſitione illam de condigno meriti fuiſſent.

§. XII.

De doni conſecutione ex merito de congruo.

Cum iam expoſitum ſit, quid importet meritum de congruo, & quæ ad ipſum conditiones requirantur; nunc ſolum expendendum ſupereſt, quænam cadant ſub merito de congruo.

Si igitur meritum habeat rationem ultimæ diſpoſitionis, meritum conſequitur doni conſecutio; ſecus vero, ſi ſe habeat ut remota diſpoſitio; quia motio Spiritus Sancti ſemper conſequitur finem, niſi creatura impedimentum ponat. Unde, cum non occurrat impedimentum ex parte creaturæ, quando mota a Spiritu Sancto extremam manum operi imponit; habetur meritum, ac ideo donum conſequimur: ſecus vero, ſi ad motionem Spiritus Sancti manum retrahamus. Hinc fit, quod bona quæ iuſtus aliis meretur, iis non ſemper obveniunt: quia plerumque ponunt obicem.

Iuſtus poteſt mereri aliis de congruo quidquid ſibimetipſi meretur, & aliquid amplius. Ratio primæ partis eſt: quod ut iuſtus id quod ſibi mereri poteſt, aliis de congruo mereatur, ſatis eſt quod offerat Deo opera eiuſmodi præmio proportionata, quæ a Deo acceptari conveniens ſit. Quare, cum iuſtus opera huiuſmodi prædicto fini proportionata offerre valeat (opera ſcilicet ſupernaturalia & ordini divinæ providentiæ conformia, quæ vult ut homines ſibi invicem opitulentur in negotio ſalutis) & cum hæc opera procedant ab homine Dei amico; conveniens eſt quod ab eo acceptentur. Hinc S. Ambroſius *lib.* V. *in Luc.* ait: *Magnus Dominus, qui aliorum merito ignoſcit aliis.* Quoad ſecundam vero partem res per ſe patet: eo quia homo licet ſibi primam gratiam promereri nequeat, ne de congruo quidem, utpote quæ ut omnis meriti principium, nec poſſit cadere ſub merito, eamdem tamen aliis promereri poteſt. Quare ſancti iuſtique homines bonis ſuis operibus aliquando aliis merentur eorum converſionem. Igitur homo poteſt aliquid mereri aliis quod ſibi mereri non valet.

CA-

CAPUT VII.

§. UNICUS.

De actus humani indifferentia in individuo.

Ne quid ad propoſitum actuum humanorum pro pleniore cognitione deſideretur, circa eorum moralitatem, addere cenſui Theologorum placita etiam circa eorumdem actuum indifferentiam: breviter exponendo, num revera aliqui dentur, qui nec boni ſint nec mali moraliter, ſed indifferentes.

Tres ſpecies moralitatis recenſentur.

Quia tres vulgo diſtinguuntur moralitatis ſpecies, ſeu eſſentiales differentiæ: bonitas ſcilicet, malitia, & indifferentia; quarum primam lex iubet, vetat alteram, alteram permittit: hinc orta eſt inter Philoſophos Theologoſque non levis difficultas circa humanarum actionum indifferentiam. Nempe num revera dentur aliquæ earum quæ ſint indifferentes, ideſt nec bonæ nec malæ moraliter: hoc enim ſonat indifferentia actus.

Et pro clariore ac faciliore intelligentia, nota I. quod, cum hic agatur de actibus humanis, nemo ne ſuſpicari quidem poteſt hic agi de actionibus indeliberatis & ſine advertentia elicitis: quia cum hæ humanæ non ſint, ideſt nec liberæ nec morales, bonitas & malitia moralis eis convenire nequit.

Nota II. hic non quæri an detur aliquis actus humanus qui ita ſit indifferens, ut neque bonus ſit, ideſt vitæ æternæ meritorius, neque malus, ideſt meritorius æternæ damnationis: cum apud omnes Orthodoxos conſtet; dari peccata venialia quæ neque ſunt meritoria æternæ damnationis, nec æternæ vitæ; itemque opera pœnitentium, quæ ante reconciliationem nec vitam æternam merentur de condigno, nec etiam merentur aliquam pœnam. Nec pariter quæritur, an detur actus humanus ità indifferens, ut nec ſit bonus in ordine ad ſalutem ſpiritualem, nec malus in ordine ad damnationem. Satis enim clarum eſt, dari aliqua opera, etiam apud infideles, quæ moraliter bona ſunt: utpote quæ cum bona ſint, non ſunt mala in ordine ad damnationem, ſicut nec ita ſunt bona ut ad ſalutem ſpiritualem dicant aliquem ordinem. Quia ad eam rem neque valent ut meritum, ne de congruo quidem, neque ut diſpoſitio: nulla enim eſſe poteſt diſpoſitio ad ſalutem, niſi ex Divinæ gratiæ auxilio. Actiones autem ſolum moraliter bonæ non fiunt ex gratia, ſed ex viribus humani arbitrii per generale auxilium Dei adiuti. Sed quæſtio eſt de actibus nullam bonitatem & malitiam habentibus, per conformitatem nimirum vel difformitatem ad rectam rationem: ita ut ſenſus ſit, an detur aliquis actus humanus ſeu ex deliberatione factus, qui nec bonus ſit nec malus moraliter, ſed indifferens.

Nota III. bonitatem & malitam actuum humanorum non repeti ex obiecto tantum, ut iam vidimus; ſed etiam ex fine & circumſtantiis, ita ut actio poſſit eſſe indifferens, vel etiam ex obiecto; mala vero vel ex circumſtantiis vel ex fine: ut ludere & confabulari in templo, erogare eleemoſynam ob vanam gloriam.

Nota IV. actum humanum dupliciter conſiderari poſſe ſcilicet in ſpecie, & in individuo. Priore modo, ideſt in ſpecie conſideratus generatim in ſola ſua eſſentia, ac ideo in ordine ad ſolum ſuum obiectum a quo eſſentiam ſpecificam recipit, præſcindendo a fine & circumſtantiis, ſeu ab eius actuali exercitio. Poſteriore vero, ideſt in individuo ſpectatus, ſeu a parte rei ſecundum eius actualem exiſtentiam & exercitium, nempe ut eſt talis actio in praxi actualiter elicita; ac proinde non ſolum in ordine ad obiectum, ſed etiam in ordine ad finem & circumſtantias.

De moralitate in ſpecie, ſeu in ordine ad obiectum, conveniunt omnes, dari actiones nec bonas nec malas moraliter, ſed indifferentes; ut levare feſtucam, colligere flores, aliaque id genus: quia obiectum harum actionum non eſt bonum nec malum moraliter, ſed indifferens.

Actus humanus in individuo aut bonus aut malus eſt, nullus indifferens.

Circa vero actus humanos in individuo, ſuſtinent Thomiſtæ aliique inſignis notæ Theologi, illos ita conſideratos non poſſe eſſe indifferentes; & præcipue quia cum homo non ſit purum animal, ſed etiam ſit rationalis, vi naturæ ſuæ, quando deliberate operatur, ſemper operari debet rationabiliter: ſcilicet referendo ſaltem virtualiter actiones ſuas ad finem honeſtum homini convenientem; ità ut etiam in ſolatiis aliiſve delectationibus quibus aliquando indulget, non debet acquieſcere in ſola delectatione more brutorum, ſed ut liberius incumbere poſſit actionibus feriis vitæ humanæ, ſive, civilis, ſive chriſtianæ & religionis. Ait enim D. Thomas. 1. 2. quæſt. XVIII art. 9. ad 2. *Hoc ipſum quod aliquis agit ordinate ad ſuſtentationem vel quietem ſui corporis, ad bonum virtutis ordinatur.* ... .

Con-

Digitized by Google

Confirmatur ſententia ex natura ipſa actionis in individuo ſpectatæ, quæ exigit ut fiat ob aliquem finem. Nam quæ non fit propter finem, eſt actio ſpectata in ſpecie. Actio vero quæ fit propter finem, cum hic indifferens eſſe nequeat, ideſt nec bonus nec malus; ipſa quoque indifferens eſſe nequit. Dari nequit finis indifferens. Quia finis omnis eſt creator vel creatura: & actio quæ fit propter creatorem, ut in hoc agens conquieſcat, fit propter bonum finem, ac ideo bona; actio autem quæ fit propter creaturam, ut agens in hac conquieſcat, fit propter malum finem, idcirco mala. Sic malum eſt comedere etiam ſine exceſſu, aut opus coniugii exercere ob ſolam voluptatem; ut probat cenſura qua inuſſit ſequentes proportiones Innocentius XI. quarum prima ordine 8. eſt: *Comedere & bibere ad ſatietatem ob ſolam voluptatem, non eſt peccatum; modo non obſit valetudini: quia licete poteſt appetitus naturalis ſuis actibus frui*: altera vero ordine 9. *Opus coniugii ob ſolam voluptatem exercitum, omni penitus caret culpa ac defectu veniali*. Et ſane non contulit nobis Deus delectationem ut regulam noſtrarum operationum; ſed rectam rationem, qua longius a brutis diſtant homines, operantes non naturæ impetu, ſed rationis ductu. Hinc admonuit Apoſt. I. ad Corinth. cap. x. *Sive ergo manducatis, ſive bibitis, ſive aliud quid facitis; omnia in gloriam Dei facite*. Nec verba Apoſtoli accipienda ſunt ut merum conſilium, ſed ut præceptum ſtricte ſumptum; nec ſolius iuris divini poſitivi ſed etiam naturalis: contra ſententiam eorum qui negant hoc luculentiſſimum principium; videlicet debitum ordinandi omnes actiones humanas in finem honeſtum. Nam quoad primum, verbum illud Apoſtoli, *facite*, ſonat præceptum, non vero merum conſilium: & ad præceptum verba eadem retulit D. Thomas, qui exponens laudatum textum in *Epiſt. ad Coloſſen.* hæc habet. *Quidam dicunt, quod eſt conſilium: ſed hoc non eſt verum*. Quoad ſecundum vero, nempe quod ſint præceptum ſtricte ſumptum & iuris naturalis, patet ex eo quod debitum impoſitum ſit omnibus prorſus hominibus, omnia ad gloriam Dei referendi, per primum Decologi mandatum, quod (ſicut & cetera Decalogi præcepta) eſt iuris naturalis. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*. Quæ verba exponens S. Auguſtinus *lib. I. de doctr. Chriſt. cap.* XXII. hæc habet: *Cum enim ait* „ toto corde, to„ ta anima, tota mente " *nullam vitæ noſtræ partem reliquit, quæ vacare debeat, & quaſi locum dare ut alia re velit frui*. Ulterius, cum iure naturali Deus ſit non tantum principium, ſed etiam ultimus finis creaturæ rationalis: ex hoc manifeſte conſequitur, quod ſicut iure naturali omnia ab ipſo tamquam a principio procedunt: ita iure naturali omnia ad ipſum tamquam ad finem ultimum ſunt referenda.

CAPUT VIII.

De regulis moralis bonitatis.

EXpoſitis humanorum actuum principiis ad eorum eſſentiam pertinentibus, nec non his quæ ad inſtar quorumdam accidentium iiſdem adveniunt; nunc quæ ſint præcipuæ regulæ quibus eos conformari oportet, diligentius inſpiciendum ſupereſt. Valde enim intereſt ut hoc compertum habeatur; alias nullo modo ſtatui poſſet unde actionum noſtrarum bonitas derivetur. Regulæ autem ſeu menſuræ humanarum actionum tres ſtatui ſolent. Prima eſt nobis proxima ac veluti homogenea; nempe humana ratio: aliæ duæ remotiores; nimirum lex æterna quæ eſt primæva, & divina voluntas. Quare de his ſigillatim agemus.

§. I.

Bonitas humanarum actionum tamquam a primæva ſua regula repetenda eſt a lege æterna.

Lex æterna, quæ eſt ſumma veluti ratio quæ in Deo tamquam omnium Principe viget, qua cuncta diſponuntur, ea eſt, inquit S. Auguſtinus, *qua iuſtum eſt ut omnia ſint ordinatiſſima*. Et hæc eſt firma, conſtans, invariabilis: quæ ſunt conditiones neceſſariæ, ut aliquid ſit primum in aliquo genere. Ab ea autem lege omnes actiones noſtræ ita pendent, ut omnis alia regula aut menſura ab ea veluti a ſuo fonte profluat. Immo & ipſa recta ratio ab ea derivatur, & ei ſubordinatur. *Multi dicunt, quis oſtendit nobis bona? Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, Domine*: nempe lumen rationis mentibus noſtris divinitus inſculptum; quatenus eſt vultus luminiſve divini, ſeu legis eternæ participatio, dictans nobis quomodo declinare a malo, bonumque operari valeamus. Unde peccatum definiri ſolet: *Dictum; vel factum, vel concupitum contra legem æternam*. Igitur lex æterna inſpirata ſine magiſtro animabus noſtris, eſt prima regula totius hone-

honeſtatis. Veritatis inveſtigandæ inſerta cupiditas, ingenita ac naturalis in bonum propenſio, a malo averſio non aliunde ſcaturiunt quam a lege æterna; cuius primum præceptum illud eſt: *Avertere amorem a temporalibus, & convertere ad æterna*. Illæ enim ſunt divinæ legis derivationes & quædam veluti tranſumpta, ait P. Contenſonus, quibus & ad æternæ legis notionem veluti manu ducimur, & ad eiuſdem legis obſervantiam Dei nomine trahimur atque ſtabiles reddimur. Quod autem regulæ præceptaque bene honeſteque vivendi ab æterna lege profluant, patet iuxta D. Thomam ex eo, quod effectus qui pendet a cauſſis ſubordinatis; magis dependeat a prima quam a ſecunda; quia iſta nonniſi virtute illius operatur. Cum igitur omnis regula creata ipſaque recta ratio legi æternæ ſubordinetur, ac ab ipſa oriatur: tunc actiones noſtræ bonæ ſunt, quando cum ea concordent; malæ, ſi ab ea diſcrepent.

§. II.

Bonitas moralis actionum humanarum deſumitur etiam a recta ratione, tamquam ab ipſarum regula proxima.

Recta ratio profecto eſt altera regula & proxima ad bonitatem humanarum actionum. Nam bonitas moralis actus humani intrinſece ſumitur ab obiecto, prout a ratione voluntati proponitur; cum voluntas per ſeipſam bonum a malo, honeſtum a turpi ſecernere nequeat; utpote quæ, ut aiunt Philoſophi & Theologi, ſit potentia cæca. Quapropter recta ratio eam dirigere debet; alias voluntas inconſulto & temere agit. Actio igitur humana non eſt moraliter bona, niſi conſentanea ſit rectæ rationi, ideſt niſi quatenus ductum ſequitur rectæ rationis, ad quam ſpectat præſentare voluntati obiectum quod bonum ſit, a quo ipſius voluntatis ſuarumque actionum bonitas pendet. Cum vero humanus actus primariam & eſſentialem moralitatem ab obiecto recipiat prout a ratione propoſitum eſt voluntati: ſi ut bonum proponitur, bona moraliter actio eſt & virtuoſa; ſi ut malum, mala moraliter eſt & vitioſa. In hoc enim differunt rationales creaturæ, ſeu mente præditæ & ratione inſignitæ, ab his quæ mente & ratione ſunt expertes: quod iſtarum motus non procedant a principiis quæ in ſe habeant, ſed ſingulæ ab ipſo auctore naturæ in ſuos reſpectivos fines moveantur & dirigantur; illæ vero, nempe rationales principia ſeu virtutes in ſe ipſis habent, quibus ſe ſuoſque actus per ſe ipſas dirigere valeant, iiſque datum eſt pariter diſcretionis iudicium, quo bonum a malo, utile a noxio ſecernere poſſint. Omnis autem ordo aut iudicium in his perficitur ad normam aliquarum regularum, quæ ſunt in illius mente, ad quem ordo ſeu iudicium ſpectat. Etenim ſupremus rerum omnium artifex qui hanc œconomiam in rationabilibus agentibus ſtatuerat, huiuſcemodi regulas rerum agendarum in animis eorum impreſſit, quas recta ratio conſulit, ut quid ſit agendum ei innoteſcat. Recta igitur ratio eſt proxima rei agendæ regula, ad quam cuiuſque actus bonitas, menſuratur: unde ait Ariſtoteles *lib. VI. Ethic.* rectam rationem modum virtutibus præſcribere. Nam homo non agit moraliter niſi per rationem; ita ut actus humanus nec bonus nec malus moraliter ſit, quando non concurrat iudicium rationis: ut contingit in pueris & amentibus, vel in iis qui ex ignorantia invincibili operantur. Verum licet ratio recta non ſit niſi per conformitatem ad appetitum rectum circa finem; & appetitus rationalis ut rectus ſit, rectæ rationi conformis eſſe debeat: non ex hoc tamen ſequitur circulus vitioſus; quia ideo appetitus circa media eſt rectus, quia conformis eſt rationi debita media proponenti: ratio vero ideo circa media recta eſt, quia eſt conformis appetitui recto circa finem. Intentio autem circa finem recta eſt, quando Syndereſis iudicio conformatur. Iudicium porro ſyndereſis bonitatem ſuam ſortitur ex eo quod concordat legi æternæ, cuius æternæ legis ſynderefia eſt veluti quædam expreſſio ſeu imago. Id vero omne de ratione practica, & non tantum ſpeculativa intelligendum eſt. Solet enim contingere aliquando, ut falſa ſit ratio ſeu iudicium ſpeculativum circa media, & appetitus circa illa rectus ſit: ut patet in illis qui agunt ex ignorantia invincibili; ſicuti cum Iacob acceſſit ad Liam putans eſſe Rachelem. Et e contra fieri poteſt, ut cum iudicio ſpeculative vero appetitus ſit perverſus: ut in eo qui dum iudicat furtum eſſe malum, furatur; & ſic in omni alio qui operatur contra conſcientiam, de qua mox acturi ſumus. Hoc tamen non contingit poſt iudicium & dictamen prudentiale, hic & nunc præcipiens & informans operationem. Et pro hoc dictamine hic intelligitur recta ratio, quæ etiam revera coincidit cum iure & lege naturali.

Digitized by Google

§. III.

Divina voluntas eſt tertia regula bonitatis humanarum operationum, quatenus per præceptum vel per inſpirationem nobis innoteſcit.

Voluntas humana tribus modis confor. mari pot. eſt divinæ.

Ut clariore methodo in re hac pertractanda procedatur, advertendum I. voluntatem humanam tribus modis conformari poſſe divinæ. Primo, executive, ſive in genere cauſſæ efficientis; volendo ſcilicet & efficiendo quod Deus vult humanam voluntatem velle & efficere. Secundo, in volito materiali; efficiendo id quod Deus vult. Tertio, in volito formali; ſeu volendo obiectum aliquod, ob rationem eamdem, ob quam Deus illud vult. Additur a quibuſdam etiam quartus modus; quando ſcilicet homo vult omnia propter Deum, ſicut Deus vult omnia propter ſe ipſum.

Adverrendum II. humanam voluntatem conformari poſſe divinæ vel poſitive, volendo nempe id quod vult Deus, vel ſub eadem ratione; vel quaſi negative, non reprobando id quod vult Deus, vel rationem ſub qua aliquid vult, ideſt ſi poſitivo actu non reſiſtat voluntati divinæ, quæ per eſſentiam eſt ipſa rectitudo & ſanctitas, cui ut tertiæ regulæ a qua actiones humanæ moralem ſuam bonitatem percipere debent, conformanda eſt tota humanæ vitæ rectitudo, iuxta D. Auguſtinum in Pſalm. XXXII. *Rectum cor habet, qui vult quod Deus vult.* Quare in omnibus operationibus noſtris, ex præcepto dilectionis Dei ſuper omnia, tenemur in eumdem quem habet divina voluntas finem formaliter vel virtualiter tendere; quod idem eſt ac ei in genere cauſſæ finalis & in volito conformari; quia tunc divina & humana voluntas ad idem ſcopum collimant.

Verumtamen runc ſolum præcipue tenemur divinæ voluntati conformari, quando per præceptum exterius, vel per Spiritus Sancti motionem nobis innoteſcat. Tenemur profecto, quando per præceptum oſtenditur nobis voluntas abſoluta Dei circa aliquid volendum a nobis aut faciendum; ſeu quando vult Deus abſolute, nos aliquid velle vel facere: ut docet Angelicus 2. 2. *quæſt.* CIV. *art.* 4. *ad* 3. ubi ait: *Etſi non ſemper tenetur homo velle quod Deus vult* (nempe quoad volitum materiale) *ſemper tamen tenetur velle quod Deus vult eum velle. Et hoc homini præcipue innoteſcit per præceptum divinum: & ideo tenetur homo in omnibus præceptis obedire.* Hæc autem obligatio conformandi voluntatem noſtram voluntati divinæ, quando præcipue nobis per ſuum præceptum eam manifeſtet, fundatur in ſubiectione, quam Deo ut ſupremo rerum omnium Domino habent creaturæ omnes, & quoad ſe, & quoad omnes ſuas operationes.

Dixi, *quod vult Deus abſolute*. Quia ſi tantum conſulat, non eſt obligatorium; tametſi valde laudabile ſit ſe ei conformare: quandoquidem conſulendo, nobis liberum relinquit velle & nolle, implere & non implere; ut patet in conſiliis Evangelicis.

Nota I. non eſſe præceptum quod divinæ voluntati poſitive conformemur in volito materiali ubi illa non eſt manifeſta; eſt tamen conſilium. Etenim cum res eadem bona eſſe poſſit ſub una ratione, mala ſub altera; Deus ut univerſalis proviſor poteſt aliquid velle ut conducens ad bonum commune, cui homo licite repugnat tamquam contrario bono particulari ad quod naturalem habet inclinationem, & quidem a Deo ſibi inditam. Unde poteſt quis orare ut Deus a nobis avertat flagella peſtis, belli, famis: quia licet Deus fortaſſe illa abſolute velit; nos tamen later, & præſumere poſſumus ea velle tantum conditionate. Hinc conſulto dictum fuit, *ubi non eſt manifeſta*: quia cum de illa conſtet, non poſſumus ſine horribili impietate contrarium illi velle, ſaltem voluntate efficaci; quia id eſſet conari ad faciendum Deum mutabilem. Et hæc intelliguntur de voluntate quam Deus habere dignoſcitur independenter ab arbitrio hominis: Nam ſi alicui revelata eſſet ſua damnatio aut lapſus in peccatum, ſicuti revelata fuit Petro trina negatio; deberet fortiter adlaborare ut peccatum damnationemque effugeret: quia tunc voluntas Dei eſſet dependenter a voluntate hominis peccantis, qui etiam poſt revelationem non ſecus ac ante poteſt vitare peccatum.

Nota II. quod licet non teneamur ſemper conformes eſſe poſitive voluntati divinæ in omni volito etiam formali; tenemur tamen ſemper conformes eſſe negative, ſeu non poteſt id nobis diſplicere; quia omne volitum formale in Deo eſt honeſtum; cum nonniſi honeſtum poſſit velle. Honeſtum autem non poteſt nobis diſplicere, cum obiectum diſplicentiæ ſit malum.

Innoteſcere ulrerius nobis poteſt divina voluntas internis inſpirationibus, quibus aliquando ad inſolita viri Sancti excitantur: ut factum fuit in S. Apollonia, quæ flagrantiore igne intus exardeſcens ſponte in paratum

Digitized by Google

tum ignem ſe conjecit; & in aliis non paucis, qui diebus multis a cibo ſe continuere. Idemque dicito de cæteris huiuſcemodi exemplis, quæ niſi repetantur ab inſcrutabili conſilio illius qui auctor eſt legum, vix honeſtari poſſunt. Item per internas ſanctas illas infuſas cordibus cogitationes, quibus per opera conſilii ad æmulanda chariſmata meliora perducimur. Licet tamen non teneamur omnes ſequi pias cogitationes quæ nobis obveniunt, cum Spiritus probandi ſint num ſint a Deo, cum ſæpe, ut notat D. Paulus, Angelus Satanæ in Angelum lucis tranſformetur; nec omnia poſſumus nos: nihilominus ſi quis ad eam ſpiritualium rerum acediam erga ſpiritualem profectum, ideſt ad eum propriæ æternæ ſalutis torporem perveniret, ut nullum auditum ſanctis inſpirationibus ad meliora exſtimulantibus præbere ſtatueret; qui certe ita animum paratum haberet, ſaltem venialis culpæ reus cenſendus eſſet. Communis enim eſt Chriſtianæ pietatis ſenſus, ut qui omnino ſolidæ virtutis expertes non ſunt, de divinarum inſpirationum neglectu & repulſa humiliter, non ſecus ac de ſpirituali infidelitate qua Deo ad maiora vocanti non reſpondent, ſe accuſare ſoleant; non ignorantes huiuſcemodi repulſas a Deo aliquando non leviter puniri, dum cadere permittit eos qui progredi non nituntur. *Tamdiu* (ait S. Auguſtinus epiſt. cxliii.) *non relabimur, quamdiu progredi, contendimus: & ut cæperimus ſtare, deſcendimus; noſtrumque non progredi, reverti eſt.* In his tamen magna requiritur diſcretio & prudentia, præſertim circa cogitationes inſpirantes ſtatus per ſe boni & non corrupti mutationem. Si quis enim in eo ſtatu poſitus ſit, in quo vocationis officia implere non valeat; ad alium tutiorem tranſire debet. Ubi tamen agitur de mutatione ſtatus per ſe boni ſub ſpecie melioris; omni ſpiritui hoc ſuadenti non ita facile credendum eſt, nec cito moveri debemus ad certa pro incertis deſerenda. Nemo enim ignorat, Diabolum ſoli ſemper perſeverantiæ inſidiari, quam ſolam ex virtutibus agnovit coronari: utiliuſque eſſe in ea vocatione qua vocati ſumus perſeverare, quam ſub ſpecie melioris boni id quod iam cœpimus, amittere; nec ad id quod fortaſſis præſumimus, pervenire.

Agendum hic eſſet de altera moralitate actus humani, ideſt de malitia, ſed de hoc loqui remittimus cum agemus de peccatis, cum per malitiam moralem actiones humanæ ſint & dicantur peccaminoſæ; ſicuti ex oppoſito per moralem bonitatem virtuoſæ dicuntur.

TRACTATUS
DE REGULIS MORUM.

Cum homo a ſuprema conditoris providentia ita conſtitutus ſit, ut ſeipſum ad differentiam aliarum creatarum rerum, quæ ab ipſomet auctore ad proprios fines moventur ac veluti manu ducuntur, moveat, ad ſuumque finem dirigat: ea propter non ſolum hunc inſtructum voluit tum internis principiis, quibus agenda cum ſuis obiectis ac circumſtantiis cognoſceret, actionem deliberaret, ac cum arbitrio ſe moveret (quod fit per intellectum & voluntatem) tum externis facultatibus ad operis ſtatuti executionem: ſed regulas quoque ei ſtatuit quibus in ſuis deliberationibus regeretur. Hæ autem regulæ, aliæ ſunt priores: remotæ tamen & externæ; ut æterna lex & divina voluntas, de quibus iam paulo ante egimus. Aliæ propiores, & quidem internæ, cuiuſmodi eſt recta ratio, quæ eſt ipſius æternæ legis expreſſio in hominum animis. Aliæ proximæ: & hæ pariter aliæ internæ ſunt, qualis eſt conſcientia hominis deliberate operantis; aliæ externæ, leges nempe divinæ, & humanæ, moderatrices hominis dum deliberate operatur. Æterna lex indefectibile exemplar omnis rectitudinis maniſeſte explicatur & in hominibus effulget, quando hi rectæ rationis dictamine utuntur; quatenus rectum ab obliquo, iuſtum ab iniquo, bonum a malo ſecernunt. Verum cum recta ratio per ſynderesis habitum agnoſcat veritates, ex quibus infertur quid agendum ſit, quid fugiendum; hinc opus eſt ut alia proxima regula accedat, quæ per practicum ſuum iudicium ad particulares caſus applicet generalia rationis dictamina. Et hæc eſt conſcientia, de qua im-

impræſentiarum dicturi ſumus: ut, cognitis iam remotis ac generalioribus actuum humanorum regulis, proximæ quoque & quæ ad particularia accedunt, innoteſcant.

CAPUT I.

De regula interiore, nempe de Conſcientia.

§. I.

De conſcientiæ notione.

Anima rationalis, quæ eſt viva Dei imago (iuxta illud Pſalmi: *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine*) ad ipſius Dei ſimilitudinem duplici ornatur facultate: intellectu ſcilicet, & voluntate. Intellectus ſuis cognitionibus lumen voluntati præbet, ita ut ſine tali adminiculo operari nequeat; & idcirco ab intellectu in operationibus voluntas dependet, & ipſi ſubiicitur. Quando vero intellectus inter veritates ab ipſo cognoſcibiles verſatur circa eas, quæ ad mores non pertinent, dicitur ſpeculativus; quando autem circa eas occupatur, quæ moribus bene inſtituendis inſerviunt, practicus ſive moralis vocatur. Intellectus autem moralis vel attingit prima & generalia morum principia *declina a malo, & fac bonum: fac alteri quod tibi vis; & quod tibi non vis, alteri ne feceris*, & appellatur *ſynderesis*, quæ eſt habitus ſeu habitualis primorum principiorum moralium cognitio: vel principia hæc applicat in caſu particulari, & veluti monet quid vi talium principiorum hic & nunc ſit faciendum, vel omittendum, & tunc dicitur *Conſcientia*, ſeu cordis ſcientia iuxta ipſius nominis etymologiam, ſive cum alio ſcientia, vel concludens ſcientia; ideo dicit ordinem ſcientiæ ad aliquid. Sicuti iuxta ea, quæ tradit S. Thomas P. 1. q. lxxix. art. 12. eſt in nobis habitus quorumdam principiorum ſpeculabilium, quibus ſine ulla ratiocinatione ſtatim quaſdam veritates attingimus, puta quod totum eſt maius ſua parte; ita etiam eſt in nobis quidam habitus primorum & univerſalium principiorum operationis practicæ, quibus ſine ulla animi retardatione ſtatim apprehendimus aliqua tamquam bona & amplectenda, alia tamquam mala, & fugienda. Et non ſecus ac in habitu primorum principiorum ſpeculabilium error ſubeſſe non poteſt; ſic in his, quæ per ſynderesis habitum tamquam facienda, vel omittenda percipiuntur deceptio cadere non poteſt, cum ſit de bonis, & malis operationibus per ſe notis. Unde actus huius univerſalis habitus eſt inſtigare ad bonum, & remordere de malo. Quare conſcientia uti iam patet & loco cit. art. 13. docet Angelicus, non eſt potentia, ut intellectus, & voluntas; non habitus, ut conſtans primorum principiorum cognitio, vel virtutum diſpoſitio; ſed quidam rationis actus, quo cognitionem alicuius veritatis applicamus ad agendum aliquid, vel omittendum.

Igitur ex dictis colligitur 1. intellectum moralem, ſeu practicum eſſe facultatem directricem actionum humanarum ad honeſtatem. 2. Ad mentem moralem duo pertinere, idest ſynderesim, & conſcientiam; ſiveut alii dicunt, intellectum voluntatem dirigere per ſynderesim, & conſcientiam.

Communiter conſcientia definitur iuxta Theologos: *actus, quo intellectus iudicat de bonitate, aut malitia eorum, quæ hic, & nunc agenda ſunt*; ſive eſt iudicium actuale practicum dictans quid in particulari ſit licitum, vel illicitum, agendum ut honeſtum, vel omittendum ut inhoneſtum, vel quod agi, aut omitti debuiſſet. Hinc conſcientia dici ſolet *iudicium practice practicum*; quia hæc non tantum cognoſcit prima principia, & leges, ſed dirigit etiam, non ſolum generali modo ut ſynderesis, quam ideo alii vocant *iudicium ſpeculative practicum*, ſed dictans hic, & nunc in particulari, ſeu in praxi quid agendum ſit, vel non agendum. Et in hoc ſenſu diſtinguitur a prudentia, quæ ex principiis generalibus practicis ſynderesis elicit generales concluſiones; cum conſcientia applicet ea principia ad particularem materiam, & actum faciendum. Unde conſcientia verſatur & concludit circa individuas actiones conſideratas, & inſpectas in omnibus ſuis circumſtantiis. Quocirca conſcientia diſtinguitur tum a ſynderesi, quæ verſatur circa prima principia practica, tum a prudentia, quæ, ut antea diximus, ſolummodo generales concluſiones ex iiſdem principiis deducit; & hos ſylogiſmi exemplo clarius innoteſcet. *Nulla iniuria* dictat ſynderesis *proximo eſt inferenda: ergo* concludit prudentia *non eſt violanda proximi famæ: ergo* particulariter in praxi & in individuo, infert conſcientia *non eſt manifeſtandum ſine gravi neceſſitate occultum crimen quod ille commiſit*. Idcirco conſcientia a S. Antonino dicitur concludens ſcientia, cum conſcientia ſit ultimus prudentiæ particularis actus, ac veluti eius concluſio. Quapropter prudentia ſe habet in practicis ut ſcientia in ſpeculativis, applicans ſyn-

ſyndereſim ad facta particularia, ut iam diximus antea.

Additur in definitione Conſcientiæ *vel quod agi, aut omitti debuiſſet*; quia conſcientiæ eſt non ſolum dictare & iudicare circa futura, ſeu circa agenda; ſed etiam iudicare & teſtificari de factis præteritis, quæ cognoſcimus nos feciſſe vel omiſiſſe: approbando eorum bonitatem, ſi bona fuerint (quod nobis parit internam tranquillitatem, ut II. ad Corinth. cap. 1. *Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ*,) vel eorum malitiam redarguendo, qualis eſt conſcientia damnatorum, *quorum vermis non moritur*, Marc. cap. 9. Quare S. Auguſtinus in *Pſalm.* XXXVI. ait: *Deus iudex erit; alius teſtis quam conſcientia non erit.*

Hinc colligitur ergo, quod ſyndereſis ſit quidem interna actuum humanorum regula, ſed magis remota; utpote quæ legem generaliter tantum proponat: conſcientia vero, tametſi ſecundaria ſit ut a ſyndereſi dependens, eſt tamen regula proxima & immediata, quæ legem applicat in particulari. Conſtat itidem, ſyndereſim regulam eſſe infallibilem; cum circa generalia principia per ſe nota verſetur: conſcientiam vero errori eſſe obnoxiam; quia fieri poteſt ut male applicet bona principia, vel non ſatis ad legem attendat, ut habemus ex D. Thoma Quodlib. VIII. q. VI. art. 3. Unde hic notandum occurrit, ſyndereſim numquam ex omni parte deleri: in quovis enim homine etiam perditiſſimo manet lumen, ſeu notitia primorum principiorum; Conſcientia vero per inveteratam peccandi conſuetudinem obrui omnino poteſt, & extingui: nam quos tradidit Deus in reprobum ſenſum, eo uſque corde, & animo obduruerunt, ut nullos Conſcientiæ ſtimulos experiantur. Quidam Patres non diſtinguentes ſyndereſim inter & Conſcientiam, unum pro altero uſurparunt: immo aliqui ipſam naturalem legem *Conſcientiam* appellarunt. Sic illam vocat Ioannes Damaſcenus: *Lex mentis* (inquit) ideſt conſcientia. S. Ioann. Chryſoſtomus in Pſal. CXLVII. ait, quod univerſa natura humana ſufficientem habuit legem conſcientiæ. Sed ne a modo loquendi Sanctorum Patrum recedamus, nihil obſtat dicere, legis naturalis partem principalem eſſe quam D. Angelicus ſyndereſim vocat; Conſcientiam vero actum legis naturalis, quo nobis in particularibus circumſtantiis proponitur quid agendum, vel omittendum ſit. Quamobrem Conſcientia eſt lex naturalis non in habitu, ſed in exercitio. Conſcientia ſpectat tum ad intellectum, tum ad voluntatem: Etenim alii actus qui tribuuntur conſcientiæ reſpiciunt intellectum, ut iudicare, & teſtificari, alii voluntatem, ut pungi, remordere, inſtigare. Et tali pacto Theologi poſſunt circa hoc conciliari.

§ II.

De Diviſione Conſcientiæ.

Conſcientia multiplex eſt ſive ratione ſui ſive ratione obiecti, ſive ratione principii vel aſſenſus. Primo quidem, conſcientia ratione ſui, ſeu iudicii quod fertur, dividitur in præcipientem, quæ dictat aliquid eſſe de præcepto; in conſulentem, quæ aliquid oſtendit eſſe de conſilio; in permittentem, quæ exponit aliquid mere permiſſum eſſe, ſeu nec præcipi, nec prohiberi. Secundo, ratione obiecti dividi ſolet in rectam, quæ etiam bona dicitur; & in erroneam, ſive falſam & malam. Conſcientia recta ſeu bona ita vocatur, quando paſſionibus non obſcurata ex principiis practicis, ſecundum omnes circumſtantias rectis, applicat ad aliquid agendum vel omittendum; ſeu quæ claram habens & evidentem cognitionem principiorum, & legis, recte concludit ſeu dictat licitum eſſe vel illicitum quod revera licitum eſt aut illicitum. Erronea vero illa dicitur, quæ nonniſi obſcure & confuſe principia cognoſcens, errat in ſuo iudicio, dictans licitum eſſe & bonum quod a lege vetitum eſt, aut illicitum & malum quod lex omnis vel præcipit vel permittit. Hæc autem vel eſt erronea invincibiliter, ſicuti dictum eſt de ignorantia, nempe ex errore qui vinci & tolli non potuit; vel vincibiliter, ideſt ex errore qui ſuperari potuit & debuit. Tertio, dividitur conſcientia ratione principii vel aſſenſus in certam ſeu tutam; & incertam ſeu non tutam. Certa ſeu tuta, ut ab aliquibus vocatur, talis eſt, quando mens prudenter & ſine formidine ſaltem rationabili iudicat hoc licitum eſſe & bonum, vel illicitum & malum. Cum tali conſcientia acceſſit Iacob ad Liam, prudenter iudicans eſſe ſuam uxorem; unde rectitudo conſcientiæ ac bonitas pendet præcipue a conformitate reſpectu rectæ rationis practicæ, non vero ſemper rationis ſpeculativæ; cum fieri poſſit, ut aliquando, vel ob ignorantiam, vel inadvertentiam invincibilem, vel quia mutetur obiectum in circumſtantiis particularibus, ſecundum quas agendum eſt, ratio practica recta eſſe poſſit, etiamſi rationi ideſt iudicio ſpeculativo non ſe conformet; ut

ut factum fuit in Iacob, qui invincibiliter ignorans non eſſe Rachelem ſibi promiſſam in ſponſam, ſed Liam, ad eam acceſſit cum recto iudicio practico, tametſi non eſſet conforme ſpeculativo, ideſt non eſſe licitum accedere ad non ſuam; quia eius iudicium practicum (ideſt licitum eſſe accedere ad ſuam) erat verum, & rectum, utpote conforme regulis morum ac arbitrio virorum prudentum. Ad eam igitur acceſſit cum recta conſcientia & inculpabili. Incerta ſeu non tuta Conſcientia dividitur in dubiam, perplexam, & ſcrupuloſam. Dubia illa dicitur, qua mens iudicans aliquid eſſe licitum ut poſſit etiam eſſe illicitum, ita ſuſpenſa hæret inter utramque partem contradictionis, ut neutram eligat. Si tamen in tali hæſitatione & ſuſpenſione aſſenſus & diſſenſus verſatur, quia æqualis ponderis ex utraque parte adſunt rationes, quæ mentem ſuſpenſam & quaſi in æquilibrio continent; tunc conſcientia dicitur dubia poſitive: ſi autem nulla ei occurrit aſſentiendi vel diſſentiendi ratio; tunc dicitur dubia negative. Tunc tamen verius & melius dici poſſet neſciens & ignorans. Immo notant Theologi, quod conſcientia quælibet dubia dici non poſſit conſcientia niſi improprie; cum conſcientiæ ratio & natura importet ut ſit aliquod definitum ac determinatum mentis iudicium ac dictamen, iuxta traditam conſcientiæ definitionem: quod dici nequit de conſcientia ſive poſitive, ſive negative dubia; cum utraque ſit cuiuſcumque determinati, ac definiti iudicii ſuſpenſio. Conſcientia perplexa eſt iudicium practicum, dictans eſſe peccatum, ſive actus hic & nunc fiat, ſive omittatur. Scrupuloſa conſcientia illa dicitur, qua mens levibus nixa rationibus hæſitat ac timet ne mali aliquid inſit in actione bona vel indifferenti: puta, ne peccet ambulando ſuper paleas quæ decuſſatim poſitæ crucem efformant. Definiri etiam ſolet actus, quo intellectus ob motivum parvi aut nullius momenti iudicat cum anxietate aliquid hic & nunc eſſe præceptum vel prohibitum. Huiuſcemodi conſcientia dicitur ſcrupuloſa, ducta metaphora a parvo lapillo, qui in calceo latens pedem lædit, preſſuſque dolorem creat: nam timor & anxietas in animo latens ipſum excruciat ac torquet. Differt autem conſcientia ſcrupuloſa & a recta, ut per ſe patet; & a dubia, quæ ita eſt ſuſpenſa & indeterminata, ut neutri parti aſſentiatur; & ab opinione, quia hæc oritur ex fundamentis non contemnendis. Addunt etiam Theologi conſcientiam ſcrupuloſæ oppoſitam, quam *latam* ſeu *laxam* vocanti: & ea eſt actus, quo intellectus levibus innixus ratiunculis licitum eſſe putat quod malum eſſe deprehendi facile poteſt; aut veniale peccatum eſſe iudicat quod in ſe graviſſimum ac turpiſſimum eſt. Utraque hæc conſcientia, ſcrupuloſa nempe & laxa, ad erroneam pertinet: ſicut & conſcientia *pharifaica*, quæ magna parvi, & parva magni facit; & *cauteriata*, quæ propter longam in malo conſuetudinem ſimilis quodam modo facta carnibus cauterio inuſtis, nil percipere videtur. Conſcientia item probabilis ſeu opinativa, quæ cum improbabili ſibi oppoſita aliud diviſionis membrum conſtituit, ea eſt, quæ ducta gravibus quidem, ſed tamen fallibilibus rationibus ac motivis actionem probabiliter iudicat licitam aut illicitam; unde dicitur inniti opinione probabili. Improbabilis illa dicitur quæ nititur motivo levi vel abſolute inſufficiente ad prudentem aſſenſum. Quare conſcientia opinativa eſt, quando inter duas propoſitiones contradictorias, de quibus non poteſt haberi demonſtratio, intellectus iudicat unam eſſe altera vero ſimiliorem, exiſtimans illam potius veram quam alteram; cum aliqua tamen oppoſitæ partis formidine: ideſt ita illam iudicat veram, ut de illius veritate non habeat plenam certitudinem. Varias haſce conſcientiæ ſpecies ſigillatim expendemus. Sed antequam ad rem propius accedamus, omittenda non eſt differentia dubium inter & opinionem. Dubitat intellectus, ut dictum eſt, quando unam ex duabus propoſitionibus contradictoriis non iudicat veroſimiliorem quam alteram; opinatur autem, quando uni potius quam alteri adhæret, iudicans illam eſſe veram, quamvis non habeat omnimodam certitudinem: quo ſuppoſito, neceſſe eſt ut alteram propoſitionem falſam iudicet, tametſi illam probabilem reputet; quia eius falſitatem non habet clare perſpectam: impoſſibile namque eſt ut intellectus duabus propoſitionibus contradictoriis ſimul aſſentiatur; & iudicando unam veram, neceſſe eſt ut aliam falſam reputet. Et hanc doctrinam cum iam viderint recentes Theologi negari non poſſe, ultro concedunt, ut videre eſt apud Laymannum *lib.* I. *Tract.* I cap. V.

Conſcientia tandem, ſicuti etiam ſyndereſis, dividitur in habitualem, & actualem. Habitualis eſt habitus cognoſcendi prima bene vivendi principia; actualis vero eſt aſſenſus, qui actu primis illis principiis practicis præbetur. Ex huiuſmodi actualis aſſen-

ſen-

Digitized by Google

ſenſus frequentia acquiritur habitus, quo medianre fit ut facilius, & promptius actus illos elicere valeamus. Fateor quidem quod Synderelis pro habitu, Conſcientia pro actu ſæpe ſæpius accipi ſoleat.

§. III.

De Conſcientia recta.

Adeo certum eſt nos debere rectam conſcienriam ſequi, tamquam certiſſimam, ac meluctabilem regulam noſtrarum operarionum, ut ſupervacaneum ſit plurimis probare momenris ſemper illicitum eſſe contra ipſius dictàmen, quod numquam fallitari ſubeſſe poteſt, operari. Erenim conſcientia recta, quæ eſt ipſamet recta ratio ſive iudicium ipſi rationi conforme, dum proponit, ac dictat aliquid faciendum ut bonum, omittendum ut malum, idipſum proponit quod eterna lex hic & nunc, ideſt in talibus circumſtantiis, faciendum vel omittendum præſcribit. Ratio evidens eſt: Qui enim agit adverſus æternam legem, peccat. Ergo itidem peccat qui agit contra conſcienriam rectam. Ideo quippe prior actio peccatum eſt, quìa æterna lex eſt prima remotaque regula, ad quam conformanda eſt omnis actio noſtra: Atqui conſcientia noſtra recta eſt ſecunda proximaque regula, cui pariter reſpondere actus noſtri debent: Ergo æque peccat qui adverſatur primæ, ac qui ſecundæ regulæ.

Opponunt quidem nonnulli exemplum iudicis, qui licite damnare poteſt, eum quem ex propria conſcientia innocentem eſſe cognoſcit. Sed negant alii, ut Silvius, Pontas, Tournely, Iudicem hunc poſſe inculpabiliter tale iudicium proferre, licer conforme allegationibus & probationibus teſtium; cum Iudex nec a Deo, nec a Republica auctoritatem recipiat innocentes occidendi. Quare docent, Iudicem teneri cedere officio & etiam vitæ potius quam eum damnare, quem inſontem eſſe cognoſcit. At, conceſſo etiam cum contraria ſententia, quod hic Iudex poſſit inculpabiliter hoc proferre iudicium; qui tamen ita ſentiunt, ſentiunt parirer, quod talis Iudex ageret contra propriam ſcientiam, non vero contra propriam conſcientiam, quæ dictat publicam perſonam teneri ſuum inſtituere iudicium ſecundum allegata per teſtes & probata.

Notandum tamen occurrit, hæc intelligenda eſſe de conſcientia præcipiente, ideſt dictante aliquid faciendum vel omittendum ex præcepto; non vero de conſcientia conſulente vel permittente; cum nec conſilium, nec permiſſio ligent ſub culpa, ſed liberam relinquant voluntatem, ut conſilio & permiſſione pro libito utatur, ſicuti ipſa quoque recta ratio ſeu conſcientia dictat.

Hinc colligitur, conſcientiam, cum ſit ipſa rario, ſeu iudicium ac dictamen rationis præſcribentis & proponentis homini id quod agere debeat vel òmitrere, eſſe proximam bumanarum actionum regulam, ut docent Silvius aliique contra nonnullos qui cenſent, regulam banc non eſſe conſcientiam, ſed legem ſeu præceptum quod per conſcientiam nobis indicitur. Sed quidquid ſit, ad praxim quod attinet, omnes conveniunt, nos in operando ſequi debere dictamen conſcientiæ; ita ut contra ipſam, etiamſi erronea ſit, operari non poſſimus.

§. IV.

De conſcientia erronea.

Cum circa conſcientiam erroneam plures occurrant difficultates; ut res bono in lumine, quantum ſuſcepri operis patiuntur anguſtiæ, collocari poſſit, primo ſub examen inducemus, num conſcientia erronea in ſuo dictamine generaliter obliget, ut fit in lege præcipiente vel vetante, & an plus obliget quam ſuperioris præceptum: ſecundo, quale peccarum ſit contra illam agere: tertio, quomodo ſit deponenda.

Licet conſcientia erronea, ſive invincibilis ſit, ſive vincibilis, ſemper obliget: quia tamen diverſimode utraque obligat ad agendum; hinc ſtatim inſpiciendum occurrit, quænam ſit conſcientiæ erroneæ invincibilis obligatio. Statuamus igitur, hanc generaliter obligare, non ſecus ac obligat quælibet lex quæ iubet aut vetat. Immo eadem ratione qua obligat conſcientia recta, obſtringit etiam erronea: obligat nimirum tum poſitive, tum negative, ira ut licite non poſſimus contra ipſius dictamen agere; ſed ſimul teneamur ipſam ſequi in his quæ dictat eſſe præcepta vel prohibita. Nam alioquin, eum ipſa deponi nequeat, contra illam ageremus; ideoque contra dictamen rationis, quod eſt noſtrarum operationum regula, contra quam agere prorſus illicitum eſt. Nec obſtat, quod hæc aliquando ut præceptum dictet quod eſt vetitum, vel e contra; ideoque malum pro bono: quia cum ſit invincibilis, tollit omne voluntarium circa malum, & excuſat a culpa. Nam etſi quod dictat conſcientia, ſit malum ſecundum ſe; attamen hic & nunc non eſt malum voluntati. Obiectum enim voluntatis non eſt

opus ſecundum ſe conſideratum , ſed ut a ratione & a conſcientia apprehenditur & proponitur : ac propterea voluntas non recipit bonitatem ac malitiam ab obiecto ſecundum ſe ſpectato ; ſed ſecundum quod a ratione apprehenditur & proponitur. Quare cum ratio ex invincibili ignorantia qua nunc laborat , opus cæteroquin ſecundum ſe malum ac vetitum inculpabiliter apprehendat & proponat ut bonum & præceptum; malitia operis ſecundum ſe ſpectata redditur omnino involuntaria & inculpabilis . Notandum tamen , quod etſi talem conſcientiam ſequi teneamur , quia non poſſumus aliter peccatum vitare ; cum deponi nequeat , & non liceat contra illam agere : non eſt tamen talis Conſcientia proprie regula morum , nec proprie obligat ; cum non ſit veræ legis intimatio.

Dicet fortaſſe aliquis, hinc ſequi quod neceſſario peccare quis poſſit. Mulier v. g. in cura infirmi occupata die feſto putat ex errore invincibili ſe peccare, ſi ſacrum omittat, & ſi infirmum deſerat, nec errorem ſuum tunc deponere valet : utrumvis eligat, ſemper aget contra conſcientiam , & ſic neceſſario peccabit. Reſp. quod dicta mulier in hoc caſu moralem non habet libertatem; ideoque non peccabit : dummodo illud amplectatur quod minus malum eſſe iudicat. Nam licet poſſit alterutrum ex duobus illis eligere : cum tamen utravis parte electa, ſemper culpam apprehendat ; non erit libera ad agendum contra conſcientiam. Ad hoc vero ut quis culpam incurrat, requiritur libertas, qua culpa vitari potuerit. Quare ex prædictis ſequitur, quod nullatenus ex erroneæ conſcientiæ dictamine excuſari valeant clericorum defectus contra ſtatuta ſacrorum canonum & Synodorum propriæ diœceſis, ac contra leges ſuorum Ordinariorum ; necnon religioſorum inobſervantiæ contra apoſtolicas conſtitutiones & Ordinis regulas, contra Capitulorum generalium aut provincialium leges ac decreta, & contra Superiorum præcepta : iſti namque in huiuſcemodi tranſgreſſionibus ſemper agunt ex conſcientia vincibiliter erronea ; nam ſemper vincibilis eſt eorum ignorantia circa ea quæ pertinent ad proprium eorum ſtatum : nec ita facile poſſunt prudenter ſibi perſuadere, aliquod decretum vel non graviter obligare, vel non poſſe graviter obligare, vel per contrariam conſuetudinem eſſe abrogatum : Præſumptio enim ſtat pro Superiore ; & ex verbis ac ſtilo legis & decreti non difficile colligitur, num graviter obliget, vel non ; & conſuetudo quam ſæpe iactitant, fere ſemper abuſus eſt intolerabilis. Quæ enim conſuetudo poteſt invaleſcere contra Clericalem decentiam ac honeſtatem, contra vim ac robur regularis diſciplinæ, contra ſolemnium votorum eſſentiam? Nam & vota ſolemnia religioſorum ſunt de iure divino, ideoque nullo modo præſcribi poſſunt ; & honeſtas Clericalis regularisque diſciplina, in eo præcipue quod reſpicit propriam illius vim ac rationem, ſpectat ad nervum eccleſiaſticæ diſciplinæ , contra quam, ut habetur in Gloſſa, nulla induci poteſt vera ac legitima conſuetudo. Similiter in ſua erronea conſcientia inexcuſabilis cenſetur ille, qui officium ſæculare vel Eccleſiaſticum, quod ipſius vires ac talenta ſuperat, etiam non quæſitus ſuſcipit : quia eius error eſt voluntarius ſaltem in cauſa : Debuerat enim coram Deo penſare, quid valerent, quid ferre humeri recuſarent : debuerat viri prudentis, qui ipſum ex plana interioris hominis manifeſtatione cognoſceret, iudicium ſequi.

Circa vero obligationem conſcientiæ erroneæ vincibilis in duas abeunt ſententias Theologi. Alii enim contendunt, hanc quoque obligare poſitive, & negative : ſeu quod licite non valeamus operari contra eius dictamen, & quod ſecundum ipſum agere debeamus. Alii vero exiſtimant, quod obliget ut contra ipſam non agamus; non vero ut ſecundum ea quæ ipſa dictat, operemur. Et hæc opinio non ſolum eſt communior, ſed videtur etiam magis rationi conſona.

Conſcientia igitur vincibiliter erronea obligat ne contra ipſam agamus ; & hoc omnes ſentiunt : non vero ut ſecundum ipſam operemur ; & aliqui circa hoc oppoſitum ſuſtinent. Et quoad primum, videlicet nos non poſſe licite operari contra dictamen conſcientiæ etiam vincibiliter erroneæ ; conſtat id præcipue ex illo Apoſtoli ad Rom. cap. 14. *omne quod non eſt ex fide peccatum eſt :* ubi Gloſsa exponit : *omne quod ad conſcientiam pertinet , ſi aliter fiat peccatum eſt* : quamvis enim fiat quod bonum eſt, ſi credas tamen non eſſe faciendum, vel ſic non faciendum, peccas. In hoc ſenſu textum hunc Apoſtoli expoſuere inter alios PP. Origenes, S. Io. Chryſoſtomus, & Concil. Lateran. IV. Et ex eadem Gloſſa habetur etiam *cap. 13. de Reſti. expoſitor. quidquid fit contra conſcientiam, ædificat ad gehennam* : ideſt quæcumque actio vel omiſſio quæ non eſt ex dictamine conſcientiæ, ſeu ex perſuaſione quod ſit licita ; peccatum eſt, quo gehennæ rei efficimur.

Digitized by Google

cimur. Et ratio ipſa hoc demonſtrat. Nam (ut notat D. Thomas 1. 2. *quæſt.* xix.) velle malum, ſemper eſt malum & peccatum. At quotieſcumque voluntas diſcordat a ratione (ideſt contra ipſam operamur) mala eſt; quia malum eſt, ſeu peccatum, ſive ratio erret invincibiliter, ſive vincibiliter, tum circa bona per ſe, tum circa indifferentia, ſive non erret: igitur agens contra conſcientiam etiam invincibiliter erroneam vult malum, & peccatum; quia cum velit actionem, vel omiſſionem, quam ratio ei non dictat, & proponit voluntati eſſe illicitam ideoque peccatum, vult agere contra dictamen conſcientiæ quod eſt regula immediata noſtrarum operationum, quo Lex Divina vel humana nobis proponitur, ideoque malum eſt, & peccatum. Et vis tota huiuſce rationis fundatur a D. Thom. in illis duobus principiis: unum eſt: bonum proſequendum, malum vitandum; alterum eſt, quod nulla lex obliget, niſi quatenus nobis nota ſit, ſeu per rationem apprehenſa. Quare quando ratio ex lege, quam apprehendit, iudicat aliquod eſſe malum, & ut tale nobis proponit, ſive erret in ſuo iudicio, ſive non, ſi contra tale dictamen operemur, ideſt non vitando quod nobis ut malum proponitur, licet etiam tale non ſit, certe volumus malum, quia volumus quod per rationem ut malum apprehendimus, & iudicamus; etenim obiectum voluntatis, ſicuti antea iam diximus, eſt bonum, & malum, non ſecundum ſe ſpectatum, ſed prout ab intellectu proponitur. Immo ſi non datur peccatum niſi voluntarium, ideſt ut actio procedens a principio intrinſeco cum cognitione malitiæ ipſius actionis, ſine dubio vult peccatum, qui vult actionem, quam ex iudicio propriæ rationis cognoſcit eſſe malum, & peccatum.

Solet hic obiici, quod ſequens dictamen conſcientiæ vincibiliter errantis conſtitueretur in peccandi neceſſitate. Si quis v. g. ex erronea vincibili conſcientia falſo putans ſe teneri ad mentiendum pro vita proximi ſervanda, non mentiatur, peccat contra conſcientiam; ſi vero mentiatur, peccat contra legem Dei. Ergo hic conſtitueretur in neceſſitate peccandi. Sed nemo poteſt conſtitui in tali perplexo ſtatu, ut, vel agat, vel non agat, ſemper peccet. Ergo dicendum, quod illicitum non ſit agere contra conſcientiam vincibiliter erroneam. Reſpondeo: Conceſſo anteced. neg. conſeq. Nam hoc verum eſſet, ſi non daretur medium, quod revera datur: ſcilicet depoſitio talis conſcientiæ, quæ cum culpabiliter erret, poteſt, immo debet deponi. Illa vero depoſita, neque contra illam peccatur, neque ſecundum illam, ſi dictet quod eſt peccatum, ſeu quod rectæ rationi & legi divinæ eſt contrarium. Sequitur ergo, quod agens contra conſcientiam etiam vincibiliter erroneam peccet contra legem divinam naturalem, qua vetitus eſt omnis affectus & conſenſus ad id quod etiam ex errore ut malum concipimus & iudicamus. Etenim cum lex naturalis vetet agere contra præceptum Dei; obligat ratio & conſcientia, etiam dum errat: quia tametſi eius iudicium non derivetur a Deo, illud tamen proponitur tamquam a Deo derivatum.

Quamvis vero conſcientia etiam vincibiliter erronea negative obliget ne operemur contra eius dictamen; non obligat tamen poſitive ut ſecundum ea quæ ipſa dictat, agamus. Nam ſi quis teneretur ſequi huius conſcientiæ dictamen, quæ illicitum proponit pro licito; faceret culpabiliter id quod revera malum eſt: cum ignorantia vincibilis qua laborat hæc conſcientia, utpote voluntaria, non excuſet a culpa, & id quod ex ea fit, ſit ſaltem indirecte voluntarium. Præterea ſicut conſcientia obligat iam ex una parte virtute divini præcepti, & ex altera abſurdum eſt, ut quis ex divina lege teneatur peccare, ita non obligat ad peccandum: idcirco neque ad faciendum illud malum, quod erronee & culpabiliter dictat.

Poſſet hic tamen opponi auctoritas D. Thomæ, qui *quæſt.* xvii. *de Verit. art.* 4. docet quod conſcientia erronea, poſito quod perſeveret, obligat ad eam ſequendam: *Ille* inquit, *cui dictat conſcientia, quod teneatur ad fornicandum, non eſt obligatus ut fornicationem ſine peccato dimittere non poſſit, niſi ſub hac conditione, ſi talis conſcientia duret.* Reſp. quod poteſt hiſce verbis ſignificare ſanctus Doctor, poſita hac conditione, eum ita eſſe ligatum, ut quamdiu ipſa perſeveret, peccaturus ſit, ſi non fornicetur. Non docet tamen, quod teneatur eam conſcientiam ſequi, & fornicari: non quia debeat agere ſecundum illius conſcientiæ dictamen, ſed quia non debeat agere contra ipſam: aget autem contra talem conſcientiam, ſi eamdem retineat. Quia tamen agere non debet contra ipſam, nec ſecundum ipſam, ne divinam legem violet quæ vetat fornicationem; ideo ſequitur, quod eam deponere, non vero ſequi teneatur. Unde cum in *cit. art.* docet Angelicus conſcientiam errantem obligare, numquam tamen dicit, quod ſic obli-

get,

Digitized by Google

get ut eam ſequi oporteat; ſed quod non liceat contra eam facere, aut eam contemnere: ut docet etiam *Quodlib.* III. *art.* 27. Hinc huiuſcemodi conſcientiæ errores, cum vincibiles ſint, prudenter deponi debent, rem pro eius gravitate diligenter perpendendo, pios peritoſque conſulendo, ad praxim timoratorum attendendo. Quod ſi error deponi nequeat, & urgeat electio, v. g. ſi non poſſis veritatem per te invenire, nec adſit peritior quem conſulas; tunc orare debes ac elicere actum contritionis de priori ignorantiæ peccato, & eam partem eligere in qua minus mali eſſe apparet: & ſic ulterior culpa tibi non imputabitur; quia tunc error ex vincibili fiet invincibilis & involuntarius, cum eius cauſſa fuerit retractata, & feceris quantum in te fuit, ut a peccato diſcederes. Nihilominus tamen ſic errans adhuc tenetur damnum, ſi aliquod alteri ex tali erronea conſcientia intulerit, compenſare: quia culpæ retractatio non facit ut non fuerit libere poſita cauſſa damni, neque ut damnum ex ea non ſit ſecutum; & ſic non tollit obligationem illud reſtituendi, neceſſario adnexam iniuriæ damnoſæ.

Opponi etiam poteſt, licitum eſſe agere contra præceptum inferioris, ut ſuperioris præceptum impleatur, quando utrumque impleri nequeat: ideoque licere agere contra conſcientiæ præceptum, ut præceptum Dei adimpleatur. Reſpond. verum hoc eſſe, quando cognoſcatur quid poteſtas inferioris & ſuperioris præcipiat; non vero quando credatur præceptum inferioris idem eſſe ac ſuperioris; ſicuti fit in conſcientia erronea, quæ aliquid proponit ut præceptum Dei. Hinc D. Thomas 1. 2. *quæſt.* XIX. *art.* 5. *ad* 2. *Quando*, inquit, *ratio errans proponit aliquid ut præceptum Dei; tunc idem eſt contemnere dictamen rationis & Dei præceptum.*

Num plus obliget conſcientia quam ſuperioris præceptum.

Quærendum hic ſupereſt, num plus obliget in ſubdito dictamen conſcientiæ, quam ſuperioris præceptum. Verum ut res clarior evadat, notandum cum Silvio, quod in hoc caſu attendendum eſt, num conſcientia ſit recta, vel dubia, vel erronea vincibilis aut invincibilis. Nam ſi conſcientia quæ dictat ſuperioris præceptum eſſe contra legem Dei ſit recta; maior procul dubio eſt conſcientiæ obligatio, quam cuiuſcumque humani præcepti, iuxta illud Act. cap. V. *Obedire oportet Deo magis quam hominibus*. Si vero conſcientia ſit dubia; docet idem Silvius, quod ſi ſubditus dubitet rectum ne ſit an malum id quod a ſuperiore præcipitur, eidem parendum eſt: ſi v. g. ſuperior præcipiat ut ſubditus ob morbum, cuius gravitas dubia eſt, ab horis canonicis vel a ieiunio ſe abſtineat. Superior enim ius habet exigendi a ſubdito obedientiam: nec dubium ſubditi poteſt tollere ius ſuperioris; cum *in dubiis melior ſit conditio poſſidentis*. Rurſus præceptum impleri debet, cum nullum imminet peccandi periculum in eius executione; ut in præſenti caſu, in quo nullum peccati periculum imminet ſubdito. Periculum enim illud ſe teneret ex parte conſcientiæ, quæ dubia ſupponitur: hoc autem periculum timeri non debet; quia conſcientia hæc dubia poteſt & debet deponi. Etenim præſumere poteſt ſubditus, rem, de qua dubitat, licitam eſſe ob varias rationes quas ſuperiores præ ſubditis attendere & ponderare ſolent. Unde ſi quid tunc erroris obrepat, ſuperiori eſt imputandum. Quod ſi conſcientia ſit erronea; tunc videndum, num de maiore obligatione intelligatur, quantum ad gravitatem peccati: & in tali caſu conſcientia erronea non ſemper obligat plus quam ſuperioris præceptum, nec e contra; quia gravitas talis peccati pendet a qualitate materiæ, circa quam verſatur tum conſcientia, tum ſuperioris præceptum. Si vero de maiore obligatione intelligatur, quantum ad derogationem, ut una alteri deroget in his quæ ſubdito videntur eſſe peccata, quando peccata revera non ſunt: conſcientia erronea in hoc ſenſu, donec perſeverat, plus obligat quam ſuperioris præceptum; quia conſcientia proponit quidpiam tamquam legem Dei; quæ dum pro tali habetur, prævalere debet cuicumque hominis mandato (ut docet S. Thomas in II. *diſt.* XXXIX. *quæſt.* III. *art.* 3. *ad* 3.) licet talis obligatio teneat ſecundum quid, ideſt non in omni eventu, ſed tantum in tali conditione, ſeu dum talis conſcientia durat, ut idem ſanctus Doctor *quæſt.* X. *de Verit. art.* 5. adfirmat. Notandum hic eſt quod ait Angelicus *quæſt.* XVII. *de Verit. art.* 4. ſcilicet rectam conſcientiam & erroneam obligare; diverſo tamen modo & ratione; Recta enim, cum conformis ſit legi divinæ, eſt vera lex, ligatque ſimpliciter & per ſe; erronea vero, quæ non eſt vera lex ſed ſolum putatur eſſe, obligat ſecundum quid & per accidens. Recta autem ligat ſimpliciter, quia ligat abſolute & in omni eventu: quia in omni eventu abſtinendum eſt ab eo quod conſcientia recta ut malum & vitandum proponit, ita ut hæc numquam deponi queat. Erronea vero ligat ſolum ſecundum quid & per acci-

accidens; quia non ligat, niſi quatenus creditur recta: quam tamen ſicuti generaliter poſſumus ac tenemur deponere, ita ſubditus in dicto caſu poteſt & debet eam deponere, ac ſuo ſuperiori obſequi. Ideo ſi poſt præceptum ſuperioris remaneat ſubditus in invincibili ignorantia circa legem aliquam, ſive naturalem, ſive poſitivam, quam ſuperior tollere nequeat; utpote quæ lata fuerit per ſuperiorem auctoritatem, nec ſubdito rationes appareant quibus conſcientiam ſuam deponat, neque ex illo generali principio, quod tutum ſit ſequi mandatum ſuperioris, poſſit eam deponere, ut licet humanam adhibuerit diligentiam, non valeat veritatem percipere; tunc ſubditus tenetur ſequi ſuam conſcientiam, poſthabito ſuperioris præcepto. Si v. g. ſuperior ſubdito præcipiat aliquid quod ſit contra legem Pontificis, quam ſubditus invincibiliter ignorat eſſe revocatam, ac Prælatus neſciat hanc legem latam aliquando fuiſſe; tunc ſubditus ſuam conſcientiam, non ſuperioris mandatum ſequi debet. Si autem poſt ſuperioris præceptum perſeveret in ſubdito conſcientia vincibiliter erronea; tunc ſuperioris mandatum adimplere, & talem conſcientiam deponere ſubditus tenetur.

Dices. D. Bernardus *de præcep. & diſpenſ. cap.* XII. adfirmat, mandatum Prælati haud ſecus accipiendum eſſe ac ſi præciperet Deus. Reſp. ibi loqui ſanctum Patrem de iis quæ inferior dubitat, utrum Deo ſatisfaciant, necne; neque eius conſcientia, ſive recta ſit, ſive erronea, nihil certi ſuper hoc dicit, ut *cap. cit.* ſe explicat idem ſanctus Doctor.

Obiicies rurſus. Semper obediendum eſt Prælato in his quæ non ſunt contra Deum; & Prælati poteſtas eſt ſupra conſcientiam ſubditi; nec ad ſubditum ſpectat examinare ſuperioris præcepta, ſed ſimpliciter obedire. Reſp. ſemper Prælato obediendum eſſe in iis omnibus quæ ad regulam ſpectant, & non ſunt contra Deum vel in rei veritate, vel in conſcientia ſubditi. Nec refert, quod Prælatus ſit ſupra conſcientiam ſubditi: quia hoc verum eſt de conſcientia ſimpliciter conſiderata, non autem de conſcientia prout apprehendit & proponit aliquid pro divino præcepto. Quoad ultimum vero reſpondeo, tunc ſubditum non examinare ſuperioris mandatum, ſed num ipſe teneatur implere quod ſuperior præcipit: & hoc ad ipſum proprie ſpectat. Nam unuſquiſque tenetur actus ſuos examinare ad regulam ſcientiæ, ſive naturalis, ſive acquiſitæ, ſive infuſæ quam a Deo habet: quia omnis homo ſecundum rationem agere debet. Ita D. Thomas *quæſt.* XVII. *de Verit. art.* 5. *ad* 4. Quare ſupponendum eſt primo, ſuperiorem cui in dubio obediendum eſſe dicimus, virum eſſe doctum, diſcretum, prudentem. Secundo præceptum eius non niti rationibus & momentis, quorum levitas & infirmitas ab inferiori agnoſcatur, aut viris, non minus quam ipſe ſit, gravibus pene certa videatur. Unde non facile obſequendum eſt ſuperiori iubenti ut ſacramenta ſæcularibus miniſtrentur, quando parum firme probet ius illud ſibi competere. Tertio, inferiorem non poſſe tuta conſcientia parere ſuperiori, donec dubium eius perſeveret: ita enim peccaret, dum ſe exponeret periculo peccati: Cabaſſutius *lib. I. Theor. cap.* XXI. Pontas verb. *Obedientia* caſ. IV. Quarto demum, cum omnibus ſpectatis & ſecundum Deum conſideratis, ſubditus dubitat ex cauſſa quæ ſibi & aliis rationabilis videtur, an res ſibi iuſte ſit imperata, non ſemper eſt obediendum, ſed pars tutior eſt amplectenda. Ita Sotus, Medina, Henno, & alii. Verum hæc explicari nequeunt niſi per ſuas circumſtantias: eæ autem ſunt natura mandati, circumſtantia perſonæ mandantis, bonum aut malum proximi inde ſecuturum, & aliæ id genus.

Utrum vero gravius peccet, qui agit contra conſcientiam erroneam, quam qui ſecundum ipſam operatur, docet Silvius, & cum ipſo Tournely, neutrum peccatum eſſe ſimpliciter altero gravius; ſed ex diverſitate materiæ, unum aliquando gravius eſſe, aliquando aliud. Si quis v. g. putet ſe teneri ad mentiendum, ut vitam proximi conſervet; gravius peccabit, ſi agat contra conſcientiam, quam ſi ſecundum ipſam operetur: quia ſecundum eam operando nonniſi officioſum, ac proinde veniale mendacium committet; agendo autem contra eam, reus erit homicidii: e contra vero ſi quis exiſtimet ſe ſub venialis peccati pœna teneri ad furandum, ut pauperibus ope eleemoſynæ ſuccurrat; gravius peccabit agendo ſecundum conſcientiam, id eſt furando, quam contra illam agendo, & a furto abſtinendo: quia furtum eſt peccatum mortale; non furari vero, donec ipſi perduret talis conſcientia, erit ſolum veniale.

§. V.

§. V.

De Peccato quod committitur agendo contra conſcientiam, eiuſque ſpecie ac gravitate.

Operari contra conſcientiam rectam, iuxta qualitatem præcepti eiuſque tranſgreſſionis, eſt etiam culpa; videlicet ſi præceptum ſit obligans mortaliter, mortalis eſt culpa; venialis vero, ſi venialiter. Agere enim contra conſcientiam rectam, nec mutat ſpeciem peccati, nec aggravat in ſpecie; ſed tale relinquit peccatum, qualis eſt præcepti tranſgreſſio. Actio vero quæ fit contra conſcientiam invincibiliter erroneam, eſt mortale peccatum, ſi ipſa dictet eſſe mortale; veniale vero, ſi dicat eſſe veniale: quia in hiſce actionibus peccatum tale eſt, quale voluntas ipſum vult. Atqui voluntas vult peccatum aut grave aut leve, cum fertur in obiectum quod iudicat eſſe graviter aut leviter malum. Ergo qui exſpuit in templo, peccat mortaliter, ſi conſcientia dictet id eſſe peccatum mortale; venialiter vero, ſi dictet peccatum eſſe veniale. Similiter peccatum contra conſcientiam vincibiliter erroneam tale eſt, qualis apprehenditur materia, circa quam verſatur, ita ut ſi materia ut gravis apprehendatur, grave ſit peccatum; ſi ut levis, leve; modo id quod apprehenditur ut leve, non ſit reipſa grave. Nam peccatum actionis quæ fit contra conſcientiam errantem, naſcitur ex modo quo voluntas vult idem peccatum. Si igitur voluntas vult peccatum quod mens ex errore iudicat eſſe in materia gravi, graviter peccabit. Præterea materia gravis ſufficit ad peccatum mortale, niſi error conſcientiæ tollat conſenſum. Error autem vincibilis, de quo ſermo eſt, conſenſum tollere non poteſt; cum is error ſit voluntarius: Filius igitur qui credit ſe mortaliter peccare, ſi levem ſummam parentibus furetur, mortaliter peccat; & adhuc mortaliter peccat, ſi grandem ſummam furando exiſtimet ſe leviter ſolum peccare; eo quia is error facile deponi potuit.

Quod ſi conſcientia errans dictet quidem aliquid eſſe malum, ſed non determinet, ſit ne mortaliter malum, an dumtaxat venialiter; ut fit in vulgaribus perſonis, quæ licet ſciant aliquod eſſe peccatum, ignorant tamen & non advertunt mortale ne an veniale ſit: tunc Navarrus, Valentia, aliique exiſtimant peccatum eſſe tantum veniale agere contra talem conſcientiam; cum non videatur gravis malitia velle quod in genere ſolum illicitum putatur. Communior tamen auctorum ſententia (inter quos Azorius, Silvius, Salmanticenſes, & alii apud ipſos) docet, quod agere contra talem conſcientiam gravis ſit culpa. Nam qui ita ſine alio examine operatur, cum velit committere peccatum, qualecumque illud ſit, ſe exponit manifeſto periculo peccandi mortaliter: *Qui amat periculum, peribit in illo*. Eccleſ. cap. III. Ille enim omnino videtur mortaliter peccare, qui ea intentione agit ut cupiat & velit male agere, etiamſi id quod agit, non ſit mortale peccatum: unde qui plena deliberatione paratus eſt agere, quodlibet ſine ulla diſtinctione veri vel falſi, peccat lethaliter; quia periculo ſe exponit peccandi.

Ex his autem colligi poteſt, quando opus ſit ut pœnitens confiteatur ſe egiſſe in peccando contra conſcientiam: Nam agere contra conſcientiam, ſive rectam remordentem, ſive etiam errantem, quando dictat malum quod revera eſt malum, v. g. non fornicandum, eſt circumſtantia quæ aggravat. Ita Azorius, Sayrus, Navarrus. Neceſſario item exprimendum eſt in confeſſione peccatum contra conſcientiam, quando opus nulla alia lege eſt peccatum, niſi quia fuerit commiſſum contra conſcientiam erroneam, illud proponentem ut malum & peccatum. Ita Silvius.

Hic tandem notandum ſupereſt, quod licet agens contra conſcientiam erroneam perinde peccet ac ille, qui contra conſcientiam rectam operatur; non tamen incurrit eaſdem pœnas humanas & cenſuras; cum hæ non imponantur niſi his qui veram legem tranſgrediuntur, non vero putativam. Quare non incurrit excommunicationem, qui facit actum quem falſo credit eſſe prohibitum ſub tali pœna: v. g. percutiendo laicum quem ex errore putat eſſe clericum. Ita Antoine & Tournely.

§. VI.

De conſcientia erronea deponenda.

Quando conſcientia eſt omnino invincibiliter erronea, non ſolum poſſumus, ſed tenemur etiam agere ſecundum eius dictamen, ſi dictet eſſe agendum; vel omittere, ſi præſcribat non eſſe agendum; ſive quia dubium nullum ei occurrat; imo prorſus exiſtimet, rem ita ſe habere, ſicuti a propria apprehenditur conſcientia; ſive (ſi aliquod forte dubium habuerit, & debita adhibita dili-

diligentia , nihil plus ſcire potuit , quam antea ,) non poſſit eam prudenter deponere, & ideo ab omni culpa excuſatur.

Quando vero conſcientia ſit vincibiliter erronea, tunc neceſſe eſt , ut ea deponatur : unde ſi quis e. g. putaret ex errore ſe teneri ad mentiendum , furandum , fornicandum , debet errorem deponere, & ita ſe abſtinere a mentiendo, furando, &c.

Conſcientia erronea vincibilis deponenda.

Si obiicias quod tametſi quis oportet errorem ſuum deponere, id facere nequeat ; reſpondeo poſſe , ſi velit, licet aliquando cum magna difficultate ; alioquin eſſemus extra ſuppoſitionem. Si enim, adhibita debita diligentia nullo modo deponi valeat ; non eſt amplius vincibilis , ſed invincibilis . In ſuppoſitione autem quod errorem non deponat, non eſt abſurdum dicere quod erit perplexus . Et licet non ſit abſolute perplexus , ut in quamcumque partem ſe inclinet, peccatum evadere nequeat : tamen ſicuti in ſyllogiſmis, poſito uno inconvenienti , alia neceſſario ſequuntur ; ita in moralibus quoque , uno inconvenienti poſito , neceſſe eſt ut alia ſequantur. Nam ſuppoſita intentione inanis gloriæ in eo qui eleemoſynam dare tenetur : ſi det, peccat ex mala intentione; ſi non dat, ex violatione præcepti de danda eleemoſyna . Stante pariter conſcientia erronea vincibili, quidquid contra illam, ſive ſecundum illam faciamus , non effugimus culpam : poſito quod illa nobis dictet pro bono præcepto id quod malum eſt ; vel id neceſſario faciendum, quod omitti debeat . Poſſumus tamen, immo debemus talem conſcientiam , ſicuti in ſupradicto caſu pravam intentionem, deponere : ideoque ſimpliciter non ſumus perplexi , ſed ſolum ſecundum quid & per accidens, donec in ea voluntate perduremus . Ita D. Thomas *quæſt.* XVII. *art.* 4. *ad* 8. *& in II. diſt.* XXXIX. *quæſt. III. art.* 3. *ad* 3. *& Part. III. quæſt.* LXIV. *art.* 6. *ad* 3.

Prudenter tamen, non temere.

Hæc tamen conſcientia temere non eſt deponenda, ſed rationabiliter & prudenter : & quia temere agere , eſt peccatum ; & quia qui talem conſcientiam temere deponeret , ſe exponeret periculo malum agendi quod conſcientia dictat eſſe omittendum, vel male omittendi quod agendum præſcribit. Temere autem conſcientiam deponere ille dicitur qui conſcientiam ſibi aliquid dictantem non curat ; ſed perinde agit aut omittit, ac ſi nullius rei haberet conſcientiam ; nec non ille qui animum ex ſola ſua voluntate a iudicio ſeu dictamine rationis avertit, ne ſentiat eius remorſus, & liberius operetur. Sic enim non deponitur conſcientia , ſed contemnitur. Sic etiam ſe habent qui affectant ignorantiam ; an contractus v. g. qui proponitur ineundus licitus ſit ; nec curant circumſtantias examinare ne forſan deprehendatur iniuſtus. Et hi ſimiles facti ſunt iis , qui *Iob cap.* XXI. dicunt Deo : *Recede a nobis , ſcientiam viarum tuarum nolumus* . Item temere deponit conſcientiam , etſi erroneam , qui ad eam deponendam aliquibus quidem rationibus movetur , ſed levibus & omnino inſufficientibus . Deponitur tamen quadam ratione conſcientia erronea per inculpabilem diſtractionem , & involuntariam oblivionem ; & in hoc caſu actus , qui huiuſcemodi diſtractionem aut oblivionem ſequuntur, a culpa excuſantur, ut actiones factæ per ignorantiam invincibilem : ſicuti qui putans ſuum matrimonium non eſſe validum , poſtea tamen ex oblivione involuntaria huius rei accedit bona fide ad coniugem , putans ſuam legitimam eſſe uxorem ; hic certe non peccat : & talis diſtractio eſt ſimilis quidem depoſitioni conſcientiæ ; ſed proprie non eſt vera conſcientiæ depoſitio. Ut igitur conſcientia erronea legitime deponatur, neceſſe eſt ut ratione vel auctoritate convictus homo contrarium iudicet eius , quod antea iudicaverat ; aut certe rationes, quibus in tale iudicium inductus eſt , leves eſſe ac invalidas animadvertat ; adeoque a priori illo iudicio recedat . Media autem ad hunc finem idonea ſunt , ait Sylvius, humilis ac frequens oratio , totius rei exacta diſcuſſio , bonorum librorum qui de re hac ſolide tractant, attenta lectio , conſilii a viris doctis & Deum timentibus petitio , & docilitas, ac ſubmiſſio, ut conſilium huiuſmodi ſequatur. Hæc autem media ita adhiberi debent , ut ſi prius non ſufficiat, ad alterum recurratur : & tunc ſi adhuc perſeveret error, cenſetur invincibilis. Non tenemur tamen ſummam omnino adhibere diligentiam quæ adhiberi poteſt humanitus , ſed eam ſolummodo, quam viri timorati ac prudentes ordinarie adhibere ſolent . Huiuſcemodi ſunt obligationes ex parte illius qui erronea laborat conſcientia : ſed adhuc aliquid reſtat addendum pro regula Confeſſarii, ad quem tales accedunt pœnitentes.

Obſervandum pro Confeſſario.

Confeſſarius igitur cui occurrat tractare cum his qui in erronea conſcientia verſantur, magna cum maturitate & gravitate procedere debet. Aliquando enim tenetur monere pœnitentem de errore ; aliquando peccat, ſi illum admoneat. Certum tamen eſt , quod ſi cognoſcat Confeſſarius pœnitentem laborare

rare

Digitized by Google

rare conſcientia vincibiliter erronea, tenetur eum admonere: & hoc præcipue dignoſcitur, ſi interrogetur a pœnitente de aliqua actione, num ſit peccatum? quia cum de tali actione dubitat, non laborat ignorantia invincibili: ac proinde moneri pœnitens debet, quia per ignorantiam vincibilem excuſari non poteſt. Quare cum Confeſſarius ſit Doctor & magiſter, eos præcipue qui inſtrui & illuminari cupiunt, erudire tenetur. Et hoc verum eſt, etiamſi Confeſſarius prævideat monitionem nihil profuturam. Non tenetur tamen, quando pœnitens aliquo modo ſuam non explicet ignorantiam, nec ex aliquo ſigno hoc ſuſpicari poſſit Confeſſarius. Quod ſi pœnitens ſit in conſcientia invincibiliter erronea, tunc pariter tenetur Confeſſarius aliquando eum advertere de tali ignorantia; aliquando non. Tenetur primo, ſi ſpes aliqua emendationis prudenter prævideri poſſit: quia Confeſſarius tenetur omni meliore modo quo poſſit, eos quorum eſt magiſter, ad viam reducere veritatis. Secundo tenetur, ſi ignoret media ad ſalutem neceſſaria. Sic moneri debet qui erronee iudicat ſolam peccatorum confeſſionem ſufficere ſine dolore ad conſequendam peccatorum veniam: Idem dicendum de eo qui caret cognitione explicita circa præcipua fidei myſteria, puta Trinitatis & Incarnationis: unde damnata eſt ab Innocentio XI. hæc propoſitio ordine 64. *Abſolutionis capax eſt homo, quantumvis laboret ignorantia myſteriorum fidei, & etiamſi per negligentiam, etiam culpabilem, neſciat myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini*. Item ſi ignoraret principia iuris naturalis: non primaria ſolum, quæ invincibiliter ignorari nequeunt; ſed etiam ſecundaria, quæ non ita facile invincibiliter ignorantur. Talis ignorantia, ob malitiæ ſuſpicionem, quam actio de ſe mala & inhoneſta excitare ſolet, facile tranſit in vincibilem. Quare, ut docet P. Henno & Tournely, adoleſcens qui invincibiliter ignoraret malitiam pollutionis (quod communius fieri poſſe negatur) de huiuſce peccati gravitate monendus foret; tametſi inveteratæ conſuetudinis vis omnem fere ſpem ſaltem tam proximæ emendationis eriperet. Ratio eſt, quia non ſolum talis ignorantia diu perſiſtere nequit, creſcente cum ætate lumine rationis; ſed fieret etiam ut poſt admonitionem, cum maiore remorſu peccaret, conſuetudinemque ſuam aliis Confeſſariis aperiret a quibus remedia eiuſdem coercendæ edocebitur, ut tandem aliquando fieri poſſit, quod ad meliorem frugem reducatur. Tertio ſi talis ignorantia pariat publicum damnum: quia bonum publicum particulari præferendum eſt. Immo etiam, ut ſapienter advertit Tournely, ſi pœnitentis error talis ſit, ut grave proximo malum ingeneret. Poſtulat enim caritas, & ſæpe etiam iuſtitia, ut grave proximi damnum, cum id fieri poteſt, avertamus. Non eſt autem monendus quando prævideatur admonitio futura nociva magis quam utilis, adeo ut pœnitens qui hactenus materialiter tantum peccavit, deinceps formaliter peccaturus præſentiatur, monitum Confeſſarii ſpernendo. Quare ſi nemo ad actum inutilem tenetur; multo minus tunc tenebitur Confeſſarius ad promovendum actum ſimul noxium. Hinc illud D. Auguſtini effatum in cap. *Si quis* Diſt. VII. de pœnit. *Si ſcirem non tibi prodeſſe; non admonerem, non te terrerem*. Hinc moneri non debet pœnitens de nullitate matrimonii, ſi ſubſit legitimus timor, ne ea cognita, diſpenſationem non petat, ſed pergat ut Maritus habitare cum ea, quam uxorem ſuam non eſſe cognoſcit; aut econtra præſumatur, eum cum prolis periculo & ſcandalo proximi ab uxore ſibi inviſa diſceſſurum.

§. VII.

De conſcientia perplexa.

Cum de conſcientia vincibiliter erronea agentes, obiter notaverimus ipſius conſcientiæ perplexitatem, qua homo in tali anguſtia conſtituitur, ut neſciat in quam partem incliner ad culpam vitandam, dum in utriuſque partis electione peccatum ipſi dictat talis conſcientia; hinc ne quid ad huiuſce materiæ clariorem intelligentiam deficiat, non incongruum viſum eſt etiam conſcientiam perplexam breviter ſuo particulari loco explicare.

Conſcientia igitur perplexa, ut ſupra diximus, eſt iudicium practicum, dictans ac iudicans peccatum eſſe, ſive actus hic & nunc fiat, ſive omittatur: ut v. g. ſive mentiaris ad vitam innocentis ſervandam, ſive non mentiaris. Cum vero iudicium hoc ſit erroneum, deponendum eſt. Etenim unuſquiſque tenetur uti neceſſariis mediis ad effugiendum illud, quo putat Deum offendi. Si vero in tali obſcuritate verſetur, ut nulla ei occurrat ratio qua prudenter deponere queat ſuæ conſcientiæ perplexitatem, culpam vitabit, eligendo minus malum, puta mendacium in allato exemplo ex *can. Duo mala*

mala diſt. XIII. Non enim peccat qui facit quantum in ſe eſt ad vitandum peccatum. Quod ſi eligas quod maius malum tibi apparet, peccas ſecundum quantitatem exceſſus malitiæ apprehenſæ: quia hunc exceſſum libere eligis. Si autem utraque pars appareat æque mala, non peccabis alterutram eligendo: quia cares ſufficiente libertate ad hoc ut culpam tibi imputabilem committas. Quare nullatenus peccat incluſus in carcere, putans ſe peccare ſacrum die feſto non audiendo, quod audire vellet, & nequit: quia cum talis omiſſio non ſit ei libera, non eſt proinde ei voluntaria.

§. VIII.

De conſcientia certa.

Conſcientia certa ſic deſcribi ſolet. *Eſt actus, quo intellectus prudenter ac firmiter, ſeu ſine hæſitatione & formidine, ſaltem rationabili, iudicat aliquid hic & nunc licitum eſſe vel illicitum, bonum vel malum.* Dicitur *prudenter.* Quia certitudo duo importat; prudentiam videlicet, & firmitatem adhæſionis ſeu iudicii: & firmitas iudicii ita pendet a prudentia, ut firmitas ſine prudentia non ſit certitudo iudicii, ſed pertinacia. Unde certitudo excludere debet omnem rationabilem dubitationem & formidinem de oppoſito; alias non haberet prudentem firmitatem.

Certitudo triplex. Nota, quod certitudo triplex eſt: metaphyſica, phyſica, & moralis. Metaphyſica habetur certitudo, quando res quæ concipitur, ita eſt, ut ne divinitus quidem poſſit aliter ſe habere: ut Deus ſine bonitate, homo ſine rationalitate. Phyſica certitudo eſt, quando cognitio noſtra eſt de re, quæ ſecundum ordinem a Deo præſtitutum, ſeu ſecundum conſuetas naturæ leges, aliter eſſe nequit, licet abſolute ac ſupernaturaliter, ſeu divinæ omnipotentiæ virtute aliter ſe habere poſſit. Certitudo moralis eſt mentis adhæſio ei veritati, quæ licet aliter etiam ſine miraculo & naturaliter ſe habere poſſit, immo aliquando ſic contigerit; ſpectatis tamen circumſtantiis omnibus, prudenter & ſine probabili timore iudicatur talis, qualis apprehenditur ſeu menti repræſentatur. Conſcientia certa eſt metaphyſice, quando habemus principia ita certa & infallibilia, cuiuſmodi ſunt divinæ revelationes & recta ratio, ut nullum ſit periculum nos errare in iudicando, id quod agimus, eſſe legi conforme: v. g. cum ex hoc fidei principio, *Verbum caro factum eſt*, Chriſtum eſſe adorandum; vel ex hoc alio naturaliter noto, *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, non eſſe mœchandum, furandum, mentiendum colligimus. Eſt certa moraliter, quando eius certitudo oritur ex principiis, abſolute quidem incertis & fallibilibus, ſed tamen talibus, quæ prudentes viros movere ſolent ut certum firmumque ferant iudicium. Et tali certitudine ſæpe in praxi prudenter & firmiter iudicamus, quod actus a nobis elicitus ſit legi conſonus. Ita S. Thomas 1. 2. *quæſt.* XCVI. *art.* 1. *ad* 3. & D. Antoninus *Part.* I. *tit.* III. *cap.* X.

Ad peccatum vitandum requiritur iudicium certum certitudine ſaltem morali, qua prudenter excludatur dubium & peccati formido ſaltem rationabilis. Ita communiter: & quoad rem, nemine forte diſſentiente. Habetur enim Eccli. cap. XXXVII. *Ante omnia opera tua verbum verax præcedat te; & ante omnem actum conſilium ſtabile:* ideſt iudicium prudens ac firmum de honeſtate actus qui eligitur. Rurſus ad Rom. cap. XIV. *Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt.* Et ratio hoc clare comprobat. Quia cum conſcientia recta ſit actus prudentiæ, certa eſſe debet ſaltem moraliter de veritate: nam prudentia eſt virtus intellectualis, & ex Ariſtotele eſt habitus vera cum ratione activus circa ea quæ ſunt homini bona atque mala; ut hæc ſcilicet reſpuantur, illa eligantur. Ulterius, qui operatur ſine tali certitudine morali ſui iudicii, regulæ incertæ actionem ſuam committit; ac ideo habet rationabilem formidinem peccandi: & ſic, ſpectato ſuo conceptu, ſe exponit morali periculo peccandi formaliter. Etenim ad hoc ut operans excuſetur a peccato, neceſſe eſt ut iuxta doctrinam Apoſtoli *loc. cit.* operetur ex bona fide; ideſt ex tali perſuaſione conſcientiæ, qua ſaltem moraliter certo iudicet conſcientia actionem quam dirigit, non eſſe peccaminoſam. Ideoque ad hoc ut operans revera ex bona fide operetur, ſeu ex bona perſuaſione ſuæ conſcientiæ de actionis honeſtate, non ſufficit quæcumque probabilis opinio: Quia cum opinioni cuicumque probabili de obiecto contingente non ſolum reipſa, ſed etiam ſecundum operantis exiſtimationem falſitas ſubeſſe poſſit, ex quo ſemper coniunctam ſecum affert formidinem de oppoſito; operans cum opinione probabili non habet bonam fidem ſeu bonam perſuaſionem de bonitate ſuæ actionis, immo rationabilem timorem de ipſius malitia & culpa.

Dixi *quæcumque probabilis opinio:* ad exclu-

cluſionem opinionum quæ cum non fulciantur gravibus momentis, tum intrinſecis, tum extrinſecis, non talem præſeferunt veriſimilitudinem, ex qua ſufficiens moralis certitudo oriri poſſit ad hoc ut homo prudenter ſe gerat, ſi pro regula ſuarum operationum ad culpam vitandam illis utatur: Non vero quia in moralibus nulla ne gravis gravis ſequenda ſit probabilis opinio, ut revera prudenter operemur. Nam & contrarium docent ſummi Pontifices, qui damnarunt ſententiam eorum qui aſſerebant, non licere ſequi opinionem vel inter probabiles probabiliſſimam: & præterea non ſemper neceſſaria eſt in omni materia morali talis certitudo, ut nulla ei ſubſit formido; cum huiuſcemodi evidens certitudo haberi nequeat de variis contractibus & actionibus, de quibus diſcrepantes occurrunt Theologorum ſententiæ. Sufficit igitur, ut adhibita pro qualitate rei diligentia, nobis ſeſe offerant rationes valde veroſimiles, nec non graviſſimorum Doctorum auctoritas, quæ nobis ingerant certitudinem ita probabiliter gravem, ac talem mentis perſuaſionem, ut prudenter ac rationabiliter iudicare poſſimus, licitum eſſe & honeſtum id quod agimus. Et hæc eſt doctrina D. Thomæ, qui in *Quodlib* VIII. *art.* 13. docet, peccare eum qui certitudinem quidem habet de re quapiam, ſed tamen in quamdam dubitationem inducitur, propter opinionum varietatem, & perdurante tali dubitatione, operatur id, de quo dubitat: Hic enim agit contra conſcientiam dubiam. Non docet tamen, illum peccare qui ſequitur opinionem probabilem propriam vel aliorum: dum licet non habeat illam pro certa; tamen ſine dubitatione adhæret uni parti, indicans ſe licite, & tute poſſe illam ſequi. Ita Silvius.

§. IX.

De conſcientia dubia.

Conſcientia dubia *eſt dubitatio, ſeu rationis practicæ dubium iudicium de re aliqua, an ſit bona vel mala, licita vel illicita, ortum ob motiva ex utraque parte probabilia, ut ratio ita ſuſpenſa remaneat, quod in neutram partem aſſenſum vel diſſenſum inclinare valeat.* Unde conſcientia dubia nec eſt, nec dici poteſt proprie conſcientia; cum dubitatio non ſit dictamen ſeu iudicium practicum rationis, immo omnis prorſus iudicii ſuſpenſio circa bonitatem vel malitiam rei de qua dubitatur. Et in hoc conſcientia dubia diſtinguitur a conſcientia opinativa ſeu ab opinione, quæ ſemper inclinat in unam partem ſuum aſſenſum, licet cum formidine de oppoſito, ſeu de veritate alterius partis.

Dub. multiplex diviſio.

Dubium dividitur in negativum, & poſitivum, ut alias iam diximus. Negativum eſt, quando nulla menti occurrit aſſentiendi vel diſſentiendi ratio. Verum hoc non eſt proprie dubium, ſed neſcientia & ignorantia. Dubium poſitivum eſt, quando mens ob rationes æquales ita ſuſpenſa remanet & fluctuans, ut neſciat in quam partem contradictionis ſuum inclinet aſſenſum: & hoc proprie eſt dubium, ſeu dubia conſcientia.

Dividitur item in dubium iuris & facti. Dubium iuris eſt dubium de lege ſeu obligatione, vel de aliquo ad obligationem prærequiſito, qua tali; v. g. de legitima poteſtate ad obligandum: ut ſi quis dubitet, an extet lex quæ tali die ieiunium præcipiat; an emiſerit votum de re tali facienda; an ſuperior qui talem conſcientiæ caſum reſervavit, reſervationem hanc facere potuerit. Dubium facti verſatur circa aliquod factum: ut cum dubito; an legem impleverim, an voto ſatisfecerim, an contractum obſervaverim, an poteſtati obtemperaverim. Hac diſtinctione dubii iuris & facti ſtudent quidam Caſuiſtæ eludere regulas ſacrorum canonum, qui docent generaliter & ſine ulla diſtinctione in dubiis tutiorem partem eſſe eligendam: ut patet ex *cap.* Ad audientiam *de homic. ex cap. Iuvenis extr. de ſponſal. ex cap. Illud de cler. excomm.* & ex aliis permultis Canonicis regulis: Dicunt enim ii Caſuiſtæ, canones ibi loqui de dubiis facti, non iuris. Sed immerito: Canones enim generaliter loquuntur: ac ideo tam de dubiis facti, quam de dubiis iuris. Et hunc eſſe ſacrorum canonum ſenſum manifeſte oſtendit *Clement.* Exivi *de verb. ſignif.* ibi. enim agit ſummus Pontifex de dubio iuris. Cum enim Fratres Minores dubitarent, an ſequi tenerentur tamquam præcepta vel tamquam præceptis æquipollentia omnia, quæ in Regula S. Franciſci verbis imperativis exprimuntur? reſponſum fuit a ſummo Pontifice, applicando regulam communem iuris, debere Fratres Minores propter tale dubium obſervare verba illa tamquam præcepta vel præceptis æquipollentia. Hoc certe ſpectabat dubium iuris: de factis enim nullus hic occurrit ſermo. Iuris item dubium eſt quod proponitur a D. Thoma *Quodlib.* VIII *art.* 13. an licitum ſi plures habere præbendas? & definit, quod ſi quis in tali dubio plures retineat, peccat mor-

Digitized by Google

mortaliter. Et ſane, ut optime ratiocinatur Vaſquez, quænam umbra differentiæ inter dubium iuris & facti eſſe poteſt? Et ſi in dubio facti tutior pars tenenda eſt ob periculum committendi actionem vetitam, vel omittendi præceptam; eadem omnino ratio occurrit in dubio iuris: Immo ex ipſo dubio facti exſurgit, ſi non habeatur, dubium iuris: ut cum quis dubitat, an tale fecerit votum; dubitat ſimul, an illud implere teneatur.

Dubium iuris a. liud ſpeculativum, aliud practicum. Dubium iuris dividitur in dubium practicum ſeu particulare; & in ſpeculativum ſeu generale, quod ab aliquibus vocatur etiam ſpeculative practicum, ad differentiam dubii pure ſpeculativi, quod occurrit in ſcientiis quæ nihil ſpectant ad mores: idcirco tale dubium non reſpicit actionem humanam in praxi ſeu in particulari. Dubium ſpeculative practicum ſeu commune eſt, quando quis in genere dubitat, an hoc licitum ſit vel illicitum, bonum vel malum: num v. g. licitum ſit die Feſto pingere, necne. Practicum vero ſeu particulare, ſive practice practicum eſt, quando dubitatur, an actus vel omiſſio hic & nunc cum omnibus ſuis circumſtantiis fieri poſſit: ut cum quis iter faciens die ieiunii dubitat, an ad ieiunandum teneatur. Nonnulli cenſent dari poſſe conſcientiam dubiam ſpeculative tantum ſeu in univerſali, & certam practice ſeu in particulari, ideſt dari caſum, in quo quis dubius ſit circa aliquam actionem ſpeculative, ideſt ſumpta re in univerſali & præciſa a circumſtantiis; & certas practice & in particulari, nempe conſiderata hic & nunc tali actione cum ſuis circumſtantiis. Nam, inquiunt, in univerſali & ſpeculative res conſideratur abſolute & ſecundum ſe; in particulati vero ſecundum circumſtantias loci, temporis, perſonarum, negotiorum; quæ circumſtantiæ efficiunt, ut quod alioquin eſſet illicitum, hic & nunc ſit licitum, vel econtra. Ut ſi quis dubitet, an bellum illud ſit iuſtum? poteſt, inquiunt, certus eſſe practice, ex principiis nimirum practicis & circumſtantiis, in eo bello ſibi pugnandum; eo quia ad eum non pertineat iudicare de iuſtitia belli; & aliunde parendum ſit proprio Principi. Dubitat ſpeculative tonſor, num opus eius ſit ab Eccleſia vetitum diebus feſtis? & practice certus eſt, ſe non peccare exercendo opus illud die feſto, quando nempe eius res familiaris magnum pateretur detrimentum, ſi ſolus ex omnibus tonſoribus in reverentiam diei ſacri ab illo opere abſtineret. Negant vero alii, dari poſſe conſcientiam dubiam ſpeculative, & practice certam: cum revera dubium practicum ſemper neceſſario includat ſpeculativum. Dubitans enim, an hic & nunc poſſit dare puellæ oſculum, dubitat, an oſculum ſit aliquando licitum. Immo ex dubio ſpeculativo oritur dubium practicum. Nam cauſſa cur dubitat Parochus, an puer ab obſtetrice baptizatus hic & nunc ſit rebaptizandus, eſt quia dubitat, an obſtetrix habuerit intentionem requiſitam, debitamque formam expreſſerit. Similiter ratio cur aliquis dubitat, an debeat hic & nunc reſtituere, eſt quia dubitat, an habeat alienum. Et hæc ſententia ſanior videtur & probabilior; ac proinde in praxi ſequenda. Nam ut advertit Ludovicus Habert, diviſio conſcientiæ in dubiam ſpeculative, & certam practice, licet in aliquo ſenſu ſit vera; ſimpliciter tamen & abſolute falſa eſt, & in praxi periculoſa: ita ut, niſi recte intelligatur, tendat ad ſubvertendam omnem moralem diſciplinam. Non eſt ſimpliciter & abſolute vera: quia cum conſcientia ſit practica concluſio; non poteſt eſſe certa, niſi deducatur ex principiis certis: ex incerto enim principio non poteſt certa ſequi concluſio. Idcirco ſpeculative dubitans de aliqua actione non poteſt licite eam ſequi, niſi præſto ſit ex circumſtantiis aliqua certa ratio, ex qua eliciatur concluſio, ſeu conſcientia practice certa. In praxi autem ſimpliciter & abſolute periculoſum eſt ſtatuere, conſcientiam poſſe practice certam eſſe, & ſimul ſpeculative dubiam; quia facile quis in quolibet dubio ad nutum voluntatis conſcientiam ſibi formaret, omnes dubitandi rationes contemneret, certumque ſe in operatione crederet eo ipſo quo vellet eſſe certus.

Dubitans igitur poſitive vel negative, an aliqua actio, aut omiſſio licita ſit, vel non, ſi manente tali dubio actum eliciat vel omittat, peccat peccato eiuſdem ſpeciei, cuius eſt peccatum de quo dubitat; licet talis actio vel omiſſio ſecundum ſe eſſet licita. Et ita communiter: Apoſtolus enim *Rom.* cap. XIV. inquit: *Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt*: ideſt quod non ſit ex rationis perſuaſione quod ſit licitum, ſemper malum eſt & peccatum. Quare cum non habeatur talis perſuaſio de honeſtate ſeu bonitate actionis (idem dic de omiſſione) in eo qui dubitat de tali actione num licita ſit vel non, certe ſi cum tali dubitatione operetur, irrationabiliter & imprudenter ſe gerit, ac ideo culpabiliter operatur. Dixi *irrationabiliter & imprudenter*: quia cum homo in

omni ſua operatione, quam ut homo agit, moveri debeat ad agendum dictamine rationis & prudentiæ; qui illud agit de quo ratio dubitat, num ſit licitum vel illicitum, non habet circa talem actionem ullum rationis dictamen & prudentiæ; cum in dubio ratio ſuſpendat omne iudicium circa illud de quo dubitatur. Igitur irrationabiliter ſe gerit; ideo agit quod illicitum eſt, & peccatum. Ulterius qui agit in dubio, an talis actio bona ſit vel mala, ſaltem interpretative vult malitiam peccati de qua dubitat: nam eo ipſo æque vult actum, ſive peccatum ſit, ſive non. Immo cum agens in tali dubio ſe voluntarie exponat periculo peccandi, peccat, & quidem eadem ſpecie, & gravitate peccati cuius periculo ſe exponit, iuxta illud Eccli. cap. III. *Qui amat periculum, in illo peribit*. Etenim id facit, quod ſpectato ſuo conceptu poteſt eſſe licitum vel illicitum, nec ullum habet determinatum iudicium, quod operatio ſua ſit licita potius quam illicita. Porro hæc noſtra aſſertio intelligenda eſt de dubio etiam ſpeculative practico non ſolum vincibili, ſed etiam invincibili. Et ratio eſt, quia non poteſt quis licite operari, niſi practice certus ſit actionem quam vult exercere, licitam eſſe. Quare dum quis dubitat, num talis actio ſit generaliter vetita; donec per aliquam circumſtantiam exſurgat aliqua ratio per quam dubitatio tollatur, non poteſt iudicare hic & nunc licitum eſſe quod agit: & ſi agat cum tali dubio, agit cum incertitudine, an actio licita ſit vel non. Ergo ſine fide, ideſt perſuaſione rationis, quod ſua operatio hic & nunc ſit licita; & non minus quam qui agit cum dubio practice practico, interpretative vult malitiam peccati de quo dubitat, periculo ſe exponit peccandi, ideoque peccat. Nam dubium de aliqua propoſitione univerſali redundat in omnem propoſitionem particularem ſub ea contentam; non ſecus ac affirmatio vel negatio alicuius univerſalis propoſitionis deſcendit ad omnes particulares ſub ea contentas. Et hoc verum eſt, etiamſi dubium illud eſſet invincibile: quia licet invincibile, tamen remanet dubium; cum per invincibilitatem natura dubii ab eo non tollatur. Idcirco qui tale habet dubium, certam ſibi conſcientiam formare non poteſt, quod actio ſua ſit licita, nec poteſt ſine culpa operari.

Niſi enim dubio ſpeculativo quod habet ſuccedat notitia quod res liceat, præſupponens ſufficientem veritatis inquiſitionem, talis erit illius praxis, qualis illius ſpeculatio; videlicet ſi hæc dubia erit, & illa quoque. Porro ut quis prudenter dubium ſpeculativum deponat, debet habere inquiſitio proportionem cum re, de qua dubitatur; ideſt gravis eſſe debet ubi agitur de gravi peccato vitando. Hanc autem inquiſitionem per ſe ipſum facere poteſt ſi ſufficiens ſit: Si vero inſufficiens ſit debet facere per alios, qui apti ſint de tali re iudicare. Quare ſi res illa pertinet ad Theologiam, conſulendi ſunt Theologi. Si ad iuris prudentiam Iuris periti. Sic &c. Igitur dubitans an tres contractus in genere ſint liciti, & dubium vincere non valeat ſtudendo ac conſulendo, dubitat etiam per conſequens, an illi tres contractus hic, & nunc liciti ſint, ideoque hiſce ineundis cavere debet: quia nemo poteſt licite operari niſi ſit practice certus actionem ſuam licitam eſſe. Impoſſibile eſt autem quod dubitans ſpeculative an actio ſua licita ſit, nec ne, formet iudicium practicum illam licere, niſi occurrat, & præſto ſit certa aliqua ratio ex circumſtantiis deſumpta, ex qua inferatur concluſio ſeu conſcientia practice certa. Tonſor in exemplo allato, qui dubitat, an radere ſit opus ſervile vetitum die feſto, licite radere poteſt, ſi ipſi præſto ſit hæc ratio ſpeculative certa, quæ eum ad radendum determinet: nempe legem eccleſiaſticam non obligare cum magno familiæ diſpendio. Mulier item ex una parte ſpeculative eſt dubia de veritate matrimonii bona fide initi: ex alia vero parte certa eſt ſpeculative, neminem in dubio privandum eſſe ſuo iure: & ex illo principio certiſſimo practice iudicat, ſtante illo dubio reddendum eſſe debitum marito exigenti, nec de veritate matrimonii dubitanti. Poſſet autem quis cum tali dubio licite operari, dum ex præſentibus circumſtantiis format iudicium practice practicum, tale opus hic & nunc eſſe licitum: nec recordatur, nec cogitat de ſuo dubio ſpeculative practico circa huiuſce actionis honeſtatem: quia hic & nunc æque ſe haberet ac ſi nullatenus dubitaret.

Dices. Si homo peccaret, dum facit id de quo dubitat, an ſit peccatum necne: cum nullus ſit certus de bonitate ſuarum operationum, non poterit operari, ne operando peccet. In moralibus enim certitudo haberi nequit, iuxta illud *Sap. cap.* IX. *Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ providentiæ noſtræ* Reſp. diſtinguendo. Non poterit homo agere, niſi habeat certitudinem moralem, concedo: phyſicam aut metaphyſicam, nego. Ad hoc enim ut homo in ordine morali licite

cite & recte operetur, non requiritur ut habeat certitudinem metaphyſicam, vel phyſicam, quæ in moralibus haberi nequit; ſed ſatis eſt ut habeat certitudinem moralem; quam facile aſſequimur, ſi ad lumen rationis & fidei recurramus, ac ad conſilia peritorum.

Si quis vero habeat conſcientiam negative dubiam, an actio hic & nunc ſit licita, & debita adhibita diligentia nullam inveniat probabilem rationem aut auctoritatem, ex qua colligere queat hanc eſſe illicitam; dubium ſuum prudenter deponere poteſt, utpote quod nullum habeat rationabile fundamentum, & actionem hanc exequi. Hic enim nullam habet rationem de inhoneſtate actionis; vel ſi aliquam habet eſt illa tam levis, ut tamquam inanem ſcrupulum abiicere poſſit, immo debeat. Prudenter igitur operatur, cum in tali caſu habeatur potius invincibilis ignorantia quam dubium, & huiuſcemodi ignorantia cum ſit involuntaria, non impedit, quin prudenter, & ſine culpa operemur.

Hinc mulier quæ ex levi, non autem probabili, & diſcreta credulitate temere dubitat de validitate ſui matrimonii, ac ideo de licita debiti petitione, reiecta conſcientia hac tam levis, ac temerariæ credulitatis, poteſt non ſolum reddere, ſed etiam petere coniugale debitum, ut habetur ex Innocent. III. c. 4. *de ſent. excommunic.*

Regula exponitur pro conſcientia formanda in ſuis dubitationibus.

Si quis laboret dubia conſcientia, num poſſit eam deponere ob rationes vel auctoritatem, quibus pro alterutra parte maiorem habeat perſuaſionem, ut alterutram eligere poſſit, nec tamen neceſſitas operandi urgeat, deſinat tunc operari, donec maius lumen acquirat per diligentiam in veritate inquirenda debitam ac poſſibilem pro rei gravitate, & loci ac temporis qualitate & conditione. Ut autem hanc diligentiam in veritatis inveſtigatione adhibuiſſe cenſendus ſit, debet Deum exorare; cor ſaltem per contritionem expurgare, ne lumen veritatis impediatur; omnem pravum affectum removere; cupiditates quæ mentem obnubilant cohibere; probos ac peritos conſulere; praxim timoratorum ac proborum attendere; rationes utriuſque partis, & rem ipſam pro materiæ gravitate ex ſolo veritatis affectu serio perpendere. Idem enim præceptum quod obligat ut quiſque prudenter agat & culpam effugiat, obligat quoque ad veritatem inveſtigandam, ne imprudenter agamus, noſque periculo peccati exponamus. Si vero ſit in tali neceſſitate ut operari debeat, & alterutram partem eligere; inquirat diligenter vel ex rationum pondere, vel ex libris, vel a doctis viris, quænam ex partibus contradictionis ſit vera, vel ſaltem tuta; & ſecundum illa quæ invenerit, deponat dubium, & agat iuxta eam partem in quam ſe reſolverit. Tunc enim prudenter aget: quia cum tunc habeat aliquam ſaltem certitudinem probabilitatis (cum qua tamen ſemper remanet formido de oppoſito) certe non aget contra conſcientiam dubiam. Si vero, etiam adhibita diligentia dubium reſolvere non valeat, & neceſſe ſit alterutram partem eligere: tunc tenetur ſequi tutiorem partem, & ſi neutra tuta fuerit, ſequi debet minus periculoſam. Ita communiter. Pars vero tutior ea intelligitur, in cuius electione certi ſumus non eſſe peccatum; minus autem periculoſa, in qua periculum eſt levioris culpæ quam ſi altera eligatur. Et hoc patet ex trita illa regula, quæ in variis canonici iuris locis habetur: *In dubiis tutior pars eſt eligenda. In cap. Iuvenis extr. de ſponſal.* Pontifex ait: *In his quæ dubia ſunt, quod certius exiſtimamus, tenere debemus:* & Clemens VIII. *cap.* Ad audientiam *de homic.* ait: *In dubiis ſemitam debemus eligere tutiorem. Duo enim mala licet ſint omnino cautiſſime præcavenda, tamen ſi periculi neceſſitas unum ex his eligere compulerit, id debemus reſolvere, quod minore nexu noſcitur obligare.* Ita Concilium Toletanum IV. *cap.* 2. cui conſonat D. Gregorius *lib.* XXXII. *Moral. cap.* XX. Et ratio quoque hoc comprobat: naturæ enim inſtinctus eſt, ut inter duo mala conſtitutus, vel partem eligat in qua nullum ſit malum, vel ſi ex utraque parte malum vitare nequeat, in eam partem inclinare ſe debeat, ubi minus apparet periculum.

In hiſce tamen caſibus dubitans ſibi efformare debet conſcientiam qua iudicet ſe facere poſſe id quod facit: alioquin cum dubium omnino remaneret, in quamcumque partem ille ſe inclinaret, ſemper peccaret, eo quod ageret contra conſcientiam dubiam. Sed ſi per invincibilem ignorantiam in anguſtias adductus ſit, ut neceſſe ei ſit eligere vel quod maius peccatum eſt, vel quod minus: eligendo quod minus eſt, non eliget peccatum, (quod numquam, quantumvis parvum, licitum eſt) quia in tali caſu lex prohibens minus peccatum deſinet hic & nunc eum obligare, ut id quod gravius eſt, poſſit evitare. Ita Silvius.

Ex his igitur colligitur, dubium licite deponi

Digitized by Google

poni non poſſe, niſi prudenter, ideſt niſi rationes validæ & diſcretæ contra tale dubium habeantur: vel ſi hæ haberi nequeant ex defectu cognitionis, vel etiam viri prudentis qui conſulat & agendi urgeat neceſſitas; eam partem eligendam eſſe, quæ ſecurior videtur, vel ſaltem magis remota a culpa ſeu de culpa minus ſuſpecta. Quod ſi conſtet dubium oriri ex levi & contemnenda ratione, ut eſt dubium ſcrupuloſum (quando ſcilicet quis ex levi ſuſpicione timet peccatum ubi non eſt) ad conſilium boni viri deponendum erit dubium. En ergo quænam dubia deponenda, quænam contemnenda ſint: nempe deponantur quæ ex levi & ſcrupuloſa ſuſpicione proveniunt: non vero quæ firma diſcretaque ratione fundantur.

Dices. Si tam ſtricte urgeat illud effatum: *In dubiis pars tutior tenenda eſt*: nullius erit uſus celebrare illud axioma: *In dubiis melior eſt conditio poſſidentis*. Reſp. regulam hanc, *In dubiis melior eſt conditio poſſidentis*, valere poſſe in materia iuſtitiæ, non autem in aliis, in quibus proinde adhibenda eſt regula hæc: *In dubiis pars tutior eſt eligenda*: vel ſaltem hæc: *Pro eo ſtandum eſt, pro quo ſtat præſumptio*.

Priuſquam tamen probetur ſolutio, nota I. poſſeſſionem eſſe occupationem rei tamquam ſuæ; unde is rem aliquam poſſidere dicitur, qui veluti ſuam eam retinet & ſervat.

Nota II. quod Auctores qui principium illud, *Melior eſt conditio poſſidentis*, non ſolum in materia iuſtitiæ, ſed in aliis quoque locum habere putant, duplicem diſtinguunt poſſeſſorem: legem ſcilicet, & hominis libertatem. Poſſeſſio, inquiunt, ſtat pro lege contra libertatem, dum conſtat de lege, & dubitatur de eo per quod tollitur legis obligatio: econtra vero poſſeſſio ſtat pro libertate contra legem, dum conſtat de libertate & dubitatur de eo per quod intro ducitur obligatio legis. Hinc iuxta eos, qui dubitant an pulſaverit hora duodecima iuxta morem Germaniæ inter ſabbatum & dominicam, non poſſunt comedere carnes; quia lex abſtinentiæ eſt in poſſeſſione die ſabbati: qui vero dubitat, an pulſaverit duodecima inter diem Iovis, & diem Veneris, poteſt carnibus veſci: quia libertas eſt in poſſeſſione die Iovis. Item qui dubitat, an votum emiſerit, illud implere non tenetur, quia dubitat de lege, non autem de libertate: qui vero certus eſt de voto, ſed dubitat de eius obſervantia, ipſum adimplere tenetur, quia certus eſt de lege, dubius vero de libertate.

Nota III. hanc præſumptionem haberi ab aſſuetis, iuxta regulam xlv. iuris in 6. *Inſpicimus in obſcuris quod eſt veroſimilius, vel quod plerumque fieri conſuevit*.

Qui autem regulæ ſupradictæ de tutiore parte eligenda in dubiis ſtandum eſſe contendunt, ſupponunt I. quod quando vere dubium eſt pro qua parte ſtet poſſeſſio, an pro lege, an pro hominis libertate; tunc amplectenda eſt pars tutior, ſeu illa, in cuius electione nullum eſt peccati periculum: cum fatentibus omnibus, tunc locum habeat regula iuris: *In dubiis tutior pars eſt eligenda*. Cap. *Ad audientiam extr. de homic.* Supponunt II. legem naturalem, ſicuti & divinam poſitivam, ſemper eſſe in poſſeſſione contra dubitantem; adeoque in dubio ſemper pro illa eſſe iudicandum; quia legum illarum legislator Deus immutabilis eſt, contra quem creatura non poſſidet. Unde, ait Vaſquez, quis non videt, ridiculum eſſe allegare poſſeſſionem contra Deum, quaſi poſſit quis imaginari, Deum litigare nobiſcum de poſſeſſione? Et ideo ſi quis dubitet, an debeat aliquando peccata confiteri, ſumere Euchariſtiam, honorare parentes vitioſos: debet, ſtante dubio, præfata exequi. His præmiſſis ſit.

Tametſi in materiis legum humanarum poſſeſſio in dubio ſtaret pro libertate (quod tamen fieri poſſe negamus) non eſſet tamen ſufficiens titulus ad deponendam conſcientiam dubiam, & formandam certam faventem libertati. Ita Vaſquez, Sayrus, Gonet, & generaliter omnes, qui docent, in concurſu duarum opinionum æque probabilium eligendam eſſe tutiorem: quia ex dubio ſpeculativo, niſi ſuperveniat novus titulus, ſeu aliqua nova ratio (ut antea ex communi ſententia notavimus) neceſſario oritur dubium practicum. Idcirco dubitans, an liceat aliquando mentiri, dubitare debet, an hic & nunc poſſit mentiri. Quare cum poſſeſſio libertatis non ſit novus titulus ſeu nova ratio ſuperveniens dubio ſpeculativo; cum in ipſo dubio ſpeculativo imbibitus ſit titulus libertatis: poſſeſſio libertatis non eſt ſufficiens titulus ad deponendam conſcientiam dubiam, & formandam certam libertati faventem. Non enim dubitat homo, an ſine poſſeſſione libertatis ſit licitus talis vel talis contractus; ſed an liceat etiam cum poſſeſſione libertatis. Ratio autem præcipua cur in materia iuſtitiæ poſſeſſio in dubio faveat poſſeſſori, eſt, quia facit præſumptionem, quod poſſeſſor ſit verus dominus rei poſſeſſæ: cum ordinarie

parie

marie qui poſſidet, rem ſuam, & ius ſuum poſſideat; eo quod res non ſoleat tradi & relinqui niſi vero domino, licet contrarium fieri poſſit. Ita Theologi omnes, qui hoc probant tum ex conſenſu omnium gentium, quæ in pari caſu favorabilius excipiunt poſſeſſorem; tum ex eo quod poſſeſſor ultra rationes quas æquales habere ſupponitur, habet pro ſe poſſeſſionem, quam non habet alter. Ex hac autem poſſeſſione *melior eſt conditio poſſidentis*: quia merito præſumitur meum eſſe quod apud me eſt. Licet enim contrarium evenire poſſit; communius tamen evenit ut unuſquiſque rem ſuam apud ſe ipſum, non apud alios conſervet. Unde in materia ipſius iuſtitiæ cum hac regula, *Melior eſt conditio poſſidentis*, concurrit hæc alia regula, *Pro eo ſtandum eſt, pro quo ſtat præſumptio*. In materia vero aliarum virtutum poſſeſſio regulariter, ſi detur, non facit præſumptionem de veritate pro parte quæ poſſidet. Nam qui dubitat v. g. an hora duodecima pulſaverit inter diem Iovis & diem Veneris, ex quo oritur dubium, an poſſit adhuc comedere carnes; quamvis ſit in poſſeſſione ſuæ libertatis, illa tamen poſſeſſio non dat ipſi præſumptionem de rei veritate, ideſt quod potius non pulſaverit hora duodecima quam pulſaverit, ac proinde quod carnes comedere poſſit. Idem dicito de aliis, qui habent huiuſcemodi dubia. Poſſeſſio enim eſt circumſtantia nihil conferens ad maiorem vel minorem veritatis cognitionem. Et ſane nonne tamquam ſtultus & ridiculus exploderetur ab omnibus, qui interrogatus cur credat non pulſaviſſe potius, quam pulſaviſſe duodecimam horam, reſponderet ſe ita credere quia recogitavit a ſe poſſideri libertatem? Porro patet prædictam regulam, *In dubiis melior eſt conditio poſſidentis*, ſeu libertatis, ut interpretantur Probabiliſtæ, nullius eſſe utilitatis in aliis præter iuſtitiam materiis: unde ut dubium deponatur recurrendum eſt vel ad iſtam, *Pro eo ſtandum eſt, pro quo ſtat præſumptio*: vel ad aliam, *In dubiis tutior pars eſt eligenda*: Ut enim in dubio de lege *melior eſſet conditio poſſidentis*, ad ſenſum Probabiliſtarum poſſeſſio eſſe deberet pro libertate, pro qua tamen revera non ſtat. Nam poſſeſſio libertatis eſt ius rem hanc vel illam faciendi; & aliunde homo in dubio de lege numquam habet ius faciendi pro nutu quidquid ei libuerit. Qui enim dubitat, an ſit obligatus ad unum, non habet ius faciendi id quod ſibi libuerit; alias ſe exponeret periculo non faciendi id ad quod eſt obligatus. Qui autem dubitat de lege, eo ipſo dubitat, an ſit obligatus ad unum; ad id nempe quod lex præcipit: quia cum obligatio ſit proprietas eſſentialis legis; qui de lege dubitat, eo ipſo dubitat, an ſit obligatus potius ad hoc quam ad illud. Igitur non habet ius faciendi id quod ei libuerit. Igitur non eſt vere poſſeſſor libertatis: ac proinde axioma quod poſſeſſori meliorem attribuit conditionem, homini de lege dubitanti inſervire nequit. Ita ut, etiamſi homo qui certe ſciat, diem talis Sancti non eſſe feſtivum, certum ius habeat laborandi; ille tamen qui cum fundamento dubitat, an dies illa feſtis adnumerata ſit, non habet certo idem ius, ſed de eo dubitat: idcirco in tali dubio poſſeſſio non ſtat pro libertate. Et ſuppoſito etiam quod poſſeſſio in dubio ſtaret pro libertate, non poſſet tamen eſſe ſufficiens titulus & ratio ad deponendam conſcientiam dubiam, niſi in materia iuſtitiæ. Igitur hæc regula nihil inſervire poteſt ad dubii depoſitionem in rebus aliis.

Obiiciunt I. Quando in dubio poſſeſſio ſtat pro lege, tenemur eam ſequi. Ergo ſimiliter quando ſtat pro libertate poſſumus eximi a lege: adeoque dubii, an pulſaverit hora duodecima inter diem Iovis & Veneris, poſſumus comedere carnes; quia die Iovis libertas eſt in poſſeſſione. Reſp. quod ſequi tenemur legem, non quia præciſe poſſidet, ſed quia non poſſumus nos exponere periculo peccati; vel quia præſumptio veritatis ſtat pro illa: ita ut ſi poſſeſſio ſtaret pro lege, & præſumptio veritatis pro noſtra libertate; non teneremur ad legem. Ut ſi v. g. remotus quis longe a populo a quo non poteſt inquirere, dubitaret, an vigilia S. Laurentii translata ſit in ſabbatum proximum; an vero ſit hodie obſervanda: poſſeſſio tunc ſtat pro lege; quia dubitatur de eo per quod tollitur hodie ieiunii obligatio. Si tamen longe probabilius credat, ſe fuiſſe monendum per nuntium aut per litteras, ſi translatio illa facta non fuiſſet, poteſt, non obſtante legis poſſeſſione, non ieiunare; quia ſtat pro ipſo veritatis præſumptio, nempe quod ſit facta ieiunii translatio.

Obiiciunt II. Si æquitas poſtulat ne poſſeſſor in materia iuſtitiæ ſpolietur ſua poſſeſſione, quando de rei dominio dubitat; ita etiam nec operans in aliis materiis illa eſt ſpoliandus, quamdiu dubitat de legis obligatione. Reſp. negando paritatem. Nam ratio cur in priore ſpoliandus non ſit poſſeſſor ſua poſſeſſione, eſt, quia res quam poſſidet, præſumitur potius illius eſſe quam

alterius; ut dictum eſt: non poreſt aurem præſumi in poſteriore quod potius lex non obliget quam quod obliget, & ſic ſpoliari debet dubitans ſua libertate, quia *in dubiis tutior pars eſt eligenda*.

Colliges igitur, quod quando præſumptio veritatis ſtat pro libertate, eſt titulus verus ac ſufficiens ad deponendam conſcientiam dubiam in qualibet materia: quia cum non poſſimus in omnibus omnimodam aſſequi veritatem, ille prudenter agit, qui in dubiis occurrentibus illam partem amplectitur, pro qua ſincere exiſtimat ſtare præſumptionem veritatis; alias eſſet onus intolerabile, ſi ubique & in omnibus pars tutior eſſet eligenda. Hinc dubitans, an voverit vel non, non tenetur, ſi habeat experientiam de ſe ipſo, quod non facile oblivíſcatur rerum, quas maturo conſilio & plena deliberatione fecit: cum prudenter in tali caſu concludere poſſit, ſe non voviſſe. Qui autem certus de voto dubitat de quantitate, v. g. an voverit audire quatuor, aut ſex Miſſas, tenetur ad tutius: quia non poteſt prudenter præſumere, quod potius quatuor quam ſex voverit. Aliud eſſet, ſi ex circumſtantiis poſſet haberi præſumptio pro parte mitiore. Sic ex his principiis poſſunt innumerabiles caſus quæſtioneſque reſolvi. Præſumptio autem eſt rationabilis conjectura vel probatio rei dubiæ, collecta ex argumentis, & indiciis, quæ per rerum circumſtantias frequenter eveniunt.

§. X.

De Conſcientia Probabili.

Quia Conſcientia probabilis apud Theologos pro eodem habetur ac opinio probabilis, utpote quæ quandoque promiſcue apud eoſdem accipiatur; ne nomina ipſa aliquam ingerant difficultatem, præcipue quia D. Auguſtinus opinionem cum errore confundit, ut in lib. 11. cap. 11. *de utilit. creden.* & lib. 2. *de mendac.* cap. 2. operæ pretium duxi notare, nunc ſcholaſticos uti opinionis nomine ſecundum ſenſum, quo acceptum fuit a D. Thoma & ab aliis; pro aſſenſu nempe intellectus in unam partem contradictionis, quam probabiliter veram exiſtimat, non tamen ſine aliqua formidine ne forte falſa ſit, & altera, quæ huic opponitur vera. Ideirco probabile non ſecundum etymologiam, ſeu vim nominis, quod idem ſonat ac id, quod probari poteſt, juxta D. Auguſtinum, qui loco cit. ait: *Quomodo eſt illud, quod ſequuntur, ſi non probetur probabile?* ſed ſecundum ipſius nominis uſum accipitur, videlicet pro eo, quod licet certo verum non cognoſcatur, tamen veriſimile eſt, ſeu verum apparens infra evidentiam; videlicet inter propoſitiones, quæ menti obiiciuntur, & de quibus mens determinatum fert iudicium, aliæ certo ut veræ, aliæ certo ut falſæ dignoſcuntur; aliæ vero ſunt, quarum nec veritas, nec falſitas certo percipitur, ſed quæ dumtaxat veræ, vel falſæ creduntur. Quod enim cognoſcimus certo ut verum, non eſt mere probabile, ſed pluſquam probabile: quod autem certo cognoſcimus ut falſum, non eſt probabile, ſed prorſus improbabile. Unde probabile idem eſt ac veriſimile, quod ſcilicet verum eſſe apparet. Probabilitas igitur ex dictis eſt *veriſimilitudo, ſeu apparentia veri infra evidentiam fundamento nixa*, ſive eſt *motivum grave, ſed abſolute fallibile, reddens opinionem veriſimilem*.

Hinc probabile dicitur ſolummodo relative ad noſtrum intellectum; quia ex aſpectu veriſimilitudinis quis poteſt pro vero falſum apprehendere, non vero relative ad propoſitiones, quæ omnes in ſe, & abſolute veræ ſunt, vel falſæ, & nulla probabilis, niſi quatenus ab intellectu noſtro talis concipitur; dum ex defectu ipſius luminis, ac rerum obſcuritate nequit penetrare veritatem, aut falſitatem, quam propoſitio aliqua habet in ſe: quapropter nihil apud Deum, qui res ut ſunt in ſe, videt, eſt probabile, ſed verum aut falſum, cum falſum in ſe apparere nequeat probabile, ſed improbabile, nec verum mere probabile, ſed certum.

Nota, quod tametſi conſcientia probabilis, & opinio probabilis promiſcue accipiantur a Theologis, ſtricte tamen loquendo conſcientia probabilis differt ab opinione probabili: quia conſcientia probabilis eſt actus, quo intellectus ob motivum grave, ſed fallibile iudicat actionem hic & nunc exercendam licitam eſſe, vel illicitam: opinio vero probabilis eſt actus, quo intellectus ob motivum grave, ſed fallibile, iudicat aliquid eſſe licitum vel illicitum, præſcindendo a praxi actuali ſeu exercitio.

Quare opinio probabilis definiri poteſt: *Actus, quo mens ob motivum grave, ſed tamen fallibile, prudenter iudicat aliquid eſſe licitum, vel illicitum cum formidine de oppoſito*. Dicitur 1. *actus, quo mens iudicat*, & in hoc differt a dubio, quod eſt ſuſpenſio omnis iudicii. Dicitur 2. *ob motivum grave*, ideſt quod tametſi non habeatur abſolute pro vero, talem nihilominus præſefert veritatis apparentiam, ut prudenter pro vero reputetur.

Unde

Unde ſi opinio, quæ opinioni meæ opponitur, habet motivum gravius, vel æquale, opinio mea non erit veri nominis opinio, cum in tali caſu elicere nequeam prudens iudicium de actionis honeſtate. Dicitur 3. *ſed tamen fallibile*, & in hoc opinio differt tum a ſcientia, quæ nititur evidenti motivo, tum a fide divina, quæ fundatur infallibili Dei teſtimonio, ideoque excludit ab aſſenſu omnem prorſus formidinem. Dicitur tandem *prudenter*. Ad hoc autem ut homo prudenter iudicet, neceſſe eſt ut omnia præiudicia, præoccupationeſque deponat, ſerio examinet ac perpendat ſuæ, & contrariæ partis momenta, necnon momenta oppoſita ſolvat; alias ſi pro alterutra parte ſine tali diligentia concludat, imprudenter aget.

Dividitur probabilitas iuxta Theologos in intrinſecam, & extrinſecam. Probabilitas ſeu apparentia veritatis intrinſeca ea eſt, quam faciunt momenta diſtincta ab auctoritate, ſcilicet momenta intrinſeca ipſius rationis, ſeu quæ nititur rationibus ita gravibus, & validis, ut opinans vehementer impellatur ad illam opinionem amplectendam. Probabilitas extrinſeca ea eſt, quam faciunt momenta Doctorum, ſeu quæ auctoritati nititur Doctorum, qui in eamdem ſententiam conſpirare ſeu concurrere videntur, & in quorum fidem aliquid verum iudicatur. Auctoritas tamen Doctorum non movet ad aſſentiendum tali opinioni, niſi quatenus præſumitur gravi ratione fulciri. Quare Doctorum auctoritas non tam ex illorum numero, quam ex eorum merito, nempe probitate, doctrina, ſtudio, diligentia, ac ſapientia menſuranda eſt. Hinc proſcripta fuit ab Alexandro VII. propoſitio n. 27. quæ ita habet: *Si liber ſit alicuius iunioris, & moderni, debet opinio cenſeri probabilis, dum non conſtet reiectam eſſe a Sede Apoſtolica tanquam improbabilem*.

Nota 1. opinionem probabilem aliam eſſe probabilem ſpeculative, aliam probabilem practice. Opinio probabilis ſpeculative, ac ſecundum ſe eſt ea, quæ veriſimilis eſt, ſed non evidenter vera, ſeu eſt opinio, quæ gravi nititur motivo, ſed abſolute fallibili. Opinio vero probabilis practice, ac reſpective ad operantem, ea eſt, quæ ita apparet veriſimilis, ſeu nititur motivo tam gravi, licet fallibili, ut facta ſedula inquiſitione veritatis, merito, ac prudenti iudicio tanquam vera haberi queat; quod tamen fieri nequit circa opinionem, quæ præſeferat maiorem, aut etiam æquivalentem aſpectum ſeu apparentiam falſitatis.

Nota 2. quod ut opinio cenſeatur probabilis etiam ſpeculative, neceſſe eſt 1. ne oppoſita ſit rationi evidenti, principio certo, nec Scripturæ, nec Traditioni, nec Patribus, nec Conciliis, nec Pontificum decretis, nec communi ſententiæ Doctorum. 2. ut ſit innixa motivo gravi, licet fallibili. Motivum vero grave eſt motivum magni momenti, quod ſi ſeorſim ſpectetur, ab alio motivo æque, aut magis gravi in oppoſitum non oppugnetur; & hoc ſatis eſt per ſe ad prudens iudicium pro una parte eliciendum, tametſi non ſit evidens, ſed abſolute fallibile. Opinio vero improbabilis ea eſt, quæ levi fulcitur momento, ac abſolute inſufficienti, ut prudenter aſſenſus ei præbeatur.

Nota 3. probabilitatem reſpectivam eſſe ad opinantem, ita ut quod reſpectu unius ſeu uni eſt probabile, non ſit probabile in altero, quia motivum opinionis urgere dicitur relative ad intellectum viri docti vel probi. Unde ſæpe contingit, ut aliqua opinio alicui certa videatur, quæ alteri nequidem apparet probabilis. Et equidem hæreticis fundamenta ſuarum opinionum apparent non ſolum probabiliora, ſed multo magis certiora, quæ tamen, ut omnis Catholicus Doctor contendit, falſam doctrinam continent. Immo non raro ſit, ut opinio, quæ olim tali Theologo fuit probabilis, poſt diligens rerum examen, veritatiſque inquiſitionem, abſolute improbabilis eidem reddatur. Unde manifeſtiſſime patet, non ex alio fonte opinionum varietatem oriri, niſi ex veritatis ignorantia: idcirco aliquid probabile eſt, tametſi falſum, quia falſum eſſe ignoratur; & aliquid probabile, licet verum, quia verum eſſe non dignoſcitur.

Nota 4. Opinionem dupliciter dici probabilem, ſubiective, & obiective. Opinio tunc probabilis eſt ſubiective, quando propria eſt operantis, & in eius mente, ut in ſuo ſubiecto, exiſtit, dum ſcilicet fixo, ac determinato iudicio, probabili tamen, aliquid licitum eſſe iudicat: ſicuti, ſi quis poſtquam ſedulo, & accurate veritatem exploraverit, ex propria ſententia iudicet, puta hunc, vel illum contractum eſſe licitum. Opinio autem probabilis obiective ea eſt, quæ probabilis eſt prout conſideratur in alterius mente, idcirco in mente operantis ſolum obiective verſatur; ut ſi quis putans, ſeu credens ſua ſententia talem contractum eſſe illicitum, deprehenderet iudicari opinione probabili a Doctoribus magnæ notæ huiuſcemodi contractum eſſe licitum.

Nota 5. opinionem aliam eſſe tutam, quæ removet a peccandi periculo; aliam tutio-

rem, quæ magis a tali periculo removet; & hæc ſtat pro præcepto, ideſt aſſerit extare præceptum aliquid iubens, vel vetans: aliam minus tutam, quæ minus removet a periculo peccandi; & hæc favet libertati, quia negat dari præceptum, ſive obligationem circa aliquid, ſed ſuſtinet hominem pro libitu ſuo utramlibet partem eligere poſſe. Nota item, idem non eſſe, conſcientiam ſeu opinionem eſſe tutiorem, & probabiliorem. Prior enim ea eſt, quæ utpote favens legi magis removet a periculo peccandi; poſterior vero illa eſt, quæ inſpecta vi, ac ſplendore rationum, & auctoritatis gravitate veroſimilior apparet, ſeu magis rationi conſona videtur: Etenim in praxi multa ſunt tutiora quam oppoſita, quæ tamen non ſunt probabiliora, ideſt ſunt minus probabilia; cuiuſmodi eſt ſententia, quæ docet, hominem, qui graviter peccavit, teneri ſub præcepto ſtatim poſt commiſſum peccatum confiteri Sacerdoti. Hæc opinio tutior eſt, & tamen iuxta D. Thomam minus probabilis. Et ratio eſt, quia licet talis opinio in praxi præciſe tutior ſit, utpote quæ hominem magis removet a peccandi periculo, non eſt tamen probabilior, dum probabilitas maior vel minor eſt, quatenus opinio magis vel minus accedit ad veritatem, ideſt prout maiorem vel minorem ſpeciem ſeu apparentiam veritatis præfefert. Item opinio alia eſt communis, & hæc ita vocatur, quæ habet pro ſe decem aut octo auctores, qui rem non curſim, & perfunctorie, ſed intime & ex profeſſo pertractarunt; alia communior, & ea ita dicitur, quam maior numerus auctorum poſt idem ac ſerium examen in veritatis perquiſitione amplectitur: idcirco minus communis ea eſt, quam pauciores ſuſtinent, ac ſequuntur.

Nota 6. opinionem probabilem ſpectari poſſe abſolute, ſeu præciſe, & in ſe ſine ulla comparatione cum altera opinione, quæ ob gravia momenta, quibus innititur, ſit vere probabilis; & ſpectari poſſe relative, ſeu comparative ad alteram opinionem, quæ vel æqualia, vel graviora habeat momenta, ut in tali concurſu elidere nequeat momenta huius opinionis, cui comparatur: tunc, quia per prudentem aſſenſum huiuſmodi opinio approbari nequit, non eſt amplius vere, ac proprie, ſed nomine tenus, & abuſive probabilis: dubia enim in tali caſu evadit, utpote quæ æſtimari nequeat firmo ac ſtabili innixa fundamento ob momenta æqualia, vel graviora alterius opinionis, quæ eidem opponitur. Nullum enim pondus, ſaltem comparative grave æſtimari poterit, cui ſimile, aut gravius adverſatur.

Ad hoc autem ut quidam Probabiliſtæ a dubii difficultate ſe eximant, diſtinguunt dubium ſpeculativum a dubio practico, cenſentes dari poſſe cum dubio ſpeculativo, quod parit contraria opinio, moralem certitudinem practicam, ob quam non obſtante dubio ſpeculativo prudenter præberi poſſit aſſenſus opinioni, & licite ſecundum ipſam operari. Verum, quia ex dubio ſpeculativo, quod ſe habet ſicuti maior in ſyllogiſmo, oritur dubium practicum, quod eſt tanquam minor iuxta D. Thomam, qui conſiderat hæc duo iudicia non proprie inter ſe diverſa, cum unum ſit uſus & applicatio alterius: hinc bene percipientes alii nullatenus inſervire allatam diſtinctionem dubii ſpeculativi & practici ad diluendam difficultatem, eo quod in tali opinionum conflictu, donec remaneat dubium ſpeculativum ſemper animus ſuſpenſus hæret, difficultatem penitus dirimere cenſuerunt recurrendo ad præſidium iudicii reflexi, quod practicum, vel practice practicum appellant. Docent enim poſſe aliquem reflectendo ſupra diverſas opiniones practice indicare actionem illam licitam eſſe, quam cæteroquin ipſe per ſuum intellectum ſpeculativum potius iudicat eſſe malam. Quis autem non videt tunc iudicium practicum non eſſe applicationem ac uſum cognitionis ſpeculativæ, ſed abuſum? Hoc enim iudicium reflexum mentis non poteſt prudenter & rationabiliter tollere animi ſuſpenſionem, ut efformari queat iudicium practice firmum ac certum de actionis honeſtate, niſi aliqua mutetur obiecti circumſtantia, & aliud momentum alicuius ponderis accedat: idcirco perſiſtentibus iiſdem motivis, ob quæ fluctuat animus circa honeſtatem vel turpitudinem actionis, per nullum profecto iudicium reflexum animus reddi poteſt moraliter certus de illius honeſtate.

Nota 7. opinionem probabilem libertati faventem, & ſic minus tutam, tripliciter comparari poſſe cum opinione legi favente; videlicet ut minus probabilis cum probabiliore, ut æque probabilis cum æque probabili, ut probabilior cum minus probabili; & circa hanc poſtremam præcipue, & fuſiori calamo verſabimur.

§. XI.

De opinione probabiliori ſequenda in concurſu oppoſitæ minus probabilis.

Antequam ad ſententiæ probationes deſcendamus, ne quid deficiat ad clariorem huiuſce difficillimæ rei elucidationem, quia ad hoc maxime refert ut certa ab incertis ſeiungan-

gantur: Obſervandum 1. eſt, controverſiam hanc verſari non circa opiniones, quæ in mera ſpeculatione ſiſtunt, ſed circa opiniones, quæ Fidem, moreſque reſpiciunt.

Obſervandum 2. dum agitatur quæſtio de opinione tutiori aut probabiliori ſequenda, non verſari controverſiam circa conſilia, quorum nec tutiorem, nec probabiliorem partem ſequi tenemur, cum in his ſatis ſit utramque partem tutam eſſe; idcirco non omnes tenentur cælibatum, vel ſtatum Religioſum eligere, tametſi hæc conditio in negotio ſalutis tutior ſit matrimonio; ſed controverſiam verſari circa præcepta, num videlicet liceat ſequi opinionem minus probabilem faventem hominis libertati contra legem, relicta probabiliori, quæ favet legi contra hominis libertatem: unde agitur de opinionibus verſantibus circa præcepta, non circa conſilia.

Obſervandum 3. non ſemper teneri hominem ex duabus opinionibus tutiorem ſequi, ſed tuta conſcientia amplecti poſſe minus tutam, dummodo tamen hæc ſit aliunde tutiori probabilior; & circa hoc innumera ſunt exempla, quæ brevitatis gratia prætermitto.

Obſervandum 4. iuxta Dialecticorum regulam de contradictoriis, ex duabus inter ſe pugnantibus opinionibus, quarum una faveat præcepto, altera libertati, in iiſdem circumſtantiis unam eſſe veram, alteram falſam: impoſſibile enim eſt utramque ſimul eſſe veram & falſam, non ſecus ac impoſſibile eſt ſimul eſſe, & non eſſe. Unde in conflictu duarum opinionum neceſſe eſt quod utraque ſit æque probabilis, aut una maiorem quam altera habeat probabilitatem, quia momenta, quibus illæ innituntur, niſi æqualis ſint ponderis, diſparia erunt, & inæqualia.

Obſervandum tandem, ex comparatione, qua duæ inter ſe conferuntur opiniones, quarum una dicitur probabilior, altera minus probabilis, colligendum non eſſe, opinionem, quæ dicitur minus probabilis, exinde abſolute, vere & proprie loquendo eſſe probabilem in tali concurſu cum probabiliori: nam, ſi hoc ſupponi poſſet, eo præciſe certum eſſet poſſe quemlibet tuta conſcientia ſequi opinionem minus probabilem relicta probabiliori, cum quivis in praxi licite ſequi poſſit opinionem vere, & abſolute probabilem, dummodo probabile dicatur quod gravi, & prudenti nititur fundamento. Idcirco paullo infra demonſtrabimus, opinionem aliquam in tali conflictu non remanere abſolute, vere & proprie loquendo probabilem, ſed dubiam fieri, contra eos, qui docent, ac ſuſtinent opinionem minus probabilem in concurſu probabilioris, tanquam morum regulam nos licite ſeu tuta conſcientia eligere poſſe, ac ſequi; & exinde huius ſententiæ ſectatores Probabiliſtæ dicuntur; ſicuti e contra qui hanc oppugnant, appellantur Probabilioriſtæ.

Controverſia huiuſmodi olim uſque ad proxima tempora, ante finem ſcilicet ſæculi decimi ſexti inaudita fuit in Scholiis; cum Antonius Cordubenſis celeberrimus ex Seraphico Ordine Theologus in ſuo *Quæſtionario Theologico*, quem typis mandavit anno 1571. in prima aſſertione, dum dicit partem tutiorem ſequendam eſſe, quando ſit probabilior oppoſita, ſtatim ſubiungit: *Et in hoc Theologi omnes conſentiunt*. Paullo tamen poſt, ideſt circa finem ſæculi XVI. ita Theologorum mentes allicere cœpit doctrina Probabiliſmi, nempe quod in concurſu duarum opinionum oppoſitarum inæqualiter probabilium licitum ſit ſequi opinionem minus probabilem relicta probabiliori, ut intra exiguum temporis ſpatium facta ſit in Scholis communis ſententia, ut teſtatur Solonius Auguſtinianæ Familiæ Alumnus, qui in ſuo tractatu de iuſtitia & iure, quem anno 1592. beneficio præli fecit publici iuris, aſſerit, tunc temporis quemlibet ex duabus opinionibus probabilibus opinionem minus probabilem dimiſſa probabiliori libere eligere potuiſſe, ſubiungens ita ſentire quamplurimos graviſſimoſque Theologos, maxime ex diſcipulis D. Thomæ. Et revera priores, qui in favorem Probabiliſmi ſcripſere, ab his qui hiſtorico-theologice de hoc negotio locuti ſunt, notantur Bartholomæus Medina, & Dominicus Bannez S. Thereſiæ Confeſſarius. Sæculo tandem XVII. fuit in Scholis omnibus univerſalis ſententia, & doctrina, ſicuti comprobat ingens Theologorum numerus, qui ita ſentiebant, ut colligitur ex permultis Moralis Theologiæ tractatibus, qui tunc in lucem prodiere.

Non defuerunt omni ætate, ex quo orta fuit talis opinio, qui eam ſtrenue inſectati ſunt. Et primi, qui bellum Probabiliſmo acriter indixere, fuerunt ex Societ. Ieſu Ferdinandus Rebellus anno 1608. Paulus Comitolus ann. 1609. qui demonſtrat Probabiliſmum fœdam eſſe prolapſionem. Immo quando negotium valde excreverat, totis viribus illud impugnarunt alii celeberrimi eiuſdem Societatis Theologi, ut Andreas Blanchus ſub nomine Philatetis in tractatu *de opinionum praxi* edito ann. 1609. Thyrſus Gonzales eiuſdem Societatis Generalis Præpoſitus, De Camargo Molatra, Gibertus percelebris Cardinalis Bellarminus, aliique, inter

quos

quos currenti tempore maxime fulget P. Gabriel Antoine, qui ob eximiam, ingenii, ac doctrinæ profunditatem, qua Moralis diſciplinæ præcepta pertractavit, tantam apud eiuſdem Facultatis ſtudioſos æſtimationem ſibi conciliavit, ut nunc fere omnes eo tanquam magiſtro utantur; ac proinde ut omnibus ſatisfieret, plures brevi temporis ſpatio conati ſunt Bibliopolæ eiuſdem Operis editiones innovare: tantum abeſt, ut ſententia laxitatem redolens e Scholis eiuſdem Societatis non minus ſcientia, quam pietate venerabilis prodierit. Præter laudatos inſigniores Societatis Theologos, quamplurimi alii eximii Doctores ex utroque ordine, ſæcularium ſcilicet & Regularium, maxime ex celeberrimis Academiis Pariſienſi ac Lovanienſi, & inter Italos perdoctus P. Daniel Concina ex illuſtri Dominicana Familia, Natione Forolivienſis, ita fortiter, ſapienterque Probabiliſmum impugnarunt, ut tandem lumine veritatis univerſim eluceſcente perpauci nunc ſint, qui Probabiliſmi ſententiam defendant, ac ſequantur. Hiſce igitur præmiſſis ſit.

In concurſu duarum opinionum, quarum una ſit minus probabilis, quæ ſtat pro libertate, altera probabilior, quæ ſtat pro præcepto, non licet in praxi ſequi tuta conſcientia minus probabilem, relicta probabiliori. Sententiam hanc manifeſtiſſime comprobant permulta divinarum Scripturarum teſtimonia. Eccleſ. 37. generatim iubemur, ut in noſtris liberis actionibus non temere ſeu inconſulto deliberemus, ſed ad conſilium rationis recurramus; ita ut quantum in nobis eſt, ſedulo ſtudeamus ſequi quod ex rationum gravitate, ac prudenti conſiderationis firmitate vere licitum, & honeſtum deprehendimus: *Ante omnia opera verbum verax præcedat te, & ante omnem actum conſilium ſtabile*. Huic præcepto plane non ſatisfacit, qui relicta opinione probabiliori, in qua veritas magis effulget, eligit minus probabilem, quæ in tali concurſu magis falſitatem quam veritatem præſefert. Hinc enim eligit, ac ſequitur quod ei videtur minus accedere ad veritatem, ideſt minus veriſimile, eo neglecto quod ut propius veritati, veriſimilius videtur. Igitur non ſtudet quantum in ſe eſt, ut, ſicuti nobis præcipitur, eligat, & ſequatur in ſuis actionibus veritatem, ſeu quod ut licitum & honeſtum ei proponitur, & exinde graviter ſit culpabilis, utpote qui ſe exponat aperto periculo peccandi, ut conſtat Eccleſ. 3. ubi docet Sapiens eum peccare, qui periculo peccandi ſe exponit: *Qui amat periculum, peribit in illo*. Qui enim ſequitur in praxi opinionem minus probabilem in concurſu probabilioris, locum habet rationabiliter ſuſpicandi, ac timendi, ſe fortaſſe peccare poſſe opinionem probabiliorem deſerendo; idcirco ſic agendo ſe periculo exponit peccandi, & ex hoc ipſo peccat.

Quod peccandi periculo ſe exponat, qui agit ſecundum conſcientiam minus probabilem, dum concurrit cum probabiliori, clare comprobatur ex illo quoque teſtimonio Apoſtoli ad Roman. 14. ubi ait: *Quod non eſt ex fide peccatum eſt*; ſcilicet, iuxta expoſitionem Interpretum, quod non eſt ſecundum conſcientiæ dictamen, ſeu quod fit contra propriam conſcientiam, peccatum eſt. Non agit plane ſecundum propriam conſcientiam, immo contra ſuæ conſcientiæ iudicium, qui amplectitur pro regula ſuæ actionis opinionem minus probabilem, neglecta probabiliori. Nam tametſi etiam probabilior non excludat omnem falſitatis formidinem, nititur tamen momentis ita gravibus, ut veriſimiliorem illam reddant, ac proinde moraliter certam de rectitudine, & honeſtate in eo, quod dictat ſequendum. Ex oppoſito autem minus probabilis, quia levioribus nititur rationibus, eſt valde incerta, ac ſuſpecta falſitatis in eo, quod proponit: hinc qui eam cum tali incertitudine in ſuis actionibus ſequitur, manifeſtiſſime patet quod aperto periculo peccandi ſe exponat.

Chriſtus Dominus, ut attentos, ſolicitoſque nos redderet in negotio æternæ ſalutis, admonuit Matthæi 7. arctam, anguſtamque eſſe viam, quæ ad ſempiternam vitam perducit, ac a paucis eam inveniri: *Arcta eſt via, & anguſta, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt, qui inveniunt eam*. Cum autem ſententia Probabiliſtarum doceat relinqui poſſe quod rationi veriſimilius apparet bonum, & honeſtum, utpote conſonum divinæ legi, quæ eſt vera via ad æternam ſalutem, ac illud teneri poſſe, quod ipſi rationi minus veriſimile videtur licitum, & honeſtum, utpote contrarium legi, & favens libertati, quæ ut plurimum ſecundum ſpiritum ſenſus, & paſſionum operatur; huiuſcemodi ſententia profecto non perducit per viam arctam, & anguſtam, quæ ex teſtimonio Chriſti Domini eſt via ſalutis, ſed per viam latam, quæ ducit ad interitum ſeu ad ſempiternam perditionem. Et equidem ſi ſemita ſalutis conſiſtit in vita vere Chriſtiana, quæ repugnat carni, & ſanguini, talis plane eſſe nequit ea, quam aperit opinio

nio minus probabilis, quæ ut ſavens humanæ libertati, carni & ſanguini, ideſt pravis hominum affectionibus indulget.

Veritas noſtræ ſententiæ confirmatur ex illo Deuteron. 26. ubi præcipitur accurata divinorum mandatorum obſervantia, ita ut nec minimum, quantum fieri poteſt, ab eis recedamus: *Hodie Dominus præcipit tibi, ut facias mandata hæc, atque iudicia: & cuſtodias, & impleas ex toto corde tuo, & ex tota anima tua*; cui conſonat illud Pſalm. 118. *Tu mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis*. Quæ ſollicitudo, amabo, divina mandata ſolerter, & accurate ſervandi cenſeri poteſt in eo, qui probabilius rationis iudicium negligit ac ſpernit, quod ſtat pro præcepto, ut ſequatur tanquam regulam in ſuis actionibus opinionem minus probabilem, quæ contra præceptum ſavet libertati? Hic profecto potius divinæ voluntati expreſſe reſiſtit, quam obedientiam ei præſtet, ſuamque propriam voluntatem æternæ Dei legi præſert. Nam licet probabilius ei perſuaſum ſit Deum hoc vel illud velle, ac præcipere, hoc tamen non ſequitur, ſed ſecundum id, quod divinæ legi contrarium eſt, operatur.

Quam longe a recto tramite aberret, qui ita ſe gerit, conſtat ex illo Apoſtoli ad Philippenſes 2. ubi monemur, ut cum timore & tremore ſalutem noſtram operemur: *Cum metu & tremore ſalutem veſtram operamini*. Non operatur autem propriam æternam ſalutem cum timore & tremore, qui in praxi partem deſerit, quam certo moraliter cognoſcit eſſe ſecuriorem, ac veriorem regulam ad licite & honeſte agendum, ut alteram ſequatur, de cuius ſecuritate, ac veritate non ita ſaltem certus eſt; immo rationabile habet fundamentum hæſitandi, num ſecura ac certa ſit, ac proinde manifeſto ſe exponit periculo, ut illicite, & inhoneſte, eam ſequendo, operetur: Qui enim ita agit, neutiquam illam habet ſolicitudinem, quam in rebus magni momenti ingerere ſolet timor ne in eligendo a falſo iudicio decipiatur.

Tandem veritatem huius ſententiæ evidentiſſime demonſtrat illa ſapientiſſima prudentiæ regula, quam tradit Apoſtolus 1. ad Theſſalon. 5. ubi nos admonet, ne doctrinam aliquam ſequamur, niſi prius veritas de eiuſdem bonitate accurato examine explorata ſit a nobis ac perpenſa, ac ut ab omni ſpecie mali nos abſtineamus. *Omnia autem probate; quod bonum eſt, tenete; ab omni ſpecie mali abſtinete vos*. Nemo aperte non videt, operantem cum opinione probabili relicta probabiliori, non omnia probare, nec ab omni ſpecie mali ſe abſtinere. Non omnia probat; quia probatio rite facta prudens parit iudicium, & determinationem. Prudens autem iudicium, & determinatio cenſeri nequit, ſi eligamus id, quod veriſimilius æternæ legi Dei adverſari putamus. Non tenemus quod bonum eſt, quando lubenti animo amplectimur quod nobis magis malum, quam bonum videtur. Non ab omni mali ſpecie abſtinemus, immo in illud convertimus animum, quod prudentius ac probabilius malum eſſe iudicamus; cum maiorem ſpeciem mali præſeferat ſententia minus probabilis, & minus tuta, quam ſententia, quæ probabilior, tutiorque apparet: illius enim obiectum probabiliter inhoneſtum eſt ac vetitum; hæc autem magis ad veritatem accedere exiſtimatur. Hinc ex divinarum Scripturarum teſtimonio patet; iis qui in moribus ſuis ductum ſequuntur opinionis minus probabilis, dum in eorum animis oppoſitæ opinionis veriſimilius dictamen effulget utpote divinæ legi conforme, maxime congruere illam Chriſti Domini ſententiam, ubi ait, quod *ſi cæcus cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadunt*. Nam qui ſequitur tenue lumen opinionis minus probabilis, quæ falſa eſt, ille cæcus eſt; quia cum fulgori rectæ conſcientiæ, & divinæ legis oculos clauſerit, ſicuti a recta, ſecuraque veritatis via recedit, fieri nequit, quin in foveam erroris incidat, agendo ſcilicet quæ illicita ſunt, & inhoneſta, ac in eamdem ruinam eos trahat, qui ipſius directionem ſequuntur.

Doctrinam hanc, quam Scripturarum auctoritate hactenus comprobavimus, SS. Patres confirmant, dum docent, opinionem ſecundum ſe falſam, æternæque divinæ legi adverſantem nunquam a culpa excuſari poſſe. Sic Tertullianus lib. *de ſpectac.* cap. 20. *Erramus: nuſquam, & nunquam excuſatur, quod Deus damnat: nuſquam, & nunquam licet, quod ſemper, & ubique non licet . . . . Non poteſt aliud eſſe, quod quidem verum, ac bonum eſt, ſeu malum. Omnia autem penes Dei veritatem fixa ſunt; Ethnici quos penes nulla eſt veritatis plenitudo, quia nec doctor veritatis Deus, malum ac bonum pro arbitrio ac libidine interpretantur; alibi bonum, quod alibi malum, & alibi malum, quod alibi bonum*. Nemo non videt fieri a Probabiliſtis, quod Ethnicis exprobat Tertullianus, nempe hoſce pariter ſequendo ſine ulla veritatis inquiſitione opinionem ut veram, ſeu, ut aiunt, probabilem, pro ar-

bitrio

Digitized by Google

bitrio ac libidine unius vel alterius Doctoris, qui illam docet, ac propugnat; alibi bonum quod alibi malum, & alibi malum quod alibi bonum approbare, cum nemo quamlibet opiniouem, quæ leviter etiam probabilis appareat, tuta conſcientia ſequi valeat. Et equidem, quod ut licitum permittatur ab uno ex Theologis, quorum ſententia opinio aliqua probabilis redditur, id quod alter Theologus ut illicitum damnat, non eſt forſan ſtatuere, idem eſſe probabiliter bonum, & malum?

Contra Probabiliſmum nimis clare loquitur S. Ioannes Chryſoſtomus homil. 13. in Epiſt. 2. ad Corinth. ubi docet eadem ſaltem diligentia in opere æternæ ſalutis nobis utendum, qua ſæcularia negotia agere ſolemus: ibi enim admonet ne attendamus quid multi opinentur, ſed ut res ipſas inquiramus, exprobatque ut abſurdum, nos circa iuſtam quantitatem pecuniæ, quæ nobis tradatur, aliis non credere, ſed eam numerare, & ſupputare: *pro rebus amplioribus*, (ideſt quæ ad animæ bonum pertinent) *aliorum ſententiam ſequi ſimpliciter, præſertim cum habeamus omnium exactiſſimam trutinam & gnomen ac regulam, divinarum, inquam, legum aſſertionem*. Et ſequitur obſecrando, ne attendamus ad id quod huic vel illi videtur, ſed a Scripturis omnia inquiramus, ideſt in dubiis circa res morum, num aliquid licitum ſit vel illicitum, veritas exquiratur ex Scripturis, ut deprehendamus quid a lege divina interdicatur. Et in caſu, quod adhuc evidens veritas obtineri nequeat, quia utraque parte militant gravia rationis, ac auctoritatis momenta, tunc ne a prudentiæ regula recedamus, nemo non videt, veriſimilius, ſeu magis rationi conſonum, ac legi favens nos ſequi debere, minime vero quod eſt minus probabile, favens libertati contra legem; alias quomodo ſedulo veritatem, ſicut præſcribit S. Doctor, in re tanti momenti nos exquirere dici poterit? Et clarius S. Doctor idem demonſtrat hom. 44. in Matth. ubi exemplo illius qui veſtem empturus quærit inter plures negotiatores ut inveniat meliores veſtes, & pretio viliori comparandas, docet oportere nos quoque Doctores circuire & inquirere, *ubi ſincera veritas Chriſti vendatur & ubi corrupta, & veriorem eligere pluſquam veſtimentum*. Nemo evidenter non videt, ſollicitudinem, quam vult cit. S. Doctor pro invenienda Chriſti veritate ad morum honeſtatem non adhibere illum, qui amplectitur tamquam regulam id, quod ut minus probabile non levem præſefert falſitatis aſpectum, illudque deterit, in quo, utpote probabilius, veritas magis eluceſcit.

Conſone D. Chryſoſtomo favet ſententiæ de parte veriſimiliori ſeu probabiliori ſequenda D. Auguſtinus lib. 1. contra Academicos cap 4. ubi hæc habet: *Quiſquis minus inſtanter quam oportet, veritatem quærit, is ad finem hominis non pervenit: quiſquis autem tantum quantum homo poteſt, ac debet, dat operam inveniendæ veritati, etiamſi non inveniat, beatus eſt, ſeu eximitur a peccato: totum enim fecit, quod ut faciat ita, natus eſt*. Qui opinionem minus probabilem ſequendam eligit in concurſu probabilioris, hic ſane minus inſtanter, nec quantum poteſt, ac debet, veritatem inquirit, quia eam reſpuit opinionem, in qua veritatem revera ineſſe dignoſcit, opinionem probabiliorem ſcilicet ſeu veriſimiliorem ſpernendo; idcirco non eximitur a peccato. Itidem S. Doctor lib. 22. *de Civit. Dei* cap. 23. ait, nos invigilare, ſeu nimis attentos eſſe debere *ne opinio veriſimilis fallat, ac decipiat ſermo verſutus, ne ſe tenebræ alicuius erroris effundant, ne quod bonum eſt malum, aut quod malum eſt, eſſe bonum credatur... ne in ea quæ agenda non ſunt, cupido præcipitet*. Et ſimilia habet S. Pater lib. 1. *de Baptiſmo* contra Donatiſtas. Quis neget Probabiliſtarum errorem, deceptionemque in veriſimili opinione, ut eſt opinio minus probabilis, quam hi ſequuntur; qui cum negligant vigilantiam, & attentos eſſe ſicuti debent ne deceptionem, erroremque in opinionis delectu incurrant, in ſua deceptione inexcuſabiles redduntur?

Probabiliſtarum errorem nimis aperte demonſtrat etiam S. Bernardus, qui lib. *de diſpenſ.* cap. 14. docet, ad bonam actionem requiri *veritatem in electione, charitatem in intentione*; proſcribit ut vitioſas, & ideo culpabiles actiones, quæ ex falſa opinione, quamvis probabili, proficiſcuntur: *Ut interior oculus vere ſit ſimplex* (ait S. Doctor) *duo illi arbitror eſſe neceſſaria, charitatem in iutentione, & in electione veritatem: Nam ſi bonum quidem diligat, ſed verum non eligat, habet quidem zelum Dei, ſed non ſecundum ſcientiam, & neſcio quemadmodum iudicio veritatis vera eſſe poſſit cum falſitate ſimplicitas. Volens denique ad veram diſcipulos inſtruere ſimplicitatem Magiſtra veritas: Eſtote*, inquit, *prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ. Præmiſit ergo prudentiam, ſine qua neminem ſatis eſſe poſſe ſimplicem ſciret. Quomodo denique vere ſimplex*

erit

erit oculus cum ignorantia veritatis? Aut vera dici poteſt ſimplicitas, quam ſimplex ignorat veritas? Scriptum eſt enim: ignorans ignorabitur. Patet ergo laudabilem illam, & a Domino laudatam ſimplicitatem abſque his duobus non eſſe bonis, benevolentia, atque prudentia ut oculus videlicet cordis non ſolum pius, qui fallere nolit, ſed & cautus ſit, qui falli non poſſit. Ita aperte contra ſtylum, quo ſe gerunt Probabiliſtæ in moribus ſuis, eos cum opinione minus probabili componendo, ut prorſus ſupervacaneus ſit quilibet diſcurſus, & explanatio, ut demonſtretur reprobare S. Doctorem tamquam falſam, ac culpabiliter erroneam eorumdem œconomiam in eligenda ac ſequenda opinione minus probabili in concurſu probabilioris; & proinde inhoneſtas eſſe, & vitioſas actiones, quæ cum tali regula eliciuntur; cum, ut manifeſtiſſime conſtat, qui mores ſuos ita dirigit, non habeat veritatem in electione, nec charitatem in intentione: nam qui ſecundum minorem probabilitatem, quæ in conflictu maioris probabilitatis falſitatis ſpeciem præſefert, actiones ſuas dirigit, hoc ipſo ex vincibili ignorantia agit contra legem, & contra fidem, ſeu contra propriam conſcientiam, dum ſciens ac volens non ſequitur probabiliorem, quæ magis legi favere videtur, & magis dictamini propriæ conſcientiæ eſt conformis, ſed partem eligit minus probabilem, quæ legi, & propriæ conſcientiæ adverſatur, quod improbat laudatus S. Pater, & actiones huic opinioni conformes inter vitioſa, ſeu mala opera recenſet.

Sententiam hanc S. quoque Thomas comprobat Quodlib. 8. q. 6. art. 13. & Quodliber. 9. q. 7. art. 11. ubi ſic habet. *Reſpondeo: dicendum quod omnis quæſtio, in qua de peccato mortali agitur, niſi expreſſe veritas habeatur, periculoſe determinatur: quia error, quo non creditur eſſe peccatum mortale, quod eſt peccatum mortale, conſcientiam non excuſat a toto, licet a tanto... Præcipue autem periculoſum eſt, ubi veritas ambigua eſt.*

Quam e diametro oppugnet hic Angelicus Doctor Probabiliſtarum ſententiam ſeu potius commentum, ſi ad ſola verba attendatur, facillime ſine ulla explicatione deprehenditur, cum clare & abſolute reum culpæ ſtatuat eum, qui e duobus oppoſitis iudiciis unum amplectitur incertus & hæſitans num bene vel male cum tali regula operetur; quod quidem contingit in eo qui opinionem minus probabilem in concurſu probabilioris amplectitur: quia licet ex una parte videat rationem, ſeu auctoritatem demonſtrare actionem licitam eſſe & honeſtam; cum ex alia tamen graviora, ideſt maioris ponderis ei obiiciantur argumenta indicantia illam illicitam eſſe; idcirco hic plane agit cum incertitudine & dubio an bene vel male operetur; & ideo ita agendo, cum manifeſto ſe exponat peccandi periculo, revera peccat, quia amans periculum in illo perit.

Magnum pondus ad confirmationem noſtræ ſententiæ affert auctoritas ſummorum Pontificum, quorum multa habentur momenta, quibus adverſati ſunt Probabiliſmo, dum in ſuis deciſionibus ſemper ſtatuerunt certiorem ſententiam eſſe ſequendam, & quamplurimas proſcripſerunt propoſitiones contrarium docentes. Semper enim docuerunt Pontifices: *In iis quæ dubia ſunt, quod certius exiſtimamus, tenendum eſt*: cap. 3. *de ſponſalib.* Item in Clementina *de verbor. ſignific.* cap. *exivi*, cum Fratres minores exquiſiviſſent a Clemente V. num tenerentur ex vi præcepti ad nonnulla, quæ continebantur in Regula ſub verbo imperativi modi, reſpondit Pontifex, ad evitandos conſcientiæ ſcrupulos partem ſecuriorem eſſe tenendam; ac proinde *licet Fratres non ad omnium, quæ verbis imperativi modi ponuntur in Regula, ſicuti ad præceptorum ſeu præceptis æquipollentium obſervantiam teneantur: expedit tamen ipſis Fratribus ad obſervandam puritatem Regulæ & rigorem, quod ad ea, ſicut ad æquipollentia præceptis ſe noverint obligatos.* Unde ſi ſecundum mentem Pontificis pars ſecurior eſt tenenda, a fortiori probabilior in conflictu minus probabilis. Inſuper Alexandri VII. maxime exarſit zelus contra Probabiliſmi novitatem, utpote *omnino alienam ab Evangelica ſimplicitate, Sanctorumque Patrum doctrina; & quam ſi pro recta regula fideles in praxi ſequerentur, ingens eruptura eſſet vitæ Chriſtianæ corruptela*; ut videre eſt in eius Decreto ſub die 24. Septemb. anno 1665.

Veſtigia ſui præceſſoris ſectando, pari ſtudio Probabiliſmum evertere ac prorſus extirpare conatus eſt Innocentius XI. dum contra hanc lubricam, periculoſamque doctrinam duo edidit decreta, alterum anno 1679. quod ad univerſalem direxit Eccleſiam, alterum anno 1680. ad P. Tyrſum Gonzales Generalem Societatis Ieſu, in quo perſpicue declarat ſe Probabiliſmum execrari, ipſi mandando ut libere & intrepide proſequatur prædicare, docere & calamo defendere opinionem magis probabilem, necnon acriter impugnare ſententiam aſſerentium, licitum

eſſe

eſſe ſequi opinionem minus probabilem in concurſu probabilioris ſic cognitæ & iudicatæ. Inſuper eidem Patri Gonzalez iniungit, ne ullatenus permittat Patribus Societatis ſcribere pro opinione minus probabili, & impugnare ſententiam aſſerentem, licitum non eſſe ſequi opinionem minus probabilem in concurſu magis probabilis ſic cognitæ.

In priori decreto proſcriptæ ſunt quatuor propoſitiones, quarum tres ſunt veluti cardines Probabiliſmi, & ſunt huiuſce tenoris: II. *Probabiliter exiſtimo iudicem poſſe iudicare iuxta opinionem etiam minus probabilem.*

III. *Generatim, dum probabilitate ſive intrinſeca, ſive extrinſeca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confiſi aliquid agimus, ſemper prudenter agimus.*

IV. *Ab infidelitate excuſabitur infidelis non credens, ductus opinione minus probabili.*

Zelum Summorum Pontificum pro conſervanda ſimplicitate ac puritate Chriſtianæ Moralis contra Probabiliſmum æmulati ſunt præ aliis Clerus Gallicanus ac facultas Pariſienſis, reprobando ac proſcribendo doctrinam hanc ut falſam, temerariam, quæ innumeris novitatibus & corruptelis viam aperit, & conſcientiæ regulas evertit. Ita habetur in cenſura dictæ facultatis edita 3. Februarii an. 1665.

Iuxta doctrinam SS.Patrum quoad debitum in materia morum, quando concurrunt duæ oppoſitæ opiniones, quarum una ſit altera probabilior, ſequendi probabiliorem, unanimes ita ſenſerunt veteres Theologi, quorum graviores fuerunt Gerſonus, Scotus, Ioannes Maior, Gabriel, Henricus de Gandavo, S. Antoninus, Antonius Cordubenſis, Sylveſter, aliique, quos omnes, eorumque doctrinas, quia nimis longum eſſet recenſere, brevitatis gratia prætermitto. Circa eos vero, qui contra tam corruptam, periculoſamque morum regulam, ex quo vulgari cœpit, acri zelo exarſerunt, ac ipſam forti calamo inſectati ſunt, ne Chriſtianæ Moralis integritas ac ſanctitas hac lue contaminaretur, & identidem inſectantur, ſaltem de aliquibus celebrioris notæ mentionem fecimus in brevi hiſtoria, quam præmiſimus de novo laxitatis excogitatò commento, ideſt de Probabiliſmo.

Probatur tandem ſententia aliquibus valde gravibus rationis momentis, & primo: Quia in moralibus ut licite, & ſine culpa operemur, neceſſe eſt quod habeamus conſcientiam, ſeu iudicium rationis moraliter certum de honeſtate ſeu bonitate actionis, quam elicere volumus: nam iuxta D. Thomam 2. 2. q. 27. art. 2. *homo in iis, quæ ad propriam perſonam pertinent, debet formare conſcientiam ex propria ſcientia*: cum conſcientia ſit applicatio ſcientiæ ad ea, quæ agenda ſunt, ac proinde propria cuiuſque conſcientia eſt ei primaria regula in agendis, quæ legem cognitam operibus applicat; ita ut ex eorum conformitate cum lege honeſtæ, & bonæ redduntur: ille autem, qui opinionem minus probabilem ſequitur in concurſu probabilioris, non eſt moraliter certus ex propria ſcientia, ſeu ex dictamine propriæ conſcientiæ de bonitate actionis, quam elicit, idcirco licite, & inculpabiliter non operatur: non enim poteſt ei certum videri ex dictamine propriæ conſcientiæ actum illum licitum eſſe, quando ex ipſius conſcientiæ iudicio ei certo moraliter apparet veriſimilius eſſe quod ſit illicitus: nam certum videri menti meæ quod talis actus ſit licitus, & certum ſimul, & in iiſdem circumſtantiis videri quod ſit illicitus, virtualiter opponuntur. Etenim certum videri aliquem actum licitum, & ſimul videri veroſimilius illicitum eſſe, ſunt duo contradictoria, quæ ſimul in iiſdem circumſtantiis iuxta irrefragabilem regulam Dialecticorum ſimul in eodem ſubiecto vera eſſe non poſſunt. Idcirco licitum eſſe non poteſt, quod ex duabus opinionibus una dictat licitum, altera certo dictat veroſimilius eſſe illicitum: ſicuti in teſtimonio contradictorio duorum teſtium, atteſtationem unius ex illis neceſſario iudex habere debet veroſimilius falſam, eo ipſo quod alterum iudicat fide dignius, ac proinde credibilius teſtimonium. Quapropter ſi in moralibus ſequi tenemur in praxi illud, quod certo veroſimilius licitum eſſe apparet, ut contingit in opinione probabiliori, non poſſumus licite pro regula noſtrarum actionum eligere, ac ſequi in concurſu probabilioris opinionem minus probabilem, utpote quæ dictet quod minus apparet licitum eſſe, immo ex iudicio oppoſitæ probabilioris illicitum.

Confirmatur: Si in concurſu duarum opinionum æque probabilium ob æqualia rationis momenta quibus fulciuntur, mens ſuſpenſa hæret neutri parti aſſentiendo; a fortiori in concurſu duarum opinionum, quarum una ſit altera probabilior, utpote quæ gravioribus fulciatur momentis, hanc ſequi tenemur; cum minus probabilis ob leviores, quas habet pro ſe rationes, in tali concurſu non amplius remaneat vere & proprie probabilis, ut falſo putant Probabiliſtæ; ſed ſi non improbabilis, certe tamen dubia evadit.

Digitized by Google

dit. Etenim opinio vere & proprie probabilis (ut definitur ab ipſis Probabiliſtis) ea eſt, quæ nititur gravi & ſolido fundamento. Fundamentum autem grave ſatis & ſolidum illud tantummodo cenſendum eſt, quando eius momenta non ſolum ab oppoſitis non ſuperantur; immo ipſa contrariæ opinionis momenta ita ſenſibiliter elidant, ut exinde moveri queant viri probi, ſimulque periti, ut tali opinioni prudenter ſuum conſenſum præbeant. Quare cum contrarium contingat in probabili comparata cum probabiliori, eo quia in tali concurſu momenta probabilis ita ſenſibiliter ſuperantur, & eliduntur a momentis contrariæ probabilioris, ut hæc appareat magis veriſimilior ſeu veritati magis conſona, & minus probabilis potius falſitati quam veritati adhærens; maniſeſtiſſime patet, hanc in tali concurſu amittere ſuam probabilitatem, qua cæteroquin abſolute ſumpta non careret, & fieri dubiam. Quod autem probabilis opinio in concurſu oppoſitæ probabilioris non ſit amplius probabilis, ſed dubia evadat, facillime probatur ex eo, quod ſi duæ oppoſitæ opiniones, quæ habent æquales rationes, ac ideo æquale pondus, licet ſeiunctæ in ſe, & abſolute ſpectatæ ſint probabiles, quando ſimul conferuntur, fiunt dubiæ: a fortiori opinio, quæ tametſi ſpectata in ſe abſolute, & ſeorſim ob gravia momenta, quibus innititur, ſit vere probabilis, in concurſu contrariæ probabilioris fiet dubia, ne dicam pluſquam dubia. Dubia enim cenſetur opinio, quæ iudicatur non magis accedere ad veritatem quam ad falſitatem: qui autem iudicat opinionem minus probabilem, ob minorem, quam habet veriſimilitudinem, magis accedere ad falſitatem quam ad veritatem, quomodo non iudicabit eam dubiam, & pluſquam dubiam? Nam ſi æqualiter ad veritatem accederet ac ad falſitatem, dubia cenſeretur, & neutiquam probabilis; quando autem magis accedit ad falſitatem quam ad veritatem, cum reddatur magis ſuſpecta, apertiſſime conſtat non poſſe dici probabilem, ſed dubiam ſaltem, ſi non improbabilem.

Confirmatur noſtra ſententia: intellectus in dubia opinione non poteſt ad neutram partem ſe prudenter determinare, quia pro neutra parte habet fundamentum ob maiorem vel minorem veriſimilitudinem, ut prudenter ſe determinet. Nam cum debeat ſe determinare pro veritate, quæ eſt eius objectum, nunquam poteſt ſe determinare prudenter, niſi pro ea parte, in qua veritas magis appareat; quod in opinione dubia haberi nequit, eo quia momenta utriuſque partis veritatem, ac falſitatem præſeferant. Igitur cum in opinione minus probabili in concurſu probabilioris minus appareat veritas quam in probabiliori (quæ ideo talis vocatur, quia plus habet veriſimilitudinis) non poteſt intellectus in tali concurſu prudenter ſe determinare pro minus probabili, niſi ſe determinet pro falſitate potius quam pro veritate, quod quidem importat eſſe minus veram. Sed hoc repugnat prudenti iudicio; cum proprium ſit prudentiæ in partem, quæ verior ac melior apparet mentem dirigere & inclinare: ergo opinioni minus probabili in concurſu oppoſitæ probabilioris utpote dubiæ, aut dubiæ æquivalenti nequit intellectus prudenter aſſenſum ſuum præbere, ſeu pro eadem ſe determinare, ac licite eam ſequi. Igitur qui probabilia, minuſve tuta probabilioribus ac tutioribus anteponit, maniſeſto ſe exponit periculo peccandi, cum eam partem eligat, quam legi contrariam eſſe probabilius iudicat; non ſecus ac maniſeſto mortis periculo ſe committit, qui cibis veſcitur, quos probabilius iudicat veneno eſſe infectos, ubi integri habentur.

Exempla nonnullorum caſuum ſententiam noſtram comprobant, in quibus, (ut notat celebris Canoniſta Proſper Fagnanus) quidam ex iis etiam qui ſtant pro Probabiliſmo, nobiſcum ſentiunt non licere ſequi opinionem minus probabilem ſpreta probabiliori. Et primo, ut illi quoque tenent, Miniſter Sacramentorum in Sacramentis conferendis ſequi non poteſt minus probabilem relicta probabiliori, ſimulque tuta: tum quia generatim non licet in praxi ſequi opinionem minus probabilem relicta probabiliori, quod intelligendum & ſupponendum eſt etiam in aliis exemplis; tum quia qui ſequitur opinionem minus probabilem, minuſve tutam relicta probabiliori, & tutiori, ubi agitur de valore Sacramenti, peccat tum contra religionem debitam Sacramento, dum Sacramentum exponeret periculo nullitatis, ac proinde graviſſimam irreverentiam & iniuriam illi irrogaret; tum contra charitatem debitam proximo, quippe qui, quando præcipue proximus eſt in extremo periculo, eique poteſt conferre ſubſidium certo profuturum, certum ſcilicet Sacramentum, dubium confert; tum contra iuſtitiam, quia dum exponit Sacramentum nullitati, ſubtrahit Fidelibus ſubſidium, ad quod ipſi ius habent. Hinc damnata fuit ab Innocentio XI. ſequens propoſitio, quæ eſt num. 1.

Non

Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiori, niſi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Item non licet Confeſſario uti opinione minus probabili, probabiliori neglecta in adminiſtrando Pœnitentiæ Sacramento, prout eſt Miniſter Sacramentorum, ſicuti ſupra dictum eſt, ſed agere debet ſecundum tutiorem, & probabiliorem; & quia Confeſſarius iudex eſt, cum ſacramentalis abſolutio ſit actus iudicialis, ſicuti definitum eſt a Tridentino, & quia etiam eſt Medicus. Iudex autem, ſicuti & Medicus non poſſunt ſequi opinionem minus probabilem, minuſve tutam, ut hic ſubiungitur.

Medicus igitur licite agere nequit cum infirmo in exercitio ſuæ profeſſionis ſecundum opinionem minus probabilem relicta probabiliori, nec tuta conſcientia ſe accommodare poteſt opinioni infirmi volenti uti remedio probabili potius nocituro quam profuturo.

Non licet ſimiliter iudici, relicta probabiliori, in ſuis iudiciis uti minus probabili, & minus tuta: quia cum iudex ſit miniſter Dei in terris, ut cuique ius ſuum ſervet indemne, unicum iudicis munus eſt, Deum imitando qui veritas eſt, & non probabilitas, ius ſuum ſaniori iudicio ac ſapientiori quo poteſt, cuique tribuere. Unde ſedulo inveſtigare debet apud quem verum ſit ius, ideſt omni remoto animi præiudicio, rationes ac momenta litigantium, meritumque cauſſæ accurate perpendere, cui debito plane non ſatisfaceret, ſi ſecundum minus probabilem, minuſve tutam, non attenta probabiliori, poſſet iudicium proferre. Nam ſi iudex ita ſe gerere poſſet, in ſuis iudiciis arbiter eſſet, ac ſupremus cuiuſque bonorum dominus. Quocirca Alexander VII. damnavit haſce propoſitiones: *Quando litigantes habent pro ſe opiniones æque probabiles, poteſt iudex pecuniam accipere pro ferenda ſententia in favorem unius præ alio . . . Probabiliter exiſtimo iudicem poſſe iudicare ſecundum opinionem minus probabilem*. Verum ſi ex ipſis adverſariis iudex, & medicus uti nequeunt opinione minus probabili in concurſu probabilioris, quia agitur de damno temporali proximi vitando: cur, amabo, huiuſcemodi cautela adhibenda non erit ad cavendam ſpiritualem proximorum animæ ruinam, & perditionem, eos in moribus ſuis, a quibus earumdem ſalus ſpiritualis pendet, dirigendo per viam veriſimiliorem, ac tutiorem, qualis eſt ea, quam dictat opinio probabilior, non vero per incertam, falſam, & periculoſam, quam proponit opinio minus probabilis in concurſu probabilioris?

Demonſtratur tandem quam inconveniens ſit animarum ſaluti, periculoſa & exitialis Probabiliſmi ſententia, ex graviſſimis incommodis ac laxitatibus, quibus ex ſubdola illius benignitate Chriſtiana Moralis ſubiaceret. Et primo: ex hoc falſo principio via cuique aperiretur affirmandi legem divinam non obligare, quando certo & manifeſte non conſtat eius obligatio. Volunt enim Probabiliſtæ ſolam certitudinem unius partis excludere probabilitatem alterius partis oppoſitæ, ac ideo per ipſos ſententia quæ non innititur certo & infallibili fundamento, non tollit oppoſitæ ſententiæ probabilitatem, ideſt in ſua probabilitate eam relinquit. Ita ſcribit inter alios Caramuel in ſua Theologia fundamentali, ubi ſic habet: *Omnis omnino actus humanus licitus eſt, qui non impingit evidenter in aliquam legem obligatoriam evidenter*. Quare conſtitutus inter duas ſibi invicem adverſantes opiniones, quarum una, & probabilior affirmet, ſed non certo & infallibiliter talem actionem lege divina prohiberi, altera, & minus probabilis afferat e contra illam actionem lege non prohiberi; quando ſibi perſuaſum habeat ſe non teneri amplecti opinionem, licet probabiliorem ſtantem pro præcepto, ſi ut certa, & infallibilis ei non proponatur, ſed tuta conſcientia eligere, & ſequi poſſe minus probabilem, in innumeris fere caſibus negare poſſet legem obligare, quia certo & evidenter non conſtaret eius obligatio, ac proinde ſequi poſſet ſine ullius culpæ periculo minus probabilem, utpote quæ in tali incertitudine obligationis a contraria parte propoſitæ firma in ſua probabilitate remaneret; cum iuxta Probabiliſtarum ſenſum, ut ſupra notavimus, ſola infallibilis certitudo unius partis excludat, ſeu tollat probabilitatem alterius partis oppoſitæ minus probabilis. Quid quæſo abſurdius excogitari, aut dici poteſt, quam legem non obligare, eo ipſo quod iudicetur eam non obligare, quia eiuſdem obligatio ab oppoſita opinione, licet probabiliori ſtante pro eadem lege, certo & infallibiliter non proponatur; & tunc ſententiam quæ legi adverſatur, ſi ſpeciem quamdam videatur habere probabilitatis, tute, ac prorſus inculpate agentem eligere poſſe, & ſequi? Et huiuſcemodi abſurdum ex eo præcipue colligitur, quod docent unanimi conſenſione Doctores eum peccare poſſe, qui ageret contra legem, quando certo & evi-

& evidenter illius legis obligatio ei non innoteſcat. Alias enim ut licita haberi poſſent ea omnia, circa quæ Theologi diſputant.

Immo ex hac falſa Probabiliſticæ Scholæ doctrina excuſabiles fuiſſent a culpa hoſtes omnes Chriſtianæ Religionis, qui prioribus Eccleſiæ ſæculis perſecuti ſunt Apoſtolos ac Fideles omnes, utpote qui hoc ſibi licitum eſſe cenſebant; & præcipue excuſabiles fuiſſent Iudæi, qui ita agendo credebant obſequium ſe præſtare Deo, Ioannis 16. dum ita agendo intendebant propugnare legem, quam ab ipſo Deo per Moyſen receperant. Itidem excuſabiles eſſent hæretici in ſuis erroribus, utpote qui non habeant certam & indubitatam Fidei notitiam; quin potius certo, firmoque iudicio ſine ulla hæſitatione ſuis aſſentiuntur opinionibus, quæ ex vincibili fallacia eis videntur longe doctrinis Catholicorum certiores. Quare cum iſtæ, aliæve omnes huiuſce generis illationes falſæ ſint, ex eo quod ad præcepti ſervandi obligationem opus non ſit quod certa & indubitata habeatur præcepti vel eius obligationis notitia; exinde falſa eſt quoque Probabiliſtarum ſententia, ex qua apertiſſime ſequitur, legem non obligare, quando eius obligatio certo & infallibiliter non innoteſcit.

Inſuper ſi locum habere poſſet ſententia probabiliſtica, prope innumeræ ſuſtineri poſſent opiniones; ex quo contingeret quod tota penitus Chriſtiana Moralis ſubverteretur ac confunderetur. Nam ſi tuta conſcientia quiſque ex duabus ſibi invicem adverſantibus opinionibus quamvis pro libitu ſuo in praxi ſequi poſſet, etiam probabilem relicta probabiliori, nulla, aut fere nulla daretur humana actio mala, ſeu turpis, & inhoneſta, nihil vetitum & illicitum fere eſſet, nullum fere præceptum, quod tam benigniori ſententia eludi nequiret, ac proinde fere nullum daretur opus culpabile, nullum fere peccatum; cum in Moralibus vix aliquis detur caſus, in quo non habeatur concurſus duarum oppoſitarum opinionum probabilium probabilitate intrinſeca, vel extrinſeca. Hinc ſupervacaneum redderetur Æthicæ Chriſtianæ ſtudium, inutiliter defatigarentur in hac Facultate tot ſapientes viri in perquirendis ex divinis Scripturis, SS. Patribus, ſacris Canonibus, & celebrioribus Theologis, veritatibus, regulisve, quæ iuxta ſanctiſſimas leges nobis aperiant, ac indicent quinam actus humani ſint moraliter boni, liciti & honeſti, quinam vero mali, illiciti & turpes, ut operando quod bonum eſt, & quod malum eſt vitando, per viam rectam incedamus ad Chriſtianam, piamque vitam agendam, ut ſecuri ad æternam cœleſtem patriam perveniamus, quam Deus præparavit diligentibus ſe; quando quiſque ex ſe uno vel alio ſine aliquo delectu adhibito auctore, ſatis eſſet (eligendo iuxta benigniorem ſententiam quamlibet opinionem, quæ ſit probabilis, etiam in concurſu probabilioris) ut ſtatueret quomodo in quavis actione morali ſe gerere debeat ut licite, honeſteque operetur. Nemo non videt ex tam gravibus, horrendiſque abſurdis, ad quæ perducit Probabiliſmi ſententia, quantum hæc adverſetur puritati, ac ſanctitati Æthicæ vere Chriſtianæ, quam periculoſa ſit & exitialis ſpiritualis Fidelium ſaluti, ac proinde quam caute ac ſollicite in praxi morali cavenda ſit, & vitanda.

Solvuntur obiectiones.

Obiiciunt I. Cum ad veram opinionis probabilitatem inter præcipuas conditiones ſtatuatur quod non adverſetur divinæ Scripturæ; hinc Probabiliſtæ ipſius Scripturæ teſtimoniis ſuam conantur firmare ſententiam, nempe probabilem opinionem nos tuta conſcientia ſequi poſſe, non ſolum abſolute, ſed etiam comparative ad oppoſitam probabiliorem, utpote quæ iucunda reddit, & levia Dei mandata, ſicuti in Sanctis Scripturis laudantur Pſalm. 118. *Iudicia tua iucunda*, Matth. cap. 11. *Iugum meum ſuave eſt, & onus meum leve*, Epiſt. 1. Ioan. cap. 5. *Mandata eius gravia non ſunt*. At levis non eſſet (aiunt ipſi) immo eſſet gravis ſupra modum, ac oneroſa Chriſtiana lex, ſi leviores ſententias ſequi non liceret. Igitur immerito improbatur ſententia, quæ tot divinis innititur oraculis.

Reſp. Iugum Chriſti leve appellari in Scripturis ſanctis, quia lex Chriſti eſt lex libertatis, quæ nos liberat a ſervitute legis Moſaycæ, necnon diaboli, & peccati; & quia tale iugum leve redditur per gratiam; non quia licitum ſit cuique facere quod velit, atque id etiam, quod probabilius iudicat eſſet peccatum. Leve enim, ſuave ac delectabile eſt iugum Chriſti, quia iuxta Auguſtinum ſerm. XVI. quidquid durum eſt in præceptis, ut ſit leve charitas facit, ita ut non timore, ſed amore ad hanc legem ſervandam pertrahamur. Et leve etiam dicitur iugum Chriſti, eo quia ad ſalutem conſequendam ſatis ſit, ubi vires deficiunt, ſola bona voluntas; cum e contra in ſæculi amo-

re nihil ſolo deſiderio cordis acquiritur præter moleſtiam animi, & anxietatem. In tali igitur ſenſu, non ratione eligendi leniores ſententias, ut autumant Probabiliſtæ, ſuave ac leve eſt Chriſti onus. Et equidem ex ipſis divinæ Scripturæ oraculis admonemur *anguſtam eſſe ianuam*, per quam ingredi debemus in æternæ ſalutis portum; quia *lata porta, & ſpatioſa eſt via, quæ ducit ad perditionem*; & Matth. 11. habetur: *Regnum Dei vim patitur, & violenti rapiunt illud*: Item *corpus noſtrum caſtigandum, ac in ſervitutem redigendum: & nos habere perpetuam luctam contra carnem, & ſanguinem*; ideoque ipſa divina Scriptura nos adhortatur, ut ſine intermiſſione oremus, noſmetipſos abnegemus, ac nos exhibeamus *ſicuti Dei miniſtros in multa patientia, in tribulationibus, in anguſtiis, in neceſſitatibus*. Igitur qui docent licitum eſſe in praxi ſequi opinionem probabilem relicta probabiliori, viam ita latam, ac ſpatioſam aperiunt, ut fere omnia, quæ unicuique ſunt magis accommoda, licita eſſe poſſint; ac proinde nec agenda erit lucta contra carnem, & ſanguinem, non corpus redigendum in ſervitutem. Quis non videt hanc eſſe viam, quam monet Chriſtus cap. 7. Matth. ducere ad perditionem, non ad ſalutem, ad quam ex ipſius Chriſti Domini teſtimonio nonniſi per anguſtam ingredi poſſumus. Leve tandem dicitur Chriſti onus ob magnæ retributionis ſpem, quæ animum noſtrum fortiter allicit, & inclinat; quare dicitur quod *ſervire Deo regnare eſt*. Patet igitur ex laudatis divinæ Scripturæ teſtimoniis fucum facere Probabiliſtas, cum teſtimonium Chriſti Domini de ſuavi ac levi pondere iugi ipſius legis afferunt in defenſionem ſuæ cauſſæ, ideſt laxitatis, quam tali benigniori ſua ſententia Probabiliſmi adſtruere conantur.

Obiiciunt II. quædam SS. Patrum teſtimonia, quæ doctrinæ probabilitatis comparativæ, ideſt quando cum oppoſita probabiliori concurrit, favere videntur. S. Auguſtinus lib. 1. *de Baptiſ.* contra Donatiſtas cap. 4. frequenter excuſat S. Cyprianum in ſua de rebaptizandis hæreticis ſententia contra S. Stephanum Papam, quæ profecto erat minus probabilis. Rurſus idem S. Doctor in lib. *de adulter. coniug.* cap. 16. & in epiſtola ad S. Hieronymum 19. nunc 82. n. 3. ſequitur opinionem probabilem. Inſuper S. Leo in epiſt. ad Ruſticum ait: *In iis quæ dubia ſunt, vel obſcura, id noverimus ſequendum, quod nec præceptis Evangelicis contrarium, nec decretis Summorum Pontificum invenitur adverſari*. Huiuſmodi autem eſt opinio probabilis. Ad hæc S Thomas Quodlibet. 8 art. 13. ita concludit: *Si quis ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem adducitur, ſic nec committit ſe diſcrimini, nec peccat*. Igitur ex Angelico Doctore etiam in conflictu diverſarum opinionum, dummodo conſcientia dubia non ſit, ſed probabilis, recta cenſenda eſt. Tandem S. Antoninus part. 1. tit. 3. cap. 10. docuit, quod ſequi liceat quamcumque opinionem, dummodo ſit probabilis, magni alicuius Doctoris.

Reſp. ad S Auguſtini allatam auctoritatem circa S. Cypriani ſententiam, nempe S. Doctorem ibi non approbare S. Cypriani doctrinam, ſed invicta fraternæ charitatis indulgentia ipſum excuſare, tum quia erat filius pacis Eccleſiæ; ideoque ſine charitatis læſione pugnabat pro falſo dogmate, in quo cum haberet octingentos fere Epiſcopos ſibi conſentientes, neque ab univerſali Eccleſia adhuc in aliquo Generali Concilio ſtatutum fuiſſet quid hac in re ſequendum eſſet, nullum prorſus errorem latere ſuſpicabatur, immo veram, certiſſimamque ſententiam a ſe propugnari exiſtimabat; tum quia ſi ex imbecillitate quam patitur humana conditio, maculam aliquam in ſuo iudicio contraxit, hanc proprio ſanguine abſterſit. Falſum eſt igitur D. Auguſtinum aſſerere, quod Cyprianus in ſequenda opinione minus probabili omnino inculpate ſe geſſerit, cum ſemper pro probabiliori ipſe certaverit. Et facile poteſt quiſque colligere hanc ſemper fuiſſe Sancti Patris ſententiam in ipſis citatis locis *de adult. coniug.* & maxime in epiſt. ad S. Hieronymum, ubi apertiſſime Probabiliſtarum commentum refellit. Eo enim loci docet, indubiam fidem ſolis libris canonicis eſſe præbendam; ita ut quidquid legatur in Operibus cuiuſvis alterius auctoris, qui non ſit Propheta, aut Apoſtolus, tametſi inſigni doctrina & ſanctitate fulgeat, non ideo verum cenſendum ſit, quia ita ipſe ſenſerit; ſed quia vel per ſacras auctoritates canonicas, vel probabiliori ratione, quod a vero non abhorreat, perſuadere potuerit. Patet igitur ex D. Auguſtino contra probabiliſmi patronos, ob quamlibet auctoritatem, vel probabilem rationem illicitum eſſe opinionem ſpernere, cuius veritatem gravior auctoritas ac ratio ita clarius demonſtrat ac firmat contra oppoſitam, ut hanc nota falſitatis inficiat. Ad auctoritatem S. Leonis reſpondetur, veriſſimum eſſe quod ſcribit S. Leo, in dubiis eligendam eſſe opinionem,

quæ

Digitized by Google

quæ non adverſetur Scripturæ præceptis, ac SS. Patrum decretis. Non docuit tamen id ſatis eſſe, ideoque hanc appoſuit conditionem ut requiſitam, non vero ut ſufficientem: quia ulterius requiritur, ut agamus cum dictamine rationis, ſive conſcientiæ, quæ de operis bonitate moralem habeat certitudinem. Quomodo vero moralis haberi poteſt certitudo de bonitate actionis, quando, relicto veroſimiliori iudicio de tali bonitate, operemur ſecundum iudicium minus veroſimile, ideoque cum incertitudine, ac gravi ſuſpicione de malitia operationis? S. vero Thomas tantum abeſt ut Probabiliſtis cit. art. faveat, quin potius apertiſſime Probabiliſmum oppugnat. Docet enim nec crimini ſe committere, nec peccare, qui ſe determinans ſecundum unam ex contrariis opinionibus, in nullam adducitur dubitationem circa ſui operis bonitatem, ideſt num opus illud conſonum ſit legi & conſcientiæ: quod fieri non poteſt, niſi in operando ex contrariis opinionibus eam eligat & ſequatur, quæ vera ſit, iuxta mentem ipſius S. Doctoris, quam talem eſſe ex eo probatur, quod verbis iſtis, quæ obiiciuntur: *Si ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem adducitur*, hæc alia præmittuntur: *Aut illa opinio non eſt vera, ſed magis contraria, quam iſte ſequitur; ita quod vere liceat plures habere præbendas*. Itaque privatio dubii de qua loquitur S. Doctor, non intelligitur de homine qui eligit opinionem falſam, ſed de eo tantum qui eligit veram. A culpa igitur non videtur immunis, qui operatur ſecundum opinionem minus probabilem relate ad probabiliorem: quia minus probabilis in tali reſpectu eſt minus vera, ac multum ſuſpecta de falſitate; ac proinde inducens operantem in dubitationem de eius honeſtate, ideſt circa eius convenientiam cum lege & conſcientia. Tandem ex S. Antonino nihil contra noſtrum aſſertum concluditur, quinimmo magis ex ipſo Sancto Patre firmatur. Nam primo eo loci loquitur de conſcientia ſcrupuloſa, quam ex levi prodeuntem motivo commonet eſſe deponendam, non de conſcientia gravi ac probabili innixa fundamento. Secundo, dum ad peccatum vitandum exigit, ut qui adhæret opinioni alicuius Doctoris, habeat rationes probabiles pro ipſa magis quam pro oppoſita, aperte damnat æque probabilem, aut minus probabilem ſtantem pro libertate relate ad probabiliorem. Tertio, has conditiones ad bonam conſcientiam requirit: ut qui tenet unam partem alicuius opinionis, habeat pro ſe notabiles Doctores; ut talis opinio non ſit contra auctoritatem expreſſam ſacræ Scripturæ, nec contra Eccleſiæ Catholicæ determinationem; & ut ex opinionum contrarietate dubium non oriatur.

Obiiciunt III. quaſdam Summorum Pontificum diſpenſationes, quas ſane ſæpius elargiti ſunt ſecundum opinionem minus probabilem. Alexander III. cap. *Si vir de cognat. ſpirit.* quærentibus, num coniuges, qui de ſacro fonte filium ſuum ſuſceperant, eſſent ſeparandi? reſpondit, licet generaliter conſtitutum eſſet ut deberent ſeparari, quoſdam tamen humanius ſentientes aliter ſtatuiſſe; ideoque ſibi videri, quod ſive ex ignorantia, ſive ex malitia hoc fecerint, non eſſent ab invicem ſeparandi. Opinionem igitur minus probabilem & minus tutam ſecutus eſt Alexander III. in caſus propoſiti deciſione. Rurſus Innocentius III. cap. *Litteras de reſtit. ſpoliat.* Gerardo Archiepiſcopo Bituricenſi interroganti quid agendum de muliere, quæ non expectato Eccleſiæ iudicio, receſſerat a marito, opponens impedimentum conſanguinitatis, & viri ſævitiam, recitatis oppoſitis ſententiis, & mediam eligens, ait: *Nos autem ad præſens nullam de prædictis ſententiis reprobamus, nec cuiquam illarum aliquod præiudicium ex noſtra reſponſione volumus generari*. Simile exemplum habetur ex Cœleſtino III. cap. *Fraternit. extra de frigid. & malefic.*

Reſp. quod tametſi aliquando Summi Pontifices videantur receſſiſſe a communiori ſui temporis ſententia, non tamen opinionem ſecuti ſunt minus probabilem, ſed longe probabiliorem, quam poſt diligentem veritatis inquiſitionem ex intrinſecis motivis talem reputarunt. Ita Alexander III. qui ideo definivit ſecundum opinionem libertati faventem; quia, attentis circumſtantiis & motivis, probabilior ipſi videbatur, ut conſtat ex ratione quam ſtatim ſubiicit: *Quia*, inquit, *ſi ex ignorantia id factum eſt, eos ignorantia excuſare videtur; ſi ex malitia, eis ſua fraus non debet patrocinari vel dolus*. Quare multi ex Canoniſtis ly *humanius* idem eſſe dicunt ac *æquius & rationabilius*. Innocentius III. præciſe relinquit duabus oppoſitis ſententiis ſuam probabilitatem ſpeculativam & abſolutam, quam habebant; nec vult eum damnare, qui alterutram putans eſſe probabiliorem prudenter eligit. Tertiam tamen ut probabiliorem ipſe elegit, quin aliarum veritatem aut falſitatem definiret. Præterea duæ priores ſententiæ, quas exponit, ſingulæ ſtant non pro liber-

tate, ſed pro lege, licet diverſa. Nam prima ſtat pro lege iuſtitiæ & iure mariti contra mulieris libertatem; altera vero pro lege vetante connubia inter conſanguineos. Cœleſtinus tandem non improbat iudicium Epiſcopi Antiſiodorenſis, qui morali certitudine detegens impotentiæ impedimentum, mulierem quamdam ſeiunxit a viro. Accidit poſtea ut huiuſmodi impedimentum nullum dignoſceretur: pronuntiavit Cœleſtinus, mulieris Matrimonium cum primo viro validum extitiſſe, adfirmans ſententiam Epiſcopi pro divortio latam fuiſſe per errorem probabilem. Error tamen hoc loci non dicitur proprie probabilis, cum non proceſſerit ex conſcientia opinativa, ſed innixus fuerit momentis olim moraliter certis, licet poſtmodum evanuerint. Quare nullius roboris ſunt argumenta a Probabiliſtis ex iure canonico petita.

Obiiciunt IV. argumenta plura a ratione deprompta. Non minus quam morales virtutes, fides neceſſaria eſt ad iuſte & chriſtiane vivendum, cum fides ſit radix & fundamentum moralis bonitatis, ſeu Chriſtianæ vitæ & ſanctitatis, iuxta illud ad Hebræos cap. 11. *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo*, & Ioan. cap. 3. *Qui non credit, iam iudicatus eſt*. Sed in iis quæ ad fidem pertinent, quando fervent inter auctores controverſiæ, liberum eſt ante ſanctæ Eccleſiæ determinationem alterutram partem, etiam minus probabilem, ſine periculo erroris amplecti; dummodo bona fide procedatur: nempe ſentiendo ipſam non damnari ut erroneam, & talibus niti fundamentis, quæ a temeritatis nota liberent ei aſſentientem. Sic propugnari poteſt a Theologis ſine ullo erroris periculo gratiæ efficacia a conſenſu, & ſufficientia attritionis ad gratiam in Sacramento recipiendam. Immo provide cautum eſt a Sancta Sede, ne Theologi ſimilia tradentes aliqua cenſura notentur. Igitur licitum quoque eſt ſequi in praxi opinionem minus probabilem.

Reſp. magnam eſſe diſparitatem inter ea quæ pertinent ad fidem, & ea quæ ad mores. Nam in primis reſpicitur ſola veritas, quæ pendet a convenientia noſtri conceptus cum obiecto fidei, prout nobis proponitur ab oraculis divinæ Scripturæ & Traditionis, & ab Eccleſiæ definitionibus, quæ ſunt regulæ ad rite, recteque credendum; ideoque principia fidei ſunt prorſus externa humanæ rationi. In iis vero quæ ad mores ſpectant, attenditur ſola bonitas, quæ dependet a conſonantia humani iudicii cum lege ſive naturali, ſive poſitiva. & cum conſcientia quæ cum lege naturali eſt humanæ rationi intrinſeca. Quare ſi per ſolam rationem non poteſt homo dignoſcere quid verum ſit in rebus fidei, ſed eruiri debet a divinis oraculis, & ab Eccleſiæ definitionibus; poteſt tamen ſolo rationis lumine percipere quid bonum ſit in rebus morum, quibus ratio ipſa eſt præcipua lex & regula. Quamobrem quamvis in rebus fidei ante Eccleſiæ definitionem, dum res controverſa eſt inter Theologos, liberum ſit, ſervatis prædictis conditionibus, ſine periculo erroris alterutram partem pro libito amplecti, eo vel maxime quod ut plurimum non maior ratio habeatur pro una parte quam pro altera: id tamen non licet in moralibus, præcipue quando ratio, quæ in his eſt regula, iudex, & lex, veroſimiliorem unam partem præſeferat quam alteram. Nam cum ratio non quærat & amet niſi veritatem; & prudentia in moralibus ad hanc ſimpliciter dirigat: nemo poteſt prudenter aliam partem relinquere, in qua magis effulget veritas, ut alteram amplectatur, in qua, cum minus veritas appareat, maior etiam erit falſitatis ſuſpicio.

Præterquamquod argumentum laborat in falſo ſuppoſito. Etenim propugnant quidem quamplurimi opiniones quæ aliis ſunt minus probabiles; ſed nullus Theologorum eas amplectitur, aliiſque tradit, niſi in quantum ſibi probabiliores videntur. Sic Mediſtæ gratiæ efficaciam propugnant a conſenſu, quia veroſimilius exiſtimant, quod gratia ab intrinſeco efficax libertatem evertat. Ita tenent alii tamquam probabilius attritionem ſufficere, quia iudicant hanc fuiſſe Concilii Tridentini mentem. Quare ſuſtinent aliqui Theologi opiniones, quæ ſunt minus probabiles pro aliorum mente, non in eorum iudicio, cum iſti ut probabiliores eas exiſtimare non immerito cenſeri poſſint.

Obiiciunt V. Lex non obligat, ac ideo relinquit hominem in ſua libertate agendi, quando non eſt ſufficienter promulgata, ſeu quando certum non eſt & evidens illam exiſtere. At quando in utramque partem dicceptatur, num aliquid licitum ſit, vel non; immo oſtenditur probabiliter licitum eſſe quod ut illicitum ab aliis proponitur: tunc merito cenſetur talem legem vere non extare vel non eſſe ſufficienter promulgatam. Igitur inculpate illud ſequi poſſumus quod bona fide probabiliter licitum putamus ac tutum; tametſi eius contrarium probabilius ac tutius videatur.

Reſp.

Reſp. neg. mai. Nam primo hoc includit nimis periculoſam laxitatem non ſolum contra leges poſitivas, ſed etiam contra legem naturalem; cum hæc ipſa quoad magnam ſui partem & innumeros caſus circa quos diſputant Doctores, evidenter non cognoſcatur. Secundo, ſequeretur licere ſequi opinionem minus tutam, quamdiu habet aliquam probabilitatem: quod proſcriptum fuit ab Innocentio XI. prop. 3. & repugnat cap. 44. *de ſent. excomm.* Nam tamdiu oppoſita tutior non eſt evidenter vera. Tertio, lex hoc ipſo quod probabilius ſit eam extare, eſt ſufficienter propoſita. Etenim tunc eius exiſtentia prudenter adfirmari poteſt, & nonniſi imprudenter negari, cum pars adfirmans legis exiſtentiam habeat motiva graviora.

Obiiciunt VI. In moralibus diſciplinis licitum eſt ſequi opinionem probabilem, quæ non ſolum non opponatur rationi evidenti, Scripturæ & Traditioni, ſed rationibus etiam ita gravibus nixa ſit, ideſt quæ tam prope ad veritatem accedat, ut licet non cogat ad aſſenſum, ſatisfaciat tamen viro prudenti & ſapienti; necnon ita ſolidis, ut nequeat eius falſitas demonſtrari. Huiuſmodi eſt opinio probabilis quæ a recentioribus Probabiliſtis defenditur. Igitur licitum eſt eam ſequi, etiam in concurſu alterius, ſive æque probabilis, ſive probabilioris.

Reſpond. in tali ſuppoſitione conc. mai. diſt. min. Huiuſcemodi eſt opinio probabilis, quæ pro libertate defenditur a recentioribus Probabiliſtis, abſolute ſumpta; con. min. in concurſu probabilioris, neg. min. & conſeq. Probabiliſtæ enim pro gravibus rationibus non intelligunt rationes quæ a parte rei & abſolute veræ ſunt; ſed ultro fatentur in opinione probabili falſitatem ſubeſſe poſſe. Hinc cum falſum nunquam veritate nitatur, licet hæ rationes tales ſint ut, ſumpta opinione probabili abſolute, a viris maturi iudicii veræ cenſeri poſſint: non tamen id eveniet, ſi opinio comparetur cum probabiliore, cuius rationes ſicut maiorem veritatis ſpeciem præſeferunt, ita ſtatim detegunt falſitatem rationum oppoſitæ opinionis; & ideo tunc veræ viris prudentibus videri nequeunt. Et eadem ratione evertitur etiam altera argumentationis pars: quod ſcilicet ſi opinio probabilis non opponatur Scripturæ, Traditioni, ac rationi evidenti, licite in regulam regendorum morum adſumitur. Nam cum Probabiliſtæ non intelligant opinionem probabilem realiter Scripturæ, Traditioni, ac rectæ rationi eſſe conformem; eo quia opinio probabilis, prout probabilis, falſa eſſe poſſit, & neceſſario hoc contingat in alterutra ex propoſitionibus probabilibus ſibi invicem contradictorie pugnantibus: hinc licet opinio probabilis abſolute ſumpta in mente operantis illis adverſa non appareat; (tametſi poſſit eſſe, & nonnunquam hiſce contraria ſit) non ita tamen poteſt apparere ſi opinio probabilis cum probabiliore comparetur, quæ gravioribus nititur momentis cum rationis, tum auctoritatis. Nam tunc illa quoad praxim adverſatur Scripturæ rectæque rationi, quarum una præcipit, dictat altera magnam prudentiam, necnon moralem ambæ exigunt certitudinem de bonitate actionis. Hæc autem certitudo non poteſt ſtare pro opinione minus probabili & minus tuta in concurſu tutioris & probabilioris. Quare merito negatur conſequentia, ideſt licitum eſſe in tali concurſu ſequi opinionem probabilem; eſto quod daretur, ac detur vir aliquis ſapiens, qui iudicaret & iudicet non eſſe contrariam Scripturæ, Traditioni, rectæque rationi: Alias excuſabiles eſſent in ſuis erroribus infideles & hæretici; cum eorum viri ſapientes proſcriptas opiniones ſuſtineant, ac aliis præferant, uti non adverſantes Scripturæ, Traditioni, ac rectæ rationi: immo iiſdem momentis ſuas illi propugnent. Hoc autem damnatum eſt ab Innocentio XI. propoſitione ſæpius a nobis memorata, quæ eſt ordine 3. *Generatim dum probabilitate, ſive intrinſeca, ſive extrinſeca quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confiſi aliquid agimus; ſemper prudenter agimus.*

Opponunt VII. Si abſolute licet ſequi opinionem probabilem gravibus ſuffultam momentis, licet eam ſequi etiam in concurſu probabilioris & tutioris. Nam iudicium æque prudens fit in primo ac in ſecundo caſu. Certe motivum grave quod ſemel eſt ſufficiens ad prudentem aſſenſum, debet ſemper cenſeri ſufficiens ad talem aſſenſum; Ideoque ſi opinio probabilis ex huiuſcemodi gravibus momentis abſolute ſumpta prudenter iudicetur ut vera; erit licitum eam ſequi, etiamſi illa ſit comparata cum probabiliori. Et ideo cum eædem eiuſdemque ponderis pro ipſa ſtent rationes; non erit imprudens cenſendus qui illam veram iudicaret, & in dirigendorum morum regulam eligeret. Eo enim ipſo quod una opinio ſit probabilior, non ſequitur quod opinio vere probabilis non ſit amplius vere probabilis. Et ſi probabilis poteſt eſſe falſa, probabilior quoque poteſt eſſe talis.

Reſp. neg. ant. Etiamſi iudicium æque

prudens ſit in primo ae in ſecundo caſu; ſicuti conſtabit ex reſponſione ad probationem, quæ pariter negatur. Nam motivum grave tunc eſt ſemper ſufficiens ad prudentem aſſenſum, quando tale ſit intrinſece & per ſe pro quocumque caſu; non vero quando ſufficiens ſir ad aſſenſum in aliquibus ſolummodo caſibus. Motivum vero præciſe grave non eſt motivum per ſe intrinſece ſufficiens pro quocumque caſu: alias ſufficeret etiam quando occurrat motivum evidens & certum pro parte oppoſita. Unde tametſi motivum grave ſufficiat ad prudenter aſſentiendum opinioni probabili abſolute ſumptæ, eo quia nulla appareat certitudo de opinionis dubio aut falſitate; non ſufficit tamen quando probabilis opinio concurrit cum oppoſita opinione probabiliore ac tutiore. Motiva enim graviora quæ ſtant pro probabiliore, eo ipſo quod hanc veroſimiliorem demonſtrant, elidunt gravitatem motivi cui innititur minus probabilis oppoſita, ac ſunt fundamentum gravius iudicandi eſſe falſam, iuxta legem contradictoriorum, quorum unum cum ſit verum, ſequitur alterum eſſe neceſſario falſum; quia contradictoria ſub iiſdem circumſtantiis non poſſunt ambo eſſe ſimul vera & ſimul falſa. Et revera ſi prudenter agit qui ſequitur opinionem vere probabilem, ideſt quam alii talem iudicant ob aliquam rationem quæ iiſdem gravis videtur; quælibet opinio probabilis, quantumvis tenui probabilitate, poterit prudenter teneri utpote quæ non deſinit eſſe vere probabilis, ſicuti non deſinit eſſe vere iuſtus qui habet iuſtitiam in gradu quantumvis remiſſo. Sed huiuſmodi illatio eſt falſa, ut conſtat ex dictis, & ex propoſitionibus 3. & 4. damnatis ab Innocentio XI. quas ſupra retulimus: hinc patet eam opinionem quam adverſarii probabilem dicunt, forte quidem eſſe probabilem reſpectu illorum quibus longe verior apparet: non autem reſpectu operantis qui eam longe minus veroſimilem iudicat. Nec obeſt quod aiunt, probabilitatem unius non deſtrui per maiorem alterius probabilitatem: Etenim hoc verum eſt in iis, in quibus poſitio unius non importat negationem alterius; ſicuti poſitio ſcientiæ maioris in Petro non importat negationem ſcientiæ in omni altero, ſed maior gradus ſcientiæ in Petro dicit in eodem ngationem minoris gradus eiuſdem ſcientiæ. Quare ex eo quod talis opinio ſit veroſimilior, ſequitur oppoſitam magis falſam iudicari quam veram; ideoque ipſam teneri non poſſe. Similiter nihil valet, quod etiam opinio quæ videtur probabilior, poſſit eſſe falſa: quia eo ipſo quod iudicatur ut probabilior, prudenter iudicatur eam eſſe veram; ſicut prudenter iudicatur eam quæ eſt oppoſita & minus probabilis, magis accedere ad falſitatem quam ad veritatem.

Opponunt VIII Poteſt quis prudenter iudicare licitum operari ſecundum opinionem minus certam ſeu probabilem, etiam dum concurrit cum probabiliore, quando etiam pro minus probabili ſtent momenta ita gravia, quæ moveant ad prudentem aſſenſum; quamvis momenta quæ militant pro probabiliore, fortiora ſint & validiora.

Reſpond. id ſolummodo verum eſſe quando duæ opiniones non ſunt inter ſe oppoſitæ; ita ut veritas unius non importet falſitatem alterius. Quare cum in hac hypotheſi duæ concurrant opiniones ita inter ſe adverſantes, ut veritas unius importet falſitatem alterius, cum una affirmet ut licitum quod altera impugnat ut veroſimilius illicitum: hinc conſtitutus inter duas huiuſcemodi opiniones ſic invicem oppoſitas prudenter iudicare non poteſt licitum eſſe operari ſecundum opinionem probabilem ſeu minus certam in concurſu probabilioris, quæ ob momenta graviora momentis quæ ſtant pro minus probabili, eſt magis certa. Non enim prudentiæ eſt certis incerta præponere, præcipue in negotio æternæ ſalutis; idcirco prudentiæ non eſt, dum agitur de chriſtiana alicuius actionis honeſtate ſeu bonitate a qua pendet æterna ſalus, minus probabilem opinionem eligere & ſequi relicta probabiliore: Etenim omne iudicium falſum ac æternæ veritati oppoſitum imprudentia eſt, cum vera chriſtianaque prudentia nihil aliud ſit, quam *rectum de rebus agendis iudicium ex æternæ iuſtitiæ luce derivatum*. Et plane imprudens eſt qui ex varietate probabilium ſententiarum & Scriptorum ſupra illis & diſſenſione, cernens ex una parte clarius & probabilius affulgere veritatem, vel in nullam dubitationem adducitur, vel dubitatione iactatus minus probabilem amplectitur. Quis enim hunc non ſolum imprudentiæ, ſed etiam ſtuporis & inſaniæ non damnet? Nam quis, amabo, affirmantibus aliis aliquam eſcam veneno infectam, aliis negantibus, ſpreta id probabilius aſſerentium opinione, minus probabiliter negantium ſententiam ſequetur, eamque eſcam quaſi ſinceram & innoxiam aſſumet? Præterquamquod quomodonam momenta quæ ſtant pro ſententia minus probabili, gravia dici poſſunt, quando, ut iam patet ex dictis, non

ſo-

ſolum ſunt incerta quia controverſa, ſed etiam falſa aut ſaltem dubia?

Opponunt IX. Sententia affirmans quod liceat ſequi opinionem minus probabilem, etiam relictæ ad probabiliorem, habet fundamentum moraliter certum. Ergo qui ſecundum eam operatur, habet moralem certitudinem de actionis honeſtate; ſicuti ad licite operandum requiritur. Tunc autem ſententia habet fundamentum moraliter certum, quando non conſtet eam proſcriptam eſſe ac reiectam a ſancta Sede, & permulti docti ac probatæ vitæ Theologi eam propugnent & doceant. At talis eſt ſententia de opinione probabili relate ad probabiliorem: Illa enim nunquam ab Eccleſia proſcripta fuit, & traditur ab omnibus ferme Theologis ſæculi proxime elapſi. Cur ergo illam ſequi inculpate non poſſumus?

Reſp. neg. ant. ad cuius probationem dico falſum eſſe opinionem cenſendam eſſe probabilem, quando non conſtet proſcriptam ac reiectam eſſe a ſancta Sede; ut declaratum fuit ab Alexandro Papa VII. in propoſitione notata num. 27. *Si liber ſit alicuius iunioris moderni, debet opinio cenſeri probabilis, dum non conſtat reiectam eſſe a Sede apoſtolica tamquam improbabilem*. Numerus vero, doctrina, & pietas Doctorum magnam quidem præbent opinioni auctoritatem, ideoque habetur fundamentum moraliter certum, quod licitum ſit ſecundum talem opinionem operari: dummodo tamen non repugnent alii numero, doctrina, ac pietate percelebres viri, & hoc agenti compertum ſit. Nam cum hic non poſſit in tali contrarietate opinionum iudicare illorum iudicium libratum & firmum; non habet moralem certitudinem de actionis honeſtate; ac proinde prudenter & tuta conſcientia cum tali incerta regula operari nequit. Quare nullum iam habent Probabiliſtæ fundamentum moraliter certum pro eorum ſententia; cum iam conſtet reiectam eſſe ab Innocentio XI. in propoſitione num. 3. in qua habetur, licere ſequi opinionem tenui probabilitati innixam. Tenuiter vero probabilis eſt opinio, quando magis probabilis eam oppugnat. Idcirco quamvis opinio probabilis quorumdam Recentiorum non ſit expreſſe damnata, ex alia damnata reiici ac repudiari debet. Quod enim ex falſo directe ſequitur, falſum merito reputatur. Licet vero Eccleſia ſuo ſilentio viam nobis relinquat ad inquirendam ſine pacis læſione veritatem; hoc tamen ſilentium non eſt dirigendorum morum exacta regula: alias opinio alicuius iunioris habenda erit probabilis, dum non conſtet eam a Sede Apoſtolica eſſe reiectam tamquam improbabilem; quod eſt ab Alexandro VII. propoſitione 27. damnatum.

Verum quidem eſt, a plurimis Scriptoribus ſæculi proxime elapſi, & a viris doctrina etiam ac morum probitate conſpicuis doceri Probabiliſmum. Sed cum opinio non æſtimanda ſit numero opinantium ſed pondere auctoritatis (ut inquit Navarrus in *Enchir.* cap. 27.) hinc parum confert ad opinionis validitatem, quod plurimi ſcriptores, licet doctrina ac pietate inſignes, hanc tenuerint ac teneant; quando alii permulti æque docti ac pii gravioribus ducti momentis contrarium ſenſere ac ſentiunt. Nam Doctores qui ſæculum elapſum præceſſere, necnon multi ex inſignioribus eiuſdem elapſi ſæculi, & fere omnes currentis ſteterunt & ſtant pro opinione probabiliori, quæ ſicuti antea, nunc pariter habetur ut communior ſententia.

Quamplurimi quidem quos pro ſe obiiciunt Probabiliſtæ, ſecuti ſunt permultas opiniones probabiles, non quia tamen eum eis ſentirent, licitum eſſe ſequi opinionem minus probabilem & minus tutam; ſed quia poſt diligentem veritatis inquiſitionem ex vi rationum illæ probabiliores ipſis videbantur. Probabilitas porro extrinſeca petita ab auctoritate plurimorum qui Probabiliſmum ſecuti ſunt, non plus valere debet apud eos qui per ſe veritatem exquirere tenentur, quam valeat pondus rationum quibus propugnatur Probabiliſmus: quæ profecto rationes nunquam moralem certitudinem fundare poſſunt. Quare ſicut ille imprudenter agit, qui in agendo ſequitur iudicium multorum graviumque virorum, quos aliunde evidenter cognoſcit errare; ita qui in agendo ſequitur ſententiam multorum graviumque virorum, quos mature omnibus conſideratis veroſimilius eſt errare, imprudenter ſe gerit ac errandi periculo ſe exponit. Nam ſi in primo caſu ageret cum conſcientia manifeſte falſa & erronea; ageret in ſecundo quoque ſine illa morali certitudine, quæ ad licite & tute operandum, ac periculum peccati vitandum requiritur.

Urgent. Hæc moralis certitudo honeſtatis, ſaltem de quamplurimis humanis actionibus, in praxi eſt impoſſibilis. Nam ubi non habetur expreſſa Eccleſiæ definitio, quæ ſane in ſingulis actionibus, propter novas quæ identidem occurrunt circumſtantias, haberi nequit; perraro vix unquam Theologi Morales conveniunt. Quare in tanta opinionum varietate ne-

neceſſe eſt ut hæc ſtatuatur regula : nempe opinionem probabilem eſſe practice certam. Et eo vel maxime, quod in problematicis licitum ſit quamlibet eligere opinionem, dummodo ſit vere probabilis, ac graviorum Theologorum auctoritate ſuffulta. Ut autem habeatur opinio moraliter certa, oppoſita debet apparere falſa, vel ſaltem non probabilis. Sed in tanta opinionum oppoſitione quæ ſemper in moralibus occurrit, veritas a falſitate, probabilitas ab improbabilitate difficillime ſecerni poteſt ab eruditis : nullatenus ab indoctis, mulierculis, idiotis, qui conſilio & auctoritate doctorum, Paſtoris præcipue & Confeſſarii nituntur, unde dignoſcere nequeunt quis ſit doctior, qui in auctoritate ſit alteri præferendus ; cum docti quoque ac pii homines nonnunquam opiniones ſequantur laxas ac minus probabiles. Igitur ubi nulla habetur Eccleſiæ definitio, in rebus practicis nulla poteſt eſſe certitudo : idcirco in tali caſu prudenter teneri poteſt opinio quæ nulli Eccleſiæ opponitur determinationi, ſive ſit magis, ſive minus probabilis.

Reſp. diſt. ant. in aliquibus, ideſt in rudibus & imperitis, concedo : univerſaliter loquendo, nego. Enimvero rudes, qui in morali diſciplina rationes inveſtigare, earumque vim perpendere neſciunt, nec doctorum meritum valent diſcernere, ut ipſis pateat quis doctior habeatur, quis auctoritate ſit alteri præferendus ; non aliam profecto moralem certitudinem habere poſſunt, niſi eam, quam percipere queunt ex iudicio & æſtimatione doctrinæ, & probitatis ſui Paſtoris & Confeſſarii, quorum conſilio & auctoritate nituntur ; ita ut quando ſecundum eorum captum & prudentiam diſcrete, & probabiliter exiſtimant Paſtorem & Confeſſarium doctos eſſe ac probos ; ad eorum inſtructionem & exhortationem poſſunt conſcientiam moraliter certam induere. Sic etiam P. Berti, quidquid in contrarium ſentiat Habert. Hinc huiuſcemodi homines, præcipue quando conſcientia ipſorum animum non pulſet, nec dubitare quidem valeant quod Paſtor aut Confeſſarius in ſuis exhortationibus & conſiliis viam Dei in veritate non doceant, tuta conſcientia eorum iudicio acquieſcere poſſunt. Quare ſi diſcant aliquid vetitum eſſe, ab eo abſtinere debent ; ſin autem audiant aliquid eſſe licitum, illud ſine ſcrupulo facere poſſunt. Neque hic valeret illatio, quæ opponi poſſet ab hæreticis & infidelibus ; nempe quod ſi hoc verum eſſet, ipſi quoque ob eamdem rationem eſſent in ſuis erroribus excuſabiles. Vox enim Catholicæ veritatis ubique terrarum reſonat, & per Fideles ubique diſperſos, & per miniſtros qui a zelo Romanæ Eccleſiæ ad loca etiam remotiora quotidie mittuntur, ita ut vix ullus inveniri iam poſſit, ad cuius aures aliquantulum ſaltem hic rumor non pervenerit, ut de ſua ſecta dubium aliquod concipere non valeat. Hoc tamen dici nequit de controverſiis inter Theologos circa moralia, quæ non ita vulgantur, ut ignaris etiam & mulierculis innoteſcere queant. Idcirco nullum adeſt fundamentum, ut ſuſpicio iis ingeratur de veritate doctrinæ Confeſſarii ac Paſtoris : & eo vel maxime, quod cum res ſe habeat apud miniſtros eiuſdem religionis, ac ad eiuſdem miniſteria a legitimis Superioribus deſignatos, quando in eorum moribus non ſe reddant ſuſpectos, rationabiliter de illarum exhortationum veritate bene opinari poſſunt. Illi vero qui eruditi ſunt ac ſufficienter inſtructi, moralem adipiſci poſſunt certitudinem de honeſtate ſuarum actionum, (tametſi maxima ſit inter doctores opinionum varietas, nec expreſſa habeatur Eccleſiæ definitio) ſi pura mente & ſimplici ac ſincero corde verum practicum inquirant : *Doctrina prudentum facilis* (ideſt inventu facilis) ait Sapiens Proverb. cap. 14 Nam etſi ex oppoſitis ſententiis etiam eruditi determinare nequeant, quæ ſit ſpeculative vera ; evidenter tamen concludent, alteram eſſe in praxi certam & eligendam ob aliquam rationem qua diluitur dubium ſpeculativum, ut clare exemplis conſtabit. Sit v. g. opinio probabiliter affirmans hunc contractum eſſe licitum ; attritionem ſine initio dilectionis ſufficere in Sacramento Pœnitentiæ : Nemo certe non videt, opiniones illas affirmantes, quantumvis ſupponantur probabiles, in praxi periculoſas eſſe ; ac proinde reiiciendas. Ex oppoſito vero opiniones negantes practice certiſſimas ac tutiſſimas eſſe ; & idco ampleſtendas.

Alias quoque addunt oppoſitiones, queis aſſertionem noſtram labefactare conantur. Nam aſſerunt licitum eſſe ſequi opinionem minus probabilem, quando ſit ſolummodo periculum turpitudinis, non vero irreverentiæ erga ſacra, vel damni ac iniuriæ in proximum. Quia in primo caſu, quando, aiunt, non opponatur teſtimonium divinarum Scripturarum vel Eccleſiæ determinatio, & res ſit controverſa inter doctores ; ſicuti in materia Fidei, ita in rebus morum liberum eſt utramlibet partem ex oppoſitis am-

amplecti. Ex oppoſito non licet in ſecundo; nempe quando adſit periculum irreverentiæ erga ſacra, vel damni ac iniuriæ in proximum: quia hoc non pendet ex probabilitate opinionis, ſed ex facto, de quo eſt opinio, quod habet de natura ſua illa afferre. Idcirco nec miniſter Sacramentorum, nec medicus, nec iudex, nec advocatus poſſunt operari ſecundum opinionem minus probabilem, ſe probabiliorem in huiuſmodi officiis ſequi debent.

Sed nihil omnino ipſis ſuffragatur talis diſtinctio. Nam, ſicuti alias iam dictum eſt, licet in rebus Fidei, ubi nullum opponatur teſtimonium divinarum Scripturarum vel Traditionis, nec ulla Eccleſiæ determinatio, (ut conveniunt Theologi) liberum ſit utramlibet partem ſequi ſine periculo erroris; id tamen non licet in moralibus. In illis enim divinæ tantum revelationi, aut Eccleſiæ determinationi ſtandum eſt. In moralibus vero præter divinam revelationem & Eccleſiæ determinationem attendendæ ſunt leges divinæ & humanæ, necnon recta ratio humanarum operationum directrix: earum enim moralis bonitas vel malitia præcipue oritur ab earumdem convenientia vel diſconvenientia cum recta ratione & lege. Unde ſi non licet operari contra conſcientiam dictantem ut probabilius ineſſe in tali operatione periculum vel irreverentiæ erga Sacra & divina, vel damni & iniuriæ in proximum: quomodo non erit æque illicitum operari, quando dictat ut probabilius ineſſe periculum turpitudinis in tali actione; & proinde periculum gratiæ perennisque felicitatis amittendæ? Et eo vel maxime, ſi controverſia verſetur circa ea quæ ſunt iuris naturalis: quia cum huiuſmodi contrariarum opinionum conflictus dubium ſaltem ingerat, locum non habet effugium ignorantiæ invincibilis, quæ ſupponi ſolummodo poteſt circa ea, de quibus ratio nihil prorſus advertit.

Dixi; *ſi controverſia verſetur circa ea, quæ ſunt iuris naturalis*. Nam ſi verſetur circa legem humanam quæ obſcura ſit, nec ſecundum communem Theologorum ſententiam conſtet de mente legiſlatoris, liberum & tutum eſt in conſcientia amplecti alterutram ex oppoſitis opinionibus: quia per uſum contrarium præſcribitur contra legem humanam; & præſumitur legiſlator ſilentio ſuo conſentire in oppoſitas legis ſuæ interpretationes. Obligat v. g. Eccleſia omnes factis robuſtæ ætatis ad ieiunium; & ſingulos uſurarii hæredes compellit ad reſtitutionem: at non ſtatuit tempus quo ætas illa ſatis robuſta incipiat; nec explicat num ſinguli hæredes in ſolidum teneantur. Quare varias in partes ſcinduntur Theologi, ut nullam ex his oppoſitis ſententiis falſam iudicent & improbabilem, conſentiantque, in praxi quamlibet eligi poſſe: nempe nec iuvenes ante vigeſimum primum ætatis annum ad ieiunium teneri, nec uſurarii hæredes in ſolidum ad reſtitutionem obſtringi. Ita Habertus.

§. XII.

De non ſequenda una opinione probabili in concurſu alterius æque probabilis, ſed tutiore tenenda.

Facile ex dictis colligi poteſt, quod ſi duæ occurrant contrariæ opiniones æque probabiles, illicitum ſit amplecti opinionem libertati faventem, relicta altera æque probabili ſtante pro præcepto, ut expreſſe habetur in iure canonico, ubi ſæpe Summi Pontifices in ſuis deciſionibus veluti regulam tradidere, quam etiam ipſa naturalis ratio dictat, nempe quod in dubiis ubi agitur de morali honeſtate quiſque pro ſecuriori parte debeat ſe determinare, ut habetur cap. 5. *de Cleric. excommunic. In dubiis tutior pars eſt eligenda*; ſic cap. 3. *de ſponſal. Quia igitur in iis quæ dubia ſunt quod certius exiſtimamus, tenere debemus*; & cap. *de homicid. Cum in dubiis ſemitam debeamus eligere tutiorem*. Igitur quando duæ concurrant oppoſitæ opiniones æque probabiles, tutiorem, ſeu eam quæ nos magis removet a peccato ſequi debemus: alias nos exponeremus manifeſto periculo agendi contra legem, & peccandi. Nam cum in tali caſu æqualia utrimque momenta occurrant, ita ut non ſit maior ratio iudicandi unam opinionem potius veram quam alteram, verſamur in dubio, ac exinde ſtandum eſt irrefragabili regulæ tutioris partis eligendæ. In concurſu enim duarum adverſantium opinionum æque probabilium, cum æqualiter urgeat momentorum vis, ac ideo æqualis habeatur incertitudo, non ſecus ac lanx quæ ab æquali pondere preſſa ita ſuſpenſa ſiſtit, ut in neutram partem inclinet, intellectus pariter ſuſpenſus hæret inter has duas opiniones in ſuis iudiciis, ut pro neutra poſſit ſe determinare; idcirco vere & proprie eſt dubius; cum dubium iuxta D. Thomam quæſt. 14. *de veritat.* art. 1. aliud non ſit, niſi ſuſpenſio mentis in ſuis iudiciis circa duas contrarias partes vel ob rationum moventium defectum, vel propter apparentem æqua-

Digitized by Google

æqualitatem rationum æqualiter ad utramque partem moventium: *Quandoque intellectus noſter* (ait S. Doctor) *non inclinatur magis ad unum quam ad aliud, vel propter defectum moventium, ſicut in illis problematibus, de quibus rationem non habemus, vel propter apparentem æqualitatem eorum, quæ movent ad utramque partem, & iſta eſt dubitantis diſpoſitio, qui fluctuat inter duas partes contradictionis*. Dubius ſane in huiuſmodi circumſtantiis manet intellectus, donec aliud non conſtet, ac ideo nequit prudenter ſe determinare ad agendum; quia nequidem ex voluntatis imperio aſſentiri poteſt uni parti magis quam alteri, quando una pars verior non ſit, aut talis ſaltem appareat quam altera. Nam intellectus non aliam habet rationem quæ eum movere valeat ad aſſenſum, quam veritatem, quæ ſaltem apparenter eidem effulgeat. Quare dum intellectui obiiciuntur duæ oppoſitæ opiniones æque probabiles, quarum una verior altera non appareat, ut iam per ſe patet, neceſſe eſt quod in tali concurſu ipſe maneat dubius; quia cum in tali obſcuritate ac ambiguitate non habeat ſufficiens fundamentum iudicandi unam partem veram potius quam alteram, nequit prudens efformare iudicium quod talis actio licita ſit, eo quia nulla extet lex quæ illam vetet. Hinc in huiuſcemodi circumſtantiis conſtitutus ſi agere velit aut debeat, ne periculo peccandi ſe exponat, ſtare debet dubiorum regulæ, tutiorem partem eligendo. Et revera peccandi periculo ſe exponit qui, dum verſatur inter duas oppoſitas opiniones æque probabiles, quando nulla ei præfulgeat ratio qua induci poſſit ad prudenter iudicandum unam præ altera veram eſſe ſeu licitam, cum tali ambiguitate operatur. Etenim cum nullam habeat perſuaſionem de veritate partis quam eligit, in operando agit quod non eſt ex fide; ideoque iuxta regulam Apoſtoli ad Roman. 14. alias allatam, agit *quod peccatum eſt*. Nam qui operatur cum rationibus, quæ non minus perſuadent actionem talem eſſe malam & peccatum, quam non malam, cum tali diſpoſitione animi operatur, ut operari velit, etiamſi talis actio forte eſſet peccatum. Unde neſcio quis negare poſſit, imo nequidem dubitare, cum huiuſcemodi diſpoſitione agentem non ſe exponere manifeſto peccandi periculo?

Confirmatur: peccandi periculo ſe exponit ac peccat qui agit ſecundum opinionem, quæ ex ſuis momentis non præſefert illam moralem certitudinem, quæ ſaltem ſufficiat ad non peccandum. Quare cum eiuſmodi conditionis ſit opinio probabilis minus tuta ſtans pro libertate, dum concurrit cum æque probabili tutiore ſtante pro præcepto; qui ſecundum illam operatur, procul dubio peccandi periculo ſe exponit ac peccat: Quia cum motiva opinionis minus tutæ ſtantis pro libertate, non ſolum non ſint maiora nec maioris roboris, quam motiva opinionis oppoſitæ, ſed etiam a motivis oppoſitis eliduntur, ita ut quantum motiva eiuſdem opinionis inclinant ad aſſentiendum, æqualiter motiva æque gravia opinionis oppoſitæ vim faciant ad non aſſentiendum; nihil tunc habet mens, quo cum prudentia & firmitate poſſit ſe ad aſſenſum determinare, niſi certa incertis præponat. Igitur qui agit cum tali opinione, periculo peccandi ſe exponit, ac reipſa peccat. Et hoc conſtat etiam ex D. Auguſtino *in lib. 1. de Baptiſ.* cap. 3. Etenim cum ibi diſputaret cum Donatiſta, qui certus iam erat baptiſmum recte ſuſcipi in Eccleſia Catholica, dubius tamen an recte vel non ſuſciperetur in parte Donati, ita eum perſtringit: *Etiamſi dubitum haberet*, (Donatiſta) *non illic* (hoc eſt in parte Donati) *recte accipi quod in Catholica recte accipi certum haberet; peccaret in rebus ad ſalutem animæ pertinentibus, vel eo ſolo, quod certis incerta præponeret . . . Quis enim dubitet* (ait paulo poſt) *certum eſſe peccatum, non ibi potius accipere, ubi certum eſt non eſſe peccatum?* Idem S. Auguſtini principium amplexus eſt S. Thomas rum in 4. diſt. 21. quæſt. 2. art. 3. ad 3. tum Quodlib. 8. quæſt. 6. art. 3. ubi de Clerico plures præbendas quærente, in dubio an hoc licitum ſit, pronuntiat, eum procul dubio peccare; *quia periculo ſe committit . . . utpote magis amans beneficium temporale, quam propriam ſalutem*: Patet igitur eum peccare. Eamdem regulam quamplurimi etiam celeberrimi Theologi & vitæ ſpiritualis magiſtri tamquam tutiſſimam certiſſimamque regulam ſecuti ſunt.

Incerta certis ſane præfert qui partem tutiorem deſerens, quæ prout ſtat pro præcepto certo removet a peccato, & ab eius periculo, ac ideo ad ſalutem conducit, ſequitur partem minus tutam, quæ prout ſtat pro libertate, & contra præceptum, valde incerta eſt de ſua honeſtate, ac ideo neceſſario includit peccandi periculum. Nam qui in agendo libere relinquit partem ſtantem pro præcepto, ut partem ſequatur, quæ ſtat contra præceptum, hic mandato Dei, ac propriæ rationis dictamini, quæ vera ſunt cer-

certiſſimaque regula ac ſtatera quibus uti debemus ad vitam noſtram inſtituendam, præſert hominum opiniones, quæ ita incertæ ſunt, ac periculoſæ, ut Pſalm. 61. v. 10. mendacia appellentur: *Mendaces filii hominum in ſtateris*. Quis igitur non videt evidentiſſime, nequidem ſuſpicari poſſe, quod ita operans aperto non ſe exponat peccandi periculo, ac ideo peccet? iuxta ſacræ Scripturæ alias laudatum textum Eccleſ. 3. *Qui amat periculum, peribit in illo*.

Diluuntur obiecta.

Obiiciunt I. Probabiliſtæ, regulam in Iure canonico a Summis Pontificibus traditam, ideſt in dubiis tutiorem partem eſſe ſequendam, nullum hic locum habere. Hoc enim, inquiunt, Summi Pontifices ſtatuunt in rebus dubiis, de quibus conſulti fuerant, quæ cum periculum haberent, & urgeret operandi neceſſitas, ac proinde alterutram partem eligendi; ut ipſa etiam naturalis prudentia ac ratio dictat, minus periculoſam & ſecuriorem eligendam præſcripſerunt. Nihil igitur valet prædictum axioma in opinionibus, quæ, præcipue quando vere ſunt probabiles, licet oppoſitæ, ac ſimul concurrant, non ſunt dubiæ, nec periculoſæ. Non dubiæ; quia in opinionibus alterutri parti aſſentimur: non periculoſæ; quia utraque eſt tuta; cum tutum ſit ſequi opinionem virorum prudentum exiſtimationi conformem.

Reſp. hoc argumentum laborare in falſo ſuppoſito, videlicet intellectum in concurſu duarum oppoſitarum opinionum æque probabilium, non obſtante tali æquilibrio, non eſſe ſuſpenſum & dubium in ſuo iudicio: quod quam falſum ſit nemo non videt. Dubium proprie tunc eſt, quando vel neutræ parti ulla eſt ratio nec pro veritate, nec pro falſitate, ut iam notatum eſt, & tunc dubium dicitur negativum; aut quando pro utraque parte militant æquales rationes, & æque graves; ita ut cum non ſit maior ratio, cur intellectus iudicet potius veram, vel falſam unam partem, quam alteram, hinc & inde æquali premitur pondere, ut ſuſpenſus remanere debeat in ſuo iudicio, & indeterminatus inter veritatem, & falſitatem pro utraque parte; & hoc eſt dubium poſitivum. Cum autem in concurſu duarum opinionum æque probabilium fieri queat, ut in neutra parte contradictionis dignoſcatur maior convenientia prædicati cum ſubiecto; eo quia hæc apparere non valeat ubi æqualis occurrit veriſimilitudo, ubi æqualia momentorum pondera animum premunt; hinc cum in tali caſu non maior ratio appareat, cur intellectus iudicet unam opinionem veram eſſe potius quam alteram; tantum abeſt ut alterutri opinioni aſſentiatur, quin anceps hæret & dubius veritatem inter & falſitatem: ita ut ſi quis ab eo qui a tali conflictu premitur, inquireret, quænam ex illis duabus opinionibus ſit vera? quando mentiri nollet, procul dubio ſe hoc ignorare reſponderet. Cum tali igitur incertitudine quomodo ſine periculo una vel altera pars, & eo minus quæ eſt contra præceptum & minus tuta, & magis ſuſpecta de eius honeſtate eligi poteſt? Quomodo ut tutam quis ſequi hanc poſſet, licet non deeſſent Doctores graves qui hoc docerent? Nam iuxta monitum D. Baſilii, regula, qua ad vitam inſtituendam uti debemus, eſt liberum arbitrium ratione directum, non hominum opiniones de quibus ſcriptum eſt: *Mendaces filii hominum in ſtateris*. Et S. Ioannes Chryſoſtomus homil. 13. in 2. epiſt. ad Corinth. inquit, res ipſas inquirendas eſſe, non ſtandum multorum opinionibus, allato aptiſſimo apertiſſimoque exemplo eorum, qui pecunias enumerandas ſe ipſis exactiſſime ſupputant, nec tam facile aliis credunt. Unde quando ex rebus ipſis non habetur aliqua ratio ex qua una opinio appareat magis, vel minus veroſimilis oppoſita, non ſatis eſt Doctorum auctoritas, ut hoc ſolo fundamento dubium ſolvamus, & utramvis tamquam tutam ſequi valeamus.

Obiiciunt II. Et eſt ipſorum achilles, ac veluti fundamentalis machina, qua totum eorum de probabilitate dogma nititur; videlicet regulam quam in Canone poſuerunt Pontifices, de ſequenda in dubiis tutiore parte, valere in dubiis practicis, non vero in ſpeculativis. Quare cum intellectus conſtitutus inter duas oppoſitas opiniones æque probabiles ſit dubius ſpeculative, & non practice, & quia ad unam partem ſeipſum determinat, & quia certitudinem ſibi conciliat per actum reflexum ad dogma de opinione probabili, nempe *licitum eſſe ſequi opinionem certo probabilem practice*, ab omni dubio ſe expedit & cum ſolo dubio remanet ſpeculativo, quod ei non obſtat, ut in praxi licite operetur. Dubitet quis v. g. an contractus iſte licitus ſit: eo ipſo quod reflectit ad doctrinam de opinione probabili, ideſt quando certus ſit probabiliter licitum eſſe eam ſequi, omni dubio in praxi ſe extricat, & certo iudicat, contractum, quamvis ſpeculative dubium, in praxi licitum eſſe.

Reſp.

Reſp. ad primum, quod iudicium practicum, ut omnes conveniunt, ſpeculativi dictum ſequatur, ita ut ſi iudicium ſpeculativum ſit dubium, dubium ſit etiam practicum. Hinc evidenter patet contra Probabiliſtas falſum eſſe, quod intellectus dubius ſpeculative non ſit dubius ſimul & practice. Quare non poteſt quiſpiam in ſpeculatione hæſitans ſe ipſum ad agendum determinare, niſi aut præcipiti imprudentia, aut fluctuantis animi tergiverſatione id in praxi eligendo, quod ob tale dubium in mentis contemplatione nullam habet firmitatem; niſi forſan nova accedant fundamenta, & obiecti circumſtantiæ immutentur. Cum enim maior convenientia prædicati cum ſubiecto in una parte contradictionis quam in altera tunc dignoſcatur; exuere poteſt præconceptam dubitationem, ac proinde iudicium practicum certum ac firmum efformare. Quod ſi nihil novi menti ſuperveniat, nec in obiecto ulla circumſtantia immutetur; intellectus remanet dubius ſpeculative, atque adeo etiam practice: cum ex dubio ſpeculativo ſeu univerſali ſemper reſultet dubium practicum circa actionem particularem hic & nunc exercendam. Nam cum propoſitio univerſalis omnes particulares contineat, ac per illas verificetur; idem eſt dubitare an aliquis contractus in genere ſit illicitus, ac dubitare an hic & nunc ille contractus particularis eiuſdem ſpecificæ rationis & qualitatis ſit illicitus. Sic v. g. dubitare an die feſto liceat pingere ſine neceſſitate, idem eſt ac dubitare, an Titio, Euſebio &c. liceat hoc die feſto pingere ſine neceſſitate. Falſum eſt ſecundo, quod intellectus ſpeculative dubius de bonitate, ſeu malitia actionis hic & nunc ponendæ, in praxi expediatur a dubio, & fiat practice certus per ſolam voluntatis determinationem ad unam potius partem contradictionis quam ad aliam, ſcilicet per ſimplicem liberam electionem unius partis præ alia, ſeu per iudicium mentis reflexum, ideſt per reflexionem ad dogma de opinione probabili, hoc eſt licere ſequi opinionem certo probabilem. Etenim primo illa determinatio & electio mentis, cum non minuat pondus rationum, propter quas intellectus eſt ſpeculative dubius; hinc in praxi præciſe ex tali determinatione & electione non fit liber a dubio, ac ideo certus de bonitate ſui actus in tali electione, aut determinatione pro una parte contradictionis potius, quam pro altera. Quoad reflexiones vero, ſeu quoad iudicium mentis reflexum, quo mens reflectit, & iudicat licere ſequi opinionem certo probabilem, quam incertum ſit hoc principium, & periculoſum, falſitati, & abſurdis obnoxium, ſi ſolum animo ad illud attendat, facile, ac evidenter quiſque deprehendere poteſt. Nam dum inquiunt adverſarii; quod habeatur conſcientiæ certitudo per tale iudicium reflexum, incertitudinem aſtruunt, ac fulciunt; immo ſupponunt certum id, quod eſt probandum, & ſtatuunt pro principio id, quod eſt quæſtione, ideoque in ſuis reſponſionibus principium petunt. Enimvero donec eadem perſiſtunt motiva ob quæ animus fluctuans ſiſtit, & dubius eſt circa actionis honeſtatem, ſcilicet an honeſta ſit, vel turpis; unde, quæſo, iudicium reflexum percipere poterit moralem certitudinem de honeſtate illius actionis, de qua iudicium ſpeculativum, ex quo dubium oritur practicum, eſt anceps, & incertum? Non ſane ex æquali probabilitate honeſtatis vel inhoneſtatis actionis: ex quo cenſeatur animus hærere non in dubiis, ſed in opinionibus, quarum utraque licita iudicatur. Nam dum putamus utramque opinionem æque probabilem, profecto perſuaſum nobis eſt, utramque æqualibus niti momentis. Et cum tali perſuaſione, quæ ſuſpenſionem parit iudicii, & dubium, quomodo deponere poſſumus dubitationem, & efformare iudicium practice certum, ac ideo aptum ad componendos mores dirigendoſve? Certe hoc non poſſumus ſine imprudenti deliberatione, ideſt niſi ducti a cæco ac præcipiti inferiorum affectuum impulſu, non autem a rationabili mentis dictamine; cum æquale rationum, ac momentorum pondus ex utraque parte nos premat.

Item non poteſt iudicium reflexum in concurſu illarum inter ſe pugnantium opinionum exuere animum noſtrum præconcepta hæſitatione, & nos moraliter certos reddere excludendo, aut ſuſpendendo iudicium de obiecti inhoneſtate, ut in una opinione animus firmetur nihil de altera curando; & eſt altera via, quæ ad iudicium practice certum comparandum excogitari poteſt: Quia, ut ad evidentiam patet, hoc ſine maxima imprudentia ſimulque improbitate fieri nequit. Hæc enim iudicii ſuſpenſio coniunctam habet voluntariam ignorantiam, & affectatam; quoniam qui ita agit contemnens etiam obvias rationes, quæ peccandi pericula aperiunt, profecto non vult intelligere ut bene agat, atque ait Domino ſtimulos conſcientiæ excitanti, ſicuti legitur Iob 26. ab aliis dictum: *Recede a nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus*. Tandem ſi ad conſcien-

ſcientiæ certitudinem ſufficiat actus reflexus, quo iudicet mens, licere ſequi opinionem probabilem, nunquam continget aliquem traſgredi illam regulam iuris, quia quiſque, qui actu operatur, ſe determinat iudicio practico ad opus. Quare dummodo actu reflexo dicat ſibi licitum eſſe eligere quod lubet etiam præexiſtente dubio ſpeculativo, bonam certamque induet conſcientiam.

Obiiciunt III. Allata regula de parte tutiore in dubiis eligenda intelligi debet de dubio ſolum negativo, non vero de poſitivo.

Reſp. neg. Etenim regula generalis eſt, & æque reſpicit etiam dubium poſitivum, quod magis proprie eſt verum ac prudens dubium morale. Fortius enim ſuſpenditur animus, quando ex utraque parte æqualia & æqualis ponderis urgent momenta, quam cum ratio nulla pro utraque parte habeatur. Inſuper in quovis dubio qui partem eligit minus tutam, periculo ſe exponit, ut violet legem Dei, & delinquat; cum intellectus non poſſit prudenter iudicare, partem minus tutam veram eſſe ac licitum eſſe eam ſequi.

Obiiciunt IV. Illud iuris proloquium: *In dubiis tutior pars eligenda eſt*; intelligi debet de dubiis facti, non de dubiis iuris.

Reſp. vanam eſſe talem diſtinctionem, & ſtatui ſine ullo fundamento, cum nullum illius veſtigium reperiatur, aut in Summis Pontificibus, aut in SS. Patribus, aut in Iure canonico. Immo dictat ratio, quod ſi pars tutior eſt eligenda in dubio facti, a fortiori eligenda eſt in dubio iuris; quia pars tutior non eſt eligenda in dubio facti, niſi quia dubium facti eſt coniunctum cum dubio iuris; non ſecus ac in ſylogiſmo minor in maiori propoſitione comprehenditur, & ſpecies in ſuo genere; quo ſtante nulla haberi poteſt perſuaſio ſaltem prudens, nec moralis certitudo, licitam eſſe electionem partis, quæ ſit minus tuta.

Dicunt, hanc, aliaſve huiuſce generis regulas, ideſt: *In dubiis ſemitam debemus eligere tutiorem: Certa incertis præponenda ſunt: Pars ſecurior eſt tenenda*; ſive locum habeant in dubiis facti, ſive in dubiis iuris, continere tamen ſolum conſilium, non vero præceptum ſtricte ſumptum, communiter ſaltem, ideſt pro omni caſu. Idcirco ex illis deprehendi nequit, in conflictu duarum opinionum æque probabilium nos teneri in praxi eam eligere & ſequi, quæ eſt pro præcepto, ac ideo eſt ſecurior.

Reſp. Quam falſa ſit hæc earumdem regularum explicatio, colligitur ex Summis Pontificibus, qui locis citatis illas adhibent pro principio morali ſuarum deciſionum, & ex ſe obligant pro omni caſu; unde utuntur verbo *debeo*, ac illud ſupponunt ut certum, & lumine naturali notum: Immo ſacri Canones vi illarum regularum pœnas infligunt iis, qui in dubio partem non eligunt tutiorem. Ita in cap. *Illud de cleric. excommunic.* cap. *ſicut nobis de ſentent. excommunic.* ubi iubetur Epiſcopo, ut excommunicatum devitet, quando in dubio eſt illius abſolutio: & ita alibi.

Obiiciunt VI. Eſt regula iuris: *In dubiis melior eſt conditio poſſidentis:* & cum homo ſit in poſſeſſione ſuæ libertatis circa proprias actiones, quamdiu non conſtat extare legem quæ eas vetet, vel certo elucidari non poteſt, quis ſit ſenſus legis, ut contingit in oppoſitione opinionum probabilium, nemo legem ſervare tenetur, ſed liberum eſt cuilibet, quam maluerit opinionem amplecti.

Reſp. quod valet ea regula iuris in iis, ut antea iam diximus, quæ ſpectant ad iuſtitiam contractus, & iudicii, ideſt in materia iuſtitiæ, in rebus temporalibus, quæ humanæ ſubſunt poteſtati, & in quibus ſolis applicatur a iure. Etenim qui bona fide poſſidet, & contractum iniit, iuſto titulo poſſidere, ac iuxta leges contraxiſſe eſt præſumendus. Alias ſtare non poſſet humana ſocietas ob innumera ſcandala, quæ orirentur, ſi propter dubia inſurgentia hic vel ille eſſet expoliandus, puniendus, contractus ac matrimonia eſſent diſſolvenda. Non valet autem hæc regula iuris univerſaliter, & in omni materia, ideſt in actionibus moralibus, ubi agitur de licito, & illicito, quod humanæ non ſubiicitur poteſtati. Nam tunc obſtant aliæ regulæ ipſius iuris, ubi præter allegatas in præcedenti obiectione: *In dubiis tutior pars eligenda eſt*: aliæ etiam habentur; illa præcipue in Clement. c. *exivit*: *In iis quæ animæ ſalutem reſpiciunt, pars ſecurior tenenda eſt.* Quare falſum eſt in incertitudine legis, ſive ſenſus ejus hominem eſſe in poſſeſſione ſuæ libertatis: immo poſſeſſio ſtat primo pro lege, præcipue ſi agatur de lege naturali, & divina. Etenim ſemper Deo obſtricta fuit noſtra libertas; & cum Deus ſit ſupremus rerum Dominus, habet ius prælationis in omnibus. Unde, ſicuti ſupponit dicta regula, res non agitur in pari cauſſa, dum agitur de licito, & illicito, ac proinde inter Deum, & creaturam. Igitur in dubiis iuris præcipue naturalis, & divini nefas eſt contra Deum contendere, & humanam propugnare libertatem.

Obiiciunt VII. has regulas iuris: *In obſcu-*

ris minimum eſt ſequendum: Odia reſtringi, favores convenit ampliari.

Reſp. has aliaſque huiuſmodi regulas intelligendas eſſe ſolummodo de dubiis facti, ac præcipue ubi agitur de pœnis infligendis, non vero de dubiis iuris, ubi agitur de licito & illicito; quia in dubio de criminis admiſſione, vel de pœna, tutius eſt partem ſequi beniniorem. Nam qui illam ſequitur, ſe ſolum exponit periculo non condemnandi reum, vel mitius puniendi; quod non eſt per ſe & intrinſece malum. Qui vero oppoſitam ſequitur, periculo ſe exponit damnandi innocentem, vel reum ultra meritum puniendi; quod eſt intrinſece malum. E contra in dubiis de licito & illicito, qui benigniorem partem faventem libertati amplectitur, ſe exponit periculo violandæ legis, ac proinde peccat. Quare *in obſcuris ſequendum eſt id quod minimum habet periculi:* quod autem a violandæ legis periculo avertit, minus habet periculi. Quod ſi ex duabus opinionibus æque probabilibus certum & exploratum non ſit, quæ ſit tutior, ut advertit hic Natalis Alexander, ſervandæ ſunt regulæ a iure præſcriptæ; ut Tit. *de rebus dubiis*, *de Legibus*, & alibi paſſim; cuiuſmodi ſunt: *In dubio iudicandum, ut actus valeat potius quam pereat* L. quoties ff. *de rebus dubiis*. Item: *In dubiis id ſequendum, quod in regione, in qua quiſque eſt frequentatur L. ſemper in ſtipulationib. ff. de Regulis iuris*. Et *minime mutandæ ſunt, quæ certam ſententiam ſemper habuerunt* L. Minime ff. *de legib.* Item: *Ubi contrariæ extant ſententiæ, pronuntiandum eſt pro poſſeſſore* L. *Res aliena* c. *de rei vindicatione*, & potius pro reo quam pro actore, niſi in cauſa favorabili (ut loquuntur) ut matrimonii, libertatis, dotis, teſtamenti; ut legitur cap. *duobus extr. de ſententia in reos irroganda & re iudicata*. Alias ubi ſunt opiniones diſcordes, iudex tenetur ſequi communem; ut ex cap. *Novimus* tit. *de verbor. ſignificat.* & can. *de iudiciis*. cauſ. 11. q. 3. & alibi. Rurſus: *In dubiis præferendum quod benignius, quod veroſimilius, quod plerumque fieri ſolet*, ut ex L. *ſemper in dubiis* ex c. *in obſcuris*, & L. *quoties idem* ff. *de Regulis iuris*.

§. XIII.

De ſequenda opinione probabiliori in concurſu tutioris.

Cum omnis opinio, quatenus plenam ſcientiam ad iudicii firmitatem excludit, ortum ducat ex ignorantia; quia ſicuti ea quæ ſunt per ſe nota, pariunt ſcientiam, ita abſtruſa & obſcura quorum cauſam ignoramus, opinionem ingenerant: hinc quia non omnes Theologi conveniunt circa ignorantiam eorum quæ ſunt iuris naturalis, non una idcirco eſt illorum ſententia circa probabiles opiniones, quæ circa tale ius verſantur. Quidam enim nullam inculpabilem ſeu invincibilem ignorantiam iuris naturalis admittunt, ac proinde docent, in iis quæ ad idem ius pertinent nullam, vel probabiliſſimam opinionem ſatis eſſe, ut operans immunis a culpa reddatur: ita ut ſi falſam opinionem eligat, talis error excuſari nequeat, cum ſit vincibilis, idcirco voluntarius, ac potuerit adhibita diligentia facile expelli; ideoque amplectens probabilem opinionem, peccandi periculo plena ſe libertate committit. Ita Genettus alique. Alii vero, quos ſequimur, dicunt non poſſe invincibiliter ignorari legem naturalem, quantum ad primaria principia, & præcepta quæ evidenter ex iiſdem principiis inferuntur: ignorari tamen a plurimis abſque culpa quantum ad ea quæ remote & perplexa ratiocinatione inferuntur ex iiſdem principiis & præceptis; dummodo tamen in diiudicando omnem, quam prudentiæ iura præſcribunt, diligentiam adhibuerint. In iis quæ ſunt iuris poſitivi, nemo Catholicus negat dari poſſe ignorantiam invincibilem: ſicut etiam ignorantiam facti, ſi ſit eorum quæ non poterant, nec debebant prævideri. Unde ſequitur, quod in iis quæ ſunt iuris naturalis ſecundi generis haberi poteſt probabilis opinio, quæ ſi gravi appareat nixa fundamento (nec pugnet cum æque, aut magis probabili, aut dubitationem pariat, quæ operantem peccandi periculo exponat) licet in ſe ſit falſa, conſcientiam rectam, ſeu moraliter certam ingenerat, quam ut veram certamque morum regulam inculpabiliter ſequi poſſumus, licet oppoſita quæ relinquitur, tutior eſſet: quia nullo modo verſamur in dubio, ſed propendimus in illam ſententiam, quam probabiliorem iudicamus, & ſumus moraliter certi. Nam *opinio & præſumptio vehemens pro certitudine habenda eſt*, ut ex cap. *Afferte ext. de præſumptionibus*.

Dixi, *licet oppoſita quæ relinquitur, tutior eſſet*. Quod tamen intelligendum eſt, quando non agatur de iis quæ ſunt de neceſſitate medii ad ſalutem, vel quæ requiruntur ad validam Sacramentorum adminiſtrationem ac ſuſceptionem (ut advertit P. Antoine), cum non obtineatur ſalus, nec effectus Sacramenti, niſi reipſa ea ponantur, quæ Deus ad hunc finem exigit. Nec pariter ubi agatur de pro-

procuranda ſanitate corporis, de victoria ſive in bello, ſive in iudicio; de damno proximi vitando, quod ex iuſtitia vel charitate vitare tenemur: quia cum in his non habeatur debitus finis, niſi media adhibeantur reipſa, & non ſolum opinione efficaci; ſequi tenemur opinionem tutiorem, relicta oppoſita etiam probabiliore. Nam cum maior probabilitas opinionis rerum naturam non mutet, aut iis efficaciam tribuat, aut damnum impediat; nullatenus eſt probabile, etiam ſpeculative, quod in hiſce caſibus liceat oppoſitum. Item pars tutior eſt tenenda ab eo, qui ex conventione, voto, vel ſuperioris præcepto ad hoc obligatur. In aliis vero caſibus moralibus tutior pars in concurſu opinionis probabilioris, *eſt ſolius conſilii, non præcepti;* (ait S. Antoninus part. 1. tit. 3. *de conſcient.* cap. 10. §. 10.) *alias oporteret multos ingredi Religionem, in qua tutius vivitur, quam in ſæculo. Non ergo de neceſſitate oportet tutiorem eligere, quando etiam alia via eligi poteſt tuta.*

Nota 1. Certitudinem aliam eſſe metaphyſicam, nempe quando ex principiis adeo certis & infallibilibus citra ullum errandi periculum iudicamus, rem ita eſſe: & talis certitudo in moralibus occurrit, quando ex revelatione, aut ex recta ratione evidenter colligimus, actionem quam elicimus eſſe legi conformem. Sic metaphyſica certitudine operamur, dum ex hoc principio metaphyſice certo: *Quod tibi non vis alteri ne feceris*, colligimus non eſſe furandum, occidendum &c. Alia eſt certitudo moralis quæ oritur ex principiis abſolute quidem fallibilibus, ſed ut plurimum certis, & raro fallibilibus, & quæ movere ſolet viros prudentes, ut certum ac firmum ferant iudicium. Quæ certitudo toties occurrit, quoties in praxi prudenter & firmiter iudicamus, actum quem elicimus eſſe legi conformem.

Nota 2. Ut probabilioritas locum habeat in concurſu tutioris oppoſitæ, neceſſe eſt quod ſit Theologica, ideſt fundata in Scriptura, Traditione, Conciliis, Patribus, gravioribus Theologis, vel quod ſaltem non opponatur (ut notat S. Antoninus) *auctoritati expreſſæ ſacræ Scripturæ, nec determinationi Eccleſiæ Catholicæ; & quod etiam ex contrarietate talium opinionum non inducatur agens ad dubitandum, ſed bonam ſibi conſcientiam & credulitatem formet de eo quod credit tamquam de probabiliori parte; & præcipue quando quis adhibet diligentiam inquirendo, an liceat, nec invenit aliquid quod eum ſufficienter moveat ad hoc quod ſit illicitum.* Unde probabilioritas quæ fundatur in ſolis ratiunculis, quas humana cupiditas ſuggerit, non poteſt eſſe morum regula; nec probabilioritas academica, quæ vulgo oritur ex diſputandi prurigine, cuiuſmodi ea eſt quæ reperitur in quibuſdam auctoribus, qui res morales problematice pertractant; & ex arbitrio quod magis placet pronuntiant. Quare ſi probabilioritas haberi nequeat ex ſacra Scriptura, Traditione, &c. ſed deſumatur ex ratione; hæc ut pariat probabilitatem quæ poſſit eſſe morum regula, præterquamquod non debeat adverſari expreſſæ auctoritati ſacræ Scripturæ, & Eccleſiæ determinationi, ſuffulta eſſe debet momentis ita gravibus, ut revera moralem pariat certitudinem, eam nempe, qua agens non patiatur rationabilem dubitationem, ſed poſſit ſibi efformare bonam conſcientiam de eo quod credit tamquam de probabiliori parte.

Nota 3. Ut probabilioritas theologica ſit morum regula, opinio oppoſita debet eſſe circa quæſtiones *an liceat*, & non circa quæſtiones *an valeat*. Quia in primis, nempe an liceat, ut homo excuſetur a peccato, ſufficit ut eius actio ſit ſecundum regulas prudentiæ. Nam licet poſt diligens examen fieri poſſit quod actio quæ licita creditur, ſit contra legem Dei, non imputabitur tamen ad peccatum; quia bona fides a peccato excuſat. Sed quando quæritur an valeat, ut in Sacramentis, non eſt eadem ratio; quia valor Sacramenti non deſumitur ex bona fide operantis, ſed ex Chriſti determinatione, qui Sacramenta inſtituit; ac proinde quando agitur de Sacramentorum valore, ſemper eſt tenendum quod eſt tutius. His poſitis ſit.

In qualibet materia iuris vel facti licite ſequi poſſumus ſententiam probabilem ſtantem pro libertate, quæ poſt diligentem veritatis inquiſitionem appareat vere probabilior oppoſita, licet tutior ſtet pro præcepto. Quod tamen, ut iam prænotatum fuit, locum non habet in iis quæ ſunt per ſe nota ac obvia legis naturæ, ex præcepto ad finem ſalutis, efficaciæ Sacramentorum, & ad proximi damnum vitandum neceſſaria; vel quæ ex aliqua particulari obligatione obſervare tenemur, io quibus omnibus ſecundum tutiorem operari debemus.

Dixi, *appareat vere probabilior*: Quia ad hoc ut licite ſequamur opinionem probabiliorem ſtantem pro libertate, relicta tutiore quæ ſtat pro præcepto, ſatis non eſt ut ſit utcumque probabilior; nam in moralibus parum pro nihilo reputatur, & levis exceſſus probabilitatis non poteſt eſſe ſufficiens fundamentum

pro

pro morali certitudine, nec excludit rationabilem formidinem erroris, nec proinde tollit periculum probabile peccandi. Unde ad hoc ut licite eam ſequamur, neceſſe eſt ut multa ac gravi probabilitate oppoſitam ſuperet.

Veritas concluſionis patet, & ſimul probatur ex oraculo Summi Pontificis Alexandri VII. qui hanc damnavit propoſitionem quæ eſt num. 3. *Non licet ſequi opinionem vel inter probabiles probabiliſſimam;* quæ propoſitio impugnabat omnem opinionem faventem libertati, & in hoc ſenſu fuit etiam proſcripta: idcirco vaniſſimum eſt Rigoriſtarum effugium, nempe probare quidem ſummum Pontificem hac cenſura licitum eſſe ſequi opinionem probabiliſſimam, ſed non dicere hanc licite ſequi nos poſſe, quando favet libertati. Etenim (ut notat Tournely cum aliis communiter, & iam res per ſe conſtat) damnata fuit in ſuo ſenſu obvio, ac naturali, in quo eam intelligebant ac propugnabant defenſores, præcipue Senicchius in ſuo Opere, ex quo iiſdem verbis excerpta fuit, & ad Apoſtolicam Sedem delata, & ab ipſa proſcripta. Et revera nonniſi in hoc ſenſu reprobari potuit a ſummo Pontifice, quando nec tunc temporis ullum erat dubium ac controverſia, num licitum eſſet ſequi opinionem probabiliſſimam legi faventem, utpote quæ apud omnes ſemper habita erat non ſolum ut æqualiter tuta, immo etiam ut tutior oppoſita.

Alterum argumentum deſumitur ex D. Thoma 2. 2. quæſt. 70. art. 2. *In actibus humanis*, inquit, *ſuper quibus inſtituuntur iudicia, non poteſt haberi certitudo demonſtrativa; eo quod ſit circa contingentia & variabilia: & ideo ſufficit probabilis certitudo, quæ in pluribus veritatem attingat, etſi in paucioribus a veritate deficiat*. Angelici Præceptoris doctrinam poſt Gerſonem ſecutus eſt S. Antoninus; *Notandum* (inquit part. 1. tit. 3. cap. 10.) *ſecundum Cancellarium, quod certitudo quæ reperitur in materia morali, non eſt certitudo evidentiæ, ſed probabilis coniecturæ . . . Non enim conſurgit certitudo moralis ex evidentia demonſtrationis, ſed ex probabilibus coniecturis groſſis & figuralibus, magis ad unam partem quam ad aliam ſe habentibus. Dicitur autem probabile, quod pluribus, & maxime ſapientibus apparet verum . . . In humanis agibilibus ſufficit talis certitudo, quæ non ſemper ſcrupulos omnes abiiciat, & quæ* (ut loquitur Gerſonus) *non removet in una parte omnem probabilitatem, vel opinionem alterius partis, licet magis declinet ad iſtam, vel ad aliam; quod ſufficit*. Si autem non liceret ſequi opinionem minus tutam, etiam alia probabiliorem; non ſufficeret probabilis certitudo; ſed vel opus eſſet omnimoda certitudine, quæ nunquam a veritate deficit, vel ab actione eſſet abſtinendum.

Confirmat ipſa quoque ratio noſtræ ſententiæ veritatem. Cum una ex præcipuis, ac certiſſimis regulis morum ſit prudentia; quicumque eius ductu, ſeu directione operatur, rationabiliter, honeſte, licite, & inculpate operatur. At qui ſequitur opinionem, quam aperte videt probabiliorem oppoſita, prudentem habet perſuaſionem, quod actio ſua ſit licita: Igitur honeſte, licite, ac ideo inculpate operatur. Opinio enim ideo dicitur altera probabilior, quia ſpectatis momentis quibus ea nititur, apparet & proponitur veroſimilior altera oppoſita. Quare cum in moralibus munus ſit prudentiæ, dirigere animum ad ea quæ vere moraliter bona ſunt & honeſta, vel ſaltem veroſimilius huiuſcemodi apparent: hinc dum opinio proponitur, & manifeſte apparet oppoſita veroſimilior, prudenter non poteſt mens noſtra illicitum iudicare illius obiectum; immo cum gravia momenta eiuſdem honeſtatem comprobent, redditur ipſa mens ita moraliter certa, ut nequeat non conſentire opinioni quæ ex iiſdem momentis ſibi proponeretur ut multo veroſimilior oppoſita. Et hoc nobis ex eo conſtare debet, quod adhibito diligenti ſtudio ſuper gravitate momentorum, & auctoritatis, conſilio ſapientiorum ac precibus in ſincera ſolius veritatis inquiſitione opinio appareat nobis ita certa, ac valde probabilis, & multo probabilior oppoſita, ut excludat rationabile dubium errandi. Qui hac exacta præcautione ſequitur opinionem probabilem, prudenter ſe gerit, quia diſcernens inter eligenda ac reiicienda, ea probat quæ, præmiſſo debito examine, recta exiſtimantur & inculpata: peccandi vitat pericula; nam ne legem offendat, ſapientes conſulit, Deum orat, ponderatque rationis momenta: ideoque habet conſcientiam moraliter certam ac rectam, quam ut certam morum regulam ſine periculo & inculpate ſequi poſſumus.

Sententiam hanc comprobant tum auctoritas Scripturarum, Sanctorum Patrum, Summorumque Pontificum, tum rationis elucidatio. Habetur Deuteronomii 17. quod in difficilibus, & ambiguis iudiciis, ideſt cum per nos ipſos non valeamus cauſſam a cauſſa diſcernere, præcipit Deus, ut requiramus iudicii veritatem a Sacerdote, & a Iudice, & ie-

& ſecundum quod nobis dixerint, operemur. Conſtat igitur ex ipſo Scripturarum oraculo, quod & ruſticus, quem pulſat incerta conſcientia, prudenter id faciat, quod illi ſuadet ſuus Parochus, aut Confeſſarius, quem ſapientem, doctum ac pium virum dijudicare ſentiat; & vir doctus in tanta Theologorum diſcrepantia, ſtudio divinarum Scripturarum, ſacrorum Canonum tum Pontificum, tum Conciliorum non imprudenter priorem exuet dubitationem. Et revera ſi qui iudicat ut veram opinionem, quæ fulcitur momentis longe gravioribus, quam oppoſita, non prudenter iudicaret, nullum datur prudens iudicium quod ſit actus ſapientiæ, ſcientiæ, ſynderelis, aut fidei divinæ; ac ideo in aliis innumeris conſcientiæ caſibus, ut in œconomicis, militaribus, quorum deciſio intelligi nequit ex fide, vel evidenti ratione, iuxta ſtylum Academicorum circa veritatem alterutrius partis cavendum erit ab omni iudicio, & ſolum iudicari poterit de veroſimilitudine & probabilitate; quod magnum eſt abſurdum repugnans perpetuæ totius Eccleſiæ agendi regulæ.

Confirmatur tandem noſtra ſententia. Si non liceret ſequi opinionem longe probabiliorem in concurſu tutioris minus probabilis, neceſſe foret ut ſemper ſecundum tutiorem operaremur; quod dici nequit. 1. Quia omne Theologiæ moralis ſtudium ſubverteretur: fruſtra enim inſudant Theologi, ut ex diverſis opinionibus eam conſtituant ac ſtabiliant, quæ eſt verior, vel ſaltem veriorem ſe præſefert. Fruſtra Patrum & Doctorum libros evolvunt, argumenta congerunt, quæ vix unquam ſunt demonſtrativa. Fruſtra imperiti eruditos conſulunt ſuper hoc vel illo contractu, an liciti ſint necne. Omnes enim ante hæc ſtudia, & conſultationes *quid ſit tutius*, in multis mulrisve, tutius eſſe ab illis abſtinere cognoſcunt. 2. Statuere partem tutiorem ſemper eſſe tenendam, hoc eſt imponere fidelibus onus ita grave, ut iugum Chriſti quod in divina Scriptura leve dicitur, tale non eſſet. In tali ſuppoſitione poſſeſſio bonæ fidei, quæ in iure ſtatuitur, ac præſcriptio legitima non eſſent titulus ſufficiens ad rem poſſeſſam retinendam, cum tutius ſit eam reſtituere domino iam cognito, vel ei, qui Dominus ſuſpicaretur a poſſidente.

Ulterius cum ex præſcripto divini mandati accedendum non ſit ad Sacramenta ſine debitis pietatis diſpoſitionibus, ut doloris in Sacramento Pœnitentiæ, gratiæ ſanctificantis ſeu ſtatus iuſtitiæ in altaris miniſterio, & participatione ſacræ Euchariſtiæ; hinc cum incertiſſimum ſit num dolor ſit ſupernaturalis, num etiam ſine conſcientia peccati mortalis iuſti ſimus; nullus Sacerdos quantumvis probus accedere poterit ad Sacrum peragendum, nullus Laicus Euchariſtiam accipere; eo quia cum ſuæ diſpoſitionis demonſtrationem habere nequeant, tutius eſt ab his actionibus abſtinere. Præterea ſi non liceret ſequi probabiliorem minus tutam in concurſu tutioris & minus probabilis, damnandi erunt multi ſummi Pontifices, qui opinionibus minus tutis, ſed probabilioribus ſæpe ſæpius uſi ſunt in ſuis definitionibus & diſpenſationibus. Immo cum S. Thoma alii quoque Patres, tot inſignes ac probi Theologi, qui pariter partem minus tutam, ſed magis probabilem millies amplexi ſunt: quia iuxta adverſariorum ſententiam omnes illi periculo lethalis peccati ſe exponendo, lethaliter deliquerunt. Rei tandem erunt, qui conſilia Evangelica non amplectuntur, cum tutius ſit ea ſequi, licet ut conſilia, non ut præcepta neminem obſtringant. Item illicitum erit uti iuramento illius qui veritatem per falſos Deos iuraturus eſt; illicitum iniuſtum aggreſſorem etiam cum moderamine inculpatæ tutelæ ſe defendendo occidere; illicitum, poſtquam in mortale peccatum lapſi ſumus, ſtatim non adire Sacerdotem Confeſſarium, commodum confeſſionis expectando. Hæc autem omnia etiam apud adverſarios Rigoriſtas falſa ſunt. Quare notandum ac concludendum cum Gerſone, nimiam in opinionibus rigiditatem Fidelium animabus magis nocere quam prodeſſe. Unde ita admonet Eccleſiaſt. cap. 7. *Noli eſſe multum iuſtus, neque plus ſapiens quam neceſſe eſt.*

Diluuntur objectiones.

Objicit I. Rigoriſtarum Schola, quod cum opinio concipiatur probabilior ex Caſuiſtarum documentis, non leviter timendum ſit, quod lumen ex tam incerto fonte mutuantes fiant ex illis, quos Chriſtus Dominus exprobrat ut cæcos, qui ducatum ſeu directionem ab aliis cæcis exquirentes, cum ſuis ductoribus in foveam ruunt. Nam, ut docet S. Auguſtinus lib. *de utilit. credendi*: *opinari nunquam ſine vitio eſt*. Igitur qui opinionem probabiliorem amplectitur, tutiore licet minus probabili relicta, periculo peccandi ſe exponit, ac proinde peccat.

Reſp. nihil ex illo Chriſti Domini oraculo contra nos concludi. Etenim exprobrat Chriſtus Phariſæorum iniquitatem, qui rudem ple-

plebem ad ſuperſtitioſas humanæ doctrinæ & præceptorum obſervantias cogendo, abſque ullo momento probabili eam gravibus & importabilibus oneribus vexabant. Quare nemo non videt, allatum textum damnare potius Rigoriſtas, a quibus in vanam trahimur Pharisæorum conſcientiam, ſi ob leve motivum gravis culpæ debemus induere ſuſpicionem. Caſuiſtas ſequimur non ſi cæci deprehendantur, ſed ſolum ſi lumen veritatis nobis oſtendant, aut ex Dei verbo, quod lucernam pedum noſtrorum appellat David; aut ex Patribus viriſque Apoſtolicis, qui dicuntur in Evangelio lux mundi; aut ex recta ratione, de qua ſcriptum eſt: *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, Domine*. Qui lucerna iſta viam nobis præmonſtrat, non eſt cæcus, a quo periculoſe ducamur. Sed de hoc ſatis. Ait quidem D. Auguſtinus *opinari nunquam eſſe fine vitio*, quia opinio naſcitur ex ignorantia; ſed conſulto ait, *ſi per ſe ipſum conſideretur*. Nam ſi conſideretur in eo qui ſtudet ignorantiam diſpellere petendo humiliter Spiritus ſancti illuſtrationem, hominumque ſapientum conſilia, nec temere præſumit ſe ſcire quod neſcit; nihil habet turpitudinis: quia *caret animi male affecti temeritate*, ob quam ibidem S. Auguſtinus ait turpiſſimum eſſe opinari. D. Auguſtino concinit etiam Angelicus *Quodl.* 8. art. 15. ubi ait, malum eſſe quod fit contra legem, licet non fiat contra conſcientiam, ſi hanc non excuſet ignorantia eorum, quæ quis ſcire poteſt & debet. Excuſat tamen ignorantia per ſanctum Doctorem a peccato in iis quæ non ſunt legis naturæ, & eorum quæ inde facili obviaque illatione deducuntur, ſi poſt accuratam inſpectionem animus momento aliquo non trahatur ad dubitandum an res ſit illicita an non.

Obiiciunt II. Excuſari nequit ab imprudentia qui peccandi periculo ſe exponit, dum facile periculum vitare poteſt. Quare cum tali periculo ſe exponat qui opinionem ſequitur minus tutam, licet probabiliorem; procul dubio imprudenter & culpabiliter agit.

Reſp. non excuſari ab imprudentia qui periculo ſe exponit errandi formaliter, non vero ſi periculum ſubſit errandi ſolum materialiter; dummodo tamen periculum ſit tam levis momenti, & probabilitatis, ut a viro prudenti contemni debeat: ſicuti eſt in iis qui opinionem ſequuntur probabiliorem, licet minus tutam, in concurſu tutioris, ſed minus probabilis: Quia cum momenta ſint longe graviora pro veritate probabilioris, quam tutioris, hinc prudenter iudicat, illam eſſe veriorem & reipſa veram, & prudenter contemnit periculum errandi, cum nulla adſit probabilitas errandi formaliter, ſed ſolum materialiter & inculpabiliter.

Obiiciunt III. Periculo ſe exponit errandi & peccandi formaliter, adeoque actu errat & peccat formaliter qui ſequitur opinionem probabiliorem in concurſu tutioris: quia, non obſtante maiore probabilitate, adhuc dubitat, an quod agit, peccatum ſit, necne. Quamdiu enim actionis honeſtas non eſt certa, ſicuti accidit in caſu actionis minus tutæ, licet probabilioris; tamdiu eius inhoneſtas eſt dubia. Dubia autem eſt & inhoneſta opinio in citato caſu, cum opinio oppoſita iuxta hypotheſim non ſit improbabilis.

Reſp. ad primum, falſum eſſe & implicare, quod qui ob momenta multo graviora iudicat abſolute aliquid verum eſſe ac tutum, ſimul dubius ſit & incertus. Quia cum dubium ſit omnis iudicii ſuſpenſio, fieri nequit ut dum mens ob valde graves rationes inclinatur ad credendum & iudicandum aliquid licitum potius quam illicitum, in tale dubium inducatur, ut iudicium & actionem ſuſpendere debeat: tametſi non habeat uſquequaque certitudinem evidentem aut fixam; cum hoc in moralibus non requiratur. Ad ſecundum vero reſponſio eſt facillima. Nam ad tollendum dubium de actionis inhoneſtate, cum in moralibus non requiratur certitudo metaphyſica, ſufficit ut de eius honeſtate habeatur certitudo moralis, quæ acquiratur ex momentorum gravitate. Unde cum multo graviora habeantur momenta pro opinione probabiliore, quam pro tutiore; hinc habetur ſufficiens certitudo de honeſtate actionis ideſt opinionis probabilioris, ac proinde non poteſt habere locum vehemens ac prudens dubium de eius inhoneſtate.

Obiicies IV. Honeſtas actionis minus tutæ non eſt moraliter certa, ſed dubia: quia dum eam ut probabiliorem honeſtam iudico, ſed minus tutam, ſimul iudico eam forte eſſe inhoneſtam.

Reſp. falſum eſſe, actionem opinionis probabilioris non eſſe moraliter certam, ſed dubiam, eo quia eam iudicem honeſtam eſſe, & ſimul iudicem eſſe forte inhoneſtam ex quo ſit minus tuta. Etenim dum ut probabiliorem eam iudico formaliter honeſtam, prout minus tutam non iudico eam inhoneſtam niſi inhoneſtate materiali, & non imputabili, nullatenus vero formali, & imputabili: Quia eo ipſo quod ex momentis gravioribus oppoſitæ opinionis video morali evidentia, actio-

actionem probabilioris opinionis magis quam oppoſitæ & tutioris eſſe veram, prudenter iudico eam veroſimiliorem oppoſita, ac ideo honeſtam, licitam & inculpabilem; ita ut quamvis eſſet falſa, immunis ero a culpa eam ſequendo, cum ignorantia qua laboro virum prudentem excuſare poſſit: alias, ut ſupra notavi, nunquam poſſet Sacerdos celebrare, nec pœnitens petere abſolutionem a Confeſſario, cum neuter poſſit eſſe metaphyſice certus ſe habere diſpoſitionem, quæ ad utrumque neceſſario requiritur, iuxta illud Eccleſiaſt. 9. *Neſcit homo, utrum amore, an odio dignus ſit*.

Obiiciunt V. Quælibet opinio, etiam probabiliſſima, eſſentialiter ſecum affert formidinem: nulla igitur opinio poteſt habere moralem certitudinem.

Reſp. diſt. ant. Quælibet opinio ſecum affert formidinem logicam; conced. formidinem moralem; neg. Formido enim alia eſt logica, alia moralis. Formido logica, quæ eſt eſſentialis omni aſſenſui opinativo, conſiſtit in actu, quo intellectus cognoſcit non repugnare præciſe ex vi momenti quo ad aſſenſum movetur, rem aliter ſe habere ac ipſe iudicat. Formido vero moralis, quæ eſt accidentalis aſſenſui opinativo ac ab ipſo ſeparabilis, conſiſtit in actu, quo intellectus iudicat rem forte aliter ſe habere ac ipſe eam iudicat. Hæc ſola formido repugnat certitudini morali, & abeſt ab opinione probabiliore.

Corollarium I.

Everſa Probabiliſmi fallaci doctrina, corruunt ſimul cum ea & evelluntur mala etiam germina, quæ ex tali infecta radice prodierant. I. Nempe non licere Theologo ſecundum ſententiam quam cenſet minus probabilem, & quam ſibi falſam perſuadeat, conſilium aliis præbere, etiamſi non ignoret huiuſcemodi ſententiam ab aliis propugnari non ſolum ut probabilem, ſed etiam ut probabiliorem: nam Malachiæ 2. v. 7. habetur: *Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore eius; quia angelus Domini exercituum eſt*. Certe non ſe gereret ut angelus Domini, ſi requirentibus ex ore eius legem Dei, & quid ſibi agendum ſit conſulentibus enuntiaret ea, quæ ipſe non approbat; ac ideo contra ſuam conſcientiam rudes ignaroſque inſtrueret. Hic enim impiam Pilati ſequeretur dementiam, qui licet inſontem Chriſtum crederet, ſe tamen conformavit in iudiciali ſententia contra Chriſtum ferenda, Pontificum iudicio, Phariſæorum Scribarumque, & populi teſtimoniis, quæ falſa eſſe Pilatus ipſe apprime iam noverat. Si igitur fas eſſet iuxta aliorum opinionem ſententiam ferre ac definire veritatem, rectus iudex fuiſſet Pilatus. Et equidem conſulens conſiliarii proderet officium, quod eſt inſpicere quid vere expediat ei cui datur conſilium; quod præcipue ſervandum eſt dum agitur de ſalute animæ, quæ ſi pereat, nihil prodeſt homini, etiamſi mundum univerſum lucretur. Quis enim non horreat aut medicum adhibentem remedia, quæ putat mortem probabiliter allatura; aut illum qui mercatorem hortatur ad ineundam ſocietatem, ex qua probabiliter timeret grave aliquod detrimentum? Quanto magis non erit improbandus Theologus, qui Chriſtianum legi Evangelicæ inviolabiliter obſtrictum, dum inquireret ab eo veritatem aliquam Chriſtianæ obſervantiæ quam ignorat, edoceret ſecundum doctrinam quam falſam ipſe exiſtimat, ac periculoſam ad incurrendam culpam æternamque damnationem, ac proinde non ſecundum quod iuxta propriam conſcientiam cognoſcit ei expedire? Hic profecto non ſe gereret tamquam dignus Dei & Eccleſiæ miniſter, eo quia non *tamquam exhortante Deo loqueretur*, & nulla habita conſideratione ad conditionem petentis conſilium, utpote qui ipſum non hortaretur ad ea opera facienda, quæ iuxta ſuum iudicium digna ſunt & proficua, immo ad indigna & noxia Chriſtiano fideli.

Corollarium II.

Non licet homini ignaro curſitare ad varios Caſuiſtas conſulendos, eo animo, ut tandem inveniat qui benignius ſentiat, adfirmans probabile eſſe quod alii improbant, ſibique fas eſſe eligere quod magis lubet. Ita enim admonemur Eccleſiaſt. cap. 32. v. 19. *Qui quærit legem, replebitur ab ea; & qui inſidioſe agit, ſcandalizabitur in ea*. Hic eruditionem promittit Spiritus Sanctus legem perſcrutantibus ut eam impleant, viroſque doctos conſulentibus ne in errorem inducantur; deceptionemque minatur qua in legem impingit, ei qui inſidioſe, ſive ut legit Græcus, *ſimulans* ſe quærere inſtitutionis diſciplinam, dum ſcrutatur quomodo cupiditati ſuæ abſque conſcientiæ ſtimulis indulgeat, contra monitum Apoſtoli *ne ad ſua deſideria coacervent ſibi magiſtros prurientes auribus*, accedit ad Confeſſarios Theologoſque qui cum dulcioris ſint indolis, aures uniuſcuiuſque demulcent mitioribus ſententiis, & quæ eorum genio grata redduntur, facile ſuadent.

Corollarium III.

Non debet Confeſſarius iis abſolutionem conferre, qui ſequuntur opinionem minus probabilem ſtantem pro libertate, eamque nolunt deponere. Velint nolint Probabiliſtæ; hanc propoſitionem propugnant quotquot a ſanæ Chriſtianæ moralis diſciplinæ doctrinis explodunt Probabiliſmum. Etenim ſi licitum non eſt ſequi opinionem minus probabilem, abſque eo quod qui eam ſequitur periculo ſe exponat violandi divina mandata, & labem lethalem incurrat, neque ſine tali conſcientiæ detrimento poteſt prudens Sacerdos illam tradere eumdem conſulenti; quo iure uti poterit eiuſmodi opinione in Sacramentorum adminiſtratione, in qua ex Eccleſiæ præſcripto ſemper ſequenda eſt tutior ſententia, cum hic agatur de re tam gravi, nimirum de exercenda poteſtate ſibi divinitus tradita, de munere Chriſti implendo, de afferendo puſillorum animæ remedio ſalutis? Et clarius hæc veritas apparebit, ſi ad Confeſſarii excellens munus, & ad humilem pœnitentis conditionem attendamus. Nam cum in Confeſſario inſpici debeant iudiciaria poteſtas, ſcientia qua inter lepram & lepram diſcernere & diiudicare poſſit, & prudentia, per quam ut medicus ſpiritualis uti debet remediis, quæ revera apta ſint animarum ſaluti; quævis harum attendatur, clare patebit non poſſe pœnitenti, dum ſequi vult opinionem minus probabilem, Sacramentalem abſolutionem impartiri, abſque eo quod reſpectu ſingularum culpabiliter ſuum prodat miniſterium. Etenim eſt propoſitio damnata ab Innocentio XI. *Iudex non poteſt iudicare ſecundum opinionem minus probabilem*. Et ipſa ratio demonſtrat medicum reum fieri homicidii, ſi pharmaca præbeat, quæ probabilius iudicat eſſe nocitura, ut ægrotorum opinioni ſe accommodet, ut ipſi quoque adverſarii concedere non reluctant. A pari Confeſſarius imprudenter ac ideo culpabiliter ſe gereret, ſuumque proderet miniſterium ſpiritualis iudicis ac medici, abſolvendo pœnitentem qui pro opinione minus probabili pertinax ſit; quia in tali caſu dum iudicium ferret hic Confeſſarius ſecundum opinionem minus probabilem, pharmacum præberet ex eius iudicio probabilius nociturum, & periculoſo ægri genio indulgeret. Item ad ſcientiam auctoritatemque iudicis ſpiritualis pertinet, ut propria ſua ratione diſcernat quod debet iudicare, ut patet ex ipſa iudicii natura. Quare Confeſſarius conferens abſolutionem reo renuenti deponere ſuam opinionem, iudiciariam exercet poteſtatem ſpreta conſcientia, ideſt contra propriam conſcientiam, nec ſua ipſius ratione diſcernit quod iudicare debet, & oleum non infundit, ſed laxativam dulcedinem in ægroti vulneribus; idcirco indignus redditur, cui ſpiritualis iudicis auctoritas animarumque cura commendentur.

Quod ſi reſpiciatur pœnitentis conditio, hic accedere debet ad Sacerdotis tribunal non ſecus ac reus & infirmus. Rei autem non eſt proferre iudicium, immo ſui iudicis ſententiam debet ſuſtinere; nec infirmi eſt medicinam præſcribere: ſed tantummodo, ſi & reus ſit iuris peritus, & ægrotus medicinæ, ſuam opinione proferre poſſunt, qua perpenſa, ſi meliorem hanc deprehendant iudex & medicus, eam ipſi ſequi poſſunt. Sed dum ex propria mentis perſuaſione alterius ſententiam iudicio ſuæ ipſius mentis approbant, iam propriam ſequuntur, non alterius conſcientiam; ac proinde hoc nihil repugnat ſi etiam in foro Pœnitentiæ contingat. Secus vero, ideſt ſi ſequatur Sacerdos pœnitentis iudicium ſeu conſcientiam: certe, ut hic loquitur & concludit perdoctus Canoniſta Fagnanus ſuper cap. *Ianitoris de Conſtit.* n. 304. ſuum proderet iudicis medicive miniſterium. *Unde* (ita Fagnanus) *in foro animæ iudex cogitur ſequi iudicium rei, & non reus iudicium Sacerdotis*; quod quam ſit abſurdum nemo non videt.

Opponunt nihilominus Probabiliſtæ, pœnitenti ſufficienter diſpoſito non eſſe denegandam abſolutionem. Sed ex iam expoſitis patet, quam levis momenti ac roboris hoc ſit, ideoque facillimæ ſolutionis. Etenim ex dictis conſtat, talem pœnitentem non habere eam diſpoſitionem quæ revera ſit & cenſeri poſſit ſufficiens. Quia cum hic pertinaciter renuat renunciare opinioni quam cognoſcit minus probabilem, aut cum æque probabili pugnantem, hic nec vult peccandi effugere periculum, nec iuxta regulam iuris ſequi in dubiis tutiorem partem. Quod ſi forſan adhæreat pœnitens propriæ opinioni tamquam probabiliori, & audiat a Confeſſario ſe hallucinari, utpote qui in errore verſetur; veritatis amatorem ſe exhibere debet, promittendo ſe eam exquiſiturum ex orationis præſidio, auctores optimos percurrendo, & ante omnia enixe ſcrutaturum ſedulo ſtudio divinam legem, ſacram Scripturam, Canonum ſtatuta & Conciliorum, atque decreta Pontificum, SS. Patrum documenta, ſaniorum celebriorumque Theologorum ſententias, necnon humanæ rationis iudicia, ut ex hac

quod

quod verius dictet, deprehendat; & ſi hoc facere nolit, repellendus eſt, utpote qui renuat veritatem intelligere ut bene agat. Quod ſi aſſereret carere tempore, vel ingenio, ut in tali ſtudio ac examine ſe exerceat, increpandus eſt, quod dum non pollet ingenio, nec doctrinarum ſcientia, velit ſuam opinionem prævalere opinioni illius, qui ab Eccleſia eſt conſtitutus non diſcipulus, ſed iudex, magiſter & medicus. Et ſi plurimum ingenii poſſideat ac non mediocrem eruditionem, & quadam oſtentatione velit quaſi cum Confeſſario diſputare; tunc reſpondeat ſacer miniſter, ſe in illo tribunali loco Ieſu Chriſti vices gerere iudicis, non autem diſcipuli aut diſputantis. Non eſt tamen inabſolutus reiiciendus, ſi demiſſo animo explicet ſuæ rationem conſcientiæ, & ipſe Confeſſarius hanc probabiliorem eſſe concipiat. Quod ulterius adverſarii opponere poſſent, iam in anterioribus obiectionibus ſatis ſolutum eſt.

Regulæ quædam præſcribuntur iis, qui habent opinionem probabilem.

Si opinio abſolute & unice probabilis adfirmet exſtare præceptum, tenemur illud ſervare. Nam ſi illud ſervare tenemur, quando æque ſit probabile ipſum exſtare, & non exſtare; multo magis tenemur, ſi ipſius exiſtentia unice appareat probabilis. In hoc enim caſu poteſt homo prudenter iudicare legem exiſtere: nec ſine imprudentia hoc negare valet; cum habeat grave momentum aſſerendi, nullum vero negandi.

Ita etiam ex oppoſito licet ſequi opinionem minus tutam quæ negat exſtare præceptum, quando eſt unice probabilis, ita ut excludat omnem formidinem rationabilem peccandi. Nam cum ille qui eam ſequitur, habeat grave motivum iudicandi, actionem ſuam eſſe licitam, & nullum habeat motivum iudicandi eſſe illicitam; prudenter firmiterque iudicare poteſt actionem ſuam eſſe licitam. Quare non habet anxietatem ac formidinem erroris; aut ſi quam habeat, rationabili fundamento poteſt eam contemnere ut ſcrupulum, quippe quæ careat fundamento ſaltem rationabili. Sic ruſticus licite omittit ſacrum eo die, quo eius Paſtor, quem virum probum doctumque exiſtimat, ei aſſerit ad illud non teneri: dummodo tamen nullam habeat rationem iudicandi oppoſitum; ideſt ſuum Paſtorem falli, aut fallere. Ita ex cap. 44. *de ſentent. excomm.* Idcirco hæc opinio tunc eſt certa practice ac relate ad operantem; tametſi ſpectata ſpeculative & abſolute ſit ſolum probabilis. Quod ſi contingat hanc opinionem reipſa eſſe falſam, error eſt invincibilis, ac proinde inculpabilis.

Eorum vero qui circa aliquam difficultatem ſuſpenſi ſunt ac hæſitantes, triplex diſtingui poteſt genus. Alii enim ſunt illiterati & rudes, ut plebeii; alii docti & eruditi, qui ſtudio & praxi magnam moralis diſciplinæ ſcientiam ſibi compararunt; alii medii inter rudes & doctos incedunt.

Illiterati & rudes, ubi non valeant licitum diſcernere ab illicito, conſilium ſequi debent ſui Parochi vel Confeſſarii, ut quod ab ipſis diſcunt vetitum eſſe, illud effugere debeant; quod vero licitum, ſine ſcrupulo illud agere poſſint. Quod ſi a duobus æque piis ac doctis quos interrogaverint, diverſam accipiant ſui dubii reſolutionem, id quod tutius eſt debent amplecti. Peccarent tamen primo, ſi unum præ alio eligerent, quia ſcirent hunc eſſe mollioris ac laxioris doctrinæ: ſecundo, ſi haberent iuſtam rationem ſuſpicandi eum ſive ex incuria, ſive ex ignorantia, ſive ex præſumptione non docere viam Dei in veritate.

Docti vero & ſapientes, qui librorum & ingenii ſatis habent ut rectum iudicium de actionis malitia vel bonitate ferre poſſint, eam amplecti debent opinionem, quam, omnibus pie & ſincere perpenſis, vel magis tutam iudicaverint, vel certe probabiliorem, ut iam ſupra declaratum fuit.

Qui tandem mediocri pollent ingenio & ſcientia (quod ſi ſe ipſos fallere nolint facile deprehendent, probando ſeipſos, peritiores conſulendo, ſua cum aliorum ſtudiis & progreſſibus ſtudia conferendo) inquirere debent viros ſcientia & pietate graves, non tamen rigidioris vel laxioris Moralis ſuſpectos. Quod ſi Theologos evolvant, eorum amplectantur ſententias quas magni & intacti nominis Doctores ſuſtinent ut magis conſonas veritati. Si autem duo doctores eiuſdem ferme meriti diſcrepent in ſuis ſententiis, ut unus illam ſententiam defendat quæ favet legi, ideſt tutiorem; alter vero illam quæ ſtat pro libertate, ſeu minus tutam: eam tenere debent, quæ tutior videbitur. Cæterum, ut omnes conveniunt, non poſſunt hic regulæ præſcribi ita generales, ut nulli ſubiaceant exceptioni.

§. XIV.

De conſcientia ſcrupuloſa.

Notandum, quod nomine ſcrupuli hic non intelligitur ſtudioſa illorum ſollicitudo, qui ex ſancto amore Dei ac timore non ſolum peccata ſive mortalia ſive venialia, ſed etiam eorum ſuſpicionem vitare enixe ſatagunt; nec illorum anxietas, qui ob peccata prætetita male vel leviter confeſſa inquieti ſunt ac ſolliciti: hi enim non ſcrupuloſi, ſed vere timorati dicendi ſunt. Scrupulus igitur hic eſt meticuloſa opinio, ex levi vel nullius momenti motivo concepta, iudicans aliquid præceptum eſſe, vel vetitum, quod reapſe nec vetitum eſt, nec præceptum: & plerumque hæc animum angit & excruciat. Quare ſcrupulus eſt *inanis & anxius animi timor de peccato, ubi nulla eſt ratio.* Signa autem dignoſcendi ſcrupuloſum, hæc ſunt. Primo, ſi cum ſit de ſua ſalute valde ſollicitus, nimis tamen dubitet, & in uno vel pluribus capitibus identidem anxie alios interroget. Secundo, ſi variis vexetur tentationibus circa fidem, caſtitatem, religionem, aliaſque virtutes, contra quas data occaſione peccare nollet. Tertio, ſi ſequatur cum metu & anxietate viri etiam probi & ſapientis conſilia. Quarto, ſi repetere velit confeſſiones factas cum diligentia ex ſinceritate, quia his ſemper aliquid defuiſſe credat. Quinto, ſi eiuſdem dicta pro ſcrupulis habeantur a viris probis & in morum diſciplina verſatis. Sexto, ſi id quod in aliis exiſtimat liberum a malitia & culpa, ſibi illicitum reputet, ac ſolitus ſit ſemper dubitare de iis quæ ad ipſum ſpectant.

Cauſſæ vero ſcrupulorum aliæ ſunt ab intrinſeco: ut frigida complexio, melancholia, indoles timida, imbecillitas aut abundantia proprii iudicii, cetebri debilitas contracta ex morbo, vel ex immoderatis vigiliis & ieiuniis, ignorantia, amor proprius, ſuperbia, mentis incoſtantia vel pertinacia, puſillanimitas & animi deiectio, ob quam neſciunt aliqui vanos timores contemnere. Aliæ ſunt ab extrinſeco: ut converſatio cum ſcrupuloſis, lectio Caſuiſtarum qui ſatis non penetrantur, ſæpius etiam aſtutia dæmonis, qui iugum Dei leve & ſuave in grave & aſperum transformare nititur, ut homines a Chriſtiana perfectione & ſalute deterreat, ac in deſperationem coniiciat, vel ut eos redat ineptos ad officia operaque pietatis & charitatis, quæ cederent in gloriam Dei & proximi utilitatem.

Scrupulorum remedia.

Variæ ſunt regulæ quæ ſolent exhiberi a Theologis ad ſcrupuloſorum animos medendos, inter quas præcipue ſunt. 1. videlicet ut pœnitens talem ſuam imperfectionem agnoſcat, ideſt ſe eſſe ſcrupuloſum; cum perraro, immo ſere nunquam, etiamſi ſint viri docti, hi credant ſcrupulos pati, ſaltem in actu practico individuali, cum iudicent non levia eſſe momenta, quibus hic & nunc anguntur & perturbantur: nam ſ. cus talem inquietudinem expellerent, ea ut nullius momenti contemnendo, quæ ei anxietatem ingenerant. Et ſi non valeat timorem per ſe expellere de malo quod putat ubi revera non eſt, ſuum debet deponere iudicium, & non obſtantibus ſuis rationibus ſe ſubmittere ac acquieſcere eorum iudicio, quibus ſæpe animum ſuum aperuit, quorum prudentiæ in omnibus ſtare debet, penitus depoſita inani ſua opinione. Et ad hoc tenetur ob gravia damna, ac etiam pericula quæ ipſi imminent peccandi formaliter ex etronea conſcientia, quam ſi ſcrupulos non deponat, ſibi tandem efformare poteſt. Nam in tali ſua pleniſſima ſubiectione Directoris iudicio, etiamſi aliquando contingeret illum errare, quia obediendo facit id quod in ſe eſt, non peccabit, ut ex cap. 44. *de ſentent. excomm. Ad ſui Paſtoris, conſcientia levis & temerariæ credulitatis exploſa licite poteſt* &c. cum manifeſtum ſit Deum non plus exigere a tali afflicta perſona. Secundo: frequentare debet orationes aliaque pietatis opera, præcipue actus humilitatis, actus fiduciæ & amoris in Deum. Tertio: debet eſſe ſollicitus in cavendis peccatis tum mortalibus tum venialibus. Quarto: proborum ac ſapientum hominum vitam conſuetudinemque inſpicere iuxta monitum S. Antonini. Quinto: non debet ad ſingula Directorem adire, ſed per ſe ipſum ex generalibus regulis ab ipſo Directore, vel aliunde acceptis aſſueſcat in occurrentibus caſibus ſibi prudenter ſtatuete conſcientiam. Sexto: fugere debet otium, ac expellere vanas cogitationes, quæ animum ſcrupulis divexare ſolent. Octavo: non fovere ſcrupuloſas cogitationes, immo illas contemnere contra eas agendo, formando in contrarium prudens iudicium, quod facile eſt factu, eo quia ſcrupulus ſit opinio innixa levi ac contemptibili momento. Nono: delere debet ac deiicere cauſſas ſcrupulorum: quod facile fiet, ſi ſuperbus non innitatur, ut monet Sapiens, prudentiæ ſuæ; iudicium ſuum eli-

dat

dat pertinax; rudis inſtrui curet; puſillanimis ad Dei bonitatem reflectat, qui non aggravat præceptis, quibus in inſaniam inducamur. Qui vero melancholica afficitur infirmitate, atram bilem medicamentis expellat.

Sed cum ad animos ſcrupuloſorum curandos maxime iuvet Confeſſarii prudentia; hinc cenſui breviter innuere quomodo ſe gerere debeat Confeſſarius cum perſonis quæ ſcrupulis anguntur. Unde 1. Confeſſarius attentus ſit, ne ſcrupuloſorum conſcientias regere ſuſcipiat, niſi ſcrupuloſus profiteatur, quod reiecto proprio iudicio, eius prorſus conſilio ſe velit ſubmittere. Idcirco ſcrupuloſo perſuadeat Confeſſarius, quod non poſſit ſeipſum regere, ſed per alium indigeat regi, ac proinde ei humiliter obſequi debeat; cum provida Dei benignitas, qui vult omnes ſalvos fieri, neminem privet modo, quo in viam ſalutis dirigi valeat. Et hoc eſt præcipuum remedium, quod ſancti & docti viri præſcribunt ut neceſſarium ad huiuſce ſpiritualis morbi curationem. Quod ſi non curetur, pariet non levia ſpiritualia damna ac pericula. 2. Scrutetur ſcrupulorum cauſſas ac fontem, & prout invenit aliquod ex antea expoſitis, remedium ei opportunum præſcribat. 3. Quibuſdam generalibus principiis ſcrupuloſum inſtruat, quibus in ſcrupuloſis ſuſpicionibus ſe reſolvere, ac eas expellere valeat; nec permittat ſcrupuloſo quod frequenter ad ipſum recurrat: immo quando deprehendit quod pro aliquo ſcrupulo eum adierit, non auditum dimittat; quia talis frequens interrogatio & recurſus ad Confeſſarium valde ſcrupulos fovent. 4. Inculcare debet ſcrupuloſo illud Gerſonis: *Debent ſcrupuloſi audacter contra ſcrupules operari; alias nunquam pacem habebunt*. Non quod licitum ſit contra ſcrupulum, remanente ſcrupulo, agere, ſi per ſcrupulum intelligatur verum iudicium, tametſi inanibus cauſſis innixum: non enim magis operari licet contra conſcientiam ſcrupuloſam actu retentam, quam contra conſcientiam erroneam perſiſtentem: ſed quia poteſt & debet ſcrupuloſus ſcrupulum ſuum reiicere, non diſputando, rationeſque intrinſecas apponendo: quia ita ſe gerendo fiet ut nunquam quid concludat & perſuadeatur, & finem faciat ſcrupulo, immo magis illum fovebit; ſed utendo rationibus extrinſecis, eis ſcilicet quæ deſumuntur ab auctoritate Paſtoris vel Confeſſarii, aut quæ deducuntur ex principiis, quæ in caſibus, aut prorſus, aut prope ſimilibus a pio ac docto viro expoſitæ ſunt. 5. Si valde gravem moleſtiam anxietatemque patiatur in obſervando præcepto, a quo notabile nocumentum excuſat, diſpenſatio pro eo petatur, ſi aliter curari nequeat. 6. Moneat ſcrupuloſum, ut ſe abſtineat a nimis anxio examine conſcientiæ, ac doceat eum non teneri niſi ad mediocre peccatorum examen, licet aliqua fortaſſe hinc fiat prætermitti, præcipue ſi tantam hac in re patiatur animi inquietudinem & angorem, ut prudenter timeri poſſit periculum læſionis in cerebro, vel inſaniæ & deſperationis. Etenim ad materialem integritatem confeſſionis non tenetur cum tanto incommodo & periculo; nec Deus illud totum exigit in hoc negotio ab ægris æque ac a ſanis.

7. Non permittat confeſſionem generalem peccatorum antea rite confeſſorum ſcrupuloſo, qui timoratæ ſit conſcientiæ, & ſufficienter a peccatis per alias confeſſiones iam purgatus, ſi timor ſit ne exinde nimis angatur ac excrucietur, vel timeatur capitis debilitas aut alia corporis infirmitas. Permittat ei tamen qui non videtur ſatis purgatus a peccatis, dummodo periculum non immineat in ea denuo conſentiendi; cum generalis confeſſio ſit maxime utilis ad conſcientiæ munditiem. 8. Neutiquam vero ei conſentiat abſtinere a Sacramentorum frequentatione, ne gratia privetur ſacramentali, quæ plurimum iuvat ad hoc ut conſcientia a ſua inquietudine conquieſcat. 9. Ne poſtea afflictio addatur afflicto, benignum mitemque erga illum perſæpe ſe exhibeat. Quandoque tamen iuvabit auſteritas, ut expugnetur eius animi pertinacia. Tandem cautus ſit Confeſſarius, ne talis pœnitens in ſua ſcrupuloſa conſcientia efformanda ab uno ad aliud tranſeat extremum, cum ſcrupuloſa conſcientia timoratam etiam depellendo, ita ut nimius rigor in laxitatem vertatur.

Digitized by Google

TRACTATUS

DE SECUNDA, SEU EXTERIORI MORUM REGULA, IDEST DE LEGIBUS.

IAM vidimus totam principalemque rationem moralis bonitatis vel malitiæ actuum humanorum pendere ab eorum regulis: interna una, quæ eſt conſcientia; externa altera, quæ eſt lex, ſive naturalis, ſive poſitiva, divina & humana. Et cum omnia quæ influunt & concurrunt ad afficiendos moralitate, ſive eſſentiali, ſive accidentali, actus humanos (ut ſunt obiectum, finis, circumſtantiæ) hanc ipſis conferant, prout hiſce regulis ſubiiciuntur; idcirco tota bonitas vel malitia actuum humanorum conſiſtit, ut iam diximus, in conformitate quam habent cum ſuis regulis, vel in diſſonantia ab ipſis. Hinc cum iam actum ſit de regula interna, quæ eſt conſcientia, nunc ordo poſtulat ut de externa, ſcilicet de legibus ſermo inſtituatur.

§. I.

De legibus in communi.

Tametſi Deus unus ac ſupremus ſit noſter Superior, Rex, & Dominus; quia tamen non erat expediens ut immediate viſibiliter nos regeret: multos idcirco ſtatuit in humana Republica Dominos, Superiores, Regeſque, per quos tamquam per ſuos vicarios regeremur ac gubernaremur. Unde licet una ſit lex ſuprema & immobilis, videlicet æterna Dei voluntas, cui nos obſequi tenemur: quia tamen non oportebat iſtam voluntatem quoad omnia particulariter nobis manifeſtam fieri immediate ab ipſo Deo; in aliquibus hoc præſtitit per ſe ipſum, in aliis vero hoc fecit & facit per legiſlatores quos ſibi ſubſtituit, qui ſuas ferendo leges, illam nobis explicarent. Quare contingit ut pro diverſitate horum legiſlatorum diverſæ habeantur Leges, quæ omnes tamen ſuam vim habent & robur ab illa ſumma æterna Lege, quæ vult, ut cuilibet Superiori legitime imperanti obediamus. Et hæ leges, prout conveniunt ſub una legis ratione, ſunt ſcopus ſeu obiectum, circa quod hic verſare ſtatuimus.

Legis etymon. Lex quia diverſos habet effectus & conditiones, varia etiam habet nomina, idem tamen ſignificantia. Nam a Græcis dicitur *νόμος*, a Hebræis תורה *torà*, a Latinis *lex*. Si huius vocabuli etymologiam ſpectemus, ſecundum D. *Thomam* 1. 2. *quæſt.* xc. *art.* 1. lex dicitur a *ligando*: quia proprius eius effectus eſt ligare ſive obligare ſubditos. Latini auctores ab *eligendo* legem appellatam eſſe dixerunt, ut S. Auguſtinus *Quæſt.* xx. *in Levit.* teſtatur; & quia leges nonniſi cum magna & prudenti electione ferendæ ſunt, & quia oſtendunt quid eligendum ſit. Cenſet tandem S. Iſidorus *lib. XI. cap.* x. legem dictam ſic eſſe *a legendo*, quia lex ſcribitur, & ideo legenda proponitur: Solebant enim veteres leges ſcribere in publicis tabulis, & populo legendas proponere, ut in ipſis legerent ea quæ operari, & a quibus ſe abſtinere deberent. Hæc tamen derivatio non competit univerſaliter omni legi, cum neque Lex naturalis, nec Lex nova ſit Lex ſcripta. Lex vocatur etiam ius naturale, vel civile, quia eſt quædam iuſſio actionum iuſtarum: etenim ius ſecundum aliquos derivat a verbo *Iubeo*, ſecundum vero alios a nomine *Iuſtitiæ*; cum Lex ius etiam dicatur, eo quod definiat ac ſtabiliat quid iuſtum ſit. Ita dicimus ius naturale, ius divinum, ius civile, ac eccleſiaſticum, licet ſtrictius loquendo inter legem, & ius detur aliqua differentia: etenim ut habetur C. Ius *Generale* diſt. 1. Ius generale nomen eſt, Lex autem iuris eſt ſpecies; ſub uno enim iure divino, vel humano, canonico, vel civili, Leges plurimæ continentur. Lex aliquando vocatur ſtatutum, eo quia ſit ſtabilis ac firma; aliquando conſtitutio, quia conſilium, & conſenſus plurium aliquid conſtituentium, ſeu ſimul ſtatuentium præcedere ſolet. Verum huiuſcemodi nomina in hoc præcipue differunt; quod Leges Supremi Principis ſæcularis dicantur Iura, Summi autem Pontificis appellentur Conſtitutiones, & Decreta; Inferiorum Principum, Civitatum & populorum vocentur Statuta, quamvis ſæpe ſæpius ſoleant confundi, & ſumi promiſcue. Lex inſuper nuncupatur Doctrina, quatenus docet; Inſtructio, quatenus inſtruit; Præſcriptio, quatenus præſcribit; Sanctio, quia ſancit quid agendum, vel omit-

Ius naturale ac civile dicitur lex.

Differentia inter legem & ius.

omittendum, & pœnas tranſgredientibus determinat.

Ex his igitur patet, Legem confundi non poſſe, ſicuti falſo aliqui putant, cum conſilio, conventione & iure, a quibus valde lex diſcrepat. Nam conſulenti ſatis eſt rationibus uti, quibus aliquid illi ſuadeat in quem nullat haber poteſtatem, ſaltem reſpectu negotii, de quo agitur, ideſt an aliquid ſit aggrediendum, vel non; ita ut nullum ei, cui conſilium præbet, imponat debitum, ſed liberum ei relinquat illud facere, vel non: Medicus enim non præſcribit ægroto cum auctoritate nominativa ea, quibus uti debet & quibus non deber; & ſi ægrotus tenetur aliquo modo parere Medici conſilio, non tenebitur tamen ex vi ſtrictæ obligationis, quam ei afferat Medici conſilium, ſed vi legis naturalis, qua tenetur ad curandam ſui ipſius ſalutem, & conſervationem. Ex oppoſito vero, licet lex non ſine ratione inſtituatur, non ratio tamen præciſe, ſed Principis auctoritas eſt motivum, quare legi quæ eſt actus imperans, ſit obediendum, quidquid allucinando in contrarium dicat Hobbeſius. Differt lex a conventione, licet Græci publicas conventiones leges appellarint: Lex enim divina, & naturalis ortum non habuere ab ulla hominum conventione; immo leges ipſæ civiles proprie loquendo non ſunt conventiones, tametſi conventiones concurrant ad ſtabiliendam legiſlativam poteſtatem ſtatus politici; cum apud populos, ubi viget dominium Democraticum, ut olim apud Græcos, & Romanos, & nunc pariter apud quaſdam nationes, leges robur accipiant a populi conſenſu, cui poſt eorum inſtitutionem proponuntur a Magiſtratibus pro earum approbatione; ad quam ſufficit, ut maior pars populi conveniar; ad differentiam conventionum, quibus ſtabiliuntur contractus; cum homo relative ad ipſos, ad nihil teneatur, donec illis non aſſentiatur. Differt tandem lex, ut iam vidimus, a iure, quamvis ius aliquando, abuſive tamen, in eodem ſenſu ac Lex accipiatur, & præcipue quando adhibetur vocabulum iuris ad ſignificandam legum collectionem. Et in hoc ſenſu pariter attendendum eſt, ne idea Legis confundatur cum vocabulo iuris accepto in ſenſu ſignificandi permiſſionem, ideſt aliquid tacite, aut expreſſe a lege fieri permitti. Unde quando dicimus, quod ex divina lege ius aliquid faciendi habeamus, non ſecus ſignificat, ac legem Dei hoc ordinare, ſeu iubere, licet lex permittens reſpectu unius, ſit etiam præceptiva formaliter reſpectu alterius, ſaltem virtualiter: nam hoc ipſo quod permittitur aliquid ab uno fieri, ſimul prohibetur, ne ab altero ei illud facere impediatur. In hoc ſenſu igitur verbum iuris acceptum importat plenum arbitrium, ſeu omnimodam libertatem aliquid licite agendi. E contra vero, nempe in alio ſenſu nomen legis includit eſſentialiter ideam ſeu conceptum obligationis, quæ ligat, ſeu limitat naturalem libertatem. Quare nec in hoc ſenſu quidem ius acceptum, & multo minus, quando legum collectionem ſignificat, dici poteſt lex. Facta autem hac diſtinctione legis ab omni eo, cum quo confundi potuiſſet, operæ pretium erit eius naturam inquirere.

Lex latiſſime, & improprie, ideſt pro regula & menſura ſumi poteſt; & in hoc ſenſu ſive naturam, ſive artes ſuas habent leges, quibus diriguntur: ſic edicta Tyrannorum dicuntur leges, quamvis iniuſta. Interdum etiam lex accipitur pro conditione, veluti in contractibus qui ineuntur ea lege, ut hoc, vel illud facias. Sumitur pariter pro inclinatione, vel inſtinctu ad aliquid faciendum, & ſic concupiſcentia, qua caro concupiſcit adverſus ſpiritum, dicitur Roman. 7. *Lex membrorum*. Item pro eo quod ſit iuxta præſcriptum legis, ſeu pro opere a lege præſcripto, ut Ioan. 7. *Nemo ex vobis facit legem*. Adhibetur ulterius nomen legis pro diſciplina, vel Religione leges continente: Sic dicimus legem gratiæ, legem novam, legem Chriſtianorum. Et ad hanc acceptionem pertinet quod aliqui libri vocentur lex, licet multa alia tradant præter leges ut 1. Corint. 14. dicitur: *In lege ſcriptum eſt*. Tandem lex vocatur etiam conſtitutio invalidans contractum, vel aliquam aliam actionem, etiamſi forſan nihil proprie præciperet, aut vetaret. *Diverſæ nominis legis acceptiones.*

Lex autem ſtricte & proprie accepta eſt regula morum, ſecundum quam ad bonum ducimur & retrahimur a malo. Et in hoc ſenſu nunc de ea pertractare aggredimur. *Nomen Legis ſtricte acceptum.*

Lex igitur accepta pro regula morum iuxta ſenſum D. Thom. 1. 2. q. 90. art. 4. ac proinde non niſi agentibus ratione præditis competens, debet eſſe 1. *Poſſibilis*; quia ut in l. *impoſſibilium* 185. §. de Regulis iuris. *Impoſſibilium nulla eſt obligatio*; Et Cap. *Nemo 6. de Regulis iuris* in 6. *Nemo poteſt ad impoſſibile obligari ſecundum naturam*; Cum lex non debeat præcipere ſupra vires naturæ ita ratione dictante, cui ſex conformari debet. Debet eſſe 2. *ſecundum con-* *Exponuntur Conditiones Legis.*

ſue-

Digitized by Google

ſuetudinem Patriæ; quia rationabiles conſuetudines Patriæ non facile per contrariam legem ſunt abrogandæ, ut expreſſe in l. *de quibus ff. de legibus*; Et lex in dubio ſecundum conſuetudinem Patriæ eſt intelligenda, & interpretanda l. *Si de interpretatione ff. de legibus*; cum conſuetudo ſit optima legum interpres Cap. *Cum dilectus* 8. *de conſuet.* Debet 3. eſſe *loco & tempori conveniens*; Quia leges condi debent, & moderari iuxta conditionem locorum, temporum, atque hominum, quibus dantur, ut in Cap. *Sciendum eſt* 1. & Cap. *Neceſſe eſt* 3. *diſtin.* 29. Debet 4. eſſe *Neceſſaria, & utilis*; Quia ius novum ſtatui non debet niſi inſtante neceſſitate, Cap. Reg. 2. *diſt.* 29. & l. 3. de *Conſtit. Princip.* ubi expreſſe dicitur, quod in rebus novis inſtituendis evidens eſſe debet utilitas, alias lex tamquam ſine ratione, & cauſa lata, ſuperflua cenſeretur: Lex enim eſt actus Publicæ Poteſtatis, quæ inſtituta eſt in ſolum bonum commune, & poteſtas ferendi leges non eſt data hominibus, niſi propter bonum commune procurandum. 5. debet eſſe *manifeſta*; Quia propter eius obſcuritatem poſſet captioſe, & perperam interpretari, & exinde multa poſſent mala contingere. 6. debet eſſe *Nullo privato commodo, ſed pro communi civium utilitate conſcripta*; quia lex primario & principaliter debet eſſe ordinata ad bonum commune Reipublicæ *l. 1. ff. de legibus*. Verum brevius & clarius omnes neceſſariæ legis conditiones continentur in ipſius legis definitione, quam de ipſa generatim ſumpta tradit loco cit. D. Thomas hiſce verbis. *Lex eſt ordinatio rationis ſtabilis ad bonum commune, ab eo, qui curam gerit communitatis promulgata, cum animo obligandi ſubditos*; vel ut alii: *voluntas Superioris præſcribens eis, qui ab ipſo dependent obligationem operandi eo quodam modo, ut eis ipſe præſcribit*. Dicitur *rationis ordinatio*, cum lex ſit actus prudentiæ, qua Legislator membra Reipublicæ componit inter ſe, & aliis mediis ad ultimum ſuum finem dirigit. Et hoc facit iubendo, vetando, & efficaciter præcipiendo. Idcirco lex dicitur etiam præceptum, ſeu Regula agendi, vel omittendi, obligans ex auctoritate ſuperioris; quod verificatur ſaltem virtualiter etiam in lege permiſſiva, quæ in permiſſione, ut diximus, vetat, ne impediatur quod permittit. Dicitur etiam *ordinatio rationis*; quia cum lex, ut ex S. Iſidoro lib. 5. etymolog. debeat eſſe iuſta, Religioni conveniens, opus eſt, quod diſciplinæ congruat, ſaluti proficiat, & a recta ratione prodire debet, quæ eſt lumen ſignatum a Deo ſuper nos, ideſt participatio legis æternæ Dei. Unde vana eſt Hobbeſii excogitatio, naturæ leges ſolum obligare, quia ab ore Dei promulgatæ ſunt in Divinis Scripturis, non quia ſunt concluſiones deductæ ab eiuſdem rationis principiis, ſpectantes ad id quod fieri debet, vel omitti; cum ratio ipſa demonſtret obſervantiam naturæ legum non ſolum utilem eſſe, ſed ulterius Deum velle, ac præcipere, quod homines leges eas pro regula ſuarum actionum accipere debeant. Dicitur *ſtabilis*, hoc eſt ſtatuta in perpetuum, ſeu ſine termino definito; ut ſemel lata ſemper duret, quamdiu durabit communitas cui imponitur: ita ut obliget etiam Legislatore defuncto. Hanc enim perpetuitatem legis neceſſario exigit finis ipſius legis, ideſt bonum commune, quod poſtulat ſtabilitatem, & uniformitatem, ut utiliter adminiſtretur communitas, quæ eſt perpetua, quatenus per continuam ipſi acceſſionem perſeverat eadem moraliter in poſteris.

Definitio Legis ex S. Thoma.

Varia legum mutatio ſine rationabili cauſa poſſet graviter nocere communitati, ſubditos turbando, inquietando, & quandoque etiam ad rebellionem excitando. Et in hoc differt lex a mandato & ſimplici præcepto, quod non eſt ſic firmum, & ſtabile, eo quia hoc non ſoleat dirigi, niſi ad privatam perſonam, & familiam, quæ non ſemper perdurant, ſicuti communitas, cui lex imponitur. Perpetuitas tamen, quæ in lege requiritur, non debet eſſe poſitiva, quaſi nunquam poſſit abrogari, etiam quando mutatis circumſtantiis inutilis fieret, & noxia; ſed negativa, ideſt quia quamdiu a Principe non revocetur aut a contraria conſuetudine, ſemper obliget, ad differentiam ſimplicis præcepti, etiam defuncto Legislatore. Dicitur *ad bonum commune* ideſt publicum; Quia poteſtas Legislative data eſt a Deo Principibus ſive Eccleſiaſticis, ſive Politicis, non in privatam eorum utilitatem, ſicuti poteſtas Domini in ſervum, aut in rem domeſticam, ſed in bonum commune totius Reipublicæ; in quo differt Tyrannus, qui propriam, a Rege, qui communem quærit utilitatem: idcirco ſecundum Ariſtotelem l. 2. *Ethic.* patet, Reges ſeſe accommodare debere ad bene adminiſtrandam Rempublicam in ſuis legibus ferendis, attentis circumſtantiis perſonarum, temporum, honeſtarum conſuetudinum, locorum: Quæ omnia requiruntur, ut lex iuſta ſit, & vim habeat obligandi in conſcientia. Dicitur *ab eo qui curam habet communitatis*,

Quid Principes in ferendis ſuis legibus debeant attendere.

& hoc

Digitized by Google

& hoc indicat differentiam legis a conſilio, quod poteſt eſſe etiam ab homine privato, & ſimul innuit eos, qui auctoritatem habent condendi leges; eos nimirum, quibus incumbit Rempublicam gubernare: nam illorum eſt aliquid ad bonum communitatis ordinare, qui habent poteſtatem iuriſdictionis qua præſunt perfectæ communitati, ut ſunt Pontifex, Concilia Generalia, Provincialia, Diœceſana, Epiſcopi, Generales Ordinum, Comitia Generalia, reſpectu rerum Eccleſiaſticarum; & in Civilibus Imperatores, Reges, Principes ſupremi, Reſpublicæ independentes, Civitates liberæ. Ubi enim Monarchicum eſt regimen, unicus poteſt Legiſer legem condere; ubi Democraticum, quod regitur a multis, ab illis ſimul poſſunt leges ferri, Unde non ſufficit ad legem condendam poteſtas dominativa, ſeu œconomica, quam Pater habet in Filios, Dominus in Servos, Maritus in Uxorem, ſed requiritur poteſtas publica reſpectu communitatis polliticæ, ac perfectæ. Hinc defectu huiuſce conditionis Præcepta, Statuta, Decreta, quæ fiunt ab iis, qui non præſunt communitati perfectæ, ut ſunt in Eccleſiaſticis Parochi, Provinciales, Priores, aliique cuiuſcumque congregationis Præſidentes; & in Civilibus Civitates ſubditæ, Patresfamilias aliique, qui tali imperfecta iuriſdictione pollent, non habent vim legis. Poſſunt hi quidem dare præcepta ſuis filiis, ſervis, ſubditis religioſis, non tamen leges ferre; quia familia ſive civilis, ſive religioſa non venit nomine veræ ſeu perfectæ communitatis.

Quæ ſit Communitas perfecta.

Communitas perfecta ea intelligitur, quæ ex natura ſua perpetua eſt, & ad ſupremum regimen apta, ſive ea, quæ ſibi ſatis eſt, ut finem, ad quem inſtituta eſt, conſequatur, ut Eccleſia Univerſalis, & Diœceſis in ſpiritualibus; Regnum, Provincia, Civitas ſui iuris &c. in temporalibus. Nam Eccleſiaſticis leges ſufficiunt ad continendos ſubditos in via Spiritualis ſeu Chriſtianæ diſciplinæ & ad conſecutionem æternæ ſalutis, quæ eſt finis Eccleſiaſticæ iuriſdictionis, & dominii. Sæcularibus autem ad temporalem publicam pacem felicitatemque ſervandam, media ſubminiſtrando neceſſaria, & contumaces coercendo. Imperfectæ vero communitates, ut Familia, & Parochia quæ ex natura ſua non ſunt perpetuæ, nec politico aptæ regimini, ſive quæ ſibi ſatis non ſunt ad prædictum finem, eo quia non valeant ſubminiſtrare media ad illum neceſſaria, & improborum contumaciam quavis mulcta cohibere, vi præceptorum ſunt continendæ; nam communitas tunc cenſetur ſibi ſufficere ad finem ſuum obtinendum, quando per ſe poteſtatem habeat inſtituendi Paſtores, magiſtratus, membra ſeu proprios ſubditos retinendi in ordinata conſtitutione, ſeu moderandi lites, controverſias componendi, effrænos edomandi, pravos ſceleſtoſque etiam ultimo ſupplitio puniendi, contumaces a Corpore reſcindendi. Dicitur *promulgata* ideſt ennunciata ſeu intimata; quia regula directiva morum generalis, & communitatem obligans, ſecundum eius capacitatem debet ei applicari, ideſt fieri nota, alias eſſet potius propoſitum efficax quam lex; idcirco leges primo inſtituuntur quando promulgantur. Additur *cum animo obligandi ſubditos*, ut diſtinguatur a Conſilio, quod, ut iam diximus antea, dari poteſt non minus a Superiore, quam ab æquali, nec ullam per ſe inducit obligationem. Lex vero ut præceptum non imponitur niſi inferioribus, & ſubditis cum onere, & obligatione illud ſervandi. Hinc illud D. Hieronymi l. I. contra Iovinianum: *ibi conſilium datum offerentis arbitrium eſt, ubi præceptum neceſſitas eſt ſervientis*.

Cum vero Lex neceſſario iuſta eſſe debeat, & honeſta, in dubio de illius iuſtitia & honeſtate præſumptio ſtat pro Legislatore, & pro lege; tum quia Legislator habet ius altius, & ius poſſidet præcipiendi, a quo ſubditus ſuo dubio non poteſt ſe eximere, tum quia Superior regitur conſilio altiore; idcirco poteſt habere rationes ſubditis occultas, nec Princeps tenetur manifeſtare arcana ſui conſilii, immo abſolute ne quidem hoc convenit, quia aliquando tumultum pareret, ac propoſitum perturbaret, vel etiam impediret.

Hic autem notandum eſt, differentiam aliquam intercedere inter legem & præceptum: quamvis enim omnis lex ſit præceptum accipiendo præceptum late pro omni dictamine ſeu ordinatione Legislatoris, ſive iubente, ſive prohibente, quidpiam; non omnis tamen Lex eſt præceptum ſtricte pro ordinatione iubente aliquid fieri. Nam primo, ait Sylvius hic, præceptum eſſe aliquam legem, non vero iuſſionem, cum iuſſio, addie ipſe, ſit proprius effectus legis a reliquis diſtinctus. Secundo lex neceſſario fertur a Perſona publica pro communitate ad bonum ipſius communitatis; præceptum vero ferri poteſt a privata Perſona ad Perſonam privatam, ſicut iam alias diximus, & in bonum privatum. Tertio lex eſt perpetua, non vero merum, & ſimplex præceptum, quod morte præcipientis expirat. Igitur lex differt a præcepto, ſicut ſpecies a genere;

Omnis

Digitized by Google

Omnis enim lex eſt præceptum, ſed non omne præceptum eſt lex. Præceptum inſuper aliud eſt commune, aliud particulare. Commune aliud perpetuum quod proprie eſt lex, aliud non perpetuum ſed temporale, ideſt poſitum ad breve tempus. Conveniunt vero lex & præceptum in hoc, quod utrumque ſit ratio ſeu regula aliquid agendi, vel omittendi, obligans ex ſuperioris auctoritate. Quomodo autem dignoſci poſſit, an aliquid ſit præceptum, an lex; cum hoc pendeat maxime ab intentione præcipientis, ex pluribus circumſtantiis, præcipue ex modo præcipiendi, & ex auctoritate præcipientis res eſt determinanda.

§. II.

De Cauſſis Legis in Communi.

Quadruplicem cauſſam legis diſtinguunt Theologi, efficientem ſcilicet, finalem, formalem, & materialem & hæc poſtrema alia eſt *circa quam*, & idem eſt ac obiectum, alia *in qua*, quæ idem eſt ac ſubiectum. Quodnam vero ſit eius ſubiectum, controverſia eſt inter Theologos, num ſit ſolus Legislatoris intellectus; num ipſius voluntas, cum ſemper in agendo ſupponatur cognitio, & lex ſit actus imperans honeſta, inhoneſtaque vetans, quod ſpectat ad voluntatem; vel utrumque, quod verius videtur; nempe intellectus præſuppoſitive, & voluntas formaliter. Etenim Legislator cognoſcere deber varia media, mediorumque utilitatem, ac proportionem cum fine. Hinc ad legem præcedere debet, ideoque præſupponi actus intellectus; cum enim ſuperior per legem ſubditos ad aliquid obliget; nempe ut aliquid fiat ab ipſis vel vitetur, hoc fieri nequit per ſolam cognitionem intellectus, ſed requiritur actus imperii, qui eſt actus voluntatis; idcirco etiam voluntas eſt ſubiectum legis. Quocirca, cum ſubditi legi obediunt, mos eſt dicere, quod voluntati Principis morem gerant; immo Princeps, qui legem conſtituit, uti ſolet verbis, quæ ipſius volnntatis actum explicant, non intellectus, *ſic volo*, *ſic iubeo*.

Cauſſa efficiens Legis. Cauſſa efficiens legis ſunt omnes qui habent ſupremum, & independens dominium, cum hi ſolummodo auctoritate propria, non ab alio eiuſdem ordinis Superiore accepta, ut ſit in delegatis, poſſint præcipere aliquid, vel vetare Communitati. Unde cum Deus ſit ſupremus, & omnino independens univerſorum dominus, & moderator, in cuius ditione, arbitrio & diſpoſitione omnia ſunt poſita, leges condere poteſt, & potuit, ac reipſa condidit, qualis eſt lex Divina, quæ ideo Divina dicitur; quia a Deo immediate data eſt humano generi. Leges vero humanas condere poſſunt omnes, qui cum ſupremo & independenti dominio, ac poteſtate perfectæ præſunt Communitati ſive Eccleſiaſticæ ſive Sæculari, de quibus infra ſuo loco. Dixi, *qui habet ſupremum, & independens Dominium*; nam ſi ius habeant & gubernationem dependentem, ut Feudatarii & Proreges, ii facultatem non habent condendi legem, ſed ad ſummum præceptum edendi; cum condere leges ſit proprie ex Regalibus actionibus, quæ ſummo Principi reſervantur.

Cauſſa finalis Legis. Cauſſa finalis eſt bonum Commune, quod præcipue, ac unice inſpicit Legislator; cum hæc ſit unica ratio, quæ movet ad legem condendam, & hoc ſolum intendit Legislator ſive præcipiat in ipſa lege, ſive vetet, nempe boni Communis ex eius obſervantia conſecutionem. Nam lex omnis ſive generalis, ſive particularis, ut recta ſit, habere debet pro ultimo fine hominum felicitatem, temporalem videlicet ſi civilis ſit, æternam ſi Eccleſiaſtica. Quare etſi lex de audiendo Sacro habeat pro fine immediato divinum cultum, Lex de ieiunio carnis mortificationem, & ita dicito de cæteris; omnes tamen eo rendunt, ut ducant homines ad vitam æternam. Quod idem verificatur de legibus civilibus in ordine ad perducendam Rempublicam in præſentis vitæ ſecuritatem, & tranquillitatem, in quo ſtat temporalis hominum felicitas. Hinc fit, ut leges Civiles vetare nequeant, niſi illa, quæ temporalem turbant tranquillitatem; & ſimiliter quæ ab æterna avocant felicitate, Eccleſiaſticæ; & ſic non poſſunt præcipere civiles, niſi ea, quæ ad temporalem conducunt beatitudinem, ad æternam vero Eccleſiaſticæ. Sed de his clarius infra ſuo loco.

Cauſſa formalis Legis. Cauſſa vero formalis ſeu quaſi formalis, obiectiva ſcilicet, eſt honeſtas virtutis quam iubet, & turpitudo vitii quam inhibet, eo nimirum modo, quo ratio formalis actus intellectus ab obiecto formali deſumitur. Immo, ut notat hic Tourneleius, cauſſa formalis legis in ipſa legis deffinitione continetur. Inſuper ad formalem cauſſam legum pertinent etiam verba, quibus leges exponuntur, ac ſolemnitates quibus evulgantur. Et quoad verba, tametſi tota vis obligandi ſtet in voluntate Legislatoris, quia tamen obligatio cadit ſuper homines, qui non vident internam voluntatem, illa idcirco manifeſtari debet

debet per ſigna, ut ſunt verba, quæ ſicut dicunt Philoſophi, ſunt ſigna ad exprimendos exterius internos animi conceptus. Verba autem, quibus lex, quam Legislator in mente conſtituit, manifeſtatur, ſecundum doctores ſunt ea, quæ ſine ambiguitate exprimunt abſolutam efficacemque voluntatem obligandi, cuiuſmodi ſunt *præcipimus*, *iubemus*, *prohibemus*, & ſimilia; ita ut ſi lex hiſce verbis non exprimatur, non dicenda ſit lex, ſed directio, conſilium, quæ non obligant ad ſui obſervantiam.

Verum cum dentur leges, ut ſunt eccleſiaſticæ, quæ exponuntur verbis non ita rigide præceptum importantibus, ut lex de ieiunio, de audiendo Sacro, & ſimilia, ſicuti patet ex iure Canonico, ubi obligatio has leges indiſpenſabiliter obſervandi exprimitur per verba *decet*, *oportet*, *debet*; videtur, quod licet etiam verba ſint attendenda; ſi tamen Legislator non ſit alicui verborum formæ ligatus; unde aperte eius voluntas & intentio ex verbis non colligatur; tunc illa colligenda eſt quoad obligationem, quæ inſit in lege pro inviolabili eius obſervantia, ex eiuſdem adminiculis ſeu circumſtantiis. Ut igitur deprehendatur, an diſpoſitio aliqua Principis ſit lex, an ſolum conſilium, vel directio, nempe num obliget, vel non, non modo advertenda ſunt verba, ſed alia inſuper; & præcipue ſi adiungatur pœna delinquentibus in legem, ſi contumaces coerceantur; nam pœna non imponitur niſi tranſgreſſoribus.

Inter ſolemnitates vero legis habetur quod ſcripta ſit, & promulgetur. Et quoad primum videtur convenientiſſimum ut lex ſcripturis mandetur; immo uſus invaluit apud omnes Principes, ut præter ſcripturam requiratur ſygilli impreſſio, Secretarii ſubſcriptio, ita ut ſine illis lex infirma ſit, & nullius roboris; quia ex hoc fit, ut melius, ac firmius communiuſque ſciatur quid lex contineat, præſcribatque, & ſic facilius reprehendi poſſint trangreſſores. Et hoc non ſolum docuere prudentiores, qui leges ſtatuerunt, ſed ipſe Deus initio inſcripſit in cordibus hominum naturæ leges, & poſtea eas populo innovatas tradidit inſculptas in Tabulis lapideis. Hæc tamen non eſt conditio legi neceſſaria, dum ex iure Canonico ſufficit ad ipſius Inſtitutionem, ut promulgetur; *Leges conſtituuntur quando ſolemniter promulgantur, & hoc fieri poteſt ſine ſcriptura.*

Circa vero alteram legis ſolemnitatem, quæ eſt promulgatio, advertendum eſt, quod promulgatio eſt intimatio ſeu declaratio legis, quam Legislator facit iis, quos vult obligare, ut eam implere debeant. Item quod lex inſpici poteſt, & in actu primo, prout videlicet apta eſt ad obligandum, & in actu ſecundo, prout de facto, ac reipſa obligat. Item notandum eſt, quod hoc requiratur circa legem poſitivam, non vero circa naturalem, quæ non indiget tali intimatione ſeu promulgatione, utpotequæ per ipſius impreſſionem in ſingulorum hominum mente, ſatis indicta, ſeu promulgata intelligatur.

Promulganda eſt lex poſitiva, quia non intelligitur ſeu cognoſcitur, prout eſt ſimpliciter imperium quoddam in mente Legislatoris, & ex ſe virtutem non habet obligandi niſi in actu primo; nam dum ſtat occluſa in Legislatoris mente, non poteſt eſſe regula actionis ullius; quia non poteſt cognoſci ab iis, qui hanc regulam ſequi deberent. Etenim nemo præter Deum cognoſcere valet quæ ſunt in alterius animo, ac proinde non tenetur ei obſequi, cum in tali caſu ſubditus eam prorſus invincibiliter ignoret. Sed de hoc melius dicetur ſuo loco.

§. III.

De effectibus Legis ipſiuſque proprietatibus, ſeu conditionibus.

D. Thomas cum aliis communiter quatuor actus, ſeu effectus legis agnoſcit ac recenſet, nimirum *præcipere*, *prohibere*, *permittere*, *honorare vel punire*. Etenim actus humani, qui legi ſubiacent, ſunt vel boni, & ſi neceſſarii ſunt imperantur, vel mali, & prohibentur, vel indifferentes, & permittuntur: ſed quoniam officium legis eſt non ſolum oſtendere, & ordinare quid faciendum, verum etiam proſpicere, ut quod præcipitur exequatur; hinc ad hoc, ut inducantur ſubditi ad legum obſervantiam, ſtatuta eſt pœna transgreſſoribus, præmium obedientibus, ut timor punitionis frænaret audaciam, & ſpes remunerationis obedientiam excitaret. Nota, quod illa quatuor dicuntur actus vel effectus legis, non quia proprie lex illos eliciat aut faciat; ſed partim quia ſunt actus, aut quaſi actus, qui a Principe ſecundum quod habet poteſtatem legislativam procedunt, partim quia ſunt officia ad legem pertinentia, & in lege contenta.

Ex his legis effectibus alter colligitur, ideſt eius obligatio: lex enim omnis, ut iam ſuo loco dicetur, neceſſario habet obligare. Ita communiter Doctores. Sanctus enim

Aug.

Digitized by Google

Aug. l. *de Sancta Virginitate* c. 14. ait: *præcepto is qui non obtemperat, reus eſt & debitor pœnæ*. Et ratio eſt; quia lex, & præceptum eſt uſus, & applicatio iuris ac poteſtatis, quam habet Superior ad obligandum ſubditum; ita ut legem ferendo intendat Superior ac velit efficaciter, necnon per illam ſe declaret velle efficaciter ſuos ſubditos obligare. Voluntas vero efficax ſuppoſito iure, & poteſtate, inducit effectum obligationis, & ſubditi ſine tranſgreſſione legis divinæ, naturalis, & poſitivæ, quæ præcipit parere iuſtis Superiorum præceptis, nequeunt ſe ſubtrahere obſervantiæ legis ſibi impoſitæ.

§. IV.

De diviſione Legis.

Lex dividitur 1. in Divinam & Humanam. Divina eſt, quæ immediate eſt a Deo; Humana, quæ immediate ab hominibus. 2. in affirmativam, & negativam. Negativa ea eſt, quæ aliquid prohibet, & nihil agendo adimpletur, & dicitur obligare ſemper, & ad ſemper in quacumque temporis differentia, cum dormimus, cum manducamus, aliudve quidpiam facimus; quatenus enim ad ſuam executionem puram exigit omiſſionem, alia opera non impediunt quin poſſimus & debeamus etiam cum ipſa fiunt, talem legem exequi. Talis eſt lex de non blaſphemando, quæ adimpletur pura omiſſione blaſphemiarum, quatenus blaſphemiæ omitti poſſunt in quacumque temporis circumſtantia. Affirmativa ea eſt, quæ aliquid præcipit, & requirit opus ad ſui executionem, & dicitur obligare quidem ſemper, non tamen ad ſemper, ſed pro aliqua temporis circumſtantia. Huiuſcemodi eſt præceptum de colendo Deo, quod ut impleatur, exigit aliquem actum obſequii erga Deum, quem cum ſemper exhibere non poſſimus, (non poſſumus enim cum dormimus, manducamus &c.) ideo dicitur non obligare ad ſemper; quia nunquam datur tempus, quo nos non debeamus cultum præſtare Deo, licet præſtare non debeamus in qualibet temporis circumſtantia.

Lex Divina ſubdividitur in legem divinam naturalem, & in legem divinam poſitivam. Lex divina naturalis eſt illa, quam prius Deus ipſe inſcripſit in cordibus noſtris, iuxta illud Pſalm. 4. *Signatum eſt ſuper nos lumen Vultus tui Domine*: poſtea inſculpſit in Tabulis Lapideis in Monte Sina, & in Decalogo continetur. Dicitur *Divina*, quia eſt immediate a Deo; dicitur *naturalis*, quia ita exigitur a natura humana, & eſt illi conformis, ut ex ſuppoſitione, quod Deus voluerit naturam humanam, non potuerit legem hanc eidem non dare. Poſitiva divina eſt lex, quæ immediate eſt a Deo, eamtamen potuiſſet Deus non dare, etiam ex ſuppoſitione, quod naturam humanam condiderit, cuiuſmodi erant præcepta de cæremoniis in veteri Teſtamento, & ſunt præcepta de Sacramentis in novo. Nec mirum quod lex naturalis Decalogi ducat ad vitam æternam, quæ eſt ſupernaturalis; quia hoc contingit ex Dei benignitate, qua ſibi complacuit in creando hominem, hunc ad ſtatum ſupernaturalem gratiæ ſuæ, & Gloriæ elevare. Unde ad huiuſmodi ſtatum elevata fuit etiam lex naturalis, ut per ipſius obſervantiam, non tamen viribus ſolius naturæ, ſed etiam gratiæ, poſſit acquiri vita æterna. Unde

Lex naturalis dividitur in eam, quæ reſpicit naturam ſecundum ſuum ſtatum naturalem conſideratam, & in eam, quæ naturam eamdem reſpicit prout elevata eſt ad ſtatum ſupernaturalem, & fidei lumine illuſtrata. Cum enim lex naturæ oſtendat amplectendum eſſe id omne, quod naturam rationalem ad ſuum finem conducere debet; & natura rationalis, non tantum ad finem ab Auctore naturæ præfixum, qui dicitur naturalis, ſed etiam ad finem ab eodem Auctore gratiæ determinatum, qui dicitur ſupernaturalis elevari debeat; ſequitur, quod lex naturæ doceat ea etiam eſſe facienda, quibus finis ſupernaturalis obtineri poſſit, ac ideo poſita Sacramentorum inſtitutione, lex naturæ dictat, Sacramenta non eſſe irreverenter tractanda, indigne ſuſcipienda, aut adminiſtranda. Unde quamvis hæc, ſimiliave præcepta dicantur ſupernaturalia, ſunt tamen connaturalia naturæ, non ſibi relictæ, ſed ad finem ſupernaturalem ordinatæ, ac ſunt præcepta diſtincta a præceptis poſitivis; quia recta ratio fide illuminata dictat, etiam ſeclusis quibuſcumque ordinationibus, nullam irreverentiam Sacramentis eſſe habendam.

Lex divina poſitiva ſubdividitur in eam, quæ erat Veteris Teſtamenti, & in eam, quæ eſt Novi. Lex Veteris Teſtamenti ut poſitiva continebat præcepta cæremonialia, Iudicialia, & Moralia. Cæremonialia præſcribebant cæremonias Sacrificiorum, aliorumque Religionis rituum. Iudicialia præſcribebant modum ſervandum in Iudiciis. Moralia vero huc non ſpectant, ſed ad legem naturalem divinam, quæ eſt Decalogus.

gus, ut diximus in ſuperiori diviſione. Hinc Moralia adhuc permanent in hac nova lege gratiæ, Cæremonialibus, & Iudicialibus penitus ablatis. Lex poſitiva divina novi Teſtamenti continet præcepta ſpectantia ad Sacramenta ſuſcipienda, rite miniſtranda, & ſi quæ alia ſint in Evangelio, de quibus dubitatur.

Lex vero humana dividitur in Canonicam, & civilem. Canonica eſt ea, quæ provenit a poteſtate Eccleſiaſtica, Civilis quæ a poteſtate laicali ſeu Politica. Tam Canonica quam civilis ſubdividitur in præceptivam, pœnalem, & mixtam. Præceptiva eſt ea, quæ præcipit nulla propoſita pœna; Pœnalis quæ continet pœnam, non obligat tamen ad culpam: Mixta, quæ obligat præcipiendo ad culpam, & comminando pœnam.

Dividitur tandem ultimo in *irritantem*, & *prohibentem* ſolum, & *non irritantem*, ſcilicet, quæ prohibet actum, ita ut ſi fiat, peccetur, non tamen illum irritat, ſed validus remanet, ad differentiam prohibentis, ſimulque irritantis, vi cuius ſi actus fiat, eſt invalidus. Hæc autem clarius infra patebunt. Alii alias diviſiones addunt, quarum hanc aliam addimus, cum cæteræ patum ad finem noſtrum faciant.

Lex igitur poſtremo dividitur in *favorabilem*, quæ favores continet, & *odioſam*, quæ importat gravamen. Dicitur prima *favorabilis*; quia ſemper alicui utcumque favet, cum cæteroquin raro contingat, ut dum uni favet, alteri detrimentum non afferat; ac proinde videtur, quod potius mixta ex favore & odio eſſet dicenda. Sed cum hoc pendeat a Principis intentione, quando per ſuam legem aut diſpoſitionem favere intendat, illa ſemper erit favorabilis; quidquid ſit, quod per accidens contingat, ut dum unus favorem ex ea recipit, alter detrimentum patiatur.

Nota, non includi in allata diviſione Ius Gentium, tametſi conſtituat quandam iuris ſpeciem ab aliis diſtinctam; quia cum tale ius non ſit nec prorſus naturale, nec omnino poſitivum, ſed de utroque participans, utpote quod licet a natura non inſitum, nec ab ullo determinato Principe ſtatutum; tamen ab omnibus æque nationibus eſt uſu receptum, & valde conforme ad illa quæ naturalia ſunt; hinc neutro ad æquate convenit, ut utrique ſit membrum ab ipſo ſpecifice diſtinctum.

§. V.

De Lege Æterna.

Lex æterna late ſumpta eſt ſumma ratio, qua Deus omnia regit, & gubernat, & eſt res eaſdem cum ideis divinis, & cum Divina providentia, quæ ſolum ad modum noſtrum intelligendi diſtinguntur; ſumpta vero ſtricte eſt ordinatio, & voluntas Dei, qua ab æterno ſtatuit, ut a Creatura rationali fierent ea, quæ ex natura rei neceſſaria ſunt ad decenter vivendum, ideſt conformiter ad naturam ſuam rationalem, & amitterentur, quæ naturam rationalem dedecent: idcirco definitur a D. Thoma 1. 2. q. 93. art. 1. *divinæ Sapientiæ ratio, ſecundum quod eſt directiva omnium actuum, atque ideo ordinativa, qua unicuique creaturæ rationali præſcribitur ac præcipitur tendere in finem debitum*. Hinc lex æterna in hoc differt a naturali, quod hæc promulgata fuit in tempore per lumen naturale rationis menti hominum impreſſum; ita ut æterna ſit lex per eſſentiam, naturalis per participationem, quatenus ſcilicet lex æterna fuit intimata per lumen naturale naturæ rationali; habitualiter quidem per rectam rationem, actualiter vero per dictamen rationis.

Quare conſtat ex dictis, per legem æternam hic non intelligi legem omnem, quam Deus ab æterno etiam libere ſancire voluerit, alias lex Moyſis eſſet æterna; ſed eam, quæ non minus ac ipſe Deus eſt neceſſaria, quæ in Deo exiſteret, licet nunquam Deus aliquid creare voluiſſet. Item legem æternam poſſe ſpectari, & in ordine ad Creaturas, & relative ad Deum: nam ſicut creaturæ a quibuſdam diriguntur regulis, ſic Deus concipitur dirigi a quadam ſuprema ratione, cui vi ſuæ ipſius infinitæ perfectionis ſe opponere nequit; idcirco fieri non poteſt ut bruta homini anteponat, vel iuſtos odio perſequi, ac reorum pœnis punire velit. *Lex æterna* prout hic conſideratur relative ad creaturas, dicit S. Auguſtinus l. 22. contra Fauſtum c. 27. *eſt ipſa ratio, vel voluntas Dei ordinem naturalem conſervari iubens, perturbari vetans*, & l. 1. de libero arbit. ita habet de eadem æterna lege; *Ratio qua iuſtum eſt, ut omnia ſint ordinatiſſima*, ſeu quod idem eſt, *actus Divinæ mentis dictans quid ſequi, aut fugere debeat creatura, cum voluntate eam obligandi*. Unde patet quod licet lex æterna idem ſit cum ideis Divinis; quia in Deo omnia ſunt unum, & idem; virtualiter tamen ſecundum modum noſtrum

ſtrum concipiendi eſt diverſa: nam idea ſpectat rerum creationem, lex vero æterna earundem gubernationem, & eſt regula dirigendi creaturas, quam regulam ſequitur providentia in actuali rerum gubernatione: & proinde conſtat, quod lex æterna dicatur etiam Dei providentia; quæ proprie tamen non eſt eadem; cum providentia ſit Divina virtus, quæ æternam legem in tempore exequitur, ac ſubminiſtrat media per legem æternam præſcripta, quibus unaquæque res ad finem ſuum congruenter perducitur. Et inſuper lex æterna reſpicit omnes inſtar unius generaliter, & æqualiter; Providentia reſpicit ſingulos in particulari; idcirco ideæ Divinæ, æterna lex, & providentia virtualiter inter ſe diſtinguuntur. Iure igitur metito lex æterna diciur ſuprema ratio divina, qua Deus Creaturas gubernat, licet creaturarum gubernatio facta ſit in tempore. Et cum nemo ignorare poſſit exiſtentiam Dei, ipſiuſque providentiam, ita nec poteſt ipſius æternam legem: dum evidens eſt, Deum ut ſapientiſſimum, ac optimum, ea, quæ condidit, regere & gubernate.

Hic tamen obſervandum, Creaturas omnes univerſim, etiam irrationales & inſenſibiles, quæ huic æternæ Divinæ legi ſubduntur, duplici modo ſubdi ei poſſe, vel ut eſt directiva, vel ut eſt præceptiva. Ut eſt directiva, non exigit ſubiectum, quod directionem intelligat, ſed quod tantummodo dirigi poſſit, & in hoc ſenſu creaturæ etiam inſenſibiles ſubiacent æternæ Dei legi, utpote quæ poſſint dirigi, & re ipſa dirigantur per quandam impreſſionem ſibi a Deo inditam, ſeu per ipſum Deum immediate; cum lex æterna ſit ratio Divinæ gubernationis, cui Creaturæ omnes ſive rationales ſint, ſive non, ſubduntur, prout Deus omnia in ſuos fines movet, ac regit, & ſine tali gubernatione a ſe ipſis modo ordinatiſſimo moveri nequeunt. Prout autem lex æterna eſt præceptiva, ſupponit ſubiectum capax præcepti, ideſt quod ptæceptum intelligere, ipſumque ex dictamine rationis exequi valeat.

§. VI.

De Lege Naturali.

Nomine Legis naturalis, quam alii ius naturale vocant, ea intelligitur, quæ non ex libera alicuius Legiſlatoris voluntate impoſita eſt, ſed nobis cum natura ipſa eſt congenita, & ab hac profluens, & concipitur quaſi radius legis eternæ (ut iam antea attigimus in explicanda lege æterna) hominum animis impreſſus, ordinem ſervari iubens, & perturbari vetans, ac ideo dicitur a multis *dictamen rationis ad bonum inducens, a malo removens*, & hoc eſt iuxta ſenſum D. Auguſtini, iuxta quem lex naturalis nihil aliud eſt, quam lex æterna, quatenus præſider menti rationali, eique ab exordio nativitatis ſano ſenſu inſcribitur. Licet tamen requiratur in Lege naturali cognitio, & aſpectus legis æternæ, tamquam conditio, ſine qua non dirigeret lex æterna; ipſa tamen cognitio rigoroſe loquendo dici non poteſt lex naturalis, eo vel maxime, quod lex naturalis, eſt incommutabilis, cognitio vero hominis, ſicut ipſe, eſt mutabilis. Hinc definiri ſolet lex naturalis *radius legis æternæ* Definitio *creaturæ rationali a Deo impreſſus, dictans,* legis naturalis. *& præſcribens quid agere aut fugere debeat.*

Dicitur *radius legis æternæ*, quia lex naturalis diſtinguitur ab æterna iuxta D. Thomam qu. 91. art. 2. ſecundum modum habendi præcipue; quia æterna lex eſt in Deo per eſſentiam, & eſt idamet Dei natura, ac ipſe Deus indefectibilis veritas, & rectitudo; in homine ineſt per participationem, & diſtinguitur ab eius natura defectibili. Hæc eſt lumen divinum rationis quod in creatione Deus cum anima noſtra infudit in pectoribus noſtris, ut ait D. Ambroſ. Epiſtola 41. alias 71. *Deus Creator infudit ſingulorum pectoribus*; ac ita nobis ſimul indixit, ſeu promulgavit, in habitu quidem, donec ad uſum rationis pervenimus, ac proinde ineſt etiam in pueris habitualiter ante uſum rationis. Promulgatur autem cuique actualiter poſtquam ad talem uſum rationis pervenit, ut dignoſcere valeat, quid ſecundum rectam rationem amplectendum ſit, quidve fugiendum. Quare lex naturalis eſt ipſamet lex æterna nobis per dictamen rationis veluti per promulgstionem manifeſtata, non quod ipſa dictamine rationis ſint lex naturalis formaliter, ſed ſigna oſtenſiva legis æternæ, quæ quatenus ſic promulgata, ſeu manifeſtata, lex naturæ dicitur, & hæc eſt etiam doctrina Divi Thomæ 1. 2. q 91. art. 2. *Lex*, inquit S. Doct. *nihil aliud eſt, quam participatio legis æternæ in rationali creatura*: & paullo ſuperius: *In ipſa* (ideſt rationali crearura) *participatur ratio æterna, per quam habet naturalem inclinationem ad debitum actum, & finem.*

Diſtinctio inter legem naturalem & æternam.

Per verba deſfinitionis duo declarantur, nempe legem naturalem eſſe divinam, quia eſt a Deo; & differre a lege poſitiva divina & humana, eo quod lex poſitiva non ſit im-

impreſſa mentibus noſtris, quibus eſt prorſus extrinſeca, ut lex ſuſcipiendi Baptiſmum, abſtinendi a carnibus in Quadrageſima &c. quarum nullum veſtigium in natura humana reperitur. Quocirca lex naturalis poteſt quidem obumbrari, præcipue in concluſionibus remotioribus, ut dictum eſt ubi de ignorantia; neutiquam tamen deſinere, ac deleri, alias homo poſſet deſinere eſſe rationalis, & imago Dei.

Differentia iuris naturalis a iure Gentium

Differt lex naturalis in hoc a iure Gentium, quod lex naturæ dirigat hominem præſertim ſolitarie ſpectatum, ius autem Gentium præſertim illum dirigat, ut in aliorum conſortio commorantem: imo ita in regendis hominibus ſimul conviventibus occupatur ius gentium, ut eius diſpoſitiones concernant univerſalem hominum ſocietatem. Quamobrem concludi poteſt, legem naturalem in actu primo, ac veluti in genere habitus ſpectatam, eſſe divinam vim a Creatore menti humanæ impreſſam, quæ imperative nobis dictet quid faciendum, vel omittendum ſit, ut conſentaneum, vel diſſentaneum ipſi æternæ legi, cuius ipſa naturalis lex eſt veluti imago, & germen: at ſpectatam in actu ſecundo, ſeu in genere actus, eſſe actuale dictamen, præcipiens quid hic & nunc fieri debeat vel omitti.

Certum eſt de Fide, dari in nobis legem naturalem; hinc Rom. 2. *Gentes*, inquit Apoſtolus, *quæ legem non habent* (idest ſcriptam) *naturaliter ea, quæ legis ſunt faciunt*. Hac interna regula, ac dictamine ducti, ideſt ſine ulla lege ſcripta, Abel didicit Sacrificia offerre Altiſſimo de electioribus ſuis armentis, Abraham decimas offerre Sacerdoti, Iob perferre mirabili patientia huiuſce vitæ incommoda. Legem hanc extare in animis noſtris aperte indicat innatum ſtudium, ſeu appetitus virtutis, quæcum in debitum finem tendat ac ducat, regitur ab æterna lege, de qua participat: hoc indicat ingenitus horror, ac averſio vitiorum, iuges conſcientiæ remorſus in his, qui inique ad hac lege deflectunt, uti fecerunt ac identidem faciunt quamplurimi, qui a fallaci ſuorum animalium cupiditatum dulcedine allecti animum a recta ratione avertentes inhoneſta honeſtis, vitia virtutibus prætulerunt, ac in ferinos mores declinarunt & declinant. Hæc enim lex naturalis eſt principium dictans, quid ex natura rei nobis neceſſarium ſit ad honeſte vivendum, ideſt conformiter ad rationalem naturam prout rationalis eſt, videlicet Deum eſſe colendum, parentes honorandos, &c. & quidquid naturam rationalem dedecet evitandum, ut rem alterius non furandam, alterius mulierem non violandam. Et talis via nos ducit ad conſequendum noſtrum finem, tranquillitatem videlicet in hac vita & felicitatem æternam in futura.

Lex iſta dicitur naturalis, non quia ſolis viribus naturalibus ſine auxiliis gratiæ obſervari poſſit, ut impie ſomniaverat Pelagius damnatus a Concilio Dioſpolitano, quem etiam non minus fortiter, quam ſapienter impugnavit S. Auguſtinus; ſed dicitur lex naturalis, quia naturali virtute rationis hanc dignoſcere poſſumus, nempe rectum, bonum, & æquum, quod ipſa naturalis lex nobis proponit; & hæc naturalis rationis virtus eſt divinum illud lumen, quod dicitur in Scripturis Sanctis ſignatum ſuper nos, quo bonum a malo per nos ipſos diſcernere, ſeu diſtinguere poſſumus. Hæc eſt vox divina loquens nobis, fines iuſti nobis præſcribens & honeſti, extra quos inhabitat, ac ſequitur invidia, mendacium, ſtrages, rapina, & dolus. Et hæc eſt vox, ut ait Cicero, humanitatis, quæ ad omnes indiſcriminatim etiam barbaras nationes loquitur; & ſic ſine certo ſtudii labore nos docet ipſa natura, quomodo operari debeamus.

Lex naturalis a nullo homine ignorari poteſt.

Unde hæc eadem naturalis lex omnibus hominibus communis eſt, ut nemo hanc ignorare queat, præcipue quoad prima eius principia, primaſve concluſiones; & perpetua etiam dici poteſt, quia omnes ſemper æqualiter obligavit & obligat, nec ulli ſubiecta eſt mutationi, aut errori, ſicuti contingit in legibus poſitivis. Imago ſiquidem Dei, quam impreſſam in animo nobiſcum ſemper deferimus, non ſinit nos hallucinari in directione boni a malo, niſi quando prava noſtra agendi ratione, aut mala educatione radium lucis huius obnubilamus, vel cum vitiorum corruptela Leges rationi contrarias in animum nobis inducat.

Porro manifeſte patent impii errores tum Hobbeſii tum Spinoſæ, quorum primus ſtatuit naturalem legem in ſola facultate, quæ ineſt hominibus agendi, quidquid eis lubet, nec aliam agnoſcit in hominibus obligationem, niſi eam, quam ex conventionibus ſeu pactis contrahunt; alter vero ultra etiam progreſſus eſt, ut non ſolum hanc negarit, ſed inſuper dixerit, liberum eſſe cuicumque ſtare conventionibus ipſis, quibus ultro ſe obſtrinxit.

Lex naturalis (ſicuti ratio cuiuſcumque legis exigit, ut iam antea notavimus cum Sancto Iſidoro) iuſtitiam reſpicit. Iuſtitia vero eſt ſta-

ſtabilis, ac conſtans voluntas ſuum cuicumque reddendi; ac ideo non ſatis eſt, ad hoc ut iuſti vocemur, quod una aut altera vice hoc iuſtitiæ munus aſſequamur, ſed requiritur quod voluntas noſtra firma ſit, ac conſtans in huius legis obſervantia. Quare cum a natura ipſa contrahamus debitum amoris erga Deum & proximum, cui ex naturali æquitate ſatisfacere tenemur, hoc debitum eſt nobis lex naturalis, ideſt ab ipſa natura nobis indita, & ab hac amoris lege veluti a ſuo fundamento & compendio lex univerſa pendet, ideſt in lege utriuſque amoris univerſaliter lex ſtat, ac conſiſtit, ut docuit Chriſtus Dominus Matth. 22. *In his duobus præceptis univerſa lex pendet*. Cum enim lex naturalis ſit participatio legis æternæ, & hæc omnia in ſuum finem ordinet & dirigat, neceſſe eſt, ut in Creatura rationali, quæ diligendo in finem ſuum tendit, lex naturæ amandi præceptis coaleſcat. Hæc autem duo præcepta innixa ſunt illis duobus principiis ſeu univerſalibus naturæ præceptis, quorum primum eſt *diligendum eſſe bonum, malum vero fugiendum*, alterum quod huic conſequitur; *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*. Et quoad Dei amorem, cum ipſe Deus ſit ſupremum bonum, ac ab ipſius bonitate creati ſimus, & mediante eius providentia ſubſiſtamus; hinc ex ipſa natura, quæ nequit non amare bonum, ac illud principium, per quod exiſtit, oritur in nobis lex amoris erga ipſum Deum verum nobis bonum, ac cuiuſcumque noſtri boni cauſam & principium. Quoad amorem vero proximi, cum pro humani generis propagatione, & conſervatione ita conſtituti ſint homines, ut vivere debeant in aliorum ſocietate, hinc talis ſocietas eſt fundamentum amoris erga proximum; nam ſine tali hominum ſocietate homines non naſcerentur, & in ſuo principio extinctum fuiſſet humanum genus, ſicut Auctor ipſe Univerſi teſtatus eſt Geneſeos 2. *Non eſt bonum hominem eſſe ſolum*.

Hæc igitur ſocietas, cui homo naſcitur, ne pax inter ipſos iniuriis perturbetur exigit, ut homines leges habeant, quæ ipſos edoceant debita ſocietatis officia, nempe mutuam obligationem, quæ cuique ineſt, non ſolum ne iniurias offenſioneſque ſibi inferant, ſed ut viciſſim homines ſe diligant, ac ideo viciſſim ſibi opitulentur, ac defendant. Quiſque igitur debet eſſe diſpoſitus, ſine ulla exceptione quantum in ſe eſt ad dandam operam præcipue ut vigeat inter ſe, & eos quibuſcum vivit, pacifica ſocietas, ſecundum humani generis conſtitutionem, ſcopum, finemque, unde pendet eius felicitas, & conſervatio; *Impellimur natura*, ait Cicero *quamplurimum prodeſſe*; quia niſi tali mutua dilectione & ſollicitudine viciſſim iuvaremur in indigentiis, & proprium uniuſcuiuſque amorem experiremur, & rebelles, pravaſque affectiones, ut iram, odium, invidiam, &c. quæ ſæpe ſæpius ad alterius damnum nos provocant, moderaremur, innumera pateretur humanum Genus incommoda, & pericula, ut vix poſſet in talibus anguſtiis ſubſiſtere, ne in commune rueret excidium.

Tempore legis naturæ poſt Diluvium, ne homines ullam haberent excuſationem, prætendunt Rabbini, Deum expreſſe dediſſe Noe, eiuſque filiis aliqua generalia præcepta numero ſeptem, quæ legem naturæ continebant, cui omnes homines in poſterum tenerentur; & erant, Primum ut ſe abſtinerent ab Idololatria; Secundum a Blaſphemia; Tertium ab homicidio; Quartum ab adulterio; Quintum a Furto; Sextum eis præcipiebat Iudices conſtituere ad leges conſervandas; Ultimum vetabat comedere carnem animalis cæli, donec viveret ipſius anima. Et hoc præceptum habetur etiam Gene. 9. *excepto quod carnem cum ſanguine non comedetis*. Immo vult Maimonides, quod priora ſex præcepta facta fuerint etiam Adamo, & poſtremum additum Noe.

Quid dicitur Lex naturalis.

Lex vero naturalis dividitur in eam, quæ reſpicit officia quæ quiſque explere debet erga ſe ipſum pro ſua temporali incolumitate, & conſervatione, & multo magis pro ſpirituali propria animæ ſalute; & in eam, quæ reſpicit officia, quæ erga alios præſtare debet. Ad priora illa quoque referuntur, quæ quiſque exercere debet relative ad illud primum, quod Deus Creator noſter eſt & conſervator, unde ortum habet Religio, ſubiectio erga ipſum, & obſequium, ſeu cultus, quo ſupremam eius dignitatem venerari debemus. Officia vero abſolute hominum, quæ relative viciſſim ſibi debent, ſunt, ne quovis modo proximum lædamus, & læſus ea meliori, qua fieri poteſt, ratione, & modo compenſetur, utilitatibus eiuſdem ſtudeamus, promiſſiones, conventioneſque ei ſervemus, & opem in ſuis indigentiis prout poſſumus præbeamus.

Ex his clare colligitur, legem naturalem non eſſe ſyndereſim, quæ ne ordinem quidem dicit ad Legiſlatorem, ut dicit lex; ſed lex naturalis potius concipitur tamquam generalis cognitio primorum principiorum

pra-

Digitized by Google

practicorum inclinans ad ipſis aſſentiendum ſine ulla relatione; colligitur item legem naturalem non eſſe conſcientiam, quæ ut vidimus, eſt dictamen dictans in particulari, quid hic eſt nunc ſit agendum vel omittendum: Lex autem naturalis eſt dictamen generale, ideſt principia generalia complectens, quæ præſcribunt, quid agendum, vel omittendum ſit; puta Deum eſſe abſolute colendum, parentes honorandos. Inſuper conſcientia poteſt eſſe erronea, non vero lex naturalis; cum lex, eo ipſo quod eſt lex, nequeat eſſe errori obnoxia. Lex item naturalis, ac quæcumque alia non reſpicit niſi ea quæ facienda ſunt, præſentia ſcilicet, & futura; Conſcientia vero reſpicit etiam præterita; hinc remordet & accuſat eos qui mala, & e contra lætificat eos qui bona egerunt: quod vocat Apoſtolus 2. Cor. 1. *Teſtimonium conſcientiæ noſtræ*. Conſcientia tandem non verſatur niſi circa ea, quæ hic & nunc agenda ſunt; lex vero naturalis generalis eſt regula, quæ dictat ſeu præſcribit, quid agendum, aut vitandum ſit in communi, & in omni tempore. Sequitur ergo, quod lex naturalis verſetur circa omnes actus tum bonos & honeſtos, ideſt rationi conſentaneos, tum malos & vitioſos, ideſt a ratione diſſentaneos, illos quidem præcipiendo, hos autem vetando: quia cum de ratione legis naturalis illud ſit, quod eſt ſecundum inclinationem naturæ rationalis, omnes dicti actus ſpectant ad legem naturalem, quatenus præcipit ut boni ſint, vetat ne ſint mali. Hinc lex naturalis obligat omnes homines ad ſui obſervantiam in re gravi ſub mortali; quia violans legem naturalem in re gravi, Deum, quem non poteſt ignorare invincibiliter eiuſdem legis auctorem, graviter offendit.

Controvertitur inter Doctores, num ea, quæ ſunt de iure naturæ poſſint ab aliquo invincibiliter ignorari. Pro cuius reſolutione revocandum eſt ad memoriam, quod alias notavimus; nempe in lege naturali alia eſſe prima communiſſima principia iam per ſe omnibus nota, ut *bonum faciendum*, *malum fugiendum*, *unum Deum eſſe colendum*, *non eſſe peierandum* &c. quia ex ipſis terminis, ea ſunt cuique per ſe manifeſta, & inclinationi rationis conformia, nec ullo etiam brevi tempore ab aliquo ignorari poſſunt, nec unquam a corde cuiuſvis hominis deleri; quia hæc cuique ſunt ingenita & innata, ac proinde niſi cum natura ipſa deleri poſſunt. Quocirca nemo uſu rationis præditus ignorare poteſt, mala ſeu vitia eſſe

Prima principia iuris naturalis ignorari nequeunt.

fugienda, bona amplectenda. Poteſt quidem lex naturæ deleri quantum ad principia communia in particulari operabili, in quantum ratio impeditur applicare commune principium ad particulare operabile, propter concupiſcentiam, aut aliam paſſionem, vel pravam conſuetudinem, ex quibus contingit quod homo agat id quod eſt oppoſitum principio univerſali. Notandum autem, quod tunc cenſetur lex naturæ deleri in particulari operabili, quando æſtimatio particularis conformis communi principio deletur negative, ideſt non ponitur in actu, paſſione ſcilicet hoc impediente. Alia ſunt præcepta legis naturæ, & veluti concluſiones proximæ, quæ evidenter & facili diſcurſu deducuntur ex primis communiſſimis principiis, ut Homicidium, Adulterium, Furtum, Mendacium, eſſe illicita, & circa hæc dicunt aliqui Doctores, dari poſſe ignorantiam invincibilem, ſed in paucioribus & per breve tempus, quia hæc non ſunt prima principia, ideoque indigent aliquo diſcurſu, in quo poteſt fieri, quod ſaltem tam cito non ſimus ſufficientes. Immo fieri etiam poteſt ut hæc etiam cognita de cordibus hominum ſic deleantur, ut notitia iam habita obſcuretur, vel etiam corrumpatur; & hoc fieri poteſt propter falſas perſuaſiones, aut pravas conſuetudines, aut habitus vitioſos; & inde inducantur æſtimationes legibus naturæ contrarias: hinc dicitur Pſal. 52. *Dixit inſipiens in corde ſuo: non eſt Deus*. Et ad Romanos cap. 1. de quibuſdam dicitur, quod *obſcuratum eſt inſipiens cor eorum*. Et revera aliqui eo cæcitatis devenerunt, ut licitum exiſtimarint parentes ſenio confectos interficere, filios & filias Dæmoniis immolare, latrocinia exercere. Aliæ denique ſunt concluſiones remotiores a primis principiis, & ideo opus eſt maiori ingenio, labore, & difficiliori diſcurſu, ut ex illis inferantur, ut ſunt præcepta de evitandis uſuris, de indiſſolubilitate Matrimonii, de Temperantia, & ſimilibus. Circa hæc communis eſt opinio apud Doctores, poſſe dari ignorantiam invincibilem, & inculpabilem, etiam ad longum tempus, & in pluribus hominibus; eo quia pluribus deſit ſolertia, & diſcurſus propter defectum acuminis, & ſcientiæ, ut tales concluſiones deducant.

L 2 §. VII.

§. VII.

De Materia, ſeu Cauſa Materiali Legis Naturalis, & de Modo, quo poni debet.

Quia de aliis cauſis legis naturalis nulla ſuboriri poteſt controverſia, dum manifeſtiſſime conſtat, Deum eſſe cauſam efficientem, formalem eſſe rationem ipſam, ſeu naturam eiuſdem legis, finalem vero bonum ipſum tum cuiuslibet hominis ſingillatim, tum univerſi humani generis, quod feliciter continget, ſi quivis privatus non recedat a lege, quam ſibi divinus Auctor indixit; reſtat ſolum, ut cauſſam materialem huiuſce legis expendamus, utpoteque aliqua non careat difficultate, & præcipue circa principia, ſeu præcepta, quæ ad legem pertinent naturalem, circa virtutes a lege præceptas, & circa modum, quo ad legem naturalem obſervandam ſunt exercendæ.

Ad huius rei clariorem facilioremque intelligentiam notandum eſt primo, docere Theologos, quod ſicuti in ſpeculativis, tametſi plures ſint concluſiones, unum tamen eſt generale principium, a quo illæ tamquam rivuli a fonte derivantur, quale eſt iſtud v. g. *Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe*; in practicis quoque licet plures ſint propoſitiones practicæ, ſeu præcepta ac regulæ, quæ mores reſpiciunt, quarum aliæ ſpectant ad cultum, quod Deo eſt debitum, aliæ ad pietatem parentibus exhibendam, &c. Unum tamen eſt generale principium, ad quod omnia reducuntur & a quo dimanant, & illud eſſe ſtatuunt ex Pſalmo 36. *Declina a malo, & fac bonum*; & quia per ſe nullum eſt aliud univerſalius a quo hoc dependeat, & quia ab iſto deducuntur principia omnia, quibus homo indigere poteſt, ſive ſecundum eſſe quod habet animalis, ſive ſecundum eſſe rationalis: Nam prout eſt Animal tenetur operari ea, quæ ſunt tum ad ſui, tum ad ſuæ ipſius ſpeciei conſervationem, dummodo tamen aliquis ad meliora non advocetur; quatenus vero eſt rationalis tenetur ad excolendam certam ſocietatem, ſive cum Deo per religioſum obſequium & cultum, ſive cum aliis hominibus per varia officia iisdem commoda ac utilia, mediante diverſarum virtutum exercitio. Hæc autem omnia hominis officia facile colligi poſſunt ex illo generaliſſimo principio, *bonum expetendum eſſe*, *malum vero fugiendum*. Et ſic lex eſt una, & ſimul multiplex: Una, quia omnia præcepta legis naturæ referuntur ad unum primum præceptum, nempe omnia communicant in una radice, ut ait D. Thomas, ideſt ad eundem finem tendunt; multiplex vero, quatenus multa præcepta continet, diverſaque eſt materia circa quam illa verſatur. Notandum ſecundo, ex principiis, quibus homo practice in moralibus dirigi queat, alia eſſe primaria, quæ cuivis attendenti facile innoteſcunt, & ex ſola terminorum notitia intelliguntur ac approbantur; & hæc ſunt in ſecundo genere magis quidem determinata, & particularia, quam univerſaliſſima, cuiuſmodi ſunt, *quod tibi non vis alteri ne feceris*, *Deus eſt colendus*, *Iuſtitia eſt ſervanda*, &c. Alia ſecundaria, & ſunt concluſiones illæ, quæ licet non ſine diſcurſu cognoſcantur, neceſſario tamen inferuntur ex primariis principiis naturalibus, ſive admodum evidenter, ſive non ita evidenter, ſive per unam, ſive per plures conſequentias. Sic ex hoc principio; *quod tibi non vis alteri ne feceris* evidenter & neceſſario infeſret unuſquiſque: ergo non eſt furandum, non eſt occidendum, &c. quia neceſſario hæc cohærent cum primo principio; & ſicut primum principium eſt verum, ſic ea omnino oportet eſſe vera; ſed non ita facile ex illo colliget; ergo nec divitibus quidem danda eſt pecunia ad uſuram. His poſitis ſit.

Omnia quæcumque prima principia practica ideſt non ſolum quæ per ſe nota ſunt, verum concluſiones etiam, quæ ab ipſis neceſſario deducuntur, ſunt legis naturalis præcepta; ita ut, non ſolum præcepta omnia Decalogi, (ſi tertium excipias quoad determinationem temporis) ſed alia bene multa ad legem naturalem pertinent, ideſt ſunt materia legis naturalis; quia omnia hæc, ſive ſint principia, ſive concluſiones, vel præcipiunt ea, quæ per ſe, hoc eſt ſecluſo iure poſitivo, ſunt bona, & neceſſaria, vel prohibent ea, quæ ſunt per ſe mala. Cum autem omnia hæc non ſint præcepta iuris poſitivi, ſequitur ad evidentiam, quod ad præcepta iuris naturalis pertineant. Etenim non datur medium inter ius naturale, & poſitivum.

Inſuper ad obligandum per ſe, ſeu ſine iure poſitivo non requiritur, quod intellectus ſine diſcurſu, vel cum diſcurſu intelligat quidpiam eſſe turpe, & fugiendum, vel honeſtum, & neceſſarium; ſed cum ſit obligatio legis naturalis ſi abſque diſcurſu hæc intelligatur; ſimiliter erit talis obligatio, ſi illa intelligatur cum diſcurſu. Nam vis obli-

obligationis non eſt ſimpliciter ex cognitione qua tali, aut tali, hoc eſt diſcurſiva, vel non diſcurſiva, ſed ex dictamine rationis præſcribentis ea, quæ ſecundum ſe bona ſunt & agenda, aut prohibentis ea, quæ ſecundum ſe mala ſunt & fugienda. Accedit, quod omnia præcepta Decalogi ſint præcepta legis naturæ, quorum tamen aliqua non cognoſcuntur ſine diſcurſu: igitur neceſſe eſt fateri, quod aliquæ concluſiones propinquæ principiis naturalibus, quæ per diſcurſum ex illis derivantur, ad legem naturalem pertineant, ac proinde non ſolum primaria principia, & ſecundaria, ſed concluſiones quoque, quæ per neceſſariam conſequentiam ex illis deducuntur, ſive admodum evidenter, ut ſunt præcepta Decalogi, ſive non ita evidenter, qualia ſunt quæ ipſis Decalogi præceptis cohærent, pertinent ad legem naturalem, & ſunt eius materia.

Nota primo, quod ad hoc, ut aliquid pertineat ad legem naturalem, non ſatis eſt, quod ſit conſentaneum primo legis naturalis principio, ſed debet habere neceſſariam cum eo connexionem. Unde ex duobus generibus propoſitionum, ſeu concluſionum, quæ inferuntur ex principiis naturalibus, aliæ ſunt remotæ, ac per diverſas conſequentias illatæ; conſentaneæ quidem, ſed non neceſſario cohærentes iiſdem principiis, & connexæ: aliæ a dictis principiis proxime deductæ, quæ non ſolum illis principiis conſentaneæ ſunt, ſed etiam cohærentes & neceſſario connexæ. Illæ, quæ principiis naturalibus, ex quibus inferuntur, ſunt conſentaneæ & ſimul neceſſario connexæ & cohærentes, ad legem pertinent naturalem, non vero aliæ, quæ licet principiis, ex quibus derivantur, ſint conſentaneæ, non tamen ſunt ipſis neceſſario cohærentes & connexæ.

Nota ſecundo, quod quamvis verum ſit, illud ſpectare ad ius naturale, nempe ad eius præcepta, ad quod natura ut abſolute in ſe bonum inclinat; nihilominus hoc ſatis non eſt, ut aliquid dicatur pertinere ad præcepta iuris naturalis, & vim habeat obligandi; ſed requiritur ulterius, quod tale ſit, ut ex natura, naturalibuſque principiis neceſſario ſequatur, ideſt ſit aliquo modo neceſſarium, ſive mediate, ſive immediate natura ad illud inclinet; alias non pauca ſequerentur gravia incommoda; nempe caderet ſub legis naturalis præcepto quidquid commodum affert naturæ, quod dicendum non eſt; cum multoties natura inclinet ad cibum, potum, aliave multa, quæ utpote non neceſſaria, immo nociva, dimittenda ſunt. Unde bonum illud tantummodo ſpectat ad præcepta legis naturalis, ad quod habetur quidem naturæ inclinatio, ſed & ratio ipſa indicat eſſe aliquomodo neceſſarium; & hoc ſine ulla divina vel humana inſtitutione ex vi ſolius naturalis rationis obligat.

§. VIII.

De Virtutum Operibus, & modis Virtuoſorum operum, quæ ſunt materia legis naturæ.

Nota 1. dupliciter dici poſſe virtutum actus ad legem naturæ pertinere: Primo non prout præcepti ſunt a lege naturæ, ſed prout ratione ſuæ bonitatis, ideſt in quantum virtuoſi congruunt naturæ, & homines ſecundum ſuam naturam ad illos in communi, & formaliter ſpectatos inclinantur tamquam ſibi convenientes; omne enim, ad quod homo inclinatur ſecundum ſuam naturam, ut advertit Sylvius, pertinet ad legem naturæ: ſecundo prout a Lege naturæ præcepti ſunt.

Nota 2. Per modum virtutis non aliud intelligi, quam certas quaſdam conditiones, quæ in exequendis actibus virtutum requiruntur, videlicet, quod actus illi bene & perfecte eliciantur. Conditiones vero huiuſcemodi eorundem actuum virtutum, aliæ ſunt extrinſecæ, puta quod actus virtutis eliciatur ex motivo charitatis, vel quia præceptus eſt; aliæ intrinſecæ, ut quod eliciens aliquem actum virtutis eliciat primo ſcienter, ſecundo voluntarie, tertio firmiter & immobiliter. His præmiſſis ſit.

Omnes actus virtutum, ſecundum aliquid, ſeu in aliquo ſenſu ad legem pertinent naturalem; ſed non in hoc ſenſu, quod ſint a lege naturæ præcepti, ut vi legis naturalis teneatur unuſquiſque actus virtutum omnium exercere; cum illos tantum exercere debeat, quos ipſa lex naturæ præcipit. Primum patet ex eo, quod omnes actus virtutum congruunt naturæ, & naturam rationalem perficiunt, ſive virtutes naturales ſint, ſive ſupernaturales, licet ad poſtremas natura ſibi relicta non inclinetur. Item quia ſi fiant hi actus, omnes fieri debent conformiter ad rectam rationem, & ita reſpondere naturali inclinationi quam habet homo, prout eſt homo, ſeu rationalis, quæ eſt ad agendum ſecundum rationem. Et in hoc ſenſu ſaltem, non vero ſim-

ſimpliciter, dici poſſunt, quod ſint de lege naturæ, ſive quod cadant ſub lege naturæ, eo quod lex naturæ iubeat, ut quidquid homo agit ut homo, ſecundum rationem agat. Secundum vero certum eſt, quia non omnes actus virtutum a lege naturali ſunt præcepti, cum multi ſint ex ſolo conſilio, ut virginitas, paupertas Evangelica &c. Et inter eos qui ſunt de præcepto non pauci reperiuntur, qui non ſpectant ad legem naturalem, ſed ſupernaturalem, ut actus fidei, aliarumque virtutum ſupernaturalium: cadunt vero ſub lege naturali, ſeu ſunt eiuſdem legis materia, quia ab ipſa præcipiuntur actus virtutum omnium, quarum exercitium omitti nequit ſine culpa, ut actus charitatis, iuſtitiæ, temperantiæ, &c. Ex ſolo enim lumine naturali cognoſcimus proximo indigeno ſubveniendum, unicuique quod ſuum eſt tribuendum, Deum colendum &c.

Quæri hic poſſet, num actus omnes vitioſi lege naturali prohibeantur. Et circa hoc advertendum eſt, alios eſſe actus vitioſos, quia prohibiti ſunt certis ſtatutis temporibus, ut carnes comedere die Veneris; alios prohibitos eſſe, quia ex ſe ſunt vitioſi, ut blaſphemia, homicidium, furtum &c. Actus vitioſos qui vetiti ſunt quia ex ſe vitioſi, certum eſt a Lege naturali neceſſario prohibitos eſſe. Alii vero, qui ſunt vitioſi eo quia prohibiti, non prohibentur a lege naturali, utpote qui non habeant ſuam vitioſitatem niſi a lege poſitiva, & arbitraria. Vetantur quidem a lege naturali hoc ſenſu, quod lex naturalis præcipit parendum ſuperioribus rationabiliter, ideſt ex iuſta cauſa præcipientibus.

§. IX.

De Modis actuum Virtutum, quibus lex eſt implenda, & præcipue de intentione, & attentione.

Modus actuum virtutum (ſeu quod ſciens ac volens quis faciat opus præceptum) cadit ſub præcepto affirmativo legis, ſcilicet materia legis poni debet ſcienter, & voluntarie, non tamen ut præcepta, vel ex motivo charitatis: Lex enim eſt regula tantummodo actuum humanorum eos præcipiendo, vetando, vel permittendo. Unde cum actus humani non ſint, niſi ſcienter fiant, ac voluntarie, ſequitur, quod modi actuum virtutum (nempe quod quis ſciens, & volens agat) cadant ſub lege naturæ, immo etiam ſub lege poſitiva, ideſt ſint eius materia. Igitur actus virtutum, qui ſcienter & voluntarie ponuntur, ſunt materia præcepti naturæ affirmativi. Hinc dormiens, & ebrius proprie non ſatisfacit præcepto alienum reddendo, aut ſuccurrendo indigenti, cum actus iſtiuſmodi non ſint humani; licet poſtea ad nihilum obligetur, eo quia materia remota legis ſit ſublata, mendico non amplius indigente, & altero, quod ſuum eſt, poſſidente.

Dixi, modum virtutis cadere ſub præcepto affirmativo, ſiquidem ſecus eſt dicendum de præceptis negativis; quia cum huiuſcemodi præcepta eo ſolummodo ſpectent, ut ne quis ſcienter ac voluntarie operetur, quod ipſa prohibent; hinc aiunt Theologi communiter ea impleri, tametſi quis neſciens nec volens facere omittat quæ per ea præcepta prohibentur; ita ut etiam qui non occidit, aut non furatur, tametſi non cogitet, vel cogitare nequeat, ut dormiens de occidendo; æque implet præceptum de non occidendo, ac ille, qui vigilans & de occiſione cogitans, non occidit: nam lex præcipit ne quis ſcienter, & voluntarie quod malum eſt operetur, non vero, quod ſciens & volens malum facere, omittat.

Verum cum ſatisfactio præcepti importare videatur aliquid poſitivi, quo ſatisfaciens præcepto meritum acquirat; hinc conſtat, eum, qui non ſcienter, & voluntarie non violat præceptum, dicendum potius eſſe non reum violati præcepti, quam eumdem præcepto ſatisfacere; quia cum tunc actum nullum voluntatis exerceat, implicat, quod per talem omiſſionem meritum aliquod poſſit adipiſci; cum meritum ſemper ſupponat actum virtuoſum intus ſaltem in animo, quo deliberate velit vel facere bonum, quo impleatur præceptum illud facere imperans, vel malum non facere, ne violetur lex, quæ illud vetat. Alias dici poſſet tot ſatisfacere præceptis, quot non committit peccata, ac proinde ſine actu ullo virtuoſo mereri, quod nemo non videt quam abſurdum ſit, ac ridiculum.

Quod vero materia legis, quæ ſcienter & voluntarie poni debet, non ſit ponenda ut præcepta, vel ex motivo charitatis, primum ex eo patet, quod lex nihil aliud præcipiat, niſi ut eius materia ponatur, ſeu ut id quod præcipit, fiat humano modo. Cum autem hoc fieri poſſit, licet fiat non ut præceptum; hinc non eſt neceſſe ut ponatur opus a lege præceptum, quia ab ipſa præceptum. Fit autem opus legis humano modo, quando fit cum ipſius advertentia, ac voluntatis deli-

beratione. Quare voluntarie tribuens eleemoſynam exrreme indigenti, licet neſciat eum extreme indigere, implet præceptum naturale ſuccurrendi extreme indigenti, nec poſtea ad aliud tenetur, dum noſcit illum extreme indigere. Item materia legis ideſt opus præceptum non eſt ponendum ex motivo charitatis; nam quamplurima præcepta nulla die adimplerentur, puta centum centies teneremur uno die Deum diligere, quod nemo dicet; quia cum præceptum de Dei dilectione ſit affirmativum, obligat tantum certo tempore, non autem quoties operamur.

Modus tandem ut quis conſtanter firmiterque operetur, non eſt materia legis naturalis, nec etiam poſitivæ: Hic enim modus ſupponit habitum, qui tamen non requiritur ad hoc ut qui opera exequitur præcepti, per tale opus præcepto ſatisfaciat. Alias qui eſt malus, nunquam poſſet tali præcepto ſatisfacere, cum habitus bonus comparetur per multiplicationem, ſive renovationem actuum bonorum: igitur ad ſatisfaciendum præcepto non requiritur ut quis agat ex habitu, ſeu quod idem eſt, ut conſtanter, firmiterque operetur.

Obſervandum eſt, quod licet actus virtutum omnium, non ſint materi legis naturalis, eſt tamen de iure legis naturalis, ſeu lex naturalis præcipit, ut homo in quacunque ſua humana operatione, facta ſcilicet cum conſilio, & deliberatione rationis, ſemper operetur conſentanee naturæ ſuæ rationali, prout rationalis eſt, ac proinde lex naturalis per varia præcepta præcipit homini quidquid requiritur ad ſemper honeſte vivendum. Sic legimus 1. Corinth. 14. *omnia honeſte & ſecundum ordinem fiant*.

Cum autem honeſtas pendeat a triplici principio, ab obiecto ſcilicet, fine, & circumſtantiis, & honeſtas haberi nequeat, niſi ex actu qui ſit undequaque bonus, unde invaluit apud Theologos illud commune effatum: *bonum ex integra cauſſa, malum vero ex quocunque defectu*; hinc ad hoc ut operationes hominum bonæ ſint, ſicuti eorum rationalis exigit natura, neceſſe eſt ut ſint de obiecto bono, vel ſaltem indifferenti, ſed ad bonum finem conducibili, ut fiant modo convenienti, in circumſtantiis obiecto debitis, & propter finem honeſtum; ita ut ſi unum ex his deſit, huiuſcemodi operationes a recta ratione non probantur, ſed improbantur utpote malæ; nam *malum ex quocunque defectu*.

§. X.

De his, qui ſubiiciuntur legi naturali.

Quia lex præſcripta eſt his tantummodo, qui a recto tramite errore, vel prava aliqua affectione decepti declinare valent; hinc Deus, qui eſſentialiter in omnibus eſt omnino indefectibilis, nullatenus ſubiacet, ſeu tenetur legi naturali.

Angeli, & Beati legis naturalis dictaminibus ſunt obnoxii, quia tametſi ob eorum confirmationem in gratia, ac ultimi finis conſecutionem fruitionemque nequeant moraliter peccare; phyſicam tamen poteſtatem habent ad peccandum, cum adhuc eandem habeant naturam etiam Beati, quam habebant viatores. Quare Rupertus l. 5. in cap. 5. Ioan. de Angelis ſic habet: *Hoc in remunerationem acceperunt, ut deinceps malum facere non poſſint; quia cum facere poſſent noluerunt. Verum hoc non eſt per ipſorum naturæ potentiam; ſed per Divinæ voluntatis remunerantem gratiam.*

De hominibus vero manifeſtiſſimum eſt eos ſubdi legi naturali, ut clare docet D. Paulus ad Romanos cap. 2. *Quicumque ſine lege* (ideſt ſcripta) *peccaverunt, ſine lege peribunt.* Unde cum non pereat niſi peccator, & peccatum proprie non daretur niſi adeſſet lex quam peccatores qui ei ſubduntur violant iuxta illud Apoſtoli ad Romanos cap. 7. *peccatum non cognovi niſi per legem*; ſequitur evidenter, quod pereuntes ſine lege ſcripta, pereant quia legem naturalem tranſgrediuntur, cui ſubiacent, & tenentur. Inſuper quilibet homo ut in finem ſuum tendat, ipſumque conſequatur, debet honeſte vivere: igitur ſubditur legi naturali; quia hæc eſt proxima regula vivendi ſecundum moralem honeſtatem.

§. XI.

De affectionibus legis naturalis, unitate ſcilicet, indelebilitate, ac immutabilitate.

Lex naturalis tum quoad cognitionem, tum quoad rectitudinem una eſt apud omnes, ſi reſpiciatur in ordine ad prima generaliora principia; ſecus ſi ſecundum remotiora, nempe quantum ad præcepta, quæ ut concluſiones ex principiis communibus inferuntur. Ita Divus Thomas 1.2. q.94. art.4. Et quoad primum ex eo patet, quod (ut advertit Sylvius) prima principia practica ſimilia

milia ſunt principiis ſpeculativis, utpotequæ nullo vel ſaltem facili indigent diſcurſu, & ad ſolam terminorum cognitionem intelliguntur. Unde ſi principia ſpeculativa a quocunque qui uſu callet rationis cognoſcuntur ut vera, & ut talia iudicantur, hoc profecto dicendum erit de practicis. Quocirca C. 7. Diſt. 1. ita habetur: *Ius naturale eſt Commune omnium nationum, eo quod ubique inſtinctu naturæ, non conſtitutione aliqua habeatur.*

Quoad ſecundum vero hoc habetur in loco citato Divi Thomæ, qui ait hoc contingere præcipue ob depravatam, quam aliqui habent rationem ex paſſione, ſeu ex mala conſuetudine, ſeu ex mala habitudine naturæ; unde oritur deceptio. Et praxis ipſa demonſtrat, non omnes prorſus homines convenire quoad principia remotiora de veritate eorum, & iuſtitia. Fuerunt inter veteres qui ex tali hallucinatione quam contraxerunt ex malignitate paſſionum, vel pravitate conſuetudinum, falſo & ſine ulla excuſatione a peccato putarunt licitum eſſe furtum, ut Germani, adulterium ut Lacedemones, &c. Hinc patet, quod quo remotiores ſunt illationes a primis principiis practicis, quamvis ſint illationes deductæ ex iure naturali, poteſt ob allatas cauſas contingere deceptio. Et hæc profecto eſt ratio tantæ diverſitatis opinionum inter ipſos Eccleſiaſticos doctores circa veritates iuris naturæ in rebus iuſtitiæ, Religionis, naturalis debiti erga parentes &c. Quia ſcilicet non conveniunt circa remotiores illationes, quæ a lege naturæ deducuntur; immo tam late inter ſe diſcrepant, ut quidam graviter reprehendant, & damnent, quod alii nihil mali in ſe habere contendunt. Quocirca communiter ſentiunt Theologi, ut iam diximus, fieri poſſe, ut remotiores concluſiones iuris naturalis invincibiliter ignorentur.

Circa vero abolitionem legis naturalis a cordibus hominum, certum eſt, quoad prima principia, ſeu præcepta communiſſima omnibus nota, non poſſe univerſaliter a mente hominum deleri; quia cum ſint eis ingenita, & innata, funditus eradicari nequeunt, niſi ipſa hominum natura deleatur, ac proinde nemo ignorare poteſt, mala, ſeu vitia eſſe fugienda, bonum proſequendum &c. Poteſt quidem deleri quoad principia communia in particulari operabili, quatenus ratio a paſſionibus impeditur: & multo facilius deleri a cordibus hominum quoad præcepta ſecundaria per obſcurationem, & corruptionem moralem ex vetito habitu provenientem: paſſiones enim, & pravæ conſuetudines, ait S. Thomas, ſe habent reſpectu operabilium, ſicuti errores reſpectu ſpeculabilium, & ſicut error abolet veritates etiam primarias, non tamen prorſus prima principia; ita pravæ conſuetudines delent ſecundaria naturæ præcepta, ſicut apud quoſdam, ait Sanctus Doctor, non reputabantur peccata latrocinia vel etiam vitia contra naturam.

§. XII.

De legis naturalis mutatione, nec non de eius Epikeia.

Lex quæcumque tribus præcipue modis poteſt immutari: primo per *Additionem* quando nova lex ei ſuperadditur: ſecundo per *Interpretationem* quando verba & ſententiæ obſcuræ circa legem per aliud exponuntur, ita ut interpretatio verba Legiſlatoris reſpiciat; ſicut Epikeia ipſius mentem: tertio per *Subtractionem*, & hoc fit quando aliquid, quod erat de lege, de ea eſſe deſinit. Subtractio autem multipliciter contingit, primo per *Derogationem*, cum pars legis tollitur relicta alia parte in ſuo vigore; ſecundo per *Abrogationem*, quando lex omnino tollitur, ſeu aboletur, ſeu quia deſinat materia legis, ſeu quia lex revocetur a Superiore, ſive quia a conſuetudine contraria legitime præſcribatur; tertio per *irritationem*, cum lex, quæ nondum perfecte, ſeu univerſim obligat, reſcinditur; quarto per *diſpenſationem* quando obligatio legis relaxatur in favorem particularis perſonæ ex cauſſa, quæ ſola non ſufficeret ad tollendam obligationem, alias foret interpretatio legis.

His accedit epikeia, quæ iuxta ſignificatum Græci vocabuli ſignificat æquitatem. Verum recepto loquendi uſu nihil aliud importat, quam legis interpretationem ſeu declarationem. Stricte etiam epikeia accipitur pro tali declaratione qua iudicium fertur, legem pro omnibus latam, aut quæ poſſet ad libitum Legiſlatoris omnes obſtringere, in aliquo peculiari caſu defficere; ut quando interpretamur ad quoſdam ægrotos non pertinere præceptum ieiunii. Legem naturalem mutari poſſe per additionem, clariſſime demonſtrant leges, tum vetus, tum nova, Canonicæ & civiles, quæ omnes imperant, & vetant quamplurima, quæ non iubentur, nec vetantur per legem naturalem. Igitur per aliarum legum additionem non pugnat legem naturalem mutari.

Interpretatio aliqua, ideſt interpretatio ſim-

Digitized by Google

ſimplex, quæ eſt mera legis ſeu potius verborum legis explicatio, non repugnat legi naturæ, ideoque ſuper ipſam cadere poteſt; non vero interpretatio, quæ dicitur epikeia, quæ ſenſum ipſum explicat legis cum aliqua declaratione mentis Legiſlatoris, & eſt quædam emendatio legis, quæ in aliquibus caſibus non prævisis a Legiſlatore, ſine malo ſervari nequit. Duo tamen hic notanda ſunt cum Theologis, qui iam utramque partem huius propoſitionis admittunt: primo nempe mutationem, quæ fit additione, vel interpretatione, non eſſe niſi impropriam legis mutationem: nam quod remanet ſecundum eſſe quod ſemper habuit, ſine ulla ipſius diminutione (ut fit in ſola verborum ipſius legis expoſitione) proprie non mutatur. Secundo recte non dici, legem naturæ explicari, cum ipſa ſatis ſemetipſam explicet: nam lex naturæ non dicit generaliter *non occides*; ſed dicit non occides auctoritate privata, vel extra caſum vitæ defendendæ; unde minus recte dicitur interpretationem cadere in legem naturæ, quaſi lex naturæ ambigua ſit, ac eius ambiguitas per homines ſit explicanda.

Et quod ſimplex interpretatio, quæ ſcilicet non excedit verborum legis explicationem, non ſit inconveniens legi naturæ, ac proinde ſuper ipſam cadere poſſit, patet ex eo quod talis interpretatio cadit ſolummodo ſuper verba legis naturalis, quæ quandoque exponi debent; ut circa præceptum de non occidendo, huius verba explicando de occiſione privata auctoritate, non tamen de publica: & ſic dicito de aliis.

Quod vero in legem naturalem non cadat epikeia, ſi ſtricte in proprio ſenſu ſumatur, prout fuit expoſita, pro exceptione videlicet alicuius a lege, vel per ipſius legis correctionem, vel abrogationem, certum eſt, quod cum in tali ſenſu mutationem faciat, in lege naturæ dari nequit; quia cum omne id, quod vetat lex naturæ neceſſario malum ſit, ut odium Dei &c. ideo nullus eſt caſus in quo lex naturæ non poſſit & debeat ſervari. In tantum enim in legibus humanis habet locum epikeia, quia Legiſlator non potuit omnes caſus prævidere, in quibus inutilis, aut noxia eſſe poſſet ſuæ legis obſervatio. Hæc autem ratio cadere nequit in naturalem, & Divinam legem ob infinitam Dei Legiſlatoris ſapientiam, cui ab æterno omnia cum omnibus ſuis circumſtantiis fuerunt ſemper præſentia.

Lex naturalis per rationem ullam ſubtractionis vel in totum, ſicuti fieret per abrogationem, irritationem & contrariam conſuetudinem, vel in partem ut per detractionem mutari nequit, & eſt communis. Lex enim proprie mutatur cum deſinit aut fit inhoneſta, inutilis, vel noxia, aut abrogatur a Superiore, vel contraria conſuetudine præſcribitur. Lex autem naturalis deſinere nequit utpotequæ neceſſaria ſit, & lata in perpetuum, neque ullatenus fieri poteſt inhoneſta, inutilis, vel noxia, cum nihil aliud præcipiat niſi bonum, honeſtum, ac ex natura ſua neceſſarium, & non aliud vetet, niſi quod per ſe eſt malum, & inhoneſtum. Unde neque abrogari poteſt a Superiore, nempe a Deo, neque ab ipſo ei derogari, neque poteſt irritari, ideſt tolli in totum, vel in partem; nequit enim Deus non ſemper præcipere creaturæ rationali id omne, quod ex natura rei neceſſarium eſt ad vivendum honeſte & decenter pro conformitate naturæ ſuæ, nec poteſt non prohibere id omne quod ex natura rei illam dedecet; cum non poſſit eandem creaturam rationalem non ſapienter, & ordinate regere, & modo Sanctitati ſuæ conſentaneo, ac proinde decenter, & conformiter eidem rationali creaturæ. Et equidem ſi lex naturalis, ut alias diximus, & communiter docent Theologi, nihil aliud eſt, quam legis æternæ in humana mente tranſcriptio, per quam lex naturalis nobis inſcripta eſt ratio, & regula noſtrorum humanorum actuum; ſicuti lex æterna, ut conſtat ex Sancto Auguſt. l. 1. de lib. arbitr. cap. 6. ullatenus variari nequit; ita nec lex, ratio, ac regula noſtrorum actuum. Inſuper lex naturæ indiſtincta eſt ab ipſa rationali natura; igitur a mente rationalis Creaturæ deleri nequit, non ſecus ac nequit ipſa ratio. Igitur lex naturalis non poteſt per ſubtractionem mutari ac tolli. Si autem lex naturalis diſſolvi nequit a Deo ipſius auctore, multo minus poterit abrogari per contrariam conſuetudinem.

Lex naturalis, ut notat P. Antoine, mutari poteſt improprie, quatenus videlicet variari poſſunt circumſtantiæ illius materiæ. Poteſt enim Deus addere, vel tollere legis naturalis materiæ conditiones quaſdam ac circumſtantias, quibus poſitis, aut ſublatis actiones non ſunt amplius lege naturali vetitæ vel præceptæ & per has materia improprie mutatur.

§. XIII.

§. XIII.

De diſpenſatione legis naturalis.

Diſpenſatio ſi ſtandum eſſet etymologiæ nominis & uſui ipſius in Divinis Scripturis, importaret in ſua ſignificatione rerum diſtributionem, curam & adminiſtrationem œconomicam rerum alicuius domini, cum in Divinis Scripturis diſpenſatores idem ſint ac œconomi, ut 1. Corin. 4. *Sic nos exiſtimet homo, ut Miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei*. Sed ut iam antea innuimus recenſendo inter modos, quibus lex mutatur, diſpenſationem, in iure Canonico vocabulum diſpenſationis ſumitur pro quodam legis indulto, ſeu iuris Communis relaxatione, qua aliquis eximitur, ac ſubtrahitur oneri legis, permanente reſpectu aliorum eadem legis obligatione. Et circa hoc inquiritur hic, num diſpenſatio ſicuti in legibus poſitivis, ita locum habeat & in naturali, ut poſſit Deus, & Summus Pontifex eius Vicarius in Terris hominem ab eius vinculo abſolvere, ut non peccet dum non facit quod ea præcipit, aut dum facit quod ea vetat. Et circa hoc varia ſunt Theologorum placita.

Verum pro clariori intelligentia notandum circa diſpenſationem, dupliciter ipſam contingere, proprie videlicet, ſeu directe, & improprie ſeu indirecte. Diſpenſatio tunc proprie fit, quando permanente materia legis, lex aliquem ſolum deſinit obligare; eo quia ſit in poteſtate Legiſlatoris tollere legi, vim obligandi: ita diſpenſari dicuntur per Superiorem Religioſi v. g. a ſurgendo media nocte ad matutinum, & feudatarius per gratiam Supremi Domini a cenſu, vel ſervitio in obſequium Principis præſtando, &c. cum cæterum communi lege tenerentur. Improprie vero, quando non id mutatur, quod a Lege ſtatutum eſt, ſed mutatio occurrit in re ipſa, circa quam ius naturale verſatur, puta ſi Deus quemdam occidi præcipiat, aut res alienas auferri; tunc enim non redditur licitum homicidium & furtum, ſed tollitur materia præceptorum, *non occides*, *non furaberis*, ſive actus prohibitus hiſce præceptis. Quod enim fit auctoritate, aut præſcripto ſupremi Domini vitæ & rerum omnium, non eſt amplius crimen homicidii, aut furti, eo ferme pacto quo dum creditor habet pro accepto, quod ei debetur, non amplius tenetur debitor ſolvere, non quod ius ſolvendi debitum diſpenſetur, ſed quia pecunia, quæ debebatur, ceſſat eſſe amplius debita. Hæc autem diſpenſatio orta ex circumſtantiis, & mutatione rerum improprie tantum, & analogice dicitur diſpenſatio, ut facile cuique attendenti patere poteſt. Et de hac apparenti diſpenſatione, quæ revera non eſt niſi imago diſpenſationis cenſeri poteſt loquutos eſſe aliquos Canoniſtas, dum non ſolum in Deo, ſed etiam in Papa agnoſcunt facultatem diſpenſandi in lege naturali, ut legitur in Gloſa 2. Part. 2. Decret. Le. 10. q. 7. Cap. *auctoritatem*. Unde horum ſententia nullatenus patrocinatur placito Scotiſtarum, qui volunt Deum poſſe diſpenſare in præceptis ſecundæ Tabulæ; & multo minus Ochamo, qui cum velit peccatum non eſſe malum, niſi quia libere a Deo prohibitum, docet etiam libere poſſe in præceptis legis naturæ diſpenſare. Quocirca.

Quomodo Deus diſpenſare poſſit in lege naturali.

Papa non poteſt diſpenſare in lege naturali.

Dicendum 1. Papam non poſſe diſpenſare in lege naturali. Iam regula eſt communiſſima, non ſolum ſubditum diſpenſare non poſſe in lege ſuperioris, cui ipſe ſubiicitur, ſed ne quidem ſuperiorem relate ad inferiorem in lege ſibi ſuperioris, puta Epiſcopum in lege Papæ, niſi ſpecialiter ei conceſſum, ſeu delegatum ſit. Nullibi vero legitur, nec ſufficienter probatur a Deo conceſſum eſſe ſummo Pontifici ut diſpenſet in iis, quæ ſunt de iure naturæ. Inſuper Papa diſpenſare nequit in lege divina, ut in Cap. *Sunt: quidam ſi quod docuere Apoſtoli, & Prophetæ deſtrueret, quod abſit, non ſententiam dare, ſed errare convinceretur*; & huiuſcemodi habentur in Cap. *Statuta;* Unde multo minus diſſolvere poteſt legem naturalem, quæ non minus indiſſolubilis eſt, ac ea, quæ Prophetarum, & Apoſtolorum ſcripta comprehendunt. Igitur ſuprema Papæ poteſtas, quæ a Chriſto Domino fuit ei collata, non ſe extendit ad diſpenſationem in iis, quæ ad legem ſpectant naturæ.

Obiici hic poteſt illud Matthæi 16. ubi Chriſtus Dominus ampliſſimam generalemque contulit Petro poteſtatem omnia ſolvendi ſine ulla exceptione iuris naturalis, *Quodcumque ſolveris ſuper terram erit ſolutum & in Cœlo*. Hinc Romani Pontifices diſpenſant in votis, iuramento, matrimonio rato, in reſſidentia Epiſcoporum, quæ omnia reſpiciunt obligationes ſpectantes ad ius naturale. Unde ortum habuit illud commune Iuriſprudentum effatum; *Papa habet iura omnia in ſcrinio pectoris ſui*.

Reſpondetur Papam ex amplitudine poteſtatis ſibi a Chriſto largitæ omnia ſolvere poſſe, non tamen ſine ullo ordine, & reſpectu, alias eximere poſſet etiam a diligendo

Deo

Deo, & proximo, ſuper quæ, ut dicemus, Deus ipſe diſpenſare nequit: unde omnia ſolvere poteſt Pontifex, dummodo rectiſſimo univerſorum ordini non opponantur, ac proinde ſervata, non immutata lege naturæ, ad ædificationem ſcilicet non ad deſtructionem. Extant plane tamquam in ſcrinio in Papæ pectore iura omnia, & quoad ius interpretandum, & quoad amplitudinem poteſtatis per quam excellit omnes homines, & poteſt diſpenſare ſuper omnia in quibus locum habeat diſpenſatio, & inſuper quia, ut aiunt Canoniſtæ, habet facultatem præferendi æquitatem rigori iuris. Ad exempla vero quæ in confirmationem adducuntur, reſpondetur, reſidentiam Epiſcoporum non eſſe de iure naturæ, quando eorum præſentia & vigilantia neceſſaria non ſit gregi pro eius correctione, Sacramentorum adminiſtratione, vel inſtructione, & per alium ſuppleri poſſit; quia alias reſſidere tenentur iure tantum Eccleſiaſtico: ſecus vero Papa diſpenſare nequit Paſtores a reſidentia, niſi tamen Epiſcopi abſentia eſſet ad maiorem Eccleſiæ neceſſitatem; quia in tali caſu præceptum naturale de reſſidendo, videtur non obligare. Et circa hoc conſulendum eſt Concilium Tridentinum ſeſſione 23. Cap. 1. de Reform. Quoad vota vero, & Iuramenta, Papa in his diſpenſando non diſpenſat in iure naturæ, non enim facit ut vovens & iurans ſtante voto, & iuramento poſſit et contravenire, ideſt non eximit a reddendis promiſſis, quod vere eſſet, & proprie diſpenſare in vinculo naturali; ſed Dei nomine cuius vice & auctoritate fungitur, diſpenſat improprie, vel ob graviſſimam, & nimis onerosam cauſſam condonando debitum ortum ex voto, vel iuramento, qua condonatione facta immutatur voti, & iuramenti materia, vel declarando in quibuſdam circumſtantiis vota, & iuramenta nequaquam tenere, nec proinde promiſſionem factam ab his, qui iurarunt, vel voverunt, eſſe exigendam. Et huiuſcemodi relaxationem, & declarationem poteſt facere Deus, vel immediate per ſe ipſum, vel mediate per ſuum Vicarium. Quoad matrimonium vero ſi ratum, & ſimul conſummatum ſit, ex ſtatuta præſcriptione contractum Papa non ſolvit quoad vinculum, ſed tantum quoad thorum, & cohabitationem, qui actus dicitur divortium, ob ſuas tamen graves cauſas, ut ſuo loco dicetur. Diſpenſat quidem in matrimonio rato tantum, quia dantur caſus in quibus matrimonium etiam quoad vinculum poſſit diſcindi, nec indiſſolubile eſt lege naturæ, ſi ob commune aliquod bonum Divina & Eccleſiaſtica auctoritas duxerit eſſe ſolvendum, ut ſuo loco alibi dicetur. Quare ſemper verum eſt, Papam non poſſe diſpenſare proprie in iure naturali, ſicuti nec Deus ipſe, a quo Papa ſuam accepit poteſtatem.

Dixi quod Deus proprie & directe diſpenſare nequit in ullo præcepto legis naturalis, ſive affirmativum illud ſit, ſive negativum. Et equidem cum iam antea dixerimus de lege naturali, quod hæc ſit participatio legis æternæ & per omnia ei conſentanea & conformis, evidenter ſequitur, quod ſicuti Deus nequit æternam legem, ſeu ſuam rationem, & providentiam pervertere ac mutare, ſic nec poterit legem naturalem, quæ ipſius æternæ legis eſt participatio, & in omnibus ei conformis, per propriam, directamque diſpenſationem. In hoc enim præcipue differunt præcepta legis naturalis a præceptis legis poſitivæ, quod illa ipſa natura rerum conſtituuntur, hæc vero libera legislatoris voluntate poſita ſunt. Cum vero ea, quæ ex ipſa rerum natura procedunt neceſſaria ſint, & ex ſuppoſitione naturæ conditæ prorſus immutabilia, quemadmodum quæ pendent ex aliorum arbitrio contingentia, & mutationi obnoxia, nemo non videt, præcepta legis naturæ fixam habere perennemque invariationem ſeu immutabilitatem. Inſuper cum lex naturalis non præcipiat niſi quod ex ſe, & ex natura ſua, ſeu intrinſece eſt bonum, ac ideo ex natura ſua neceſſarium ad morum honeſtatem, ut dedeceat naturæ rationali illud omittere; nec vetet niſi quod ex ſe, ideſt ex natura ſua, ſeu intrinſece eſt malum ac inhoneſtum, idcirco rationali naturæ valde indecens eſſet, ſi Deus manentibus omnibus iiſdem circumſtantiis, ſub quibus illa lex viget per ſe, & obligat, liberaret aliquem ab ipſius obligatione; quod eſt maniſeſtiſſimum abſurdum, nimis repugnans Divinæ infinitæ perfectioni, Sanctitati, Sapientiæ, & Providentiæ.

Deus proprie, & directe diſpenſare nequit in lege naturali.

Quocirca (& hoc inſerviet ad diluenda quæ in contrarium ex Scriptura opponi ſolent) quæcunque leguntur in Scripturis ſanctis indulgeri, ac præcipi a Deo, quæ adverſari videntur legi naturali; talia revera non ſunt niſi ob mutationem, quæ ſemper contingit in materia præcepta, ac proinde diſpenſatio fuit dumtaxat improprie & indirecte. In tali ſenſu iuſſit Abrahamo, ut ei innocentem filium ſuum immolaret tamquam ſupremo Domino vitæ & necis; Unde immolatio in tali caſu tam longe aberat, ut eſſet iniuſta, quin potius erat religioſa. Sic indulſit polygamiam ob facilio-

rem

rem populi fidelis propagationem, ex quo venturus erat Meſſias; tum etiam quia non obeſt fini primario Matrimonii, nempe ſobolis ſuſceptioni & educationi: & quoad æqualitatem mutui iuris, quod habent coniuges ſuper alterius corpus, ſuprema, qua pollet ſuper omnia creaturarum iura poteſtate, ac diſpoſitione diſpenſavit concedendo uxoribus in corpus eiuſdem viri dominium partiale, ſufficiens tamen ad ſatisfaciendum iuri, quod dependenter a Deo ſupremo rerum omnium Domino, ſingulæ uxores in corpus ſui coniugis habere poterant. Ita ex eodem ſupremo dominio ſuper creaturas omnes conceſſit Deus Hebræis Matrimonii diſſolutionem, diſſolvendo vinculum, & remittendo utrumque coniugem priori libertati, abſque eo quod iniuria neutro irrogaretur. Ex eodem pariter Supremo iure & dominio, quod tenet Deus ſuper res omnes, diſpenſavit cum populo, ut retineret vaſa Ægyptiorum transferendo ex Ægyptiis in Hebræos illorum dominium, ut Ægyptii non amplius vaſorum eſſent Domini, ita ut dici nequeat, quod Hebræi rem alienam retinerent; niſi etiam dicere velimus, voluiſſe Deum, ut tali modo compenſarentur debita mercede tot labores, quibus intervierant Ægyptiis, & qua fuerant defraudati. Quoad iuſſionem vero factam Oſeæ accipiendi filios de fornicatione, dicendum cum SS. Auguſtino & Hieronymo, Deum non iuſſiſſe Oſeæ fornicationem, ſed quod duceret in uxorem mulierem quæ prius fornicata erat, & affectu maritali ad eam accederet. Vocatur autem etiam poſt matrimonium mulier illa fornicaria, quia talis fuerat antea, & in tali ſenſu filii eius dicuntur filii fornicationum, nempe ut progeniti ex matre, quæ fuerat antea fornicaria.

§. XIV.

De Lege Poſitiva Divina.

Tametſi ab initio inſeruiſſet Deus in animis hominum iuris naturalis præcepta, quæ ſua ipſius lex poſitiva, quam poſt varia ſæcula ſcriptam tradidit, complectitur, & eſt Divinum illud lumen, quod Divina Sapientia & providentia ſibi complacuit ſignare in Creatione primi hominis ſuper cor eius, omniumque eius deſcendentium; quia tamen eo uſque vanitatem ac mendacium dilexerunt homines, ut ad illud lumen nihil attenderent, & iuſtitiæ regulas omnino negligerent, ne dicam ſpernerent, ita principia, ſeu præcepta iuris naturalis falſis opinionibus, pravisque affectibus obliterata ſunt, ne dicam fere deleta ex eorum mentibus, ſeu verius denſiſſima vitiorum mendaciorumque caligine obſcurata, ut ea omnino oportuerit innovare. Unica igitur ratio, quare Divina providentia ſuam Decalogi legem tradere voluerit, plane fuit, ut præcepta naturalia quaſi expuncta, & pene deleta ex cordibus hominum, renovarentur, ita ut denuo ſemita eis pateret, qua ad finem, propter quem Deus eos condidit, ad felicitatem nempe æternam pervenirent.

Lex poſitiva divina dupliciter accipitur.

Lex poſitiva Divina, de qua ſermonem hic habere inſtituimus, dupliciter ſumitur. Primo late & importat in hoc ſenſu quidquid in Scripturis ſanctis continetur, ideſt non ſola præcepta, ſed etiam conſilia, promiſſiones &c. quæ pertinent ad religionem, ut accipitur ad Romanos: *Finis legis Chriſtus*. Secundo ſumitur ſtricte, & proprie, ideſt pro particularibus præceptis, quæ ad finem ſpectant ſupernaturalem, ut Levit. 18. *cuſtodite leges meas*. Et lex poſitiva Divina ſic accepta definitur; *decretum Dei præſcribens hominibus modum, quo ad finem ſupernaturalem pervenire valeant*.

Definitio Legis poſitivæ Divinæ.

Eius diviſio.

Lex autem Divina poſitiva dividitur 1. in legem pure poſitivam quæ præcipit, & vetat quæ ex ſe ſunt indifferentia, ut circumciſio, eſus Agni, &c. & in Legem non pure poſitivam, quæ præcipit aut vetat ea, quæ jam antea præcipiebantur, vel vetabantur a iure naturali; & hæc non differt a naturali niſi reſpectu modi, quo indicitur. 2. dividitur in veterem ſeu Moſaycam, & Novam, ſeu Evangelicam; ſed apud aliquos habet aliquam exceptionem hæc diviſio, inadæquatam hanc putantes; cum certum ſit, etiam in ſtatu legis naturæ, ideſt ante Moſaycam, dediſſe Deum aliqua hominibus præcepta, ut uſum Sacramenti; ſicuti communiter exiſtimant Theologi pro culpa Originali delenda fuiſſe Circumciſionem, quam præcepit Abrahamo, abſtinentiam a carne cum ſanguine &c.

§. XV.

De Lege Veteri, ſeu Moſayca.

Lex vetus eſt ea, quæ data fuit a Deo, & promulgata Populo per Moyſem in Deſerto, dum Populus reduxerat ab Ægyptiana ſervitute, & pergebat ad terram per Abrahaam ei promiſſam. Lex iſta triplici appellatur nomine, ideſt *lex vetus*, ut diſtinguatur a lege Evangelica, quæ nova dicitur; Mo-

Digitized by Google

Moſayca, quia Moyſi data fuit, & per ipſum promulgata, & *Lex* ſimpliciter, eo quod iuberet, & vetaret, ſed gratiam per ſe non conferret.

Contra hanc legem graſsarunt prioribus Eccleſiæ ſæculis varii impii errores, dum inſanientes quidam perditi homines ſomniarunt duo oppoſita principia, ideſt duos Deos, bonum unum, & auctorem boni, a quo data ſit lex Evangelica, Malum alterum, & mali auctorem, qui auctor fuit legis veteris, ideſt Moſaycæ. Hoc fuit impium dogma Simonis Magi, Carpocratianorum, Cardonianorum, Valentinianorum, & præcipue Manichæorum, quos, cum ab eis receſſiſſet impugnavit S. Auguſtinus. Putarunt quidam alii, legem veterem inſtitutam fuiſſe partim a Deo, partim a Moyſe. Hunc errorem ellidit D. Paulus Rom. 1. ubi docet, hanc legem datam fuiſſe a Deo per Prophetas. Alii vero, ut quidam Ptolomæus teſte S. Epiphanio hæreſi 33. putarunt tres fuiſse auctores legis veteris, & unum eorum fuiſſe Deum. Dicebant enim unam partem datam fuiſse ab Opifice mundi, quem non Deum, ſed Numen ſecundum eſse aiebant, aliam parte a Moyſe, aliam tandem a ſenioribus, & hoc ultimum deliramentum nullo innixum eſt fundamento. Alii denique in profundiorem prolapſi ſunt impietatem ut dicere non horruerint, quemadmodum Manichæi, & Marcionitæ, legem hanc latam fuiſſe a Diabolo, vel a malorum omnium principio.

Tria genera Præcepto. rum legis Moſaycæ. Præcepta legis Moſaycæ triplicis ſunt generis, alia moralia; alia cæremonialia, alia iudicialia. Moralia præcepta pertinent ad mores ideſt fugam vitiorum, virtutum praxim, continentque legem naturalem, ſuntque numero decem, & dicuntur præcepta Decalogi, ideſt decem verborum, ſeu potius iuxta loquendi morem divinæ Scripturæ decem ſententiarum, ſeu præſcriptionum earum, quæ agere debeamus, & quæ non; ac ideo Decalogus eſt rectiſſima regula noſtrarum operationum, ut bonæ ſint, honeſtæ, & meritoriæ æternæ mercedis, quæ eſt ultimus noſter finis, ac vera beatitudo. Priora tria præcepta reſpiciunt Deum, alia ſeptem proximum. Legem hanc dedit Deus Moyſi in monte Sina inſculptam in duabus tabulis lapideis, quarum prima impreſſa exprimebat tria priora ad Deum pertinentia, & dicuntur præcepta primæ tabulæ; alia ſeptem proximum reſpicientia erant in altera tabula & hæc dicuntur præcepta ſecundæ tabulæ; ac proinde præcepta Decalogi dicuntur præcepta duarum tabularum. Cæremonialia, ſeu legalia, ritus, ſive cæremonias continebant pertinentes ad divinum cultum, & præcipue verſabantur circa ſacrificia. Hæc enim præſcribebant, quomodo & quibus cæremoniis Deus in veteri Teſtamento colendus eſſet ac honorandus, ut ſic populus ab Idololatria ex pravo Gentilium exemplo præcipue Ægyptiorum, inter quos commoratus erat, propenſus, retraheretur. Præcipua cæremonialia præcepta erant de circumciſione, de eſu Agni Paſchalis, de quibuſdam Sacrificiis &c. & hæc erant triplicis generis; quorum primum vocabatur Holocauſtum, in quo tota conſummebatur victima, in teſtimonium ſupremi Dei dominii, & hoc unice ad Deum colendum offerebatur, ac ideo vocabatur etiam Lautreticum. Alterum Hoſtia pro peccato, quod & pro commiſſorum expiatione, ſicuti etiam pro boni omiſſione & pro ignorantia Deo offerebatur, & in hoc duo hirci ſtatuendi erant ante Dominum, & miſſa ſorte unus erat offerendus pro peccato, alter mittendus in ſolitudinem. Et in eo, qui offerebatur, pars una eiuſdem comburebatur, pars altera cedebat in uſum Sacerdotis; unde hoc dicebatur etiam Sacrificium Propitiatorium. Erat alterum *hoſtia pacifica, ſeu hoſtia pacificorum*, quod offerebatur in gratiarum actionem pro accepto beneficio, & alio nomine dicebatur *Sacrificium laudis*; vel pro impetratione alicuius novi beneficii, & dicebatur *impetratorium*. Et in hoc una pars ad Dei honorem comburebatur, altera cedebat in uſum Sacerdotis, & altera in uſum ipſorum offerentium. Præter hæc Sacrificia, quæ dicebantur *Victima*, & comprehendebant præcipue Animalia quæ in Dei honorem offerebantur, erat etiam *immolatio*, per quam offerebantur res inanimatæ, & ſolidæ, ut panes, ſimila, thus, triticum, &c. *Libamen*, quod erat oblatio de rebus inanimatis, & fluidis, quæ in Dei honorem effundebantur, ut vinum, oleum, aliique liquores. Non omnia tamen animalia offerebantur; ſed inter quadrupedia oves, hædi, & boves. Et hæc ſtatuit Deus, ut ſibi offererentur ad removendos Hebræos ab Idololatria Ægyptiorum, qui abhorrebant hæc in ſuis Sacrificiis offerre, utpotequæ tamquam Dii ab ipſis colebantur. Inter volatilia deſſignatæ erant a Deo ſibi in Sacrificium offerendæ Turtures, & Columbæ. Paſſeres quoque offerebantur, ſed ſolum pro liberatione leproſorum. Animalia omnia, quæ maculam, aliumve defectum habe-

habebant, excluſa erant a Sacrificiis, ſicuti etiam piſces, qui extra aquam extracti vitam non conſervant. In Sacrificiis holocauſti non offerebantur niſi maſculi, ut digniores. Qui non poterant ob paupertatem animalia offerre, immolabant panem, ſimilam, aut ſpicas.

Præter cæremonialia præcepta iam expoſita erant etiam inſtrumenta ſtatuta ad Divinum cultum, ut Tabernaculum, Arca, Propitiatorium, Candelabrum, Menſa duplex, Altare, Vaſa diverſi generis; ſicuti etiam Sacerdotum Veſtes.

Sacramenta veteris legis. Sacramenta veteris legis alia erant omnibus communia, ut Circumciſio, Agnus Paſchalis, Purificationes, Expiationes peccatorum; alia propria Sacerdotum, ut eorum conſecratio, capillorum tonſio, pedum ablutio, eſus panum propoſitionis. Legales quoque obſervantiæ erant multæ, ac variæ, ut differentia ciborum, abſtinentia a ſanguine, & adipe, ieiunia Nazaræorum, vota, & quædam etiam veſtium forma.

Feſtivitates veteris legis. Suas quoque habebat feſtivitates Populus Iudaicus, quæ triplicis erant generis. Aliæ erant ordinariæ ut Sabbatum, & Neomenia, ideſt Dies primus menſis Lunaris; aliæ ſingulis annis recurrebant, ut Paſcha, Pentecoſtes, Feſtum tubarum, & expiationum, Scenophægiæ ſeu Tabernaculorum, Sortium, & Dedicationis; aliæ nonniſi poſt plures annos, ut annus Sabbaticus, & Iubilæus ut in libro Levitici 23. & 25. Et ſic lex Moſayca ex ſua inſtitutione præfigurabat Chriſtum venturum, & Eccleſiam, ideſt legem novam per Chriſtum inſtituendam; ſic hæc cæremonialia præſignificabant ea omnia, Sacra, & Divina, Sacramenta ſcilicet, Sacrificia, Templa, Sacerdotes, aliave, quæ per Chriſtum & Apoſtolos, eorumque ſucceſſores inſtituta fuerunt in lege nova, ideſt in Eccleſia pro Salute omnium hominum, qui Eccleſiæ per Baptiſmum aggregantur.

Præcepta iudicialia ſpectabant ad populi regimen. Hic enim conſtituebatur ordo populi, tum inter ſe, tum quoad Communitatem, & qui in iudiciis exercendis obſervari debebat. Leges porro huiuſmodi fuerunt veluti quædam iuſtitiæ ſeu iura inter illos obſervanda, ſeu determinationes, ad quas in deciſionibus litium occurrentium, atque cauſarum Iudices populi Iſraelitici attendere debebant.

D. Thomas 1. 2. quatuor diſtinguit hominum ordines in quavis ſocietate 1. nempe Principis ad ſubditos 2. ſubditorum inter ipſos 3. reſpectu alienigenarum 4. domeſticorum, ut Patris ad filium, uxoris ad Maritum, ſervi ad dominum; & ſecundum hos quatuor ordines diſtinguebantur præcepta iudicialia Veteris Legis.

Nihil quoad principatum ideſt pro Principis electione ſtatutum erat, cum Deus ſibi hanc optionem reſervaſſet. Hinc modo Regimen fuit apud Duces, modo apud Iudices uſque ad Samuelis tempora, & tandem, quando Populus a Samuele Regem petiit, apud Reges, ut 1. Reg. 8.

Quatuor temporibus datæ fuerunt a Deo leges poſitivæ hominibus; nempe Adamo poſt eius creationem, pro abſtinentia a fructu talis arboris; poſt diluvium Noe; Moyſi in Sina monte; tandem in mundi Redemptione per Chriſtum.

Lex vetus, cum data ſit ad præfigurandum Meſſiam venturum, ac ideo ſtatum legis novæ ſeu legis gratiæ, & Evangelii, bona eſſe debuit, & a Deo inſtituta, ac indita populo Iudaico a Moyſe, ut a miniſtro a Deo ad illam Iſraelitis annunciandam, ſeu promulgandam deſignato, contra falſa Manichæorum aliorumque Hæreticorum deliramenta. Et hoc comprobant manifeſta Scripturarum teſtimonia, quibus identidem Sanctitas huius legis & ipſius conditio commendatur. Pſal. 18. ita habetur de lege veteri; *Lex Domini Immaculata convertens animas:* & Rom. 7. *Lex quidem Sancta, & mandatum Sanctum, & iuſtum, & bonum*. Sanctum profecto quoad præcepta cæremonialia, quibus peculiariter homines ordinantur ad Deum religioſo cultu honorandum. Iuſtum propter præcepta iudicialia, quibus ordinantur ad proximum, ſuum cuique præbendo. Bonum propter moralia præcepta, quæ per ſe bonitatem continent, & honeſtatem, ac ordinant hominem præcipue ad ſe ipſum. Et equidem quomodo non bona, & ſancta illa lex, quæ myſterium ita ſanctum, & venerabile præfigurabat, ut erat Incarnatio Divini Verbi, adventus Meſſiæ, quem afflatu Spiritus Sancti tot Sancti viri, ut priores Patriarchæ, & tot Prophetæ annunciarunt; pro qua exquiſivit Deus, dum eam in Sinæ Monte inſtituit, tot diſpoſitiones, ut digne ſuſciperetur, nempe ieiunium, veſtium mutationem, accedentium ad Montem reverentiam, ac timorem; quæ ſancita fuit in fœdus inter Deum & hominem, quæ non præcipiebat, niſi genus omne bonorum, ideſt virtutum, omniaque vitiorum mala prohibebat? Certe bona eſt lex, quæ tota eſt in eo, ut homines ad Deum perducat, ac a falſorum Numinum ſuperſtitioſa

reli-

religione, ac cultu removeat, qua omnia honeſtatis, æquitatiſque officia perſolvuntur, quæ ad cœleſtem perducit vitam, & felicitatem, ac ab æternarum pœnarum minis, ac peccatis abducere enixe contendit; in qua proinde tot Sancti Viri floruere, qui eam fideliter obſervarunt; Lex, quam Chriſtus Dominus novæ legis auctor ut bonam agnovit ac commendavit; immo licet non teneretur, ipſe quoque eam obſervavit, ut proteſtatus eſt Matthæi 5. *Non veni ſolvere legem, ſed adimplere*. Et Divus Thomas 1. 2. q. 98. oſtendit bonam fuiſſe legem veterem; quia rectæ rationi erat conformis, utpotequæ reprimebat concupiſcentiam, peccata omnia vetabat, quæ rationi adverſantur.

Data fuit a Deo lex vetus ſecundum omnes ſui partes. Nam Rom. 1. & Hæb. 1. teſtatur Apoſtolus datam fuiſſe a Deo ſuis Prophetis. *Multifariam, multiſque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis*, & Chriſtus Dominus Matth. 15. ita exprobravit Phariſæos; *Irritum feciſtis mandatum Dei propter traditiones veſtras*. Hæ enim traditiones non ſpectabant, ſicuti patet ex eodem textu, ad legem, ſed erant quædam Phariſæorum inſtituta, vel potius quædam frivola monumenta, quæ veris traditionibus permixta a Patribus ſuis acceperant; & hi, qui iam erant zelatores, & veluti Magiſtri in ſua Religione, haſce fabulas quaſi legitimas hiſtorias populo in ſuis inſtructionibus tradidere. Et vere lex vetus diſponebat populum ad recipiendum venturum Meſſiam; unde patet, Deum qui miſit filium ſuum (qui eſt promiſſus, qui expectabatur Meſſias, ideſt mundi Redemptor) fuiſſe legis veteris auctorem.

§. XVI.

De Legis Moſaycæ Imperfectione.

Dupliciter conſiderari poteſt res aliqua imperfecta, ut notat Suarez l. 9. c. 18. privative ſcilicet, quando ei deficiat aliqua perfectio ſecundum propriam ſpeciem ei debita, aut maxime conveniens; & negative, quando ei deſit perfectio, cuius capax non eſt, vel quæ ſaltem ipſi ſecundum ſuum ſtatum nec debita eſt, nec conveniens. Prior imperfectio eſt in re ſpectata ſecundum ſe; poſterior vero in re comparata cum alia perfectiore. Lex vetus, cum a Deo inſtituta fuerit ad ipſius cultum, ad ſpiritualem ſui populi perfectionem & ſalutem, ad figurandum myſterium Chriſti Incarnationis, quæ nonniſi morale bonum præcipiebat, & malum vetabat; in ſuo ordine, & gradu profecto debuit eſſe perfecta, ideſt habens, quidquid eidem ſecundum eius ſtatum erat debitum, & maxime conveniebat. Hæc enim præcipiebat Populo, ac imponebat ea, quorum erat capax, ſive ſpectentur ut homines, cum eis non præciperet, niſi ea quæ ad cognitionem Dei & cultum neceſſaria ſunt; ſive ut talis Populus, cui utpote duræ cervicis, præter præcepta, quæ complectebantur quæ ad Beatitudinem vitæ tum moralis, tum humanæ, & politicæ poſſint deſiderari, aliunde alia multa importabat. Item ope huius legis præ cæteris Gentibus magnitudinem & ſapientiam Dei edocti ſunt, ut Pſal. 147. *Qui annunciat verbum ſuum Iacob .... Non fecit taliter omni Nationi, & Iudicia ſua non manifeſtavit eis*. Lex vetus non ſolum vetabat omnia vitiorum genera; ſed etiam virtutes omnes præcipiebat, inter quas dilectionem ipſius Dei, ut Deuter. 10. contra quoſdam, qui temere hoc negarunt. Igitur lex vetus non fuit imperfecta privative. Fuit quidem lex vetus imperfecta negative, quatenus caruit variis perfectionibus quas habet lex nova, ideoque in divinis Scripturis vocatur inutilis ac infirma, ut ad Galat. 4. *Quomodo iterum convertimini ad infirma, & egena elementa?* Vocatur inſufficiens ad ſalutem; quia per ſe non dabet vires ad conſequendum finem ſuum, neque ad præcipuos ſuos actus; unde ad Galat. 2. ait Apoſtolus: *ſcientes quod non iuſtificabitur homo ex operibus legis, niſi per fidem Ieſu Chriſti*; & Sanctus Auguſtinus Trac. 3. in Ioannem, *Lex*, inquit, *minabatur, non opitulabatur, iubebat, non ſanabat*.

Non indignum tamen fuit Deo tradere legem imperfectam, & inutilem; quia non erat imperfecta quoad omnia, ideſt ſimpliciter; ſed quoad aliqua tantum, ſeu ſecundum quid; quia ut iam vidimus perfecta erat in ſuo ordine, nempe ut figura, quæ ex ſe non poteſt eſſe tantæ virtutis, ſicuti figuratum, & ea omnia præſtare quæ illud confert.

Nota, quod lex vetus cum per ſe loquendo data eſſet ſolum Iſraelitico populo, hinc ſolum hebræos, non omnes homines obligabat; unde aliæ nationes non tenebantur, niſi ad obſervandam legem naturalem, ideſt moralia præcepta, non ſecus ac Hebræi, idcirco exempti erant a præceptis cæremonialibus, & iudicialibus. Tenebantur quidem ad fidem implicitam in Chriſtum venturum, videlicet in mundi Reparatorem,

&

& hoc illis ſatis erat ad ſpiritualem ſalutem, ſicuti factum fuit in multis, ut in Iob, & aliis qui per ſolam legis naturæ obſervantiam & fidem in Reparatorem ſanctificati fuere. Dixi *per ſe loquendo*; quia cæteroquin liberum erat aliis Gentibus legem Moſaycam amplecti, & profiteri per ſuſceptam Circumciſionem, quæ illius legis erat ianua, ſicuti nunc Baptiſmus eſt ianua legis Evangelicæ eiuſque Sacramentorum; immo non patiebatur populus Iudaicus neminem alienigenam inter ſe morari, qui præcepta ſuæ legis non obſervaret & circumciſionem non ſuſciperet.

Obſervandum, quod cum lex Moſayca ordinata eſſet ad præfigurandum Meſſiam venturum, & legem novam, ſeu Eccleſiam per ipſum inſtituendam, facillime colligitur, quod Chriſto adveniente, qui erat figuratus, illa utpote figura ceſſare ſeu expirare debebat. Quamobrem errarunt Ebion, & Cerinthus, dum volebant etiam poſt Chriſti adventum, & Eccleſiæ, ſeu legis gratiæ inſtitutionem permanere debere, ac exinde cenſebant Chriſtianos teneri ad circumciſionem, ut tradunt SS. Epiphanius & Auguſtinus Lib. de hæreſibus. Ita cenſerunt etiam quidam Nazaræi, qui ex ipſo Chriſti exemplo eiuſque diſcipulorum legis perpetuitatem perperam aſtruere tentarunt; nec non pro hoc errore ſemper acriter pugnarunt etiam Iudæi.

§. XVII.

De Legis Veteris abrogatione.

Lex vetus profecto abrogari debebat, & ceſſare, & revera abrogata fuit, & ceſſavit obligare poſt adventum Meſſiæ, & eſt de fide. Ita enim vaticinati ſunt Prophetæ, dum polliciti ſunt, fœdus antiquum reſcindendum, & novum Sacrificium veteribus abiectis inſtituendum, ut Hieremias & Iſaias, qui cap. 2. ait *de Sion exibit lex, & verbum Domini de Hieruſalem . . . proieciſti enim Populum tuum Domum Iacob*. Prophetavit Malachias ceſſationem Sacrificiorum veteris legis, quæ nonniſi Hieroſolymis offerri poterant, & futurum, ut in toto orbe offerentur. Conſonat vaticinio Malachiæ illud Danielis c. 9. *in medio hebdomadæ deficiet hoſtia & Sacrificium*. Et hoc habetur etiam Luc. 16. *Lex & Prophetæ uſque ad Ioannem*. Divus Paulus conſiderat legem veterem ſimilem Pædagogo, qui adveniente Magiſtro tntam deperdit auctoritatem; *Lex* (ait Apoſtolus ad Galat. c. 3.) *Pædagogus: at ubi venit fides, iam non ſumus ſub Pædagogo*. Et hæc eſt præcipua ratio, qua perſuaderi poſſumus de hac veritate, præter divinam voluntatem, quæ in hac mutatione eſt præcipua & invincibilis ratio.

Gravior tamen difficultas, quæ circa hoc verſatur, eſt de tempore, quo præciſe poſt Chriſti adventum lex vetus ceſſavit. Sed cum rem hanc ex profeſſo pertractare, negotium ſit potius ad Theologos ſcholaſticos dogmaticos ſpectans, quam ad ſimpliciter Morales, ſatis erit aliqua hic breviter delibaſſe.

Præcepta moralia cum ſint iuris naturalis, quod mutari nequit per ſubtractionem, nec diſpenſari, non poſſunt ceſſare ab eorum obligatione, & abrogari, in cuiuſcumque legis ſtatu conſiderentur; ideoque etiam nunc in hac lege gratiæ, & Evangelii vim ſuam retinuere, & nunc etiam proinde obligant, non quidem ut præcepta legis Moſaycæ, quæ ut talia non alios unquam obligarunt præter Iudæos; ſed quia illa Chriſtus ſuæ Eccleſiæ veluti innovata tradidit. Præcepta vero Iudicialia quamvis per adventum & mortem Chriſti ac Evangelii prædicationem cum tota Moſayca lege fuerint evacuata, ut vi illius legis deſierint obligare; ob eorum tamen naturalem æquitatem nullatenus repugnat, nec eſt culpabilis liber eorum uſus. Immo præcipi poſſunt ab Eccleſiæ Prælatis, ob eorum naturalem convenientiam, & æquitatem; ut ex D. Thoma 1. 2. q. 104. art. 3. aliiſque communiter: non quidem quia ex ſe vim habeant aliquam obligandi; cum ſine culpa obſervari nequeant ex ipſorum obligatione: ſed ſolummodo ut de novo præcepta ab iis, qui poteſtatem habent condendi leges. Hinc vi talis innovatſonis ſolvuntur decimæ Parochis aliiſve Eccleſiæ miniſtris: quia iure naturali, & Divino debita eſt Eccleſiæ Miniſtris neceſſaria ſuſtentatio, ut ait Chriſtus Dominus Matth. 10. *dignus eſt operarius cibo ſuo*. Controverſia igitur præcipue cadit ſupra cæremonialia, utpotequæ cum eſſent ſimpliciter figuræ, & umbræ Chriſti & Eccleſiæ; his apparentibus, quæ erant figurata, illa ita evacuantur, ut non ſolum ſint proſus inutilia, ſed mortua etiam; immo facta fuere aliquando & mortifera.

Et antequam reſolvatur de tempore, quo lex vetus fuit abrogata, quatuor temporis circumſtantiæ diligenter ſunt attendendæ, 1. videlicet tempus, in quo lex nova fuit conſtituta, & vetus abrogata 2. Quando hæc mu-

Digitized by Google

mutatio fuit promulgata. 3. Quando Lex vetus evaſit prorſus inutilis, & obligare ceſſavit, abſque eo tamen quod illius obſervatio eſſet per ſe illicita, & noxia. 4. Tandem quando lex vetus facta eſt mortifera, ideſt prorſus illicita, & ſuperſtitioſa illius obſervantia. His poſitis ſit.

Lex vetus fuit abrogata in morte Chriſti: ita communiter, paucis exceptis. Non ante Chriſti mortem dici poteſt legem veterem abrogatam fuiſſe, cum ipſe Chriſtus Dominus eam ſervaverit, & ſervandam uſque ad ſui mortem docuerit, ac præceperit: ſic iuſſit proſn quem ſanavit, ut ſe Sacerdoti præſentaret, munuſque a lege præſcriptum ei offerret. Item Matth 23. ait: *ſuper Cathedram Moyſis ſederunt Scribæ & Phariſæi: Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, ſervate & facite*. Nondum igitur vivente Chriſto deſierat poteſtas Sacerdotum Aaronicorum. Tandem pridie quam Chriſtus pateretur cum iuxta Moſaycæ Legis inſtitutum tempus eſſet azymorum, quando celebrabatur Paſcha cum eſu Agni, hoc implevit in celebratione ultimæ cœnæ cum Diſcipulis, quando inſtituit auguſtum Euchariſtiæ Sacramentum; & de hoc habetur Luc. 22. *venit dies Azymorum, in qua neceſſe erat occidi Paſcha*.

Unde colligitur, ante mortem Chriſti viguiſſe legem Moyſis, ut adhuc eſſet in præcepto, & Evangelium in conſilio; ita ut ſi Iudæus filium baptizaſſet, abſque eo quod ſimul circumcideret, hic conſecutus fuiſſet beneficium Sacramenti Baptiſmi, ideſt gratiam regenerationis; ſed peccaſſet pariter contra præceptum circumciſionis: non vero ſi hoc feciſſet Gentilis; quia Gentiles non tenebantur ad circumciſionem. Porro lex nova erat novum Chriſti Teſtamentum, ut ait Apoſt. Hebræor. 9. Unde nonniſi in morte Chriſti poterat confirmari; idcirco uſque ad hoc tempus Lex vetus, quæ erat prius Teſtamentum perdurare debebat; cum poſterius Teſtamentum inſtitutum ut prius revocetur, robur non accipiat, nec valorem, niſi in Teſtatoris morte, ut ibi ait: *Teſtamentum in mortuis confirmatum eſt, alioquin nondum valet, dum vivit qui teſtatus eſt*. Abrogata eſt ſecundum ſe lex vetus in ipſa Chriſti morte, non ceſſavit tamen obligare niſi poſt ipſius Chriſti reſurrectionem. Et quoad primum ex eo patet, quia in Chriſti morte impletum fuit quidquid præfiguratum erat in lege, ac promiſſum; idcirco dum Chriſtus emiſſurus erat Spiritum, ait Ioann. 19. *Conſumatum eſt*. Et hoc etiam ſignificatum fuit per ſciſionem veli Templi, ut communiter docent Sancti Patres; *velum ſcinditur* (ait S. Ambr. l. 10 in Luc. c. 23.) *quo myſteriorum Synagogæ profanatio declaratur*. Quoad ſecundum vero facile deprehenditur, nempe Legem Moſaycam, licet per Chriſti mortem ſecundum ſe fuerit abrogata, non deſiiſſe tamen obligare, niſi poſt Chriſti Reſurrectionem; quia Lex quæcunque non ceſſat obligare per novam legem eam deſtruentem & irritantem, niſi poſtquam Lex poſterior priori derogans non ſit ſufficienter promulgata; unde cum lex Evangelii non fuerit ſufficienter enunciata niſi poſt Chriſti Reſurrectionem in die Pentecoſtes, hinc lex vetus quoad vim obligandi non defecerat ante novæ legis publicationem; *Reprobatio fit præcedentis mandati*, (ideſt legis) *introductio vero melioris ſpei*, ait cit. Apoſtolus ad Hebr. 7. Die igitur Pentecoſtes quando Apoſtoli repleti Spiritu Sancto, qui ea die in figura linguarum ignearum ſuper illos viſibiliter deſcenderat, egreſſi e Cœnaculo, ſtatim coram magna cuiuſcunque nationis turba, quæ ex variis mundi partibus Ieroſolymam iis diebus confluxerat, cœperunt, ut omnes ſentiunt Theologi, publice enunciare magnalia Dei, ideſt ſpiritualem totius mundi ſalutem in nova Chriſti Lege, & Baptiſmo, ac utriuſque neceſſitatem, legis videlicet, & Baptiſmi pro eadem ſalute ſimul manifeſtiſſime declararunt; cœpit lex nova utpote ſufficienter promulgata obligare, ac exinde vis omnis obligandi in lege veteri penitus ceſſavit, ac deſiit. Hæc tamen obligatio novæ legis non cœpit ex eodem inſtanti pro toto univerſo orbe; ſed ſucceſſive, prout per varias mundi plagas ſufficienter promulgabatur, ut variis nationibus humano modo innoteſcere potuerit. Promulgatio autem hæc citius, quam Gentilibus, facta eſt Iudæis, eo vel maxime quod licet lex Evangelica, ideſt univerſalis redemptionis inſtituta ſit pro toto humano genere, præcipuo nihilominus modo promiſſa erat Iſraeli, cui promiſerat Deus per Prophetas, quod eius regnum inſtauraretur; quod eſt intelligendum de Regni ſpiritualis inſtauratione, ſcilicet ab originalis peccati ruinis, ac inferni captivitate eos redimendo; ſicuti David vaticinatus eſt Pſal. 129. *Ipſe redimet Iſrael ex omnibus iniquitatibus eius*; immo ipſe Dominus id iuſſit Apoſtolis, Actorum 1. *eritis mihi teſtes in Ieruſalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & uſque ad ultimum terræ*.

Nota, quod tametſi lex vetus poſt Evangelii promulgationem, & ſecundum ſe, & ſecundum vim obligandi penitus ceſſave-

rit; non evaſit tamen ſtatim mortiſera, ita ut ſine culpa, ea quæ erant eiuſdem legis, exerceri non poſſent, quod Theologi extendunt uſque ad devaſtationem Civitatis, & Templi factam a Romanis Tito, & Veſpeſiano ducibus. Tunc enim conſiderant Synagogam ut ſepultam, ac omnino extinctam. Ex hoc enim tempore ceſſeverunt Sacrificia Aaronica, aliaque Iudæorum ſolemnia; & tunc lex Evangelica iam erat ſufficienter promulgata omni Creaturæ, quæ ſub Cœlo eſt. Unde lex Moſayca ex tunc ut extincta, & etiam ſepulta facta eſt mortiſera.

Quare uſque ad tempora everſionis Templi Ieroſolimitani non ſolum Iudæis, ſed etiam Gentilibus ad fidem converſis non erat illicitum coniungere circumciſionem cum baptiſmo, Sacrificia Aaronica cum Miſſæ Sacrificio: immo etiam ipſi Apoſtoli non iam ſimulate, ſed ſincere hiſce temporibus ſine ulla cenſura gravis culpæ ea obſervarunt. Nam ſi non erat ſuperſtitioſum hoc temporis intervallo vetuſtas ſervare cæremonias, opus non erat ulla ſimulatione ad occultandum quod licitum erat, & neutiquam mortiferum. Quinimmo gravis culpa eſt ſimulate peragere quod irreligioſum eſt, ac mortiferum, tametſi fieret bona fide, puta ad lucrandum proximum; alias fas nunc eſſet ſimulate Iudaizare cum Hebræis, & Idolis cum Gentilibus thus adolere, ut eos tali medio lucraremur; quod impium nemo non dixerit, utpote quod ſuperſtitioſum ſit, & illicitum. Et hæc eſt culpa quam D. Paulus in S. Petro reprehendit, ideſt ſimulatio. Sola vero Dei bonitas in cauſa fuit, cur naſcentis Eccleſiæ initio Synagogæ iam mortuæ talis decor conſervaretur ad tempus. Roborata vero Eccleſia, ac firmata, & Synagoga honorifice ſepulta, ea prohibuit in iis ſaltem, quæ erant legis graviora, qualia ſunt circumciſio, Sacrificia, &c.

Et hæc Divina ordinatio colligitur ex conſtanti Eccleſiæ traditione. Conſtans enim eſt Sanctorum Patrum doctrina, nefas eſſe legalia cum Evangelio miſcere & inter alios hoc docet S. Ignatius Epiſt. ad Philip. *Si quis* (ait S. Pater) *cum Iudæis celebrat Paſcha aut Simbola Feſtivitatis eorum recipit, particeps eſt eorum, qui occiderunt Dominum, & Apoſtolos eius.*

Dicitur *ſaltem in iis quæ in lege erant graviora*; nam leviora quædam admittere poteſt Eccleſia ſine culpa; ſic in Eccleſia ut alias notavimus ſunt in uſu decimæ Eccleſiæ ipſi ſolvendæ ad miniſtrorum ſuſtentationem ac Sacrorum locorum decorem, purificatio aliquibus in locis mulierum poſt partum. Immo abſtinentia a Sanguine & ſuffocato poſt Apoſtolos perduravit apud Eccleſiæ fideles abſque eo quod ulla notentur cenſura.

§. XVIII.

De lege nova, ſeu de lege gratiæ & Evangelii, eiuſque perfectione.

Lex Chriſtiana, ſeu Chriſti variis pluriſque nominibus ennunciatur. Dicitur 1. *Lex nova*, vel ab eff ctu, quo per gratiam homines ſpiritualiter innovantur, vel a tempore, quo promulgata eſt, & relative ad legem Moſaycam. Nam hæc eſt ultima lex, quæ a Deo inſtituta eſt, & tradita hominibus: *mandatum novum do nobis* ait Chriſtus Ioan. 13. ex quo anterior dicitur vetus, & antiqua. Dicitur 2. *lex Evangelica*, eo quod in quatuor libris unius evangelii contineatur, vel quia eſt bonum nuntium ut ſignificat nomen Evangelii 3. *Lex libertatis* ex D. Iacobo c. 2. quia homines eximit ab oneribus legis veteris. 4. *Lex fidei* ut ad Romanos c. 3. *Lex gratiæ*, vel ſimpliciter *gratia* ex Ioannis Evangelio c. 1. eo quod non ſolum gratiam multo copioſiorem conferat virtute Sacramentorum, ac fiebat in lege veteri, ſed inſuper contineat & afferat omnis gratiæ auctorem Ieſum Chriſtum. 6. dicitur *Spiritus vitæ* Rom. 8. quia in hac per Spiritum Ieſu Chriſti, qui caput eſt myſtici corporis, ſeu Eccleſiæ, & per continuum eius influxum vivificamur. Dicitur tandem *novum Teſtamentum*, quia Chriſto adveniente omnia innovata ſunt, ut ait Apoſtolus 2. Corinth. 5. *Vetera tranſierunt, ecce facta ſunt omnia nova.*

Ex his quæ antea incidenter attigimus de lege nova, evidentiſſime patet Divinam eſſe, utpotequæ non a Ioanne Baptiſta, ut quidam dixerunt, a quo nulla habetur lex Chriſtianos obligans; ſed unice a Chriſto Domino, unde Chriſtiana appellatur, tradita eſt; Et hanc tulit univerſo orbi, ita ut ad hanc, ac ad Baptiſmi ſuceptionem omnes teneantur homines ſive Iudæi ſint, ſive Gentiles, ut unanimes ſentiunt Theologi; immo de fide tenet Eccleſia iuxta Apoſtolicam Traditionem & Scripturarum teſtimonia, præcipue Iſaiæ 33. v. 22. Ubi Meſſias venturus dicitur *Dominus Iudex noſter, Dominus Legifer noſter*; & Ioannis 14. ubi ipſe Chriſtus Dominus ſuam dixit legem Evangelii: *mandata mea ſervate*. Quod vero toto univerſo orbi, nempe cuicumque populo & nationi tradiderit Chriſtus hanc novam ſuam legem,

Lex non a Ioanne Baptiſta ſed unice a Chriſto.

gem, patet ex Cap. ultimo Matth. ubi Apoſtolis quos huius ſuæ legis præcones deſignaverat, iubet, ut Gentibus totius univerſi hanc annuntient, & eorum prædicationi credentes baptizent, doceantque ſervare omnia quæ ipſis Apoſtolis annuntianda commiſerat: *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, docentes eos ſervare omnia quæcunque mandavi vobis*. Et equidem cum Chriſtus ſit totius mundi Redemptor, ita etiam Legiſlator eſſe debebat, leges pro omnibus condendo, quæ ducerent omnes ad ſanctificationem, æternamque Salutem.

Quando lex evangelica a Chriſto inſtituta fuerit.

Lex Evangelica non uno, eodemque tempore fuit inſtituta, ſed ſucceſſive: Etenim Baptiſmus inſtitutus fuit initio prædicationis Chriſti, Euchariſtia pridie quam Chriſtus pateretur, & plura alia, ut Sacramentum Pœnitentiæ poſt Reſurrectionem; ita ut lex evangelica non fuerit integre completa, niſi circa ipſius Chriſti aſcenſionem. Promulgata fuit lex Evangelii, ut antea notavi, die Pentecoſtes, ſaltem Iudæis. Idcirco ante diem Pentecoſtes tametſi utilis eſſe poſſet obſervantia legis Evangelicæ; cum Baptiſmus, & Euchariſtia ſtatim ac inſtituta fuere vim haberent ſanctificandi: quia tamen nondum erat promulgata, neminem obligabat. Verum quamvis Iudæi non tenerentur ante promulgationem legis Evangelicæ ipſius præcepta obſervare, non erant tamen exempti a debito credendi Chriſto prædicanti, & variis portentis ſuam a Patre miſſionem comprobanti, ideſt neminem impoſterum æternam conſequi poſſe Salutem, niſi per regenerationem ex aqua, & Spiritu Sancto &c. Nam dictat ipſa naturalis ratio, credendum eſſe vera annuntianti; cum ad hoc non requiritur alia promulgatio, ſicuti requiratur, ut leges poſitivæ cæremoniæque ad ipſas ſpectantes vim habeant obligandi.

Lex nova ſpectari poteſt dupliciter.

Priuſquam autem explicetur per definitionem, quid ſit lex Evangelica, advertendum primo hic eſt cum D. Thoma q. 106. art. 1. dupliciter illam ſpectari poſſe, videlicet vel in ſe præciſe, vel in ſigno; quia ſicuti Teſtamentum conſideratur vel pro ipſa diſpoſitione, & donatione Teſtatoris, vel pro ſcriptura, qua tanquam Signo utitur Teſtator, ut indicet hanc eſſe ſuæ ultimæ voluntatis diſpoſitionem; Lex ſimiliter evangelica, quæ novum dicitur Dei Teſtamentum, accipi poteſt & pro ipſamet Chriſti diſpoſitione & ordinatione, & pro doctrina, qua divitias ſuæ donationis nobis expoſuit. Advertendum ſecundo ex eodem Angelico Doctore loco citato, Legem Evangelicam præcipue conſiſtere in ipſa Chriſti diſpoſitione, & donorum elargitione; Doctrinam vero eſſe quid ſecundarium, ac proinde concludit S. Doctor, Legem novam dicendam eſſe annuntiatam, non traditam, & in hoc diſtingui a veteri, quod iſta dicatur ſimpliciter ſcripta. Nam cum gratia ſit quid præcipuum in nova lege, (quæ ideo dicitur etiam lex gratiæ, cum hæc non per litteram, ſeu Scripturam tradatur, ſed infundatur per Spiritum Sanctum) abſolute dicendum eſt, Legem Evangelicam inditam eſſe ſeu annuntiatam, tametſi magna ex parte ſit Scripturæ mandata; quia etiam lex naturalis, quæ indita erat rationali naturæ, fuit poſtea in tabulis lapideis exarata, ut carnales homines circa exteriora diſtracti ſaltem eſtrinſecus legere conarentur quod in cordibus inſculptum ac per conſcientiam inſonantem audire negligebant. Quare conſentaneum fuit, ut lex etiam Evangelica, quæ non eſt innata, ſicuti naturalis, ſed rationali naturæ ſuperaddita, ne per peccatum excideret ac deleretur, non ſolum ex eorum cordibus, ſed etiam ex eorum memoria, ſcriptis conſignaretur; quod patet eſſe huic legi quid ſecundarium.

Lex Evangelica ab aliis definitur *Lex a Chriſto data & per Apoſtolos promulgata, quæ gratiam ſibi coniunctam habet ſupernaturalem*; ab aliis vero ita deſcribitur; *gratia per Spiritum Sanctum cordibus indita, qua creduntur, & amantur quæ Chriſtus verbo tradidit*. Definitio Legis Evangelicæ.

Dicitur 1. *Gratia*, quia Lex Evangelii eſt Lex gratiæ quæ præcipue collata eſt in Lege nova; ut de hac vaticinatus eſt Zaccharias c. 12. *Effundam ſuper Domum David, & ſuper habitatores Ieruſalem Spiritum gratiæ & precum*; quod impletum eſt die Pentecoſtes, quo lex Evangelica promulgata eſt. Ita etiam Ioannes c. 1. Legem Evangelicam indicavit; *Lex per Moyſen data eſt, gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt*. Dicitur 2. *cordibus indita*. Ita enim habetur de Lege nova Ieremiæ c. 31. *Ecce dies venient dicit Dominus, & feriam domui Iſrael, & domui Iuda fœdus novum .... dabo Legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam*. Dicitur 3. *per Spiritum Sanctum*, ut Lex Evangelica diſtinguatur etiam a Lege naturali, quæ ita eſt indita, ut ſit innata & fluens inſtar radii a principiis rationalis naturæ; Lex vero Evangelica eſt naturæ rationali ſuperaddita, & cordibus inſcripta per

Digitized by Google

Spiritum Sanctum, ut 2. Corinth. 3. *Epiſtola eſtis Chriſti miniſtrata a nobis, & ſcripta non atramento, ſed Spiritu Dei vivi, non in Tabulis lapideis; ſed in Tabulis cordis carnalibus*. Idcirco hæc lex nova naturalem legem per peccatum Originale vitiatam, ac obſcuratam illuſtrat, & infirmas, ac debilitatas naturæ vires reparat, auget, ac perficit. Dicitur 4. *qua creduntur, & amantur*, quibus verbis denotatur legem Evangelicam, non ſolum oſtendere quæ ſunt credenda, amanda, & vitanda, ſed quod per gratiam dat etiam ut illa credantur, amentur, & reſpective vitentur. Idcirco dicitur Lex amoris, & fidei, quæ per dilectionem operatur; quia & mentem cogitationibus Sanctis illuſtrat & pie voluntatem movet, & inflammat. Quocirca dicitur ab Apoſtolo Rom. 8. *Lex ſpiritus vitæ in Chriſto Ieſu*. Dicitur 5. *quæ Chriſtus verbo tradidit*, quo oſtenditur, materiam, circa quam verſatur Lex nova, eſſe ea omnia, quæ Chriſtus verbo docuit, & poſtea magna ex parte ſcriptis Apoſtoli conſignarunt.

Unde ex his colligitur (cum gratia ſit forma iuſtificans, & formaliter peccatum expellens, non ſecus ac lux tenebras, calor frigus) Legem Evangelicam, quæ ut docet Apoſtolus ad Rom. 5 eſt ipſamet gratia, & Charitas diffuſa in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis, vere iuſtificare homines, ac ſanctificare.

§. XIX.

De cauſſis Legis Novæ.

Si loquamur de Cauſſa efficiente Legis Novæ, ex iam dictis apertiſſime colligitur eſſe ſolum Ieſum Chriſtum. Nam baptiſmus, quem Ioannis inſtituit, erat diſpoſitio ad Baptiſmum Chriſti, neutiquam erat Sacramentum, quod fideles ſuſcipere tenerentur. Cauſſa vero formalis Legis Novæ in ipſa definitione continetur. Cauſſa finalis eſt iuſtificatio, & Sanctificatio hominum, ac eorum æterna Salus per ſanctificationem conſequenda. Cauſſa tandem materialis ſunt præcepta omnia, quæ ab ipſa traduntur, ut a Chriſto Domino inſtituta.

Præcepta Legis novæ alia ſcripta alia tradita.

Præcepta porro quæ a Lege Nova imponuntur, alia hodie ſcripta ſunt in Evangelio, aliiſque in locis Sacræ Scripturæ; alia verbo tradita, ideſt habentur a traditione, quæ traditio vocatur Verbum Dei non ſcriptum, ad differentiam eorum, quæ habentur in Divina Scriptura, quæ dicitur Verbum Dei ſcriptum. Dixi *hodie*; quia in exordio naſcentis Eccleſiæ omnia tradita fuere verbo, & per notabile tempus res ita perduravit, ſcilicet donec Evangeliſtæ, & Apoſtoli aliqua ſcriptis conſignarunt, quod fuit per accidens; cum nullum extaret Chriſti præceptum, ſeu ordinatio, quod Lex ipſius, quam oretenus Apoſtolis tradiderat, ſcripto exararent.

Unde evidentiſſime conſtat, quantum hallucinati ſint Lutherus, & Calvinus, qui ex eo quia Lex Evangelica Lex ſit libertatis, cenſuerunt, ac contenderunt, nullum aliud præceptum in hac contineri præter præceptum fidei, ſeu cuiuſdam confidentiæ in Divinis promiſſis; ita ut ſtante tali fiducia nullum quantumvis grave peccatum poſſit eis imputari; & ſolum peccare dixerunt Chriſtianos, quando a certa illa fiducia recedunt. Nam de fide eſt, Legem Evangelicam præter fidem, alia quoque præcepta continere, ut habetur ex Scripturis, præcipue Matth. *non veni Legem ſolvere, ſed adimplere*, & ex Traditione. Quare merito ut errorem Lutheri, & Calvini fidei manifeſte contrarium reprobaret Concil. Trident. ſeſſione 6. Can. 19. ita definivit; *Si quis dixerit nihil præceptum eſſe in Evangelio præter fidem, cætera eſſe indifferentia, neque præcepta, & prohibita . . . . anathema ſit*. Et clarius habet can. 21. *Si quis dixerit Chriſtum Ieſum a Deo hominibus datum fuiſſe, ut Redemptorem cui fidant, non ut Legiſlatorem cui obediant; anathema ſit*. Libertas enim, quæ tribuitur legi Evangelicæ iuxta D.Paulum Rom. 6. *Non eſtis ſub lege, ſed ſub gratia*, & 2. Corint. 3. *Ubi Spiritus Domini ibi libertas*: non importat exemptionem ab omni Lege, & præcepto, ſed immunitatem & exemptionem ab onere peccatorum & Legis Moſayeæ, quæ erat Lex cogens, & terrens. Vera enim filiorum libertas conſiſtit in prompta, & alacri mandatorum executione, quæ meliori modo fieri poteſt in Lege Nova, quam in veteri; in qua licet gratia non deeſſet, ſicuti habuerunt ſive Patriarchæ, ſive alii vulgo Iudæi, qua alii ſalvi facti ſunt, alii ſalvi fieri potuerunt, erat tamen longe parcior menſura gratiæ in veteri lege, quam in nova; cum nunc ſit multo diffuſior, utpote quæ vi huiuſce ſtatus confertur, in quo actu habemus merita Ieſu Chriſti, cuius intuitu, etiam dum erant futura, gratia conferebatur.

Præcepta Legis Evangelicæ triplicis ſunt generis, alia Fidei, ut præceptorum credendi revelatis, ut miſteriis Trinitatis, Incar-

Digitized by Google

carnationis &c. Alia Moralia, ut ea quæ continentur in Decalogo, quæ Chriſtus ſua auctoritate confirmavit, & expoſuit abſque eo quod quidquam eis adderet, ut patet ex Matth. cap. 5. . Alia Cæremonialia, quæ reſpiciunt uſum Sacrificii & Sacramentorum.

§. XX.

De Affectionibus Legis Novæ.

Diverſæ, variæque perpenduntur in ſcholis Theologicis Legis novæ affectiones, quas ſaltem breviter hic attingere non incongruum cenſui, inter quas prima eſt diſcrimen veteris a nova lege. Et circa hoc ſtando communi Doctorum, nullum eſt diſcrimen circa ſubſtantialia, ſed tantum in accidentalibus. Nam ambæ eundem habent auctorem, nempe Deum, & finem, tum proximum, nempe cultum Dei, & cordis puritatem, tum remotum, ideſt æternam ſalutem, eademque primaria præcepta fidei per charitatem operantis; quæ eſt *legis plenitudo*. Rom. 13.

Diſcrepant quoad accidentia 1. quatenus vetus erat imperfectio, & quaſi pædagogus quo Iudæi, veluti parvuli regebantur. 2. Quia ſecundaria præcepta legis veteris ad Sacrificia, & Sacramenta ſpectantia plurimum diſcrepant a præceptis legis novæ. 3. Quia lex vetus nonniſi Iudæos obſtringebat; Lex vero Evangelii totum obligat Mundum. 4. Quia myſteria Trinitatis, Incarnationis &c. explicite in nova revelantur & creduntur, cum in veteri ſubobſcure tantum ſub figurarum velamine fuerint propoſita. 5. Quia Iudæi metu pœnarum temporalium, & ſpe terrenæ felicitatis ad ea quæ ſunt virtutis provocabantur; at in nova, in qua Spiritus regnat amoris, ſpretis mundi promiſſis, ſola cœlorum felicitas ad virtutem nos movet. 6. Quia maior eſt in nova lege facilitas ob uberiorem gratiam, quæ confertur pro implendis præceptis, quam in veteri. 7. Quia lex nova iuſtificat, quod non præſtabat vetus. Sed ut hæc duo poſtrema clarius elucidentur, ſit.

I. *Lex Nova eſt facilior veteri.*

Nota 1. Legem Evangelii ſpectandam eſſe dupliciter, ut ex dictis colligitur; 1. ſecundum id quod in ea præcipuum eſt, quod eſt gratia, & ſpiritus, qui conferuntur 2. quoad id quod eſt ei ſecundarium, doctrinam ſcilicet, & litteram.

Nota 2. in doctrina & littera non ſolum præcipi, vel vetari actus exteriores, puta eleemoſynam, debiti ſolutionem, homicidium &c. ſed etiam interiores, ut dilectionem proximi, etiam inimici, repreſſionem iræ & cuiuslibet affectus inordinationem. Hiſce poſitis ſit.

I. Si ratio præciſe habeatur actuum exteriorum, certum eſt, legem veterem graviorem eſſe lege Evangelica; quia, ut D. Thomas docet q. 170. art. 4. ad plures actus exteriores obligabat lex vetus in multis cæremoniis, quam lex nova, quæ præter præcepta legis naturæ pauciſſima ſuperaddidit.

Nec obſtat, quod lex Confeſſionis, prohibitio polygamiæ, Matrimonii indiſſolubilitas onera ſint adeo gravia, ut exinde multi fideles a Chriſtiana religione deterreantur: quia non ſolum hæc præcepta per abundantiam gratiæ facilia redduntur; ſed ulterius pondus legis non penſatur ab uno aut altero præcepto, ſed ex tota præceptorum collectione, quæ certo multo copioſior erat in lege veteri, in qua numerus præceptorum erat circiter ſexcentorum, ex quibus multa erant, quorum tranſgreſſores morte puniebantur; unde gravior erat profecto lege nova, quæ pauciſſima reſpective continet præcepta, licet unum aut alterum ex his forte ſit ponderoſius. Deinde Confeſſio Sacramentalis magni eſt levaminis pœnitentibus, potius quam oneris; dum ex ea ſolatium, conſilium, & remedium capiunt. Polygamia autem, & libellus repudii erat indulgentia ad tempus infirmis conceſſa.

II. Doctrina, & littera legis Evangelicæ prout ſe extendit ad actus interiores, & exteriores videtur multo gravior lege veteri, ut docet etiam D. Thomas art. 4. mox citato; quia abnegare ſeipſum, Deum diligere uſque ad ſui contemptum, uti hoc mundo tamquam non utamur, impetus iræ, ſuperbiæ, voluptates nos continuo laceſſentes reprimere, ut littera docet, eſt valde difficile; immo ſine auxilio ſpiritus vivificantis moraliter impoſſibile. Sed ſi rem ſtricte conſideremus, neque in his lex Evangelica eſt tanto veteri gravior; quia licet illa actus internos non præciperet, tamen cum ipſa quoque vetaret quidquid naturalis lex vetat, cum hæc prohibeat quidquid eſſentialiter malum eſt ſive interius, ſive exterius etiam actus internos, idcirco & iram, & pravas cupiditates &c. interdicebat. Inſuper lex vetus bona erat, & ſancta; talis autem non fuiſſet, ſi non vetaſſet etiam peccata cordis, quæ cæteris graviora eſſe ſolent.

Digitized by Google

Lex porro Evangelica, ſi ſpectetur ut ſpectanda eſt, in eo ſcilicet quod præcipuum habet, & eſſentiale, ſeu quatenus eſt lex ſpiritus, & gratiæ, non eſt onus aggravans, ſed potius levans, reficiens, ac delectans; & exinde Chriſtus Dominus leve dixit ac ſuave Matth. 11. Iugum ſuæ legis; *Iugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve*. Et ex Patribus ait S. Auguſt. ſerm. 64. alias 22. de verbis Apoſt. *Hæc ſarcina non eſt pondus onerati, ſed alæ volantis;* quia lex evangelica eſt ipſa bona voluntas, & iuſtitiæ dilectio; idcirco iucundum eſt id exercere, ad quod iam animus inclinat, ut ait D. Auguſtinus lib. de Bono voluntatis cap. 21. *Nullo modo oneroſi ſunt labores amantium*.

Non officit, quod ſpiritus dilectionis vigeat in paucis Chriſtianis; nam ex hoc tantum ſequitur, multos eſſe inter fideles, qui gratiam Dei in vacuum recipiunt, & reſiſtunt Spiritui Sancto; non quia gratiam non recipiant, cuius ope diligere poſſint; vel eos, ſi talibus præſidiis uterentur, non guſtaturos, quam ſuavis ſit lex Domini iis, qui ex amore eam implent.

II. *Lex Nova iuſtificat*.

Lex evangelica iuſtificat, non vi ſuorum præceptorum tantum, ſi hæc a gratia ſeparentur, quia in tali caſu non plus poſſunt præcepta in lege nova, quam poterant in veteri, & æque quam in iſta eſſent littera occidens; *Doctrina, qua mandatum accipimus, littera eſt occidens, niſi adſit vivificans Spiritus*, ait S. Auguſtinus lib. De Spiritu, & Litt. cap. 4. ſed vivificat lex Evangelica præcipue per gratiam, cuius ope præcepta implentur, diligitur iuſtitia, & exinde dicitur iuſtitiæ dilectio lex vitæ vivificans, & Spiritum conferens. Sed non in una ſemper, eademque menſura recipitur; nam aliis tribuitur, ut bonum prompte ac delectabiliter operentur; aliis ut ubi difficultatem ſentiunt, devotis, ac perſeverantibus precibus facilitatem a Domino impetrent, ut ait S. Auguſtinus. Unde ſi deſit illa gratiæ copia, quæ in aliis exuberat, præſto ſit orationis Spiritus, qui infirmitatem noſtram adiuvet, ut quod præcipitur, prompte, ac alacriter impleamus. Et qui ab infirmitate liberari poſtulat, ut quod præcipitur impleat, hic profecto legis præcepta amat; nam ſi præcepta multum non amaret, gratiam pro his implendis non perſeveranter peteret, ut patet in mundanis, qui a Deo non aliud expoſtulant, niſi quod incolumes eos in hac vita ſervet, & proſpera ſuccedant inita conſilia, quia hoc unum deſiderant.

III. *In Lege Evangelica dantur Conſilia, quæ magis huic congruunt, quam legi veteri*.

Obſervandum, conſilium valde differre a præcepto, quia præceptum neceſſitatem imponit, ut ſine culpa non poſſimus illius obſervantiam deferere, conſilium vero dat optionem: & ſic qui conſilio non acquieſcit, per hoc præciſe nullatenus peccat; *ubi non eſt lex* (ait Apoſtolus Rom. 4.) *nec prævaricatio*. Dixi *præciſe*, quia qui conſilium prætermittit ut cupiditatibus ſuis indulgeat, ac carnis deſideriis ſerviat, proculdubio peccat; tunc enim tranſgreditur legem Dei, quæ dicit Exodi 20. *Non concupiſces*. Et Eccli. 18. *Poſt concupiſcentias tuas non eas*. Attendant igitur, & præcipue qui vitam in Monaſteriis ſanctiorem profeſſi ſunt, ne in iis etiam quæ ſecundum eorum ſtatuta ſtricte non obligant ne quidem ſub veniali, nimis faciles ſint in laxitatibus, ea contemnendo, aut negligendo, ut ſuis inordinatis ſerviant affectionibus; quia peccabunt contra legem naturalem, & non raro etiam cum æternæ ſalutis diſcrimine, præcipue quia vix hæc contingent ſine aliorum offenſione, & diſciplinæ regularis imminutione, ac ruina.

Dantur in lege Evangelica conſilia, quædam nempe opera perfectiora, quæ Chriſtus Dominus non imponit cum neceſſitate præcepti, ſed liberæ permittit electioni; ut de Virginitate ait Apoſtolus 1. Corin. 7. *Præceptum Domini non habeo; conſilium autem do, tamquam miſericordiam conſecutus a Domino, ut ſim fidelis*; ſcilicet ut pro munere Apoſtoli quod miſericorditer conſecutus ſum, fideliter Dei mentem exponam, & ſaluti omnium optime conſulam. Conſilia congruunt potius novæ legi Evangelicæ quam veteri; quia, ut notat D. Thomas q. 108. art. 4. Lex Evangelica eſt lex libertatis, vetus vero lex ſervitutis. Liber eſt vere, qui ex ſe ipſo agit, nec urgetur ab extrinſeco; ſervus vero qui minis, ac metu pœnarum ad agendum impellitur, ſicuti erat Populus Iudaicus, qui nonniſi pœnarum temporalium metu extrinſecus immiſſo ad agendum induci poterat; cum ex oppoſito in lege Evangelii amoris pondere, & interiori inſtinctu gratiæ ferantur fideles ad ea, quæ honeſta ſunt; idcirco lex Evangelica eſt lex perfectæ libertatis.

IV.

IV. *Lex Evangelica eſt perfecta.*

Ex iam dictis patet, legem Evangelicam eſſe vere perfectam, & relative ad legem naturæ, & ad Moſaycam, multo iiſdem perfectiorem, utilioremque. Etenim illæ præſcribunt quidem cultum Dei non ſecus, at Evangelica; ſed hæc ſublimiori modo, & perfectiori præcipue quoad Sacrificium; cum Evangelica habeat pro victimis, non animalia, agnos, boves, &c. ſed ſui ipſius auctorem Dominum Ieſum Chriſtum, Agnum Immaculatum, qui in Sacroſancto Miſſæ Sacrificio, quod eſt unicum & verum novæ legis Sacrificium, quotidie æterno Patri ſuper Altare offertur. Leges naturæ & Moyſis verſabantur præcipue circa externas actiones, & ſtatum vitæ præſentis. Religio autem Evangelica vim ſuam extendit ex ſui natura ad ipſas quoque intimas animi cogitationes, & affectus. Hæc docet ſuos fideles, eorum felicitatem in Dei amore conſiſtere. Inſuper perfectius eſt profecto quod affert fructum, quam quod fructum promittit; & perfectior eſt vir, qui hæreditatem conſequitur, quam parvulus, qui ſtat ſub Tutorum cura. Sub Lege autem Evangelica promiſſa eſt hæreditas, ideſt unctio primum Spiritus Sancti, filiorum libertas, denique cæleſte Regnum, quod ſequitur adoptionem. Hanc hæreditatem retulerunt quidem aliqui viri Sancti, etiam Veteris Teſtamenti, diverſa tamen ratione: etenim adoptionem habuerunt cum ſpe venturi Redemptoris, nec gloriam conſecuti ſunt niſi peracta Redemptione: nunc vero adoptamur in filios gratiæ, quam abunde in Evangelicis recipimus Sacramentis, cuius ope ſempiternam retributionem hæreditario iure, ſtatim poſt obitum reportamus.

Perfectio vero Chriſtiana conſiſtit præcipue in Divinorum præceptorum obſervantia, ut conſtat ex Divinis Scripturis, ubi tota perfectio ſtatuitur in præcepto Charitatis, ſcilicet dilectionis Dei, & proximi, prout proximi dilectio includitur in dilectione Dei, cum dilectio Dei ſit ratio, & motivum dilectionis proximi: ait enim Chriſtus Dominus Matth. 5. omnibus ſuæ Eccleſiæ Fidelibus: *Eſtote ergo vos perfecti ſicuti Pater veſter Cæleſtis perfectus eſt.* Et S. Auguſt. l. *De natura & gratia* cap. 70. ſic habet: *Charitas ergo incboata; incboata iuſtitia eſt; Charitas provecta, iuſtitia eſt provecta; Charitas magna, magna iuſtitia eſt; perfecta Charitas, perfecta iuſtitia eſt; ... Quæ tunc maxima eſt in hac vita, quando pro illa vita ipſa contemnitur.*

Ratio ipſa hoc dupliciter demonſtrat; Primo, quia ultimus finis eſt ultima cuiuſque rei perfectio; unde cum Charitas ſit finis legis ſecundum Apoſtolum 1. Timoth. 1. profecto in Charitate reponenda eſt perfectio legis, ac ideo homines per ipſam operantur: nam ſcopus Legis eſt perficere ſubditos. Secundo quia conſilia caſtitatis, paupertatis, & obedientiæ, quæ videntur reſpicere perfectionem, non ſunt tamen ſpectanda niſi ut inſtrumenta, quibus Charitas perficitur, ut præcipuæ cauſæ & principia perfectionis, ut habetur in Collatione Patrum.

V. *Lex Evangelica, prout præceptiva, non eſt unquam mutanda, ſed duratura uſque ad finem Sæculi, non ultra.*

Res hic agitur de Lege Evangelica, non quoad præcepta moralia, quæ cum pertineant ad Legem naturalem, quæ immutabilis eſt, nunquam ſunt mutanda. Unde agitur de aliis præceptis, cæremonialibus nempe, & fidei.

Durante Sæculo lex evangelica, ſeu Religio Chriſtiana, prout præceptiva non amplius mutanda eſt, ac proinde lex nova, ſeu lex gratiæ perduratura eſt quoad præcepta fidei, & cæremonialia uſque ad Sæculi conſumationem, cum quo tantum finire debet Eccleſia a Chriſto fundata, quæ eſt ipſius Sponſa, & Regnum, cuius ipſe eſt inviſibilis quidem, ſed perpetuus Pontifex, Sacerdos, Rex, & Caput, a quo præcipuo amore regitur illa, & gubernatur. Nam ſi lex, ſeu Religio Evangelica deſitura eſſet ante Sæculi conſumationem, cum homines, dum in hac vita peregrinantur, ſtare nequeant ſine aliqua Religione, qua debita cultus officia ſupremo ſuo præſtent auctori & Domino; Lex alia ac Religio, & hæc præſtantior ſubſtituenda eſſet, cum hac de cauſſa veteri legi nova ſucceſſerit. At nulla hac nova lege præſtantior ſuccedere poteſt, utpote quæ habeat conditiones omnes, quæ perfectum, ac excellentiorem reddere valeant ſtatum legis ſeu Religionis; ſive conſideretur eius auctor, qui eſt Chriſtus Dominus, Verbum Dei, ſeu Unigenitus Æterni Patris Filius; ſive eius Sacrificium, Euchariſtia nempe, quo nullum aliud poteſt eſſe dignius; ſive Sacramenta quæ fœcundiſſimi Salutis noſtræ ſunt fontes; ſive Divina gratia, quæ abundantiſſime nobis confertur; ſive finis, qui eſt æterna vita, ac felicitas in perenni ipſius Dei poſſeſſione fruenda, quam lex nova attingit & in quam deſi-

Digitized by Google

deſinit. Igitur Lex nova nunquam immutanda eſt, ſed perduratura uſque ad conſummationem Sæculi.

Quod vero cum Sæculo finire debeat Lex Chriſtiana pro ut præceptiva, ideſt quoad præcepta cæremonialia & fidei, non quoad naturalia, quæ in amore conſiſtunt & conveniunt etiam alteri Sæculo, in quo plena dilectio eſt, & iuſtitia, ut ait Apoſtolus 1. Cor. 13. *Charitas nunquam excidit*, conſtat ex ipſo Scripturarum teſtimonio, præcipue Matthæi 24. *Prædicabitur hoc Evangelium Regni in univerſo orbe in teſtimonium omnibus Gentibus, & tunc veniet conſummatio.* De præceptis plane fidei & ſpei habetur 1. Corinth. 13. quod evacuabuntur *cum venerit quod perfectum eſt*; viſio ſcilicet intuitiva. De Cæremonialibus vero idipſum patet ex cap. 7. ad Hebræos, ubi dicitur Chriſtus *eo quod maneat in æternum, ſempiternum habere Sacerdotium*; unde cæremonialia legis Evangelicæ non amplius duratura ſunt, quam Sacerdotium, quod eſſentialiter ordinatum eſt ad Sacrificium offerendum, ad Sacramenta conficienda, & adminiſtranda, ut vota preceſque hominum Deo offerantur, quæ omnia expirabunt cum mundo, ac proinde & Sacerdotium, & cum ipſo lex nova, & Chriſtiana Religio. Et rationem affert huius veritatis D. Thomas q. 106. art. 4. videlicet, quod ſicuti lex vetus ſe habuit ad legem Evangelii & gratiæ, ita hæc, quæ eſt lex nova, ſe habet ad Beatitudinem, & intuitivam Dei viſionem. Quare ſicuti Lex Evangelica immediate ſuccedere debuit Legi Moſaycæ, veluti eius complementum, & perfectio; ita legi Evangelicæ æterna beatitudo immediate eſt ſubſequenda, ac proinde non ultra poſt Sæculi conſummationem eſt perduratura. Etenim ſicuti finis legis in lege veteri erat Chriſtus, quem prædicebat venturum, cuius item paſſionem ac immenſa dona præſignabat in ſuis Sacrificiis; ità lex nova, ſeu Evangelica prædicit, ac promittit Chriſtum rurſus venturum cum gloria; & ſecum aſſumpturum quæ legis veros cultores & hac fide, hac ſpe nos interius per gratiam, exterius per doctrinam nutrit, ac roborat, idoneoſque reddit ad tam eximium bonum conſequendum; adeo ut ſecundum D. Thomam nihil in præſenti vita poteſt eſſe perfectius, ac ultimo fini propinquius, ſicuti lex Evangelica. Igitur illi immediate ſuccedere debet viſio Beatifica, non ſecus ac per adventum Chriſti in mundum ac per ipſius donorum collationem, lex vetus ceſſare debuit; quia præſente veritate ceſſat omnis eius figura & promiſſio.

Inſuper Lex nova data fuit ſolum pro hominibus viatoribus in Eccleſia militante; ſed hæc non durabit poſt finem mundi, ut patet, ex illo Matth. 28. *Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſumationem ſæculi:* ergo deſinente Republica eiuſque ſtatu, deſinit etiam lex, quæ iam nonniſi pro illius bono erat conſtituta.

VI. *Non habet locum diſpenſatio humana in Divinis præceptis Legis novæ, ſed ſolummodo declaratio per Supremum Eccleſiæ Iudicium.*

Nota, nos non loqui hic de diſpenſatione relative ad Deum, qui procul dubio in Lege, cuius ipſe eſt auctor, prout eſt poſitiva, poteſt diſpenſare; cum hoc ſit de Iure Legiſlatoris, iuxta regulam iuris, in qua habetur, *quod res per eadem diſſolvatur, per quæ naſcitur*. Nam ſi libere eam tulit, etiam pro libitu poteſt eam tollere; unde & multo magis ſuper eam diſpenſare, quos ab æterno eximere decreviſſet. Hæc tamen diſpenſatio non præſumitur, niſi miraculis, aut alia non minus efficaci via probetur, ut advertit Innocentius Papa III. Cap. 12. de hæret.

Nulla humana auctoritas valet diſpenſare in Lege Divina: ita permulti cum Suarezio, qui ab ipſo citantur Cap. 6. contra nonnullos Canoniſtas, qui cenſuerunt conceſſam eſſe a Deo Papæ poteſtatem diſpenſandi in quibuſdam legis novæ præceptis. Et revera inferior diſpenſare non poteſt in lege Superioris, niſi ab eodem illi facta ſit ſpecialis poteſtas; nam ex defectu talis poteſtatis factum eſt, ut nemo diſpenſare poſſet in Lege veteri. Unde cum in nova pariter nec Petro quidem ſive ex Scriptura, ſive ex traditione comprobari poſſit poteſtatem hanc conceſſam fuiſſe: hinc nec Summus Pontifex poteſt ſuper legem novam diſpenſare. Poteſt quidem ut Chriſti Vicarius & primus Eccleſiæ Magiſter exponere, ſeu declarare circa aliqua, quæ ſunt iuris divini (exceptis Sacramentorum eſſentia, articulis fidei, vel aliis, quæ ſecundum ſe, vel ex Chriſti inſtituto neceſſaria ſunt, ut Baptiſmus in hoc vel illo caſu) legem Divinam non obligare.

Nec officit (quod opponi poteſt, immo opponunt contrarium ſentientes) Matthæi 16. poteſtas collata a Chriſto Apoſtolis, & Petro præcipue, ligandi, quodcumque, & ſolvendi; *quodcumque ligaveris ſuper terram,*

terram, ligatum erit & in Cœlis, & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum in Cœlis; quaſi cum generaliter hæc dicta ſint, facultatem contineant diſpenſandi in Divinis præceptis. Nam reſpondetur verba hæc licet generaliter prolata, tamen intelligenda eſſe cum exceptione, prout ab Eccleſia ipſa & uſu perpetuo, qui optimus eſt legum interpres, ſemper intellecta ſunt. Et equidem ſi nulla exceptio admittenda foret, omnia legis novæ præcepta ſolvi poſſent diſpenſatione; & ſic poſſet Eccleſia diſſolvere Matrimonium ratum, & conſumatum inter Chriſtianos, tollere, vel mutare altaris Sacrificium a Chriſto Domino inſtitutum; ſic variare Sacramentorum materiam contra Concilii Tridentini ſenſum ſeſs. 21. cap. 2. & contra Apoſtolum, qui 2. Corin. 10. docet, poteſtatem factam eſſe a Chriſto ſuis Apoſtolis *in ædificationem, non in deſtructionem*. Similiter nihil obſtant, quæ obiiciuntur ex variis diſpenſationibus factis a Summis Pontificibus ſuper ea, quæ ſunt Iuris Divini, ut in votis, in iuramentis, in Matrimonio rato non conſumato, revera diſſoluto, quamvis ex Divino iure indiſſolubile, ut Matth. 19. *Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet*. Item in Sacrificio Miſſæ ſine vino illud confici poſſe conceſſiſſe Innocen. VIII. &c. Etenim licet verum ſit, quod Papa, & Epiſcopi aliquando diſpenſaverint in votis, & iuramentis; tamen improrie tantum diſpenſarunt & interpretative, explicando videlicet, votum, ſeu iuramentum in his aliiſque circumſtantiis non obligare; quia non eſſet acceptum Deo; non tamen vere & proprie relaxando vice Dei promiſſionem Deo factam hiſce in caſibus, in quibus alias ſtaret voti obligatio. Non idcirco tamen concedendum, Papam, vel Epiſcopos diſpenſare in lege naturali, ſeu Divina, v. g. ſervandi votum & iuramentum; ſed potius dicendum, quod materiam mutant, & vi talis mutationis legis Divinæ hanc materiam ſubtrahunt, quæ non obligat ad ſervandam Deo promiſſionem, cui Deus per ſe aut per ſuum Vicarium renuntiavit; ideoque Papa, & Epiſcopi ſe habent in huiuſcemodi caſibus, ut aliquis, qui promiſſioni ſibi ab aliquo factæ, & iuramento, vel aliter confirmatæ renuntiat; hic enim non diſpenſat in lege naturali, quæ fidem datam ſervari præcipit, quæ prorſus indiſpenſabilis eſt; ſed relaxata promiſſione materiam mutat, eamque ſubtrahit legi, vel potius tollit conditionem, ſub qua ſolum lex obligat. Nam lex non obligat abſolute, ut quælibet promiſſio ſervetur, ſed conditionate, nimirum ut ſervetur, niſi promiſſarius, aut vices gerens, eidem renunciet. Illud vero Matthæi c. 19. circa Matrimonii indiſſolubilitatem ſtricte non cadit in Matrimonium ſolummodo ratum quod diſſolvi poteſt per Eccleſiæ auctoritatem, ſed in Matrimonium conſummatum, per quod coniuges fiunt una caro, quod nullatenus diſſolvi poteſt. Diſpenſatio vero quæ facta dicitur ab Innocentio III eſt prorſus fabuloſa, ut iam fuſius de re hac loquuntur Theologi, ubi de Euchariſtia. Quod ſi obiiceretur diſpenſatio facta aliquando ſimplici Sacerdoti conferendi Confirmationis Sacramentum, res eſt extra quæſtionem, cum Epiſcopi non ſint ita Miniſtri huius Sacramenti, ut illud nequeat committi aliquando etiam ſimplici Sacerdoti. Et hoc concedi nequit niſi a Papa, qui tunc ſequitur ipſam Chriſti ordinationem.

VII. *Aliqua interpretatio cadit in Legem Novam.*

Interpretatio alia eſt, quæ fit per Epikeiam, & hæc eſt interpretatio proprie dicta, alia improprie dicta, ſeu doctrinalis. Primæ, ſeu interpretationi per Epikeiam, non ſubiicitur lex nova; poteſt quidem ſubiici interpretationi improprie dictæ, ſeu doctrinali. Et quoad primum ratio eſt in promptu, quia cum lex Chriſti ſit obligans in caſibus omnibus, in quibus voluit Chriſtus eam obligare; nullus eſt hominum, qui eximere valeat ab obligatione caſus eos, in quibus voluit Chriſtus ſuam Legem obligare. Quoad ſecundum vero id ex praxi Sanctorum Patrum manifeſte comprobatur; eo quia ipſi ſæpe ſæpius ſenſum, & verba novæ legis exponunt; immo Doctores etiam explicant, quo tempore, & quibus in circumſtantiis aliqua novæ legis præcepta obligent. Ita e. g. alii præceptum Confeſſionis, quatenus divinum eſt, interpretantur, & explicant obligare ſtatim poſt commiſſum mortale peccatum, alii nonniſi in articulo mortis, alii ſæpius aut rarius &c.

§. XXI.

De iure Gentium.

Cum ius Gentium ſit inter naturale quod eſt a Deo, & poſitivum humanum quod eſt ab homine, utpote quod nec a Deo naturæ inditum ſit, nec ab aliquo Principe conſtitutum, quia tamen de utroque participat, & ab utroque diſtinguitur, eſt tamquam ius tertium,

Ius Gentium participat de naturali & poſitivo.

tium, ſeu ius medium inter utrumque. Hinc poſtquam de naturali Iure, & Divino actum eſt, antequam de poſitivo humano agatur, volumus aliqua breviter hic de huiuſmodi iure prælibare.

Ius igitur Gentium eſt illud, quod ex lege naturali, ſive ex principiis practicis naturali iuris lumine naturæ cognitis, quibus tale ius valde propinquum eſt, & conforme, tamquam concluſio neceſſaria, ſed probabilis ab hominum acceptatione dependens deductum eſt; & communi, ac mutuo omnium gentium conſenſu uſu ſolo, & conſuetudine ſine ſcriptis, utpote utile & neceſſarium ad commodiorem vitæ humanæ ſocietatem, & ad facilius commercium inductum eſt; ut habetur in Can. *Ius Genti. diſtin.* 1. De Iure Gentium ſunt Sedium occupatio, ædificatio, munitio, bella, captivitates, ſervitutes, poſtliminia fœdera, paces, induciæ Legatorum non violandorum, Religio, coniugia inter alienigenas prohibita, & ita quamplurima alia, quæ a D. Thoma numerantur; ſine quibus homines ad invicem convivere non poſſunt. Quare Ius Gentium eſt quædam lex humana virtualiter, & æquivalenter. Dum vero Ius Gentium tale appellatur, quia a communi Gentium populorumque conſenſu abſque ulla gradus diſtinctione, nobilis videlicet, aut ignobilis, Principis, aut Subditi inductum eſt, non intelliguntur confuſæ ſub hoc titulo Gentes omnes, ut fere convenerint etiam incognitæ nationes barbaræ & hebetes, quas certe latet quid ſit honeſtas, dum ad inſtar brutorum vitam agunt; ſed intelliguntur Gentes excultæ morumque ingenuæ, ut fuerunt Iudæi, Ægyptiani, Chaldæi, Græci, Romani, & pene omnes Europæ Incolæ. Unde non immerito dici poſſunt longe aberraſſe Hobbes, & Puffendorfius l. 11. de Iure naturali, & Gentium C. 11. qui Ius Gentium cum naturali iure confundunt, cum legem diſtinguant in naturalem, & humanam, & in legem naturalem hominum, & naturalem Civitatum, quæ communiter vocatur ab aliis Ius Gentium. Vult Hobbes utramque hanc legem habere eadem præcepta, hoc ſolo diſcrimine, quod naturales dicantur prout individualiter reſpiciunt homines; & leges Civitatis, quatenus iidem homines Civitates conſtituunt, & nationes. Quod detur Ius Gentium, indubitanter tenent communiter Doctores, utpote quod in utroque iure, Canonico videlicet, & Civili identidem nominatur, ut ex l. 1. ff. de *Iuſt. & iure*, ubi ius dividitur in Naturale, Gentium, & Civile. *Et Inſti. de iure naturali Gentium & Civili ff.* 1. & 2. Et ratio eſt manifeſta, ut conſiderant hic Salmanticenſes; quia Ius naturale eſt illud, quod cuilibet naturæ eſt inditum, ſive ſecundum ſe, ſive ſuppoſita ſocietate, & communicatione politica cum aliis; ut quod Servus obediat Domino, quod promittens reddat promiſſum, quod contrahens proximum non defraudet; & ideo ſemper neceſſario vetat, quod malum eſt, quia malum & præcipit bonum quia bonum. Ius Civile eſt illud quod Princeps in ſuo Regno, vel Reſpublica in ſuo Statu, vel uterque in aliqua ſua Provincia ſtatuunt, quod poſſent non ſtatuere. Ius vero Gentium nec a natura, nec ab aliquo determinato Principe ſtatutum eſt; ſed uſu, ac conſuetudine ab omnibus, vel fere omnibus Gentibus inductum eſt; ut diſcretio Gentium, Regnorum diviſio, &c. ut ſupra iam notatum eſt: quæ omnia nec a natura ſunt inſita, quia homines aliter decernere poſſent, nec ab aliquo dato Principe ſtatutum, ac ſignatum. Quare Ius Gentium licet naturæ valde conforme ſit & in illa fundetur, cum Ius Gentium ut ex D. Thoma 1. 2. q. 95. Art. 4. ad 1. ſint Concluſiones deductæ ex principiis legis naturæ, ut iam diximus, quia ſunt valde propinquæ & proportionatæ principiis Legis naturalis; proprie tamen Ius Gentium eſt Ius poſitivum, cum ortum ſuum ab hominibus cognoſcat, & a communi hominum conſenſu introductum ſit.

Diſtinguunt aliqui Ius Gentium in primarium, & ſecundarium. Primarium conſtituunt in naturali hominum inſtinctu, idest in eo, quod naturalis ratio Gentibus omnibus dictat, & quod mentibus hominum a Deo eſt inditum, ac ab omnibus populis ſolo naturali inſtinctu rationis cuſtoditur, & in hoc participat de Iure naturali, ac cum ipſo coincidit. Inſtit. *de Iure naturali, Gentium, & Civili*. L. omnis. 9. & alibi. Secundarium vero illud dicunt, quod ex naturali quidem ratione proficiſcitur, non tamen ſimpliciter, & a ſolo rationis inſtinctu eſt nobis inditum; ſed neceſſitate humani Commercii, poſtea ſic exigente uſu, ac moribus omnium, aut fere omnium gentium introductum eſt, ſive per modum Legis præceptivæ, aut prohibitivæ, ſive ſolum per modum poteſtatis, ſeu facultatis permiſſivæ quidpiam agendi, quod uſu ſeu conſuetudine omnium vel fere omnium Gentium præcipitur, prohibetur, vel conceditur tamquam neceſſarium, vel utile hominibus inter ſe ſocietatem ſeu commercium foventibus. Et

de

de hoc ſecundario Iure Gentium habetur in *l. ex hoc iure ff. de Iuſtitia & Iure*, & ff. *Ius autem Gentium*.

Non defuerunt prorſus reiicientes ius Gentium ex hoc, quod omnes Gentes numquam ſimul convenerint ad ius hoc ſtabiliendum. Verum quam futilis ſit hæc ratio, nemo non videt; non enim erat neceſſe ut Gentes omnes in unum locum convenirent, ſeu adunarentur ad hoc ſtabiliendum; ſed ſatis fuit tacitus conſenſus, quo nationes omnes politiores concurrerent in aliquibus legibus formandis, ad ſocietatem fovendam, ſervandamque, ac debita iura humanitatis ſervanda; ita ut poſſent homines fœdera ad invicem inire, exercere commercia, contractus celebrare, fraudes impedire & deceptiones, ac ideo debita humanitatis offitia ſervare.

§. XXII.

De lege poſitiva humana, ac de eius cauſſa efficiente, & de eius materia.

Quia ob vitiatam hominis naturam ab originali peccato nimis erat difficile ut ſolo ductu naturalis legis & Divinæ intra virtutis, ideſt honeſtatis limites ſe homines continerentur; hinc opus fuit ſuperaddi Legi naturali, & divinæ Leges poſitivas, quæ pœnas minitando retraherent a maleficiis formidine pœnæ eos, qui virtutis amore Legi obedire reluctarent. Cum enim lex naturalis nullam præter conſcientiæ aculeos pœnam afferat, & divina non niſi æternam in futura vita minetur, quæ cum ſit ab humanis ſenſibus remota, inefficaciter ut plurimum terret carnales homines ad malum proclives; ideo neceſſe erat metu & vi homines a malo cohibere, ut ſaltem hoc fræno retenti ab improbitatibus deſiſterent; aliorum tranquilitatem non turbarent, & ex malorum illorum diſſuetudine ad honeſtatis amorem ſenſim perducerentur; ut tandem moderationem, quam prius nonniſi metu coacti tenuere, ſponte ac etiam ſtudioſe ex virtutis affectu in ſuo agendi more ſervarent.

Verum quia homo non ſolum eſt membrum Reipublicæ Civilis, ſed etiam chriſtianæ; ex hoc contigit, ut duplici indigeret regimine, temporali ſcilicet & ſpirituali, ut pacem haberet in hac vita, & felicitatem conſequeretur in æternitate: hinc Divina providentia duplici eum ſubiecit poteſtati, Civili videlicet, ſeu temporali Reipublicæ, cui præſunt Principes Sæculares; & Eccleſiaſticæ, nempe Summo Pontifici, & Præſulibus, quibus Chriſtus Dominus Supremum caput curam ſuæ Eccleſiæ demandavit, ita ut Eccleſiaſtica, & Civilis auctoritas per proprias leges variis perſonarum, temporum, locorumque circumſtantiis congruentes ſubditos inter eos fines contineant, ſicuti conſecutio pacis in hoc mundo, & æternæ felicitatis in Cœleſti Patria expoſtulant.

Dari legem humanam conſtat ex toto corpore iuris tam Canonici, quam Civilis contra Valdenſes & Vicleffum, qui hoc primo negarunt, quos ſequuntur ex recentioribus Lutherus, Melancton ac Galvinus, qui inficiati ſunt leges humanas iuſte conditas fuiſſe. Excepit tamen Calvinus leges, quas facere poſſe conceſſit Eccleſiam, quæ verſentur circa materiam per legem Divinam generaliter præſcriptam.

Lex humana eſt præceptum commune iuſtum, & ſtabile ab homine, qui Politicæ vel Eccleſiaſticæ communitatis curam habeat promulgatum. Definitio legis humanæ. Neceſſarium profecto fuit pro communi hominum bono, ut præter legem naturalem & Divinam extaret etiam humana. Etenim ſi humana ſocietas artibus indiget, ut quæ corpori opus ſunt provideantur, puta victus, veſtitus, habitatio; a fortiori indiget legum diſciplina ad animum excolendum; quia iudicium rationis in his quæ ſpectant ad mores, multo magis impeditur ab ignorantia & cupiditatibus, quam in his, quæ pertinent ad artefacta. Hinc 1. Politic. c. 2. dicitur: *Sicuti homo ſi ſit perfectus virtute, eſt optimum animalium; ſic ſi ſit ſeparatus a Lege & iuſtitia, eſt peſſimum omnium.*

Leges humanæ iuxta duplicem, ſpiritualem nempe, & temporalem poteſtatem, a quibus procedunt, in duas diſtinguuntur claſſes: Diviſio legum humanarum. aliæ enim ſunt Eccleſiaſticæ ſeu Canonicæ, quæ in rebus ſpiritualibus a Superiore Eccleſiaſtico, aliæ Civiles, quæ a Principe Sæculari in civilibus, ſeu temporalibus negotiis conſtituuntur. Inter leges Eccleſiaſticas primum locum obtinet ius dictum Canonicum, quod conſtans eſt ex Sacris Canonibus, ideſt regulis Eccleſiaſticis, conſtitutum ad dirigendos homines in viam Salutis, & ad aſſecutionem æternæ Beatitudinis, & hoc ſe extendit per totam univerſalem Eccleſiam. Ius autem Canonicum partim ex Scripturis Sacris, partim ex Conciliis, partim etiam ex Sententiis Sanctorum Patrum, & Pontificum Conſtitutionibus deſumptum eſt; & variæ variis temporibus tum a Græcis, tum a Latinis factæ fuerunt collectiones, antequam Corpus Iuris Canonici, ſive Pontificii, quale nunc extat, in Eccleſia con-

conſtitueretur. Idcirco Ius Canonicum duplex eſt, vetus, & novum, quod triplici codice continetur, Orientali videlicet, Affricano, & Occidentali. Et in hoc triplici Codice, aliud eſt Ius vetus, nempe nonnullæ Conſtitutiones, quæ antiquitus quidem ſervabantur, ſed nunc nullam vim habent, & hæc continebantur in primo volumine Codicis Orientalis, quod conſtabat ex Collectione 50. Canonum, qui appellabantur Apoſtolici, non quia horum auctores agnoſcerentur Apoſtoli; ſed quia cenſebantur confecti ab Epiſcopis Sæculis Apoſtolicis proximioribus, ideſt, I. II. & medio ferme III. Sæculo, & in unum collecti a Firmiliano Epiſcopo Cæſareæ in Cappadocia. Gelaſius Papa anno 492. hos Canones inter Apocryphos reiecit, ut nihil amplius valerent ad dirimendas controverſias Fidei, morum, & diſciplinæ. Idem Codex complectebatur in alio volumine Collectionem Canonum Concilii. I. Nicæni, & I. Conſtantinopolitani, & quamplurium Synodorum quæ, ineunte IV. Sæculo celebratæ fuere in Oriente, puta Neocæſarienſis, Gangrenſis, Anthiochenæ, Anciranæ & Laodicenæ. Codex Affricanus continet Canones, qui in Affrica editi ſunt uſque ad annum 419. quando in Concilio Carthaginenſi eodem anno coacto approbata fuit illorum Collectio. Codex vero Occidentalis per quatuor priora Sæcula complectebatur ſolos Nicænos Canones, & poſt IV. Sæculum complectebatur etiam Collectionem, quæ apud Orientales dicebatur univerſæ Eccleſiæ. Poſt quartum vero Sæculum huic additæ fuere aliæ Collectiones, ut Dyoniſii vulgo Exigui, Ridulphi Moguntini ex Hiſpania ſub nomine Iſidori Hiſpalenſis circa annum 781. Bruchardi anno 1100. Ivonis Carnotenſis, qui inſtituit ſuam Collectionem compilatam tum ex Canonibus, tum ex legibus Civilibus. Succeſſit tandem his omnibus Corpus iuris Canonici, ſeu Pontificii, quod nunc in Scholis Catholicis explicatur, quod tribus voluminibus, & ſex Collectionibus continetur. Primum volumen priſcorum Canonum Collectionem, ideſt ius antiquum comprehendit, quo per undecim Sæcula Eccleſia uſa eſt. Et hæc Collectio facta eſt a Gratiano Monaco Benedictino, Bononienſi anno 1150. Engenio III. Pontifice, cuius mandato creditur in lucem edita, vel ſaltem a Gregorio XIII. confirmata. Gratianus in ſua Collectione congeſſit varias Sacræ Scripturæ ſententias, Decreta Conciliorum, Conſtitutiones Romanorum Pontificum, Leges Imperatorias, & ſelectiſſimas Patrum ſententias. Gratianus

Collectio Gratiani.

opus ſuum in tres partes diviſit. In prima, quæ coaleſcit ex 101. diſtinctionibus, agitur per capita de iure divino & humano, de his, quæ pertinent ad mores componendos, & ad Eccleſiaſticam diſciplinam. In altera præter cætera præcipue agitur de Pœnitentia. In tertia denique de Conſecratione Eccleſiarum, de Sacramentis, Baptiſmo, Euchariſtia, & Confirmatione, & de Sacrificio Miſſæ.

Secunda pars continet cauſſas 36. & quælibet cauſſa in quæſtiones, quælibet quæſtio in capita diſtribuitur. Quæ ex hac parte deſumuntur, in qua agitur de materia & forma iudiciorum Eccleſiaſticorum, ita citantur: Can. c. *Gratia*, vel *Presbyter*, vel *benedicto* 1. q. 1. ideſt cauſſa 1. quæſt. 1. ita ut numerus ante q. denotat numerum cauſſæ, & numerus poſt q. numerum quæſtionis.

Tertia pars inſcribitur *de Conſecratione*, & dividitur in quinque diſtinctiones. Ea res ſacras tractat, ac præſertim Sacramenta, ac alia, quæ neque ad forum exterius aut interius pertinere videntur, ut pertinent Matrimonium & Pœnitentia, neque ad perſonas Eccleſiaſticas, ut pertinet Ordo. Prima diſtinctio eſt de Conſecratione Eccleſiarum, & Miſſarum celebratione. II. de Euchariſtia. III. de feriis, ieiuniis &c. IV. de Baptiſmo. V. de Confirmatione Ritibuſque aliis Eccleſiæ.

Collectio Gregorii Noni, per S. Ray. mundum de Pena fort.

Gregorius Nonus anno 1236. poſt Gratianum, aliam promulgavit collectionem, cui titulus: liber decretalium, ſeu Epiſtolarum, quas variis de cauſis ſummi Pontifices ad diverſarum Eccleſiarum Epiſcopos miſerunt. Et hæ collectæ fuere, & reddactæ in compendium a S. Raymundo de Penafort Ordinis Prædicatorum, & in quinque libros diſtributæ. Bonifacius VIII. ſextum adiunxit Decretalium ſic dictum, quia additus eſt quinque libris Decretalium Gregorii Papæ IX. & hic continet epiſtolas conſcriptas per ſuos Prædeceſſores uſque ab ſuam ætatem, nec non Decreta Concilii Lugdunenſis, & aliorum; quæ omnia Bonifacius collegit, & in V. Volumina diviſit & conſtat iiſdem titulis, non tamen omnibus, quibus conſtant Decretales, & ideo eodem modo citantur. Materia autem, quæ in libris Decretalium continetur, hoc verſu exprimitur. *Iudex, iudicium, clerus, ſponſalia, crimen;* Solent autem citari ſimpliciter, & ſine addicto, ideſt nulla facta mentione diſtinctionis, aut cauſſæ, ut in Decreto, hoc ſcilicet modo v. g. cap. Cæterum *de iudiciis*

Decretales Bonifacii Octavi.

Materia iuris Canonicis.

ciis &c. ubi ſubintelliguntur hi libri; vel etiam aliquando ſuppreſſa voce initiali Capitis citatur illius numerus v. g. cap. 3. *de Probationibus*. Advertendum tamen, in antiquioribus auctoribus citari cum additione *Extra* hoc modo v. g. *Extra de reſcriptis* c. *ſicut*; ubi per verbum *Extra* intelligunt Decretales, quæ ideo ita appellabantur, quia erant extra corpus Canonicum Gratiani, quod tunc erat editum: ſed cum nunc ingrediantur in Corpus iuris Canonici, illud *Extra* omittitur in citationibus. Citantur VI. Decretalium Bonifacii VIII. eodem modo, quo Decretales, excepto quod additur *in 6.* ſic v. g. cap. *Cum in tua de conſuetudine in 6.* In hoc vero libro quædam in Decretalibus relata corriguntur, & quædam adduntur. Ioannes pariter Papa XXII. promulgavit Clementinas in quinque libris, qui continent Decreta Concilii Viennenſis, cui Clemens V. præfuerat, & Clementinis ſuis addidit Decretales, quæ *Extravagantes* dicuntur, quia extra corpus iuris vagantes, necnon alias *Extravagantes*, quæ communes vocantur, quia non unius, ſed multorum ſunt Pontificum Romanorum. Clementinæ hoc modo citantur: *Clem.* ideſt *clementina multorum de pœnis*; vel *attendentes de ſtatu Monachor.* Extravagantes vero citari ſolent ut ſequitur: *Extravag. Ad conditorem*, ideſt conſtitutione extravaganti ad conditorem.

Clementinæ Ioan. XXII.

Extravagantes Clementis V.

Ius novum differt a veteri in eo, quod poteſtas, qua Synodi Provinciales in pluribus cauſis iudicandis fruebantur, iure novo ad ſolum Romanum Pontificem pertinere videatur. Omnia, quæ continentur in Corpore iuris Canonici, excepto Decreto Gratiani, vim habent obligandi ad ſui obſervantiam; quia omnia derivant a Summis Pontificibus, quibus non defuit nec poteſtas nec voluntas condendi leges Eccleſiaſticas. Dicitur *excepto Decreto Gratiani*, quia eſt ſententia communior, illud non habere ex ſe vim obligandi. Etenim Gregorius XIII. approbando eius emendationem non intellexit tribuere illi auctoritatem univerſaliter obligandi. Quare ea quæ ſunt in Decreto Gratiani, non habent maiorem auctoritatem, ac eam quam receperunt a ſuis auctoribus. Idcirco deprompta a Decretis Summorum Pontificum ac Conciliorum Generalium, vim habebunt legis univerſalis. Dicta vero, quæ in eo habentur Sanctorum Patrum, vim legis non tenent; quia Sancti Patres non pollebant poteſtate legislativa. Nihilominus magni facienda ſunt propter ſcientiam ſuorum auctorum; ideo allegantur tamquam doctrinalia.

Differentia iuris Canonici novi a veteri.

§. XXIII.

De iure Civili, & de eius origine.

Lex humana Civilis, quæ ut iam vidimus, ortum duxit a lege naturali, utpote quæ ſit dictamen rationis ex primis principiis per diſcurſum deductum, cum ad legem naturalem ſpectet ſervare pacta, ſtare promiſſis; iure merito dici poteſt, ius Civile nihil aliud eſſe, niſi naturalis ad civilium Rerumpublicarum, ac Regnorum inſtitutionem relata Regnorum moribus, & litteris explicata ratio. Dicitur *Civilis*; quia cives afficit; eſt enim ius conſtitutum auctoritate Sæculari ad tranquillam Reipublicæ gubernationem, & communem Civium utilitatem, ac ſalutem. Etenim nonniſi commune commodum, ſecuritas, & quies ratio fuit, quare dominium, & iura Politica, ſeu Civilia inſtituerentur. Cum enim homines in eorum propagatione uniri cœperint in ſocietatem, agnoſcentes magnum commodum, quod commune affert conſortium, factum fuit, ut non renuerent ſe ſubiicere uni, aut pluribus inter ipſos prudentioribus, eiſque poteſtatem tribuere dirimendi lites ac contentiones, quæ inter membra communitatis oriri poſſent, cohibendi inquietos, paciſque perturbatores, aliiſque providendi, quæ ad commune bonum, felicitatemque Reipublicæ conducere poſſent. Hinc cœpere conſtitui Decreta, ſeu Leges, varie tamen pro varietate locorum, Gentium, & Legislatorum. Quocirca non immerito dici poteſt, omni ætate, etiam ex vetuſtioribus habuiſſe gentes omnes quantumvis Barbaras ſuas leges, ſive ſcriptas, de quo nihil certum puto haberi, ſive non ſcriptas, unde inductum eſt etiam ius Gentium, quibus in negotiis communis Societatis dirigebantur. Hinc plane ortum habuit ius Civile, ita vocatum a Civitate p. 2. l. 2. quia cives afficit & eſt ius inſtitutum auctoritate peculiari ad gubernationem Reipublicæ & communem Civium ſalutem: ideo definitur: *ordinatio rationis actuum humanorum ad communem cuiuſcunque Reipublicæ felicitatem tendens*. Iuris Civilis in genere ita dicti tot ſunt ſpecies, quot Regna, & Ditiones v. g. ius Civile Gallorum, Hiſpanorum, Athenienſium &c. Ius Civile itidem aliud eſt commune, quod ſe extendit ad totum Regnum, vel Imperium, ſive Ditionem alicuius Principis a quo conditum eſt; aliud Municipale, quod obli-

Definitio Iuris Civilis

obligat ſolum cives alicuius Civitatis vel Territorii.

Ius tamen Commune univerſaliter accipitur pro iure Romano incluſo in Corpore iuris civilis, ut videbimus. Ius civile aliud eſt ſcriptum, quod expreſſo Legislatoris conſenſu latum eſt, aliud non ſcriptum, quod tacito Principis conſenſu inductum eſt, ut ſunt locorum conſuetudines. Ius Civile ſcriptum multiplex eſt; ſed nunc illud præcipue intelligitur, quod a Supremo Principe conſtituitur, & apud Romanos illud erat, quod Populus Romanus Senatorio Magiſtratu interrogante & præcipue Conſule conſtituebat ff. *Inſtitut. h. t.* ff. 4. & diſtinguebatur *in Plebiſcitum*, leges nempe, quæ auctoritate populi conſtituuntur, Inſtit. ff. 4. *in Senatus Conſultum*, ſeu reſponſa prudentum, & ſunt leges quæ feruntur a poteſtate reſidente in Optimatibus populi iuxta modum regiminis, quod dicitur Ariſtocratia; *in Principis placitum*, & eſt Principis conſtitutio lata a Summo Principe, & hæc dicitur etiam *reſcriptum Principis*, quod eſt Conſtitutio Principis ad Præſidum, vel Iudicum, vel etiam ſupplicantium libellos emiſſa, ſtatuens quid poſthac in dubio iuris articulo pro cauſſarum deciſionibus ſit amplectendum; aut *Decretum*, & eſt ſententia Principis inter duos Litigantes cauſa cognita prolata; aut *edictum* & illud eſt, quo Princeps citra alicuius cauſſæ aut perſonæ interventum motu proprio ad ſubditorum unitatem aliquid conſtituit, & generaliter a ſingulis, & univerſis ſervari præcipit. Sunt etiam *Prætoria edicta*, & hæc ſunt quæ iuris civilis adinvandi, corrigendi, aut ſupplendi gratia fuerunt propoſita; denique *in reſponſa prudentum*, & hæc ſunt ſententiæ, quibus de iure conceſſum erat reſpondere.

Diviſio Iuris Civilis.

Inter leges civiles quarum nunc quoque tabulæ extant, aut ſaltem aliqua diſperſa fragmenta, præter Hebraicas ac Ægiptiacas Hebraicis affines, primum locum obtinent Athicæ ſive Athenienſes, ex quibus ortæ ſunt Romanæ. Nam cum circa annum 300. V. C. tres legati miſſi Athenas ut Græcorum leges colligerent, in Latium eas detuliſſent, creati fuere alii ſeptem viri, a quibus ſimul cum illis tribus qui Legati fuerant Athenis, Leges a Græcis acceptæ digeſtæ fuerunt in decem Tabulas: & hæ ſunt Leges Romanorum, dictæ duodecim tabularum, duabus poſtmodum hiſce adiectis. Fuerunt Romanis ſuæ leges etiam tempore Regum, latæ a Romulo, & Numa; & accitis Romam Sacerdotibus, & Auguribus, etruſcas leges Romulus populo denuntiavit. Quidquid tamen ſit de his aliiſve huius generis legibus Gentium, certum eſt, Leges exordium ſumpſiſſe vel a poſteris Noe, vel a Iudæorum Republica ac ab his Nationes didiciſſe leges inſcribere, cum multæ ex Athicis ac Etruſcis cohæreant cum legibus quæ in libris Exodi & Levitici leguntur traditæ a Deo per Moyſen populo Iſraelitico. Primus omnium qui poſt Cererem leges tradiderit Athenienſibus, dicitur fuiſſe Triptolemus, eaſque explicarunt, ut creditur, Solon & Licurgus.

Verum iuris Communis nomine ſumpto in ſua ſtricta ſignificatione, pro ut diſtinguitur ab aliis iuribus particularibus Regnorum, Rerumpublicarum, ac Civitatum intelligitur ius Romanum, quod nunc totum incluſum congeſtumque extat in Corpore iuris Civilis iuxta collectionem, & correctionem, quæ prodiit iuſſu, ac prudenti vigilantia Imperatoris Iuſtiniani. De Corpore autem iuris Civilis ſunt Codex, 50 libri Digeſtorum ſeu Pandectarum, 4. libri Inſtitutionum, & unus liber Novellarum. *Codex* ad differentiam alterius Codicis, quem ordinavit eius prædeceſſor Theodoſius, dicitur Iuſtinianus. Hic autem continet collectionem Conſtitutionum Imperialium ipſius Iuſtiniani, ſuorumque Prædeceſſorum, quæ diſperſæ erant in tribus Codicibus dictis Gregoriano, Hermogeniano, Theodoſiano, quarum tamen aliqua reſcidit, & emendavit, & hunc Codicem 12. libris concluſum vocavit Codicem repetitæ lectionis: ex 12. vero libris Codicis primi novem poſiti ſunt in proprio volumine, reliqui tres regiſtrantur poſt volumen Autenticorum, & citatur pariter in iis per literam C. Hæc pars iuris vocatur Codex per antonomaſiam; quia licet omnes libri vocari poſſint Codex, hic tamen dicitur Codex ſine addito propter dignitatem, utpote continens Conſtitutiones, & Reſcripta Imperatorum. *Digeſta* ſeu pendectæ a Græco vocabulo & verbo ſignificant ſe totum continere. Iſtæ autem in ſeptem partes, & hæ in 50. libros certoſque titulos, & tituli in leges, Leges vero in Paragraphos digeſtæ ſunt, ſeu diſtributæ, & ſe habent ut compendium continens permultas veterum leges necnon interpretationes, reſponſa prudentum ſuper leges 12. Tabularum, omnia collecta ex fere innumeris iuriſconſultorum voluminibus. Cum autem hæc omnia cum ſuis gloſſis unico vel lumine comprehendi non poſſent, libri Digeſtorum diviſi ſunt a Librariis in tria volumina, & primum volumen

lumen digeſtum vetus nominarunt, quoniam prius editum eſt, & conſtat 24. libris. Secundum Infortiatum; quia fortiorem, ac pleniorem legum cognitionem ſuppeditat, & complectitur 14. libros. Tertium denique digeſtum novum, ſeu poſtremo editum nuncuparunt conſtans 12. libris. Cum vero allegatur lex aliqua ex Digeſtorum, ſeu Pandectarum libro, nomen Digeſtorum ſignatur per litteram maiuſculam D. Pandectarum vero per Græcum cum accentu circumflexo, in cuius locum Librarii ſubſtituunt duplex ff. ita igitur citantur l. ſi aliena D. vel ff. *de uſucapione*. L. ſignificat legem, D. vel ff. digeſtos, de uſucapione Titulum. Codex autem citatur ſic: L. *Nemo* 2. Codex *de Sacroſanctis Eccleſiis*; ideſt lege quæ incipit ab hoc vocabulo *nemo*, quæ lex eſt ſecunda in Codice, Titulus de Sacroſanctis &c. Hic titulus eſt ſecundus libri primi.

Alia pars eſt volumen Authenticorum diviſum in 9. Collationes ita dictas, quia in illis ſunt ſimul collectæ Conſtitutiones Iuſtiniani. Dicuntur etiam novellæ, quia factæ fuerunt a Iuſtiniano poſt Codicis compilationem. Ex hoc, vel authenticorum, translatæ fuerunt in Codicem, & congruis affixæ titulis quædam particulæ ab Yrinerio quingentis annis poſt Codicis compillationem, ut notat Cæſar coſta l. 1. Variar. Ambiguit. iuris Cap. 34. quæ leges ita translatæ vocantur ab auctoribus Authenticæ, cum cæteroquin lex, ut incluſa in volumine Authenticorum dicatur Authenticum. Poſt Authentica reperiuntur in Corpore iuris duo libri Conſtitutionum, ſeu conſuetudinum Feudalium, ac deinde nonnulla alia opuſcula continentia quaſdam Conſtitutiones Friderici, & Henrici Imperatorum. Authentica ita citantur *Novella* 66. §. *igitur etiam*, vel *Authen.* ideſt Authentica, ut factæ novæ Conſtitutiones 66. inter novellas Iuſtiniani.

Demum ponuntur in fine libri 4. Inſtitutionum continentes iuris elementa, & principia, quæ ab eodem Iuſtiniano prodierunt in favorem ſtudioſæ Iuventutis, ut ſic paulatim & facilius ad ampliorem legis Scientiam perveniret. Inſtitutiones autem ſunt Epitomen totius iuris Civilis, ipſiuſque prima elementa deſumpta ex veterum omnium Commentariis: & hæ ita citantur. Inſtit. vel Inſtitut. ideſt in Libris Inſtitutionum de rerum diviſione, ideſt ſub hoc titulo vel alio. Quando autem ſub eodem titulo varii ſunt Paragraphi, additur §. cum voce initiali Paragraphi, ſic v. g. *Inſtit. de uſucapio*. §. *Furtive*. Hæc omnia habent plenariam iuris auctoritatem, ita ut tamen per novitatem prævaleant Novellæ Codici; Codex Inſtitutionibus; Inſtitutiones Digeſtis; alique tamen volunt Digeſta prævalere Inſtitutionibus.

Materia vero totius iuris Civilis contenti in Corpore iuris eſt de Perſonis, Rebus, Iuribus, & Delictis.

Nota 1. quamvis nulla fere ſint Europæ Regna, nullæ Provinciæ quæ peculiares non habeant iius, & conſuetudines; in his tamen ius Romanum pro regula eſt, quoties ius, ut vocant, conſuetudinarium deficiat.

Nota 2. quod præter leges tum communes, tum municipales, ac locorum conſuetudines, ex interpretationibus iuriſconſultorum in morem tranſeuntibus ac legum aſperitatem verecunde ac furtim lenientibus ortæ ſunt Regulæ iuris, æquitatis ratione temperatæ, quæ deinde fluxerunt in Edicta Magiſtratuum, atque Decreta Principum.

§. XXIV.

De Poteſtate legislativa in Superioribus Eccleſiaſticis.

Superiores Eccleſiaſtici habent poteſtatem condendi leges, quæ obligent in conſcientia, in iis etiam quæ iure Divino non præcipiuntur. Et patet hoc ex Scriptura, præcipue Act. 15. nam in Concilio I. Hieroſolymitano præceperunt Apoſtoli, ut Gentes noviter ad fidem converſæ ſe abſtinerent a ſuffocato, & Idolotitis, ideſt a comeſtione eorum, quæ fuerunt Idolis immolata. Nec ſuffragatur Melanctonis effugium, quod hæc non fuerint Apoſtolorum præcepta, ſed ſimplices ordinationes; cum in eodem capite Act. ſubiiciatur de D. Paulo, *quod perambulabat .... præcipiens cuſtodire præcepta Apoſtolorum, & ſeniorum*. Et equidem non tantum directionem, ſed obligationem quoque legis in conſcientia important hæc verba Act. 15. *viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc neceſſaria*: Item D. Paulus legem tulit, qua vetabat conſecrari in Epiſcopos Bigamos, ac Neophytos. Quare ſi ab initio reſidebat apud Prælatos Eccleſiæ poteſtas condendi leges, non immerito Summi Pontifices Romani, aliique Eccleſiæ Prælati, qui Succeſſores ſunt Apoſtolorum in Eccleſiæ Chriſti regimine, ſucceſſive in ſe agnoverunt poteſtatem condendi leges concernentes Eccleſiæ bonum, & identidem, prout expedire eis viſum eſt condidere; & uſque adeo Eccleſia perſuaſum habuit iis Fideles

pare-

parere teneri, ut opportunis pœnis mulſtet contumaces, etiam a ſua communione eos removendo. Et de hac ſua poteſtate pluries in ſuis Conciliorum ſtatutis confirmavit fideles, eam ſuis definitionibus ſtabiliendo contra Novatorum calumnias, ut factum fuit in Conciliis Chalcedonenſi act. 15. Toletano Can. 1. Conſtantienſi ſeſs. 8. Vienenſi Clementina, *ad noſtram de Hæreticis*; Florentino in unione Armenorum; & Tridentino tandem ſeſs. 6. Can. 20. ubi ſub pœna Anathematis damnat contrariun ſentientes & opinantes. Ratione hoc confirmatur: ſicut enim perfecta Societas ſeu communitas Politica exigit facultatem condendi Leges, ut tali adminiculo, prout occurrit, pubblico eius bono, ſeu tranquillitati provideatur; ita etiam in Republica Chriſtiana requiritur, ut impediantur abuſus, qui ſenſim inducuntur ac ſerpunt, & improbi, quos æternæ pœnæ non terrent, exterioribus cohibeantur, & ſic mores componantur, ac Religio ſervetur.

Obiici hic ſolet ex Scripturis illud Deuteron. 12. ubi ait Dominus *quod præcipio tibi, hoc tantum facito, nec addas quidquam, nec minuas*. Item illud Iſaiæ 33. *Dominus legifer noſter*. Cui concordat illud Iacobi 4. *unus eſt Legiſlator & Iudex*. Et D. Paulus ait ad Galat. 5. *vos in libertate vocati eſtis*. Igitur ex ipſa Scriptura dari nequit vis legiſlativa in hominibus, nec fideles ex Apoſtolo poſſunt aliis legibus præter Divinam ligari.

Reſpondetur negando utramque conſequentiam. Prohibuit enim Deus aliquid addi ſuæ legi, ſcilicet quod ei opponatur. Idcirco Chriſtus reprobavit falſas Phariſæorum Traditiones, *quæ irritum faciebant mandatum Dei*. Ad illud vero Iſaiæ, & Iacobi patet ſolutio, nempe ibi ſermonem eſſe de Legiſlatore primario, qui revera unus eſt, ſcilicet Deus, qui tamen ſuam poteſtatem hominibus qui aliis præſunt communicavit iuxta illud Proverb. 8. *Per me Principes imperant, per me Reges regnant*. Apoſtolus tandem non admonet nos vocatos eſſe in libertatem, ut vellit quod ſervi non amplius Dominis, nec ſubditi Principibus parere teneantur; cum alibi hoc præcipiat expreſſe: *obedite Præpoſitis veſtris* &c. Sed recordatur nos liberatos eſſe a ſervitute peccati & Diaboli, ab onere legis Moſaycæ &c.

Obiicitur 2. quod ſuavis eſt Lex Evangelica, idcirco excludens omnia alia legis onera. Inſuper quod ſequeretur legem Divinam, & naturalem eſſe inſufficientes ad finem hominis conſequendum, ideſt æternam ſalutem, cui iam Chriſtus per legem Evangelicam latis ſuperque providit. Reſpondetur ad primum, legem Evangelicam dici ſuavem, non quia leges illas excludat, ſed quia ad omnium legum obſervantiam gratiam abundanter confert, ac ſuppeditat. Ad ſecundum vero diſtinguitur ſequella, ideſt ſequitur inſufficientes eſſe ad ſalutem ſimpliciter nego; quia poſſet quis ſalvari ſine lege humana: inſufficientes eſſe ad ſalutem cum omnimoda ſecuritate conſequendam, tranſeat. Quocirca leges humanæ reddunt ſalutem ſecuriorem facilitando legis naturalis, & Divinæ executionem, determinando quoad aliquam indeterminationem. Sic per ieiunium, ut eſt carnis mortificatio facilitatur continentiæ a carnalitatibus obſervantia; per legem annuæ Confeſſionis, & Communionis præceptum Chriſti de his indeterminatum, quoad tempus determinatur. Sic &c. Licet tandem Chriſtus æternæ ſaluti providerit etiam abundanter per legem Evangelicam, præcipue ſi attendatur ad copiam gratiarum, quæ in hac lege fidelibus conferuntur; nihilominus maiorem oſtendit erga dilectam ſuam Sponſam Eccleſiam amorem, ei relinquendo maioris honoris gratia facultatem novas condendi leges, quando attentis circumſtantiis locorum, perſonarum, ac temporum id iudicaret magis expediens pro bono fidelis populi regimine.

§. XXV.

De iis, qui in Eccleſia Leges condere poſſunt.

Leges Eccleſiaſticas nullatenus ferre poteſt ſæcularis auctoritas; ſed ſola Eccleſiaſtica; unde leges haſce ferre poſſunt Summus Pontifex per totam Eccleſiam, ut Ioann. 21. *paſce oves meas, Paſce agnos meos*. Concilium etiam Generale leges ferre valet pro tota Eccleſia, Nationale pro tota Natione, Provinciale pro tota Provincia, Synodus Diœceſana pro tota Diœceſi, Legatus Apoſtolicus in ſua Provincia, Epiſcopus in ſua Diœceſi, etiamſi non conſecratus, cum hæc ſit poteſtas iuriſdictionis, non Ordinis. Archiepiſcopi vero, Primates, & Patriarchæ extra Concilium Provinciale non poſſunt ferre leges, niſi pro ſuis Diœceſibus. Similiter poſſunt leges condere, qui habent iuriſdictionem, ut Capitulum Cathedrale Sede Vacante, non tamen contra Epiſcopum, cum inferior ferre nequeat legem contra Superiorem, ſicut eſt Epiſcopus reſpectu Capituli, & Abbates relate ad ſibi ſubiectos. Cæteroquin Capitulum Catedralium vivente Epi-

Epiſcopo, ſicut etiam Capitula Collegiatarum non poſſunt inſtituere, niſi Decreta in ordine ad particularia negotia Capituli. Capitulum Cathedralis vero Collegiatæ Sede Vacante poteſt ferre ſtatuta, tamdiu duratura, donec a novo Epiſcopo revocentur. Ita Theologi communiter; quia Capitulum tunc ſuccedit in Epiſcopi iuriſdictionem; *Ex cap. unico de maiori, & obed* in 6. Unde quoad ea, quæ ſunt iuriſdictionis, ea poteſt, quæ Epiſcopus, niſi tamen in aliquibus hoc eſſet illi limitatum, vel contraria vigeſet conſuetudo. Hæc Capituli poteſtas prodeſſe poteſt Eccleſiæ & nihil futuro Epiſcopo nocere: non raro enim contingit aliquibus in locis, ut irrepant abuſus, quos ſine mora opus eſt, ut pœnalibus ſtatutis coerceantur; & quoad Epiſcopum venturum, ſi ipſi talia ſtatuta non placent, poteſtis pro libito eadem irritare, vel ex parte, vel in toto.

Leges autem, quæ fiunt ab iis qui tali pollent poteſtate, ſunt perpetuæ, ideſt non expirant per mortem Legiſlatoris; quia in hoc differunt leges, ſicut iam dictum eſt, a præceptis, mandatis, ſtatutis, decretis, quod quando aliter non conſtet de mente Legiſlatoris, perdurent donec ab alia lege, vel a conſuetudine abrogentur.

Circa vero difficultatem, quæ verſatur inter Canoniſtas, & Theologos ſuper Decreta, Declarationes Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, & ſupra Deciſiones Rotæ Romanæ, num ſint leges; pro prima adeſt ſua probabilitas pro utraque parte, ſcilicet pro affirmante, & pro negante. Ad Deciſiones Rotæ eſt communis, quod non habeant vim Legis; cum talis auctoritas nullibi inveniatur conceſſa huic Tribunali: nihilominus ſunt magni ponderis.

Collegium Cardinalium non poteſt vivente Papa Leges ferre; quia ut tales carent ordinaria Iuriſdictione, immo ex Conſtitutione Clementis V. Cap. 2 *de electione* nequeunt Leges condere, ne quidem Sede Vacante; quia debent ſe totos & omnino occupare in futuri Pontificis electione Quod ſi forte ab electione prohiberentur, condere poſſent Decreta proviſionalia ad defenſionem, & tutelam Eccleſiaſticæ Diſciplinæ; cum Cardinales teneant locum Cleri Romani. Hinc poſt mortem S. Fabiani Papæ ſtatuit Clerus Romanus, ut lapſi in caſu mortis Sacramentali abſolutione, & Communione donarentur, tametſi non conſummaſſent ſpatium ſibi impoſitæ Pœnitentiæ.

Inter Regulares vero, quæcumque Religio a S. Sede Apoſtolica approbata (ut docet D. Thomas 2. 2. q. 104. att. 5. & q. 186. art. 9.) habet poteſtatem condendi Statuta convenientia ſuo Ordini, & Regulas ſive documenta neceſſaria tum ad obſervantiam, tum ad reformationem; nam facultas Regularibus conceſſa non eſt ultra tales fines. Et hæc facultas reſidet penes Capitulum Generale, & Provinciale, & ſecundum aliquos penes etiam Præpoſitos Generales: quod tamen alii negant, & admittunt ſolum ex ſpeciali, & expreſſa Papæ conceſſione, ut P. Antoine. Ordines vero fœminarum, cum ſint incapaces Eccleſiaſticæ iuriſdictionis, non poſſunt ferre leges proprie dictas, ſed ſolum Statuta Conventionalia, & ſolum vi voti ad obedientiam obligantia.

§. XXVI.

De Facultate condendi Leges in Politia Civili, & de iis, quibus competit.

In hoc etiam ſuum ſomniavit errorem Viclephus, dum concedit quidem reſidere apud Principes Sæculares poteſtatem ferendi leges, ſed limitavit ad ſolos Principes bonos, negando malis hanc facultatem, ut habetur in eius articulo 15. proſcripto a Concilio Conſtantieſi Seſſ. 8. Verum quam hoc longe ſit a veritate, patet; quia vel poſt peccatum commiſſum remanent Arbitri ſupremi, vel decidunt a ſupremo iure: ſecundum revera dici nequit; cum ſecus colligatur ex Scriptura, dum David, Salomon, & alii non pauci etiam poſt patratum crimen pro Regibus habiti ſint; & Daniel vocavit Nabuchodonoſor Regem etiam in ſtatu peccatoris. Hinc Poteſtas legiſlativa annexa eſt, neceſſaria & quaſi intrinſeca Regiæ Dignitati; & ratio eſt, quia cum ea non fundetur in bonis moribus, in vita Chriſtiana, ſed in eo, quod Principes ſint aliorum caput morale, ideo non poſſunt privari tali poteſtate, eo quod improbi ſint, & peccatores.

In Civili igitur politia, ideſt in regimine politico exſtat poteſtas legiſlativa ſive princeps civilis regiminis bonus ſit, vel malus, Catholicus aut Hæreticus, fidelis, aut gentilis, & hoc conſtat ex Divina Scriptura; nam Lucæ 20. Chriſtus Dominus loquendo de lege tributorum edita ab Ethnico, eam juſſit obſervari; ait enim *reddite ergo quæ ſunt Cæſaris Cæſari*: & D. Paulus in *Epiſt. ad* Titum c. 3. ait: *Admone illos Principibus & poteſtatibus ſubdi eſſe*. Ecce ergo quod Scriptura non ſolum docet poſſe Principes ſuas populis indicere Leges; ſed nullam ulterius ſtatuit diſ-

differentiam inter bonos & malos. Igitur nec nos ſtatuere poſſumus diſtinctionem ubi Scriptura non diſtinguit; eo vel maxime, quod D. Petrus expreſſe docet parendum eſſe Principibus, etiam dyſcolis, & pravis. Sic enim habetur 1. Petri 2. *Servi ſubditi eſtote in omni tempore Dominis, non tantum bonis, & modeſtis; ſed etiam dyſcolis*. Et Chriſtus Dominus ſuo exemplo id nos edocuit, qui dum in terris nobiſcum morabatur, ſolvit tributum, & iuſſit illud ab aliis ſolvi in recognitionem Civilis poteſtatis, qua potiuntur Principes omnes, leges ferendi ſuis ſubditis.

Hoc pariter unanimes tradidere etiam Sancti Patres, & licet Novatores non admittant, immo ſpernant traditiones, nihilominus præ aliis afferam S. Iuſtini teſtimonium, qui ita nomine omnium Chriſtianorum allocutus eſt Imperatorem: *Vectigalia ſane & collectiones iis qui a vobis ſunt ordinati, ex actoribus præ omnibus ubique inferre intendimus, quemadmodum ab eo ſumus inſtituti*. Et quotidiana experientia nos docet, ſimulque convincit, non pauca contingere in communitatibus, quæ ordinate convenit pro tuenda ſecuritate ac pro conſervanda ſubditorum tranquillitate, pura quod non extrahantur ſegetes a territorio, quod quædam officia non conferantur, niſi cuiuſdam conditionis perſonis, quod non omnes arma deferant &c. ac proinde Populi omnes agnoſcunt neceſſariam in ſe ipſis poteſtatem legislativam; immo Novatores qui illam impugnant, agnoſcunt hanc poteſtatem, & non raro hac utuntur ſecurius, quam Principes Catholici.

Poteſtas Legislativa Civilis competit Communitati, aut illius curam gerenti, ac proinde in regimine Monarchico reſidet ſolum apud Monarcham. Et licet *non ſit poteſtas niſi a Deo* Rom. 13. immediate tamen a populo translata eſt in Principes l. I. D. Inſtit. Prin. In regimine Democratico, ideſt Populari reſſidet apud Populum § Lex ex *Inſtit. de iure Gent. Civil.* In regimine Ariſtocratico, ideſt Optimatorum, eſt apud Optimates, in quos translata eſt a populo Can. 3. d. 2. Quare Leges civiles ſeu politicas condere poteſt Summus Pontifex in toto ſuo temporali Dominio, Imperatores, Reges, Principeſque omnes ac Reſpublicæ, qui ſupremam temporalem iuriſdictionem tenent in Provinciis, & locis, quæ ſubduntur ſuæ ditioni l. 1. ff. *de Conſtitutionibus Principum*, & hoc competit etiam Reginis quæ tales ſunt hæreditario iure ſive nuptæ ſint, ſive innuptæ, quia in primo caſu erunt quidem ſub viri poteſtate ratione Matrimonii quoad familiæ regimen, non vero quoad gubernationem politicam, ſecundum quam licet Maritus ſit caput uxoris, obſequi tenetur.

Non poteſt tamen nec Papa, nec Imperator ferre leges civiles obligantes totum orbem. Nam Papa nihil poteſt ſive in Infideles, utpote qui non ſunt ex ovibus Chriſti, ſive in fideles ipſos qui non ſunt ſub eius temporali ditione, & quia nullibi poteſtas Civilis ut talis Papæ conceſſa eſt, & quia Principes ſupremam habent in ſuis ditionibus iuriſdictionem. Non poteſt Imperator, quia hic certe nec in Gallia, nec in Hiſpania, nec alibi, ubi non extenditur eius Ditio, ullam tenet iuriſdictionem. Immo nec in iis quidem locis, quæ olim membra fuerunt Imperii; nam ea iure belli, vel legitima præſcriptione, aliiſque iuſtis de titulis ad alios Principes pervenerunt.

Ex quibus collige, quod Ius Cæſareum, etſi aliquibus in locis vigeat, non obliget vi Imperialis auctoritatis; ſed quia ab illis Populis fuit receptum: ius tamen illud uſque adeo excellens eſt, ut ſit convenientiſſimum, ubi propriæ deficiunt conſtitutiones, illud ſequi: licet ſtatutum non ſit, quod deficientibus propriis municipalibus iuribus, ad Romanum ius recurratur.

Alii vero Principes inferiores, civitates, ſeu communitates ſupremam temporalem iuriſdictionem non habentes, ſed illam tenentes cum dependentia, nequeunt Leges, ac ſtatuta obligantia condere, niſi accedat conceſſio, ſeu confirmatio Principis, cui ſubiiciuntur, aut legitima conſuetudo præſcripta. Et ſic communiter ſentiunt Doctores.

Nota 1. quod qui poteſt condere legem, a fortiori ferre valet præcepta, cum hæc imponere poſſit etiam quilibet ſuperior privatus reſpectu ſuorum ſubditorum in materia, quæ ſuæ directioni convenit, & eſt ſubiecta: etenim nemo cenſetur ſuperior, niſi qui poteſt præcipere.

Nota 2. quod nemo poteſt ferre Leges, niſi ſuis ſubditis, & in rebus ſuæ directioni ſubiectis; quia nemo habet ius præcipiendi perſonis non ſubditis, & circa res ſuo regimini non ſubiectas. Superiores Eccleſiaſtici non poſſunt ferre leges, niſi de rebus ſpiritualibus & ad regimen Eccleſiæ; & ſæculares de rebus temporalibus, & pertinentibus ad regimen civile & politicum. Debent tamen Principes ſæculares fidem & Eccleſiam tueri, ac curare, ut eius Leges obſerventur.

Nota 3. neminen poſſe facere leges contrarias ſuo ſuperiori, nec contra æqualem auctoritatem; quia inferior ius non habet in ſuperiorem, nec æqualis in æqualem; idcirco Epiſcopus non poteſt ferre legem contra Papam, vel contra Ius commune, nec Papa, nec Epiſcopus contra ſuos ſucceſſores.

§. XXVII.

De Promulgatione legum.

Promulgatio legis, ſive ſit de eſſentia legis, ſicut contendunt aliqui, eo quod ſecundum ipſos Decretum Principis antequam promulgetur non habeat rationem legis, & regulæ obſervandæ ut *in c. in iſtis diſt.* 4. *Leges inſtituuntur cum promulgantur;* ſive ſit tantum conditio, ſine qua non, ſecundum alios, cum promulgatio, ut dicunt ipſi, ſupponat legem factam; certum tamen eſt, ut omnes ſentiunt, & conſtat ex legis definitione, promulgationem neceſſariam eſſe ad valorem legis: quia ad hoc ut lex obliget, debet populo, ideſt communitati inoteſcere, & applicari: quod fit per ſufficientem promulgationem; & hoc eſt indubitatum in utroque iure, Eccleſiaſtico nempe, & civili.

De locis ubi lex promulgari debet.

Quoad loca vero, in quibus debeat publicari, num in curia tantum, ideſt in civitate, ubi reſidet Princeps, vel in Provinciis etiam, & principalioribus civitatibus dominii, ſtandum eſt legi poſitivæ, & præcipue conſuetudini. Certum eſt, quod per totum Imperium, & fere in omnibus aliis Regnis invaluit conſuetudo, ut leges pro ſui valore promulgentur in omnibus Regnis, Provinciis, vel ſaltem locis principalioribus, ut facile poſſint venire in cognitionem ſubditorum; ideoque lex promulgata in una Provincia, vel loco non obligat alia loca, ubi mos eſt ut leges publicentur. Quoad tempus vero, quo poſt promulgationem incipiunt leges obligare, in hoc pariter ſtandum eſt legibus, & conſuetudinibus locorum.

De promulgatione legum Eccleſiaſticarum.

Difficultas tamen remanet circa promulgationem legum Eccleſiaſticarum Papæ, num debeant publicari in omnibus Provinciis Catholicis; vel ſatis ſit ad eorum valorem, ut Romæ tantum ſint promulgatæ. Docent plures, legem Papæ cenſeri ſufficienter promulgatam per ſolam promulgationem factam Romæ; eo quia ex natura rei per hanc poſſit in omnibus Provinciis inoteſcere, nec plus ſtatuit Eccleſia. Alii vero contrarium ſuſtinent, & videtur multo probabilius. Etenim ſicut ex D. Thoma 1. 2. q. 90. art. 4. Lex imponitur aliis per modum regulæ, & menſuræ, & menſura imponitur per hoc, quod applicetur iis, qui regulantur, & menſurantur; ad hoc ut lex vim habeat obligandi, oportet quod applicetur hominibus, qui ſecundum eam regulari debent, quæ applicatio fit, *quod in notitiam eorum deducatur ex ipſa promulgatione*; idcirco concludit, promulgationem neceſſariam eſſe. Verum quidem eſt, quod S. Doctor nihil loquitur de loco; ſed quomodo poteſt ſufficienter publicari, & nota fieri Populis locorum, qui non parum diſtant ab urbe Romæ, & præſertim iis, qui longiſſime diſtant, lex, quæ Romæ tantum publicatur? Qua certitudine conſtat tum de lege, tum de eius conditione, quando non inoteſcat per aliquem proximum ſuperiorem, puta Epiſcopum, cum innumeræ notitiæ, quæ de diſſitis locis a privatis perſonis circumferuntur, ut plurimum vel in totum, vel in parte nullæ ſint, & fabuloſæ? Et revera Deus, qui eſt prima regula regiminis, & exemplar, naturæ leges, quas homines ſervare volebat, ad hoc ut ipſorum actiones honeſtæ eſſent, & iuſtæ, ab ipſa creatione eas in cordibus eorum impreſſit; & quando Iſraeli in Monte Sina eos innovavit, in lapideis tabulis inſcriptas tradidit Moyſi, ut Populo illas promulgaret; ſicut habetur Exodi 24. *Dabo tibi Tabulas lapideas, & legem, ac mandata, quæ ſcripſi, ut doceas eos*. Quinimmo Chriſtus Dominus voluit legem Evangelicam per totum Mundum publicari, ut Marci 16. *euntes in Mundum univerſum prædicate &c. docentes*. Ideſt non ſolum in civitatibus, ſed in omnibus inferioribus locis, ut clare expreſſit, quando Apoſtolis 72. Diſcipulos coadiutores adiunxit, (ut Lucæ c. 10. legitur) *miſit illos binos in omnem civitatem, & locum, quo erat ipſe venturus*. Et hoc exemplum ſecuta eſt prioribus ſæculis Eccleſia, ut Maiores mitterent, & propria, & Generalium Conciliorum Decreta, & Canones per Provincias, ad hoc ut per illorum promulgationem inoteſcerent. Et de hoc fidem faciunt Zephirinus Papa, S. Cyprianus Epiſt. 74. ad Pompeium, Stephanus Papa in ſua Epiſtola ad Eccleſias de Baptiſmate non reiterando. Sic Decreta, & Canones Concilii Nicæni, & Sardicenſis, Concilium Chalcedonenſe a Leone I. (ut habetur in eius Epiſt. 61.) miſſa fuere per totam Eccleſiam pro eorum publicatione: ita cum multis Iuveninus de legibus. Præterquam quod (quidquid ſit de more aliquorum Regnorum

Digitized by Google

circa publicationem ſuarum legum civilium) videtur ut indubitatum, quod hæc regula ſervari debeat in Eccleſia, in qua per ſuos Paſtores, ideſt Epiſcopos, non per privatas perſonas debent edoceri gentes de divinis Myſteriis ac mandatis, ſicut iuſſit Chriſtus Dominus Apoſtolis, quos primos conſtituit ſuæ Eccleſiæ Paſtores, ut docerent prædicantes, eo vel maxime quod illis fidelis Populus, non privatæ quædam perſonæ tenentur præſtare fidem, & obedientiam.

§. XXVIII.

De Legis acceptatione.

Cum Principes ſæculares tranſmiſſam habeant a Populis poteſtatem legiſlativam, non eſt multum incongruum, quod vis legis civilis dependeat a Populi acceptatione, ut quidam ſentiunt contra alios, qui volunt quod poſt publicationem incipiat lex obligare.

Verum quoad leges Eccleſiaſticas, probabilior, & ſanior ſententia eſt, (quidquid in contrarium dicant aliqui) eas nullo modo dependere a Populi acceptatione, niſi Papa conſentiente pro bono pacis, præcipue quando adverſetur Privilegiis, aut conſuetudinibus illius Eccleſiæ, quæ legi, quam edidit, reluctaret: quia ſummus Pontifex, & univerſalis Eccleſia auctoritatem a Chriſto Domino, & nullo modo a Populo (ſicut Principes Sæculares) dicuntur recepiſſe. Et ſolum poteſt invalida reddi lex Papæ, vel alterius auctoritatis Eccleſiaſticæ per contrariam conſuetudinem; ſemper tamen cum culpa priorum, per quorum reluctantiam conſuetudo contraria invaluit. Et hoc ſolum in materia diſciplinæ, non fidei, & morum, (quæ cum fundentur in iure divino, & naturali, nulli ſubiacent præſcriptioni) & contrarius eorum bonorum morum uſus eſt ſemper abuſus.

§. XXIX.

De obiecto, ſeu materia legis humanæ.

Obiecta ſive materia legis, non aliter ac ſubiecta, ſeu perſonæ, eſſe non poſſunt niſi ea, quæ poteſtati ſive directioni, & regimini Legiſlatoris ſubiiciuntur; ita ut, ſicut iam vidimus, Legiſlator mere Eccleſiaſticus habet pro obiecto, ſeu materia res ſpirituales, & regimini Eccleſiæ convenientes; & Legiſlator ſæcularis res civiles, ac temporales, & regimini politico congruentes. Similiter ſicut inferior nequit ferre legem contrariam ſuperiori, ipſumque obligantem, eo quia ſuperior non dependeat, nec ſubiectus ſit, inferiori, ita non poteſt inferior ferre legem contrariam, & derogantem legi ſuperioris. Quare licet lex humana poſſit præcipere, & prohibere ea ipſa, quæ lex divina, aut naturalis iubet, ſeu prohibet, ut furta, homicidia, &c. (Prohibet enim, & punit, pluraque præcipit, quæ lege naturali iubentur) non poteſt tamen lex humana, quæcumque illa ſit, quidpiam ſtatuere contra legem divinam ſive naturalem, ſive poſitivam; eo quia poteſtas humana ſit ſubordinata poteſtati & voluntati divinæ, nec inferior derogare valet iuri ſuperioris ut Act. 5. *obedire oportet Deo magis, quam hominibus.*

Homines poſſunt multa præcipere, vetare, & irritare, ſicuti identidem fit, quæ nec lege naturali, nec divina poſitiva præcepta, prohibita, irritata ſunt; idcirco actiones his legibus contrariæ nullæ ſunt, non quia per ſe malæ, ſed quia prohibitæ, & quia ſuppoſita tali lege, hæc obligat etiam ex lege divina, naturali, & poſitiva generaliter præcipiente ſubditis obedientiam mandatis ſuperiorum. Huiuſmodi vero leges ferre poteſt Legiſlator humanus, quia habet ius ſibi a Deo conceſſum ſtatuendi ea, quæ ipſi videntur conferre ad bonum commune. Ita D. Thomas 1. 2 q. 93. art. 3. alias non haberet poteſtatem niſi declarandi ius divinum, ſicut ſummus Pontifex, & Concilia Generalia in rebus fidei, & iuris divini, ſive naturalis, ſive poſitivi.

Lex humana nequit vitia omnia collective prohibere; alias eſſet irrita, & invalida: quia lex humana non debet eſſe admodum difficilis, & impoſſibilis moraliter toti communitati, cui imponitur, aut præter ſtatum & conſuetudinem illius, cum hoc proprium ſit ſolummodo virtuoſorum, qui in communitatibus ſunt in parvo numero. Ita S. Thomas, & D. Iſidorus citati a Salmaticenſibus. Hinc ſola vitia graviora, & quæ maxime opponuntur charitati, & bono communi, vetare poteſt.

Licet quemcumque actum virtutis in particulari, quando bonum commune hoc expoſtulet, poſſit Legiſlator humanus præcipere; non poteſt tamen actus omnes virtutum, nec collective, nec diviſim præcipere, ſive ſæcularis ſit, ſive Eccleſiaſticus, & multo minus heroicos; ita D. Thomas 1. 2. q. 96. art. 3. quia nulla datur virtus quæ non habeat actus facile obſervabiles, & qui cadere poſſunt in bonum commune. Omnes

vero

vero ſimul collective obſervare difficile eſt humanæ fragilitati: quinimmo etiam diviſim; quia aliqui ſunt valde ardui. Sic non poteſt præcipere abſolute Virginitatem, & conſilia Evangelica, aliaque huiuſmodi. Lex autem humana debet eſſe accommodata hominum conditioni, ſpectatis moribus, conſuetudine, ingenio communitatis, ut vere ſit ipſi moraliter poſſibilis & utilis. Poteſt tamen præcipere actus virtutum heroicos, & Evangelica conſilia in Hypotheſi ſtatus libere ab aliquo ſuſcepti. Hinc iis qui volunt initiari ſacris ordinibus iubet caſtitatem; ſic tria vota ſolemnia aſſumentibus ſtatum Religionis.

Lex humana poteſt præcipere indirecte actus internos neceſſarios, ut actus externi ſint in tali ſpecie morali, puta contractus, iuramenti, Sacramenti, orationis &c. Communis eſt. Etenim ſi Eccleſia poteſt præcipere actus externos, qui neceſſarii ſunt, & valde expediunt ad rectam gubernationem, ad bonum commune, ad cultum Dei convenientem, poteſt etiam præcipere internos neceſſarios, ad hoc ut externi in tali ſpecie morali conſtituantur: nam qui poteſt aliquid præcipere, poteſt etiam præcipere id omne, ſine quo illud eſſe nequit; alioquin non haberet veram, efficacem, & abſolutam poteſtatem illud præcipiendi. Sic Eccleſia poteſt præcipere Sacerdoti, ut vere ſacrificet, baptizet &c. Fidelibus, ut vere orent, contrahant, iurent, voveant; idcirco Eccleſia præcipere poteſt intentionem ſacrificandi, orandi, vovendi, contrahendi, &c. ſine qua tales actus neceſſarii, vel valde expedientes bono communi fieri nequeunt. Ita etiam præcipit Confeſſionem validam, ac proinde dolorem etiam internum ad illam requiſitum. Nam Alexander Papa VII. hanc damnavit propoſitionem, quæ numero eſt 14. *Qui facit Confeſſionem voluntarie nullam, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ.*

Et ut clarius inoteſcat quomodo actus internos ut coniunctos cum externis poſſit Eccleſia præcipere, notandum, quod actus interni ſunt quadruplicis generis; alii connexionem habent eſſentialem cum actibus externis in genere morum; alii ſe habent per modum diſpoſitionis ad actum externum debite exercendum; alii per ſigna quædam externa manifeſtantur; alii ſe habent per modum finis reſpectu externorum, qui præcipiuntur; tandem aliqui ſunt, qui non habent ullum reſpectum cum actibus externis in genere moris, & hi ſunt ac dicuntur actus mere interni. Iuxta igitur quadruplicem reſpectum, quem actus interni habere poſſunt circa externos, poteſt illos præcipere Eccleſia, & vetare.

De actibus vero ultimi generis, nempe de pure internis nullum reſpectum habentibus, vel connexionem cum externis, cenſetur probabilior ſententia, quæ ſuſtinet extra forum Sacramentale pœnitentiæ Eccleſiam non poſſe legem ferre ſupra ipſos actus mere internos, videlicet non poſſe Eccleſiam illos nec præcipere, nec prohibere: ita habetur in cap. *tua de ſimon. Nobis datum eſt de ſolis manifeſtis iudicare*. Sic D. Thomas 1. 2. q. 91. art. 4. & q. 100. art. 9. & alibi: quia de *his ferri poteſt lex*, ait Ariſt. l. 10. Ethi. c. 5 *de quibus poteſt iudicari*. Etenim ne poteſtas legiſlativa inutilis reddatur, cum iudicativa, & coactiva coniungi debet. At Eccleſia iudicare nequit de actibus mere internis, utpote qui ſunt per ſe occulti, omnino inſenſibiles ac exinde nullo modo probabiles; ideoque non poteſt iſtos præcipere, nec vetare, nec quoad vim coactivam, neque quoad vim vindicativam. Quare facultas univerſalis collata a Chriſto Petro, & Eccleſiæ ligandi, & ſolvendi, quoad forum externum intelligenda eſt; idcirco quoad actus tantummodo externos, & minime quoad internos, niſi indirecte, & de conſequenti, ideſt prout aliquo modo ſunt coniuncti cum externis. Unde externi quicumque ſint etiam occulti, ſubiiciuntur poteſtati Eccleſiæ; quia licet per accidens ſint occulti ob defectum teſtium, ſunt tamen extrinſeci utpote ex extrinſeco principio, ac proinde per ſe & ab intrinſeco ſunt manifeſti; quia ſenſibiles, & per ſenſus exteriores cognoſci poſſunt. Sic Eccleſia prohibet hæreſim externam ſub pœna excommunicationis, quamvis occultam. Nec valet hic allata doctrina, quod Eccleſia non iudicet de occultis, quia intelligitur de occultis per ſe, & ab intrinſeco, non de occultis per accidens, & ab extrinſeco.

Lex humana ponit rem præceptam in ea virtute, ex cuius motivo etiam extrinſece præcipitur; quia omnis actus ſpecificatur etiam a fine extrinſeco, propter quem fit. Sic actus, quo quis furatur, ut ſe inebriet, eſt actus participans de furto, & ebrietate. Igitur lex pariter ſpecificatur a fine etiam extrinſeco, ſicuti omnis electio medii ſpecificatur a fine intento. Nam lex æque intendit finem extrinſecum, & actionem, quam eligit ad talem finem conſequendum. Sic ſumptio cuiuſcumque leviſſimi cibi, vel potus ante Euchariſtiam eſt ſacrilega; quia hoc

hoc prohibuit Eccleſia ex motivo reverentiæ erga hoc Sacramentum.

Ut autem præceptum obliget ſubditum in illa virtute, ex cuius materiæ extrinſeco motivo imponitur, oportet ut tale motivum a ſuperiore aliquommodo exprimatur; præcipue ſi aliunde notum non ſit; alias actus præſupponitur non præcipi niſi ex motivo ſuo intrinſeco; ſicuti etiam ut exprimat ſe velle obligare. Idcirco qui violat legem humanam præcipientem aliquam virtutem, non ſolum peccat contra obedientiam, ſed etiam contra virtutem illam, cuius actus in lege præcipitur, quia ſubditus obligatur ad actum, qui præcipitur: ſic qui non audit ſacrum die Feſto, nec ſe abſtinet a carnibus feria ſexta, peccat in primo caſu contra Religionem, in altero contra temperantiam, & tenetur exprimere in Confeſſione hæc peccata ſpecie diverſa.

§. XXX.

De Subiecto Legis, ſcilicet de Perſonis, erga quas Leges ferri poſſunt.

Priuſquam res exponatur, pro clariori intelligentia prænotandum 1. occurrit, legem duplicem vim habere, directivam ſcilicet, quæ obligat ad culpam, & coactivam, quæ obligat ad pœnam a lege taxatam. Ex hæc vis alia eſt interna obligans ad pœnam ſtatim ſubeundam, alia externa requirens declarationem culpæ commiſſæ. Vis directiva alia eſt directa, quæ ex ipſamet lege, & Legislatoris voluntate exercetur in Subditos; alia indirecta, qua ex iuramento a non ſubditis præſtito, ad Leges illius Domini ſervandas obligantur.

Nota 2. materiam legis quandoque eſſe communem tam ſubditis, quam Legislatori, quandoque ſolis ſubditis, non Legislatori. Item Legislator aliquando eſt abſolutus, nempe poteſt condere leges abſque ullo conſenſu communitatis, aliquando eſt dependens a communitate, videlicet requiritur conſenſus, vel Senatorum; ſeu Procerum, vel Communitatis ad leges ferendas.

Nota 3. aliud eſſe, aliquem excuſari a Lege, ſub qua eſt comprehenſus, quia invincibiliter eam ignorat; aliud excuſari a lege, ſub qua non eſt comprehenſus, quia ad eum lex non extenditur; ex quo excuſantur Iuvenes a lege ieiunii ante vigeſimum primum ætatis annum, & infideles a legibus Eccleſiaſticis; quia ſub ipſis non comprehenduntur. Unde licet ſubiici legi, aut illa affici & in ea contineri, videri poſſit idem cum eo, quod eſt Legi obligari, non eſt tamen idem: nam illi ſubiiciuntur legi, qui ſunt illius capaces; obligantur autem ii, qui cum ſubiiciantur legi, nullam habent excuſationem eximentem a debito illam obſervandi. Hinc ad hoc, ut lex aliquem afficiat, requiritur ex parte Legislatoris poteſtas, & voluntas; ex parte vero illius, qui affici debet, ſubiectio, & capacitas; nam fruſtra quis imperat niſi facultatem habeat imperandi, & nullus erit unquam comprehenſus ſub eius præcepto, niſi velit ut comprehendatur; cum poteſtas imperandi ſit libera, nec ultra arbitrium voluntas operetur. Sicut etiam ex alia parte, licet Legislator poſſit per ſuam legem obligare, & ligare, non ligabit tamen niſi ſubditos. Unde illud: *extra Territorium imperanti impune non paretur*. Præterea requiritur, ut quis ſit ſubditus & infra fines ditionis Legislatoris; illius tamen imperio non arctabitur, niſi ſit capax; ſunt enim incapaces, qui uſu rationis omnino privantur. Quod autem dicitur de capacitate, ut quis ſub lege comprehendatur, intellige quoad legem poſitivam, quæ non eſt hominis naturæ inſita, non de naturali, quæ ita naturæ eſt inſerta, ut cum ipſa natura identificetur; iſta enim non indiget capacitate conſiſtenti in uſu rationis, ſed eo ipſo, quod quis eſt homo, naturam habet rationalem, impreſſas habet in animo leges naturales, adeo ut illis afficiatur, & comprehendatur: quare hic nihil agitur de tali ſubiectione legi naturali, & Divinæ, utpote quæ ſupponatur in omni homine; ſed ſolum quod poſitivæ Divinæ non ſubiiciantur infantes, & perpetuo amentes, ut incapaces illam percipiendi ob defectum uſus rationis. His igitur præſuppoſitis.

Dico ex communi ſententia, quod omnes & ſoli adulti ſubditi uſus rationis compotes legibus ſuorum Superiorum directe ſubiiciuntur, tum quoad vim directivam, tum quoad vim coactivam; quia iſti omnes & ſoli ſunt capaces cognitionis, & directionis humanæ, & habent libertatem ſaltem habitualem. Dicitur *ſoli ſubditi*, quia ii tantum ſubiiciuntur Legislatori, nec in alios, niſi in proprios ſubditos ius habet Legislator præcipiendi. Quare pueri, ſicut etiam perpetuo amentes, legibus humanis præceptivis non tenentur; quia cum uſus rationis ſint incapaces, ſub lege non comprehenduntur. Tenentur tamen pueri ſtatim ac pervenerint ad uſum rationis; quia Legislator intendit obligare quoſcumque, qui per uſum rationis ſunt capaces. Non tenentur autem ſta-

tim

tim ad ea, quæ ad ſui obſervantiam uſum perfectiorem exigunt rationis, ut eſt Communio Paſchalis. Verum licet pueri ſtatim poſt uſum rationis ad obſervantiam humanarum legum obligentur, ita ut peccent eas tranſgrediendo, excuſantur nihilominus ante pubertatis annum a pœnis per legem impoſitis, ſive eæ latæ ſint ab homine, ſive generaliter a iure; quia ita præſumitur benigna mens Eccleſiæ compatientis ætati infirmiori, *Cap. 1. delict. Puero.* & Cap. *Referente* ibidem. At intellige ſalva excommunicatione ob Clerici percuſſionem, a qua ante pubertatem non excuſantur, ab Epiſcopo tamen poſſunt abſolvi Cap. *ſuper eo*, Cap. *Pueri* Cap. *quamvis de Sententia excommuni.* Infideles excuſantur a legibus Eccleſiaſticis, utpotequi nullatenus iuriſdictioni Eccleſiæ ſubiiciantur. Sic infirmi ſub lege aliqua non comprehenduntur; idcirco ſecluſo ſcandalo licite poteſt quis concurrere ad actiones legibus hiſce contrarias quibus non tenentur, imperando ſcilicet, conſulendo, & ſine culpa ipſis miniſtrando carnes die ieiunii, inducendo eos ad Sacrum non audiendum die feſto, ſic &c. & ipſi pariter non peccant nequidem materialiter; cum materia tranſgreſſionis non ſit obiective, & intrinſece mala.

Ex oppoſito vero cum in præceptis naturalibus omnes comprehendantur, nullus ab his excuſatur, nec pueri, nec infirmi, nec infideles, nec amentes; quia materia præceptorum naturalium utpote intrinſece bona, vel mala, ex natura ſua, & ſine exceptione inducit obligationem. Quare licet ii a culpa per accidens excuſentur, eo quod ob defectum uſus rationis, non habeant ſufficientem advertentiam, & libertatem; non tamen eſſet excuſabilis, & immunis a culpa, qui eos induceret ad horum præceptorum tranſgreſſionem, puta ad iram, libidinem, blaſphemiam, & alia huiuſmodi intrinſece mala; quia inducens cenſetur moralis cauſſa, & quidem principalis horum actuum intrinſece malorum.

Infideles vero ſubiecti ſunt legi Evangelicæ, quia ſubditi ſunt Chriſto homini Deo ipſius legis auctori, qui omnium hominum ſupremus eſt Dominus; & ideo non tenentur præceptis pure Eccleſiaſticis, quia nemo ſubiicitur Eccleſiæ niſi per Baptiſmum. Ex quo ſequitur, quod Hæretici velint nolint, non minus quam præceptis Chriſti Domini, legibus Eccleſiaſticis ſunt obſtricti; quia ſicut Chriſto, ita Eccleſiæ per Baptiſmum ſubditi ſunt, licet rebelles.

Ebrii, & ad breve tempus delirantes tenentur legibus; quia ſunt in ſtatu habituali uſus rationis, licet per accidens impediti, & iam ſubditi legi, quæ eandem vim retinet. Unde non licet dare eis carnes die vetito, quia prohibitas.

§. XXXI.

De Obligatione Exemptorum circa Legem, a qua ſunt exempti.

Exempti a iuriſdictione Legiſlatoris, non tenentur illius Legibus ex illorum vi, etiam ſi intra ditionem ipſius Legiſlatoris commorentur: quia eo ipſo quo eximuntur ab eius iuriſdictione, deſinunt eſſe ei ſubditi, quibus ſolis poteſt Legiſlator præcipere. Idcirco Religioſi omnes exempti ab Epiſcopali iurisdictione non tenentur Legibus Epiſcopalibus, aut Synodalibus, nec Decretis ipſis Provincialibus, & ita declaravit S. Congregatio in Cap. *Sicut olim*, ut in Fagnano; niſi in Caſibus, in quibus a Iure Communi, a Concilio Tridentino, a Summis Pontificibus, poteſtas in ipſo ſpecialiter Epiſcopo, vel Concilio Provinciali conceſſa eſt. Ita declaravit Gregorius XIII. anno 1581. Et ex Decreto Concilii Tridentini ſeſs. 25. Cap. 12. tenentur ſervare cenſuras, & interdicta ab Epiſcopis lata, & feſtos dies ab illis præceptos; immo ut ſentit Vaſquez, & Sanchez aliique, iure naturali, & æquitate ſervare debent præcepta Epiſcoporum ſpectantia ad communem obſervantiam & totius Populi devotionem, in iis quæ ſtatui ſuo, aut ſuis Privilegiis non adverſantur, ut ieiunia, & preces ad Cauſſam Publicam; quia licet exempti, ſunt tamen pars Communitatis, & illius commoda participant. *Exempti a iuriſdictione Legiſla. toris non tenentur ſuis legibus.*

Similiter Regulares, qui ex ſuo inſtituto ſaluti proximorum incumbunt, tenentur proſequi Epiſcopos ſpeciali honore, & reverentia, ut Principes Eccleſiæ, Succeſſores Apoſtolorum poſitos a Spiritu Sancto regere Eccleſiam Dei, necnon ſervare eorum ſtatuta ad rectam adminiſtrationem Sacramentorum Pœnitentiæ & Euchariſtiæ, & quæ bonum animarum diœceſis reſpiciunt.

Legiſlator abſolutus, ſcilicet qui a nullius conſenſu dependet, etiam ſecluſo ſcandalo tenetur ſuis legibus, & ſuorum prædeceſſorum in materia, quæ convenit ſibi & ſubditis, non tamen vi coactiva, ſed ſolummodo directiva, ſeu prout Lex vim ha-

Digitized by Google

bet oſtendendi bonum eſſe faciendum; & in hoc ſenſu obligationem habet ad culpam, & in conſcientia: eſt Communis: ita D. Thomas 1. 2. q. 96. art. 5. ad 3. quia lex naturalis præcipit, ut Princeps Communitati, cuius eſt caput, ſe conformet in iis, quæ æque ipſi & aliis conveniunt; nonminus enim Princeps quam ſubditi tenentur ad commune bonum, ad quod unice & principaliter feruntur Leges. Et eo vel maxime, quod pertinet ad officium Principis, & Superioris pro recta & utili gubernatione præeſſe ſuis ſubditis exemplo. Itaque Legiſlator violans ſuam legem, vel prædeceſſorum, fit reus culpæ eiuſdem ſpeciei, ac gravitatis, cuius rei fiunt ſubditi, qui eam violant; quia lex naturalis ob allatas rationes utrique eandem imponit obligationem, quidquid aliqui in contrarium ſentiant. Non incurrit tamen Legiſlator pœnas a lege humana impoſitas; quia non eſt ſubiectus legi humanæ illas imponenti, ſed ſolummodo naturali, quæ iubet actus virtutis a lege propoſitos, non tamen pœnas ſtatuit.

Si vero Legiſlator iuſtam habeat cauſſam non ſervandi legem, ob quam diſpenſare poſſet cum ſubdito, tunc non tenetur legem ſervare; quia tunc ceſſat naturalis obligatio, & diformitas habet rationabile fundamentum. Præterquam quod ſi ob iuſtam cauſſam poteſt merito liberari ſubditus ab onere legis, ſi non magis, ſaltem æqualiter liberari poteſt Princeps, qui non eſt inferioris conditionis quam ſubditi. Et tunc proprie non diſpenſat ſecum, ſed potius interpretatur, in tali circumſtantia legem naturalem ad propriam ſui legem ipſum non obligare.

Et hoc dictum eſt de Legiſlatore abſoluto, nec dependente a Communitate in lege ferenda. Nam Superiores Communitatum tenentur legibus, quas cum communitate tulerunt; ita ut Generales Ordinum teneantur legibus latis in Generali Capitulo; quia etiam ipſi ſubditi ſunt Communitati, a qua latæ fuere.

§. XXXII.

De Obligatione Clericorum circa Leges Civiles.

Clerici tenentur in conſcientia legibus Civilibus, quæ non opponuntur Legibus, & immunitati Eccleſiæ, vel eorum officio; quia Clerici quoque ſunt membra, Cives, & pars Reipublicæ, ſeu Communitatis, & de eius commodis participant, & fruuntur, unde æquum eſt, ut aliis membris, & partibus ſe conforment in iis, quæ ipſis æque ac Laicis conveniunt. Alioquin non levem confuſionem perturbationemque pateretur Reſpublica. Ita communiter ſentiunt Doctores quoad vim directivam, ideſt in conſcientia, & ita Apoſtolus admonuit Titum, in ſua Epiſtola c. 3. tam de Laicis, quam de Clericis; *Admone illos Principibus, & Poteſtatibus eſſe ſubditos, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos eſſe*. De immunitate vero, qua Clerici frui debent teſtatur Concilium Tridentinum ſeſſ. 25. De Reformat. Cap. 20. *Eccleſiæ & perſonarum Eccleſiaſticarum immunitatem Dei ordinatione, & Canonicis Conſtitutionibus conſtitutam eſſe.*

§. XXXIII.

De Obligatione Peregrinorum, Vagorum & Advenarum circa Leges ſui Territorii, & loci, ubi ſunt incolæ.

Priuſquam de iſtorum obligatione circa Leges ſive proprii, ſive alterius Territorii quidpiam ſtatuatur, prænotandum eſt quod nomine *Peregrini* ille intelligitur, qui extra Territorium, ubi ſuum tenet domicilium, tranſit per aliquem locum, vel alicubi moratur cum animo ad ſuum locum redeundi; *Advena* eſt, qui domicilium ſibi ſtatuit extra ſuam Patriam; *Vagi* vero dicuntur illi, qui nullum fixum habent Domicilium.

Notandum 2. leges alias eſſe perſonales, quæ afficiunt immediate perſonam, ut lex obligans Clericos Sacris initiatos, & beneficiatos, ad recitationem Officii, & Beneficiatos cum onere ad reſidentiam præſtandam. Aliæ locales quæ propriæ ſunt alicuius Provinciæ, Diœceſis, vel loci, quæ etiam vocantur Municipales, Epiſcopales, & Conſuetudines. Aliæ communes, ideſt iuris Communis, quæ totam fere Eccleſiam obligant. *Leges aliæ locales, perſonales, aliæ communes.*

Notandum 3. leges perſonales, ideſt quæ immediate perſonam afficiunt, non Territorium, ſemper obligare perſonam ubicumque fuerit perſona; nam illi ſemper cohæret. Hinc ſuſpenſus ab Epiſcopo nullibi celebrare poteſt propter ſuſpenſionem perſonalem.

Notandum tandem, quod ſi lex prohibeat actionem ubicumque actam, quæ ſit in damnum Communitatis, ut venditionem armorum, vel rerum aliarum hoſtibus, Communis ſententia eſt, hanc obligare ſubditum etiam extra Territorium, & poſſe ipſum puni-

Digitized by Google

puniri ſi illam violet; quia tunc damnum cenſetur moraliter illatum intra ipſum Territorium ex *l. 4. cod. de Comerc.* His notatis ſit.

Subditi alicuius Principis extra ipſius ditionem commorantes tenentur legibus perſonalibus, & iis, quæ pertinent ad commune bonum Reipublicæ, cuius ſunt cives, quia Perſonales comitantur perſonam, ubicumque moretur. Hinc ſubditi extra Territorium ſuum degentes poſſunt rebelles eſſe contra proprium Principem, & quælibet pars tenetur pro viribus conſulere bono Communitatis, cuius eſt pars.

Peregrini, & Advenæ non tenentur legibus localibus ſui Territorii

Peregrini & Advenæ non tenentur ſervare leges pure locales ſui Territorii, dum extra illud verſantur. Ita communiter ex Cap. 1. *De Conſtit.* in 6. quia leges locales ſunt pro tali loco, & poteſtas Legislativa non extenditur extra fines ſuæ iuriſdictionis, id eſt locorum ſibi ſubditorum; ideoque non poteſt ligare niſi intra illos degentes. Quare qui extra propriam Parochiam, vel Diœceſim peregrinatur, non tenetur ad feſtum, quod ibi celebratur.

Hoc tamen intellige, quando tum peregrinus, tum actio, tum res, circa quam operatur, ſint extra Territorium. Nam ſi res, circa quam agit, vel omiſſio actionis ſint intra Territorium, licet perſona ſit extra, ex communi ſententia tenetur legibus Territorii, & reſpectivis pœnis: quia delictum merito tunc cenſetur intra Territorium conſummari, cum ibi ſit res præcepta, vel vetita; ideoque delinquens cenſetur moraliter præſens ex lege *2. cod. qua res exportari*. Sic abſens a loco Diœceſis, in qua beneficium poſſidet, contrahit cenſuras latas ab Epiſcopo Beneficii, quia delictum ibi cenſetur conſummari.

Peregrinus non tenetur ſervare præcepta etiam iuris communis v. g. Ieiunium Vigiliæ, & Feſtum Sancti Bartholomæi, ſi bona fide, & ſine fraude adſit in loco, ubi ex Privilegio, vel legitima conſuetudine hæc non obſervantur, licet eſſet etiam iuris communis quod in proprio ipſius Territorio obligaret; quia Privilegium, vel conſuetudo localis ſpectat omnes, qui ſunt in eodem loco. Quare D. Auguſtinus Epiſt. 118. docet, in iis, quæ non ſunt contra fidem, & legem Divinam, poſſe quemquam ſe conformare Eccleſiæ particulari, in qua moratur. Dicitur *bona fide, & ſine fraude, vel dolo*; nam ſi quis animo ſe ſubtrahendi legi locali eat in locum, ubi lex ea non obligat ſeu non viget, non ideo liberatur ab eius obligatione, quia tunc eſſet mera fraus, & eluſio legis, quæ nullibi patrocinari debet iuxta illud; *fraus, & dolus alicubi patrocinari non debent*, Cap. 15. 16. *De præſcripti*. Nam ob eamdem rationem, qua ſubditus ſubiicitur legi, obligationem contrahit ſe non ſubtrahendi fraudolenter, & ſine ullo titulo a lege adimplenda, quod neceſſarium eſt ad bonum regimen, præcipue Eccleſiaſticum, ad efficaciam legis, & ad impediendos multos abuſus, præcipue in finibus diverſarum diœceſum.

Nec dici poteſt, quod exeundo a proprio loco utatur iure ſuo; quia ſicut non habet ius ſe eximendi a ſubiectione legis, ita neque ſe eximendi ab illius obſervantia per diſceſſum a loco legis ob ſolum motivum illam non obſervandi; non ſecus ac ex eo quod gravis labor excuſet a ieiunio, nemo ius habet graviter laborandi eo ſolo fine, ut ſe eximat a lege ieiunii; nulli enim omnino ius eſt actionem ſine iuſta cauſſa aſſumendi, ob quam a lege liberetur. Et hoc confirmatur ex reſponſo Cardinalium, ab Urbano VIII. confirmato, quod datum fuit ad Archiepiſcopum Collonienſem, quo declarat, nullum eſſe Matrimonium clandeſtinum contractum ab illis, qui tranſierant a proprio loco, ubi viget Concilium Tridentinum, ad loca, ubi non viget, eo ſolo animo illud clandeſtine contrahendi, quia contraxerunt cum fraude, dum cum fraude a loco legis diſceſſerunt.

Quare peccant contra Legem, qui alio diſcedunt præciſe ut carnibus veſcantur, vel operibus ſervilibus vacent, quando hæc in ſua Diœceſi ſunt vetita.

Difficultas adhuc remanet circa diſcedentes etiam ſine fraude, ſed ob aliam cauſſam a loco ſui domicilii, ubi iam lex obligat, & pergentes ad locum, ubi lex illa non tenet, puta diei feſti; num teneantur legem implere, antequam diſcedant, nempe Sacrum audiendo: & communiter docent Theologi, quod ſi hic prævideat legem ſe implere non poſſe in alio loco, tenetur implere, antequam diſcedat, puta Sacrum audire, dummodo poſſit ſine gravi incommodo, & nequeat alibi audire: etenim lex implenda eſt ab homine eo tempore, quo illum obligat, quod eſt, quando diſceſſurus adhuc in ſuo domicilio verſatur. Sic diſceſſurus e ſuo domicilio, ubi ieiunium obligat, non poteſt ibi mane ientaculum ſumere, licet ſciat veſpere, vel etiam ante veſperas futurum in loco ubi non eſt ieiunium; quia obligatur ieiunio donec eſt in loco, ubi extat ieiunii obliga-

ligatio, quæ non poteſt tolli a diſpenſatione vel privilegio loci, ubi nondum exiſtit; ideoque non poteſt hiſce frui, niſi quando illuc pervenerit. Non deſunt tamen aliqui, qui contrarium ſentiant.

§. XXXIV.

De obligatione Peregrinorum, Advenarum & Vagorum circa Leges locorum, ad quæ tranſeunt, & in quibus verſantur.

Peregrinus ſi per modum tranſeuntis, & ut Viator veniat in aliquem locum, ubi ieiunium, aut feſtum celebratur, paucis horis commoraturus, & die eadem diſceſſurus, videtur non teneri his legibus: quia nullo modo dici poteſt incola & membrum illius loci, dummodo non adſit ſcandalum. Secus vero dicendum ſi tota die ſit ibi commoraturus, & ſubſequenti die diſceſſurus; & eſt communis, licet aliqui contrarium ſentiant. Teneretur autem ſi alias eſſet periculum ſcandali, ſi leges ſint iuris communis, licet vel ex conſuetudine, vel ex privilegio non ſerventur in ſuo Domicilio; quia privilegium, & conſuetudo extra locum vim non habet. Inſuper tenetur hic in contractibus ſervare leges, & conſuetudines loci, in quo contrahit: nam quiſque ſortitur forum in loco contractus, cap. ult. *De Foro Comp.*

Si vero accedant Peregrini (& hoc intellige etiam de Vagis) ad aliquem locum, ut ibi degant per aliquot dies, tunc tenentur ſervare leges, & conſuetudines etiam ſpeciales loci, in quo morantur, etiam ſecluſo ſcandalo. Ita communius ex Sancto Auguſt. l. 3. Confeſſion: Cap. 8. ubi ait; *Quod vel civitatis, vel gentis conſuetudine, vel lege firmatum eſt, nulla civis aut Peregrini libidine violetur*. Et Epiſt. 86. dicit ita docuiſſe D. Ambroſium; *Ad quamcumque Eccleſiam veneritis, eius morem ſervate ſi pati ſcandalum non vultis aut facere*. Quia pax, ordo, recta gubernatio, bonum commune Territorii poſtulat, ut leges locales ſerventur ab omnibus, qui ſunt in loco, quandiu in eo morantur: & eo vel maxime, quod cum nemo gaudere debeat exemptione ab omni lege, ſi per diſceſſum eximitur ab illa proprii loci, ſubiici debet legi loci ad quem tranſivit.

Notandum tamen, quod hi Peregrini tenentur his ſolis legibus loci, quarum obſervatio non requirat tempus longius illo, quo ibi morantur: quia quoad alias non cenſentur eſſe in loco morali, nec ad eas ſervandas tenentur ibi morari, pluſquam illi ſtaterint.

Si aliquis vero accedat ad loca animo ibi perpetuo commorandi, ſtatim incurrit obligationem erga leges municipales, Epiſcopales, & conſuetudines illius loci; quia accedens ad locum aliquem tali animo, iam non eſt hoſpes, Peregrinus, nec advena, ſed incola loci: etenim, qui tali animo ſtatuit habitationem aliquo in loco, iam acquiſivit Domicilium tract. *de ord.* & ex l. *Domicilii* q. *ad municipal.* & ſic ratione domicilii factus eſt ſubditus ſuperioris illius loci, ideoque illius legibus, & præceptis parere tenetur, & pœnas omnes incurrit contra illorum violatores impoſitas.

Quod ſi aliquis tranſeat ad locum animo manendi maiori parte anni, ut ſtudentes convenientes ſtudiorum cauſſa ad univerſitatem, famuli & operarii, ex communi ſententia & ex uſu certum eſt ſtatim teneri ad leges illius loci, & poſſe puniri, ſi eas violent. Et hi proprie ſunt Advenæ, cum nec perpetuo ſicuti incolæ, nec ad breve tempus ſicuti Peregrini & Vagi, ibi ſint commoraturi: & hi non acquirunt quidem domicilium, quia eorum mora ad hoc non ſufficit, bene vero quaſi domicilium l. 2. Cod. *ubi Senatores*, l. *hæres abſens* §. *proinde 6. de iudic.* ideoque forum illius loci tales ſortiuntur, & fiunt parochiani illius Parochiæ, ſubiecti eius ſuperiori, ſeu Paſtori, a quo poſſunt recipere omnia Sacramenta præter ordinem, & in illa Parochia, ſi moriantur, debent ſepeliri. Item ab eius Epiſcopo obtinere poſſunt votorum & iuramentorum relaxationem. Ita communiter.

§. XXXV.

De obligatione Legis humanæ in foro conſcientiæ.

Leges humanæ tum Eccleſiaſticæ, tum civiles ſubditos obligant coram Deo, & in foro conſcientiæ, ut patet ex divina Scriptura, & præcipue Rom. 13. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit; non eſt enim poteſtas niſi a Deo; itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit*. Et Hebræ. 13. *Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis*. Leges igitur ſuperiorum vim habent præcipiendi, idcirco eorum tranſgreſſio eſt formalis inobedientia, ideoque peccatum coram Deo; cum ius naturale præſcribat, & recta ratio dictet parendum ſuperiorum præceptis. Culpa vero talium tranſgreſſionum gravis eſt vel levis, prout gravis eſt, vel levis tum materia, tum inobedientia, quæ

fieri

fieri poteſt gravis etiam in materia levi propter contemptum. Poteſtas vero obligandi in conſcientia ſub culpa etiam mortali, neceſſaria eſt ad efficaciam legum, & rectam gubernationem, alioquin pateret aditus ad innumeras tranſgreſſiones, nec ita facile finis legis obtineri poſſet.

Leges humanæ ſive Eccleſiaſticæ ſive civiles, tunc obligant ſub mortali, quando materia præcepta gravis eſt, & ſuperior in tali materia ita obligare intendat, quod fit, quando intendit uti tota ſua poteſtate, & graviter obligare. Dicitur, quando materia præcepta gravis eſt; quia ſuperior humanus non poteſt in materia levi obligare ſub mortali; cum Deus non dederit poteſtatem hominibus obligandi alios, niſi ſecundum capacitatem materiæ. Et hanc regulam propoſuit in ſuis legibus tum naturalibus, tum poſitivis, quæ in materia gravi graviter obligant, leviter vero in materia levi, ideſt ſub veniali. Cum autem in materia gravi poſſit Legiſlator leviter etiam obligare; idcirco & gravis obligatio & levis ab eius quoque intentione dependet. Hinc ad hoc ut lex etiam in materia gravi graviter obliget, requiritur, quod Legiſlator etiam ita intendat.

Quando ſuperior intendat obligare graviter

Gravitas vero materiæ & ſufficiens intentio Legiſlatoris graviter obligandi ideſt ſub mortali dignoſci poteſt, primo ex fine magni momenti, quem Legiſlator ſibi proponit, ut magnum commune bonum, Populi ædificatio, &c. Secundo ex verborum gravitate, quibus utitur ſuperior, præcipue in legibus Canonicis, in quibus hæc formula comminationis nonnunquam reperitur: *ſub indignatione Dei omnipotentis*, *ſub interminatione divini Iudicii*, *vel in virtute obedientiæ*: quia verba gravia non adhibentur a prudenti Superiore, niſi ad exprimendam materiam gravem, gravemque obligationem. Tertio ex gravitate pœnæ tranſgreſſoribus impoſitæ, ut in Canonicis, excommunicationis, ſuſpenſionis, interdicti, & in civilibus, mortis, triremis, exilii, carceris perpetui; quia gravis pœna iuſte non imponitur niſi ob gravem culpam. Quarto dignoſci poteſt ex communi ſapientum iudicio, vel ex conſuetudine, quæ eſt optima legum interpres. Dictum fuit, poſſe ſuperiorem etiam in materia gravi leviter, & ſolum ſub veniali obligare; quia poteſtas, quam habet Legiſlator obligandi, quoad uſum & applicationem eſt in libera eius voluntate; ideoque cum materia eſt maioris obligationis, ſicuti poteſt ad omnia obligare, ita poteſt obligare leviter, & ad ſolum veniale, eo vel maxime quod ad convenientem gubernationem hoc aliquando expediat, ne nimis graventur conſcientiæ, & ut occaſio tollatur graviter peccandi. In dubio vero, num materia gravis ſit in ſe, vel levis, obediendum eſt ſuperiori; quia præſumptio tunc ſtat pro Legiſlatoris poteſtate, qui etiam in materia levi ob grave motivum, ſcilicet boni communis promovendi, ſcandali, vel periculi gravis mali vitandi, poteſt graviter obligare & ſub mortali.

Notandum vero 1. circa levem materiam, quod licet plures leves materiæ, quando non uniuntur moraliter in ſe, nunquam efficere poſſint gravem materiam; poſſunt quidem, ſi moraliter uniantur, vel inter ſe, vel in ordine ad eumdem effectum, ſicut parvæ quantitates ſimul unitæ magnam quantitatem conſtituunt. Tunc vero parvæ materiæ cenſentur moraliter uniri inter ſe, quando moraliter componunt unicam materiam totalem, vel in ordine ad idem præceptum; ut ſi quis in die ieiunii toties ſumat parvas cibi quantitates, ut tandem ex his exurgat illa quantitas, quæ ſimul ſumpta in ultima comeſtione ſit fractio gravis ieiunii cum lethali culpa. Idem dicito de eo, qui die feſto per plures morulas laboraret, quæ coniunctæ magnam temporis quantitatem efficerent. Sic de multis paucis partibus relictis per horas Canonicas in recitatione divini Officii, quæ coniunctæ magnam quantitatem efficerent. Vel moraliter uniuntur ratione ſui ipſarum, vel ratione effectus ab ipſis relicti; unde ſi quis pluribus, vel pluries tot pauca furriperet, quæ ſimul coniuncta magnam quantitatem ſimul conſtituerent, unde grave damnum tertio inferretur, in ultima fit materia gravis, & ideo culpa mortalis; dummodo tamen poſt primam intentionem habuerit perſeverandi in talibus furtis. Carent vero tali unione, vel ratione temporis, ut ſi in diverſis diebus modicum cibi ſumatur tempore ieiunii; quia onus ieiunii eſt diei, idcirco comeſtio unius diei non continuatur cum alia alterius diei ad conſtituendam unam materiam gravem. Vel non uniuntur ratione præcepti, ut ſi quis in diverſis diebus feſtis aliquantulum laboraret, vel in diverſis diebus parum Officii divini omitteret, vel in eodem die deficeret parum quid in diverſis præceptis, v. g. in auditione miſſæ ſi eſſet dies Feſtus, vel in comeſtione ſi ſimul eſſet dies ieiunii &c. quia ratione præcepti hæc

non

non uniuntur, licet eſſet intentio perſeverandi in talibus tranſgreſſionibus, quia præceptum unius diei non facit unionem cum præcepto diei ſequentis, nec unum præceptum cum altero, ut dictæ tranſgreſſiones parvæ in unam quantitatem materiæ uniantur. Vel non uniuntur ratione ſubiectorum v. g. ſi quis eſſet cauſſa, quare plures die Feſto laborarent, vel quod eodem die ieiunii plures modicam refectionem ſumerent; quia tametſi iſtæ parvæ materiæ ſint eodem die, & contra idem præceptum, ſunt tamen disiunctæ ratione ſubiectorum, in quibus reperiuntur.

Notandum 2. Materiam levem poſſe fieri gravem ratione formalis contemptus, vel Legiſlatoris ut Superior eſt, vel legis ut eſt præceptum Superioris, quia contemnere Superiorem non ut talis perſona ſed ut Superior eſt, & illius præceptum, prout eſt præceptum Superioris, eſt deſpicere poteſtatem Superioris; idcirco ipſum Deum, cuius vices gerit Superior iuxta illud Evangelii Luc. 10. *Qui vos ſpernit, me ſpernit: Qui autem me ſpernit, ſpernit eum qui miſit me*: & per conſequens materia tranſgreſſionis, etiamſi ſit ex ſe levis, fit gravis per contemptum, & mortaliter delinquitur. Sic D. Thomas 2.2. q. 18. art. 9. ad 3.

§. XXXVI.

De Lege fundata in Præſumptione.

Præſumptio altera periculi, altera facti.

Nota, quod præſumptio altera eſt periculi, ſeu potentiæ, aut ut alii dicunt iuris, quæ non præſumit damnum, fraudem, vel aliquod malum in omnibus, & ſingulis caſibus adeſſe, ſed regulariter, & ut plurimum; altera facti, ſeu definitionis, qua factum aliquod in particulari præſupponitur, & ex hac præſumptione, & iudicio movetur Superior ad aliquod decernendum ſeu prohibendum, ſub quadam tacita conditione, ſi ita factum contingat. His notatis ſit.

Lex fundata in præſumptione periculi, ſeu iuris, ſemper obligat in conſcientia; quia leges illæ ſemper nituntur veritate, ac iudicio certo periculi, vel ſæpe, vel ut plurimum contingentis, quod ſemper verum eſt, tametſi in aliquo caſu particulari, & aliquando non eveniat; bonum enim commune poſtulat, ut omnes & ſemper obligentur: alioquin non impediretur malum, quod ſæpe evenire poteſt. Si vero falſa eſſet ſuſpicio, nempe non eſſet periculum quod id ut plurimum eveniat, cum raro eveniat, vel præciperetur aliquid, quod præſumitur licitum a Legiſlatore, cum a parte rei ſit illicitum, in his caſibus Lex non obligaret; quia pro primo lex huiuſmodi in conſcientia non obligat, quando præſumptio locum non habet: etenim æquum eſt, ut lex veritati cedat, ut habetur Cap. *verit.* diſt. 8. quia pro ſecundo de ratione Legis eſt ut ſit iuſta, hoc eſt ut obiectum illius ſit iuſtum, & honeſtum; & valet tunc illa regula iuris: *Lex in præſumptione fundata non obligat in conſcientia, quando præſumptio falſa eſt.*

Lex generatim fundata in falſa præſumptione de definitiva facti veritate revera non ſubſiſtente, non obligat in conſcientia: quia cum non ſubſiſtit fundamentum legis, nec Lex ſubſiſtit, nec obligat: etenim Superior non intendit obligare, cum ratio deficit obligandi. Sic mulier non tenetur obedire Epiſcopo præcipienti, ut reddat debitum ei, cui ipſe ſupponit eam eſſe valide coniunctam, cum revera ita non ſit ob occultum impedimentum, & peccaret obediendo.

§. XXXVII.

De obligatione Legis dubiæ.

Notandum, quod dubium oriri poteſt vel ex parte Legis, ideſt an exiſtat talis lex, vel an ad hunc caſum extendatur, vel ex parte rei præceptæ, nempe an lex, de qua certus es, iuſta ſit, utilis, aut neceſſaria ad finem intentum; ſive ex parte Legiſlatoris, ideſt num Legiſlator legem hanc condere potuerit, an ſit legitimus Superior, an ſis ſubditus illius, vel denique de initio & fine talis legis.

Pro his omnibus ad faciliorem, clarioremque reſolutionem ſupponenda eſt illa regula communis iuriſtis omnibus, & Theologis, quod *in dubio melior eſt conditio poſſidentis*, quæ ſecundum aliquos non ſolum in materia iuſtitiæ, ſed cæteris paribus in omnibus aliis virtutibus locum habet; His poſitis ſit.

In dubio de lege quid?

Si dubium ſit de lege, ideſt num lata ſit talis lex, & adhibita diligentia non inveniatur extare, tuta conſcientia poteſt dubium deponi, & ſecluſo ſcandalo, aut alio inconvenienti ſine culpa quis poteſt contra illam operari; quia in tali caſu ſubditus eſt in poſſeſſione ſuæ libertatis, & melior conditio eſt poſſidentis. Si dubium ſit, num lex quam extare ſcio, nunc propter aliquas circumſtantias obliget, nempe an a lege ieiunii excuſet infirmitas, neceſſitas, nec poſſim ſuper hoc informari, vel a Superiore, vel ab aliquo viro prudenti, in tali dubio poſ-

ſeſſio

Digitized by Google

ſeſſio ſtat pro lege, idcirco legi obtemperandum eſt.

Quid in dubio circa materiam legis? Si dubium ſit circa materiam legis, videlicet an iuſta ſit, utilis, honeſta, &c. ut ſi miles, dubitet de iuſtitia belli a Rege præcepti, obtemperandum eſt legi; quia poſſeſſio & præſumptio ſtat pro Superiore, donec in contrarium non conſtet. Etenim Superior non poteſt ſpoliari ſua poteſtate, quam poſſidet ob dubium de recto eius uſu dummodo non exurgat aliud dubium de alio iure fortius obligante, videlicet ſi Superior præciperet manifeſtare alicuius crimen, ex quo immineret periculum infamiæ, vel gravis damni tertii: nam in tali caſu non poteſt, nec debet ſubditus obedire, cum ligetur: alia ſuperiori lege, nempe naturali, & Divina.

Quid in dubio circa legitimam poteſtatem Legislatoris? In dubio vero de legitima poteſtate Superioris, ideſt num ſit recte electus, confirmatus; quando non eſt in pacifica poſſeſſione, non tenetur legi ipſius parere; quia poſſeſſio tunc ſtat pro libertate. Tenetur quidem ſubditus parere, ſi ſit Superior in pacifica poſſeſſione, quia in Superiore certa eſt poſſeſſio ſuæ poteſtatis.

Si autem dubitetur de principio, vel fine obligationis legis, non tenetur qui dubitat, num lex incœperit obligare, quia poſſeſſio tunc ſtat pro libertate; cum lex adhuc vim non poſſideat certo obligandi. Secus vero dicendum, ſi dubitetur, num tempus obligationis legis præterierit; quia tunc poſſeſſio ſtat pro lege, cum de illa certo conſtet.

§. XXXVIII.

De Obligatione Legis cum gravi incommodo ſeu nocumento.

Nota, certum eſſe legem naturalem obligare cum omni incommodo, & damno etiam vitæ in his circumſtantiis, in quibus aliquid iubet, & vetat; quia cum non vetet, nec præcipiat niſi id, cuius omiſſio vel comiſſio eſt intrinſece malum, nec liceat aliquid facere intrinſece malum ad vitandam mortem, vel aliquod aliud incommodum; idcirco lex naturalis etiam cum omni periculo cuiuſcunque damni ſemper obligat. Leges vero humanæ, ex communi ſententia ordinarie non obligant cum gravi damno, & nocumento, quod per accidens coninnctum eſt actui præcepto. Ita habetur ex *Cap. de ieiun.* & Cap. 4. de *regulis iuris*; *quod non eſt licitum in lege, neceſſitas facit iuſtum*, & ex praxi Eccleſiæ, & omnium conſenſu, circa audiendum Sacrum, recitationem Officii Divini, communicationem cum excommunicatis, quæ non obligant cum gravi incommodo. Et hoc patet etiam exemplo legis divinæ poſitivæ, quæ aliquando non obligat cum gravi incommodo, ut ex communi. Ita etiam lex de integritate Confeſſionis, de reddendo depoſito. Tandem lex debet eſſe poſſibilis ſecundum naturam hominum, & conſuetudinem. Ita ex Cap. *erit* Diſt. 4.

Dictum fuit *ordinariæ*, quia etiam leges humanæ aliquando obligare poſſunt cum periculo gravis incommodi, etiam vitæ, videlicet quando violatio cederet in contemptum Fidei, Religionis Catholicæ, poteſtatis Eccleſiaſticæ, aut in damnum Reipublicæ, aut in grave ſcandalum; quia in his caſibus ius ipſum naturale ſtricte obligat ad hæc mala impedienda, etiam cum periculo vitæ. Et in hoc ſtandum eſt iudicio prudentum. Sic cum vitæ periculo tenetur quiſque abſtinere a carnibus die vetito, ſi in contemptum legis Eccleſiaſticæ cogeretur ab Hæretico. Sic poteſt Epiſcopus præcipere Vicario, ut mortuo Parocho tempore Peſtis non deſerat Parochianos, Dux milites ad ſervandam ſtationem, ad irruendum in hoſtes.

Hinc ſequitur, quod aliquando tenemur parere legibus humanis etiam iniuſtis, dummodo non præcipiant aliquid contrarium legibus naturæ, vel divinis poſitivis. Ita D. Thomas 1. 2. q. 66. a. 4. Tales leges non obligant tamen in conſcientia, niſi ad evitandum ſcandalum, & turbationem publicæ tranquillitatis, propter quod etiam homo iuri ſuo cedere debet.

Hic moventur duæ non leves difficultates, videlicet, num ſcienter liceat veſci Idolotytis, non ut talibus, ſeu ut carnibus Idolis immolatis, ſed ut cibis communibus, ad ſaturandam famem, & neceſſitati ſubveniendum; altera, num uſus carnium veſtitus ſit Carthuſianis in quocumque ſtatu ſint.

Quoad primam difficultatem hæc reſolvetur a D. Paulo 1. Corint. 10. ubi ait, quod ſi quis vocetur ad menſam ab Infideli, & comedat quodcunque ei apponatur, idcirco etiam Idolotytum, id licite facere poterit: *omne*, inquit, *quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes, propter conſcientiam. Si quis vocat vos Infidelium, & vultis ire: omne quod vobis apponitur, manducate, nihil interrogantes propter conſcientiam. Si quis autem dixerit: Hoc immolatum eſt Idolis, nolite manducare propter illum, qui indicavit* (ne illi ſcandalum præbeatis,) *& propter conſcientiam; Conſcientiam autem dico non tuam; ſed alterius*, ideſt fratris. Nam

licet

Digitized by Google

licet uti quocumque cibo de ſe indifferenti, præſertim cum gravis urget neceſſitas; Idolotytum autem eſt per ſe indifferens, & Idolum, quod nihil eſt, nihil immunditiæ poteſt ei communicare. Unde S. Auguſtinus, quando dicit potius moriendum, quam Idolotytis veſcendum, intelligendus eſt pro illis tantum circumſtantiis, in quibus veſcens ex infirma ſua conſcientia reputet hanc manducationem quamdam Idolorum cultus approbationem; ut tempore ipſius S Auguſtini hoc reputabatur.

Quoad alteram vero, ideſt Carthuſianorum Conſtitutiones omnem interdicere eſum carnium, ac cuiuſcunque rei ad ipſas in ſubſtantia ſpectantis, ſi per modum etiam potionis ſumatur; dicendum quod ſi eveniet, ut nullum alium cibum haberet Carthuſianus, niſi carnes, non ſolum poſſet tunc ille, ſed etiam teneretur in conſcientia, ad eas manducandas; alias ita damnatus eſſet Carthuſianus ad fame pereundum in eiuſmodi circumſtantiis, & eſſet ſic homicida, ut advertit S. Ambroſius; *paſce fame morientem, & ſi non paviſti, occidiſti*: quod eſt contra legem naturæ, quæ prævalet cuicumque legi poſitivæ; ita ut caſus legis naturæ ſolum cedere debeat alteri caſui iuris itidem naturalis valde maioris momenti, vel iuris poſitivi divini, ut ſunt hi caſus, qui obligant etiam cum periculo vitæ. Quando enim duæ leges ſimul ſervari nequeunt, maior minori præferenda eſt; immo tunc minor non eſt vera lex. Nec poteſt dici, ſequi ex hoc ruinam ſpiritualem proximi, nempe ſcandalum; quia in tali caſu ſcandalum eſſet non acceptum, ſed conceptum. Præterquamquod Conſtitutio Carthuſiana non exprimit caſum de quo agitur, nec proinde ad eum eſt extendenda; *odia enim ſunt reſtringenda*.

Carthuſianus, qui ex medicorum iudicio nequit ſanari ab aliquo gravi morbo, & brevi eſt moriturus niſi carnem comedat, non ex hoc tenetur ad carnium comeſtionem; nam tunc obligat lex etiam cum mortis periculo, quando eius obſervatio pluris refert, quam vita alicuius privati, cuiuſmodi eſt lex Carthuſianorum, cui ſi ſemel diſpenſatio intercedat, facile diſciplinæ ita tepeſceret fervor, & rigor legis paulatim remiſſus tandem funditus everteretur, ſine certa ſpe quod in priſtinum reduceretur: *Semel lapſa Religio* (ait Gerſon) *ut experti ſcripſerunt numquam aut vix reparari poteſt: nova facilius fundaretur*. Non enim tenemur ſequi medici iudicium, quando remedium eſt nimis gravis incommodi, & diſpendii, ſive in temporali negotio, ſive in ſpirituali: Idcirco tam abeſt, quod reprobentur, quinimmo laudantur qui mortem potius ſubire voluerunt, quam amittere etiam aliquam moralem virtutem, ut factum fuit in Sancto Caſimiro, qui potius mori voluit, quam violare per matrimonii uſum caſtitatem, quod communiter iudicarunt medici neceſſarium ad ſui morbi ſanitatem. Unde ob talem neceſſitatem nemo tenetur petere diſpenſationem a ſuo voto caſtitatis, dum nonniſi beneficio Matrimonii ab aliqua ſua infirmitate liberari valet, nec comparare ad hunc finem pharmaca magni pretii &c. Quare licet Carthuſianus non habens alium cibum ad ſui ſuſtentationem, quam carnes, teneatur iis veſci (cum inhumanum ſit abſtinere ab omni cibo uſque ad mortem) id tamen dici nequit, quando ex tali præciſa abſtinentia ſolum fiat, ut Titius v. g. Carthuſianus moriatur; & ſicut Pater familias certum cibi genus magnis ſumptibus comparare non tenetur, ſed ab eodem abſtinere poteſt; ita etiam Carthuſianus cum periculo vitæ abſtinere debet a carnibus, quia plus noceret voto ſuæ Religionis ſi iiſdem uteretur, quam ſi ab iiſdem abſtinendo vitam deberet amittere.

§. XXXIX.

De iis qui eximuntur a legis obſervantia.

Triplici ratione fieri poteſt, ut quis ad obſervantiam legis non teneatur. Primo ſi legi non ſubiiciatur. 2. Si ab illa aliquo privilegio vel diſpenſatione ſit exemptus. 3. ſi aliqua cauſſa vel impedimento interveniente eximatur. Quomodo fiat, ut quis legi non ſubiiciatur, iam dictum eſt, dum de legis ſubiecto ageretur, ubi expoſiti ſuere, qui legi ſubiiciantur, & qui non. Quomodo aliqui privilegio, vel diſpenſatione tali obligationi ſubtrahantur, dicetur quando de diſpenſatione, & privilegio agetur. Quare hic ſolum loquendum remanet de cauſſis, quæ efficere poſſunt, ut quis a legis obſervatione excuſetur. Sed prius advertendum diſcrimen inter iſta, quæ a legis debito ſubtrahunt, ſcilicet quod qui non ſubiiciuntur, nunquam fuerunt ſub lege; qui eximuntur, erant quidem ſub lege, ſed poſtea excepti fuerunt a lege, ita ut ſub ipſa amplius non ſint. Tandem qui excuſantur, ſunt quidem ſub lege, ſed ab eius executione iterum liberi ſunt.

Cauſſæ excuſantes a legis obſervatione, ſeu potius in legis tranſgreſſione, ad duo re-

Digitized by Google

ducuntur, nimirum ad ignorantiam invincibilem, & ad impotentiam, quarum utraque reddit tranſgreſſionem legis involuntariam, ideoque inculpabilem; quia ubi non eſt libertas, non eſt formalis legis tranſgreſſio, nec culpa. Quæ vero faciant involuntarium, & an dari poſſit ignorantia invincibilis, quam ultro omnes fatentur circa leges poſitivas humanas, etiam circa præcepta naturalia, ſatis egimus in tractatu de actibus humanis, ubi vidimus, non poſſe ignorari invincibiliter prima iuris naturalis principia, puta, *bonum* idest *honeſtum amandum eſſe*, *& proſequendum*; *malum fugiendum*, & ad ſummum ſunt difficillima apud valde rudes illa, quæ ex iiſdem principiis deducuntur; puta *non furandum*, *non mentiendum*; quia licet Dei providentia clare in mente cuiuſcumque hominis totam iſtam legem inſeruerit, attamen peccatum Adæ ita obnubilavit poſterorum animos, ut non ſit impoſſibile ea, quæ non ſunt prima principia & ita alte per ſe impreſſa, ſed inde deducuntur, ignorari a rudioribus, præcipue in aliquibus Regionibus barbaris, & ſylveſtribus, ubi homines ita inhumane & adinſtar ferarum educantur, ac vivunt, ut licet leges iſtæ per originale peccatum ſint tantummodo obſcuratæ, non deletæ, in his tamen ſunt ita ſepultæ & ob eorum barbariem, & brutales propemodum mores in profunda ignorantia tectæ, ac involutæ, ut vix cognoſcant quid ſit honeſtas.

Quoad impotentiam vero nullum eſt dubium hanc excuſare, & eſt axioma univerſaliter receptum, quod *nemo ad impoſſibile tenetur*. Et eſt hæreſis damnata, quod Deus, aut natura impoſſibilia præcipiant, multoque minus homines. Hæc tamen impotentia aliter ſumenda eſt reſpectu legis Divinæ, & naturalis, ac reſpectu Divinæ poſitivæ & humanæ; item paulo aliter reſpectu præcepti negativi, & reſpectu affirmativi. Nam reſpectu naturalis negativi, ſolum impotentia phyſica excuſat, & quia hæc nunquam datur reſpectu præceptorum negativorum, ideo nunquam ab his ob impotentiam quis excuſatur, & potius quam ea tranſgrediatur debet mortem ſubire. In lege poſitiva Divina non videntur dari præcepta negativa; nam quæ contemptum vetant Sacramentorum, ſunt naturalia; item quæ ſpectant ad illud quod iubetur, ne Deum, aut illa, quæ ad ipſum ſpectant, contemnamus. Reſpectu humanæ negativæ ſicut eſt præceptum, quo prohibemur carnes comedere die Veneris, ſufficit impotentia moralis, ſub cuius nomine intelligitur notabile incommodum, aut detrimentum; Reſpectu legis affirmativæ tum Divinæ, tum humanæ, ad excuſandum ſufficit impotentia moralis: nam licet quis teneatur etiam cum periculo vitæ Fidem non negare, non tenetur tamen cum eodem periculo eam ſemper confiteri, ſed ſolum in quibuſdam circumſtantiis, de quibus ſuo loco.

Advertendum, impotentiam moralem non debere eſſe æqualem reſpectu cuiuslibet præcepti; minus enim incommodum erit impotentia moralis ſufficiens ad excuſandum ab executione præcepti humani, quam ad excuſandum ab executione præcepti Divini, aut naturalis. Sed ſuo loco de his ſimul ſpecialius cauſſas afferemus, & quantum incommodi ſufficiat ad conſtituendum reſpectu illorum moralem impotentiam dicemus.

§. XL.

De obligatione removendi impedimenta, quæ opponuntur executioni legis, & ponendi media ad executionem requiſita.

Eſt regula univerſalis, quod qui vult finem, vult etiam media ad eum conſequendum requiſita; unde qui tenetur ad finem, tenetur etiam ad ea omnia, quæ neceſſaria ſunt ad eius executionem, ipſiuſque conſecutionem. Quare cum neceſſarium ſit ad legis executionem ponere media, & removere impedimenta, ſeu ab eis abſtinere, ſequitur ad evidentiam, quod qui tenetur ad legem, tenetur ad ea quoque inquirenda, & ponenda, quæ opus ſunt ad legem exequendam, & ad removenda impedimenta, quæ obſiſtere poſſunt executioni legis. Hæc autem obligatio magis, vel minus extenditur pro ratione temporis vel præcepti; ita ut quo præceptum eſt legis arctioris, & magis ſtrictæ, magis etiam obliget ad ponenda media, & impedimenta tollenda. Sic magis ad hoc obligat ius naturale, aut Divinum, quam humanum, & inter humana, quæ ſunt de rebus maioris momenti. Ratione vero temporis plus urget huiuſmodi obligatio quando urget præceptum, quam cum non urget v. g. die feſto mane, quam ante illum diem. Sed melius ubi ſermo erit de his particularibus præceptis. Interim obſervandum eſt, ad diſcernendum, quæ media ponenda ſint, quæ impedimenta removenda, attendendam quidem eſſe naturam mediorum, & impedimentorum comparative ad præcepta; & ad tempus, utrum ſint ſimpliciter neceſſaria, an ad bonum immediate conferant, an remo-

remote, an tempus urgeat præcepti, an non. Sed maxime attendi debet ſenſus fidelium, & eorum imbecillitas, ne reddatur lex ipſa impoſſibilis.

Colliges ex dictis, teneri unumquemque diſcere leges & præcepta, aliave ad ſe pertinentia; notitia enim legis eſt medium ſimpliciter neceſſarium ad legis obſervantiam. Unde obligatus ad recitationem Divini Officii tenetur ſibi providere Breviarium; obligatus ad Sacrum audiendum tenetur exire domo, Sacerdotemque, qui celebret, inquirere, eo quod iſta neceſſaria ſunt ad legis executionem. Item, dum urget præceptum v. g. Die Dominico audiendi Sacrum, non poſſe quempiam exire in locum, ubi novit defuturam occaſionem illud audiendi, vel pharmacum ſumere, a quo prævidet futurum ſibi impedimentum ad audiendum Sacrum, quia urgente præcepto removenda ſunt impedimenta proxima, quæ ſine magno incommodo removeri, & præcaveri poſſunt. Dixi *proxima*; quia quis non tenetur manere tota hebdomada in Civitate, etiamſi prævideat ſi diſceſſerit ſibi defuturam occaſionem Sacri audiendi in proxima Dominica; immo poteſt exire etiam die Iovis, & Veneris, & addunt aliqui etiam die Sabbati; ſed huic ultimo non aſſentior, quando neceſſitas non urgeret. Dixi *quando neceſſitas non urgeret;* quia ſi id quod eſt impedimentum præcepto poſitivo adimplendo, nimis neceſſarium ſit, aut nimis utile, tolli non debet. Sic relate ad eum qui inſervire debet infirmo, non eſt ab ipſo derelinquendus infirmus, ut Sacrum audiat, cuius præceptum tunc pariter urget. Ita qui ieiunium obſervare nequit, & concionari, aut Confeſſiones excipere, non tenetur omittere illa pietatis opera, quæ per ſe meliora ſunt quam ſit ieiunium. Sic D.Thomas. In his tamen circumſtantiis conſulendi ſunt viri pii, docti, prudentes, & periti.

Qui poſuit impedimentum etiam malitioſe, quod removere poſtea nequit tempore executionis præcepti, puta qui longe navigaturus proiecit Breviarium in mare, qui defatigatus in ludendo, vel venando infirmitatem contraxit, ob quam ieiunare nequit: ſi ipſis de hoc poſtea diſpliceat, dixerim utrumque peccaſſe quidem in cauſa, quando nempe tale poſuerunt impedimentum, ſed non peccare inpoſterum, vel horas Canonicas non recitando, ob defectum Breviarii; vel non ieiunando ob infirmitatem in Quadrageſima; quia non ſunt amplius liberi, nec poſſunt exequi præceptum, & ad impoſſibile nemo tenetur. Tenetur quidem qui ſe privavit Breviario, recitare quotidie totam illam partem Horarum Canonicarum, quam ad memoriam habet.

A fortiori abſolute removendum eſt impedimentum, quando opponitur legi, quæ verſatur circa materiam iuſtitiæ, ut quando aliquid ex officio faciendum eſt; & ſi removeri nequeat, cedendum eſt officio. Item tollendum eſt, quando agitur de ſolutione debiti e. g. Carus Sacerdos carens ſcientia ſufficienti aſſiſtit Parochiæ: hic vel ſcientiam ſufficientem ſtudio acquirere debet, vel renuntiare Beneficium, dummodo tamen longo tempore in tali officio non ſervierit, & factus ſit ſenex, vel infirmus; quia in tali caſu ſupplere poteſt per Vicarium. Ita gravatus ære alieno & impos ad ſolvendum, per parſimoniam, laborem, ac per aliud medium tollere debet ſolutionis impedimenta.

Præceptum duplici modo poteſt eſſe a ligatum tempori.

Quoad præcepta tempori obligata notandum, quod duplici modo poteſt præceptum eſſe alligatum tempori, vel omnimode, ut finiatur illo elapſo tempore, vel ut ſollicitetur executio obligationis. Unde contingere poteſt, ut quando quis prævidet impedimentum, urgeat præceptum, & poteſt eſſe, quod nondum urgeat. Si prævideatur impedimentum præcepto nondum urgente, & præceptum ſit omnimode alligatum tempori, ut auditio Miſſæ die feſto, tunc dico non eſſe præveniendum, aut poſtea ſupplendum quod urget tantum die Feſto. Puta ſi die Sabbati quis prævideat ſe impeditum in die proximo Dominicæ, ut nequeat eo die Sacrum audire, non tenetur prævenire audiendo Sacrum die Sabbati, vel implere audiendo ſacrum die Lunæ, quia non poteſt ſatisfacere præcepto omnino exigenti auditionem Sacri die Dominico. Si vero præceptum alligatum eſt tempori, ut non finiatur in tali dato tempore, tunc ſolum ad ſollicitandam executionem debet præveniri, aut ſuppleri; quia huiuſmodi præceptum eſt talis naturæ, ut eius obligatio non ſit reſtricta tempori, ſed extravagatur, quando tali tempore impleri non poteſt, qualis eſſet Communio Paſchalis.

An vero poſſit obligatus præcepto cooperari ei, qui excuſatur in tranſgreſſione præcepti, videndum, an excuſatio a præcepti executione ſit ex defectu libertatis, an ex cauſſa impotentiæ. Item an cooperatio conſiſtat in participatione operis, an in excitatione ad opus, aut in materiæ adminiſtratione a

nam

nam ſi executio ſit ex defectu libertatis, ut ex ignorantia, inadvertentia, errore, & ſimilibus, nullo modo licet illi cooperari in tranſgreſſione præcepti, immo potius ſic ignorans admonendus eſt, advertendus, docendus, ut ſuam percipiat obligationem. Si vero excuſetur ex capite impotentiæ, tunc licet illi coopetari cooperatione, quæ conſiſtat in excitatione, aut in materiæ adminiſtratione, non vero cooperatione, quæ conſiſtat in operis participatione, ideſt in operis executione. Ignotat quis, puta, hodie, eſſe diem ieiunii, & ideo a ieiunii obſervantia excuſatur; huic nullatenus poſſum cibos vetitos ſubminiſtrare; ſed potius illum admonete debeo de ſua obligatione. Quis ægrotat, ac ideo non tenetur ad abſtinentiam a carnibus: hunc excitare poſſum ad carnes comedendas, eaſque illi miniſtrare; nequeo tamen carnes cum illo comedere. Et ratio deſſumitur congruentiſſima ex ipſius Legislatoris mente, qui rationabiliter velle debet, & aſſentiri, ut dicto modo cooperemur in ſecundo caſu, non vero in primo, ſed monitionem debemus potius, ſicut innuimus, adhibere, & talis rationabilitas nemini attente rem conſidetanti non patebit.

§. XLI.

De lege pœnali.

Notandum, quod Lex alia eſt aut mere præceptiva, aut prohibitiva, quæ actum aliquem præcipit vel prohibet nulla facta mentione pœnæ reo infligendæ, quale eſt præceptum de audienda Miſſa die feſto; alia mere pœnalis, quæ præter præceptum, aut prohibitionem, pœnam in tranſgreſſores decernit, ut lex, quæ prohibet, ne pecunia extra Regnum extrahatur ſub pœna ſolvendi v. g. nummos 100. Pœna autem vel copulative exprimitur cum præcepto, ut ſi dicatur in lege propoſita de non extrahenda pecunia ſub pena ſolvendi, &c. vel disiunctive exprimitur a præcepto, ut ſi dicat lex; nemo extrahat pecuniam extra Regnum, & ſi extrahat, ſolvat &c. Alia tandem eſt mixta, quæ non expreſſo præcepto decernit pœnam alicuius operis in eos, qui opus illud egerint, ut ſi lex dicat: Qui frumentum extra Regnum aſportaverit, ſolvat 100. nummos &c.

Inter pœnas vero, quæ imponuntur a lege certum eſt, alias eſſe latas, quæ ipſo facto incurruntur ſtatim ac perpetrata eſt culpa, alias eſſe ferendas, quæ ſtatuuntur reo inferendæ per ſententiam Iudicis. Ulterius pœna dividitur primo in ſpiritualem, quæ conſiſtit in aliquo Spirituali afficiente animam; & temporalem, quæ conſiſtit in aliqua temporali afflictione ſpectante ad ſenſibilia. Temporalis ſubdividitur in realem, quæ eſt in rebus exterioribus, ideſt in bonis fortunæ, & honoris, & in perſonalem, ſeu corporalem, & hæc contingit in ipſa perſona, ut eſt mors, mutilatio, condemnatio ad carcerem, ad triremes, &c. Dividitur ſecundo in pœnam privativam, quæ privat aliquo bono, ut eſt confiſcatio bonorum &c. & in poſitivam, qua aliquid mali infligitur, ut fuſtigatio, damnatio ad carcerem, &c. Privativa ſubdividitur in eam, quæ privat iure quæſito, ut privatio Beneficii iam acquiſiti, & in eam, quæ privat iure quærendo, ut ſi quis inhabilitetur ad beneficium conſequendum. Dividitur tertio in eam, quæ imponitur publica auctoritate, & eſt ea, quam Lex præſcribit, aut Iudex imponit; & in eam, quæ ſtatuitur a perſonis privatis, & ea eſt, quam duo contrahentes viciſſim ſibi imponunt, niſi ſteterint contractui; aut Teſtator, ſeu qui donat, præſcribit, niſi onus a ſe impoſitum adimpleatur. Dividitur quarto in eam, quæ eſt ab homine, & eſt ea, quam Iudex infligit, & in eam quæ eſt a iure, & eſt ea, quam Lex, & iura præſcribunt. Dividitur quinto pœna in fulminatam, & comminatoriam; ſed hæ ſunt eædem, ac lata, & ferenda. Dividitur tandem in medicinalem, quæ infligitur ut delinquens corrigatur, & ſi emendatus eſt non infligitur, & ſi eſt inflicta, ſtatim ac eſt emendatus tollitur, ut ſunt Cenſuræ, ſicut videbitur ſuo loco; & in eam, quæ eſt ad vindictam, ideſt pure punitivam, & eſt ea, in qua intenditur criminum punitio, & etiam emendato infligitur, cuius generis ſunt pœnæ exilii, mortis, triremis, carceris, &c.

Quoad ſententiam vero Iudicis, alia eſt condemnatoria, qua reus condemnatur ad luendam pœnam; alia declaratoria, qua reus declaratur revera talis, & ideo ſtatim ſubiicitur pœnæ, quam luere tenetur. Inſuper pœnæ quædam dicuntur activæ, quæ actionem requirunt perſonæ reæ; puta ſolvendi mulctam, ingrediendi carcerem &c. quædam paſſivæ, quæ nullam rei actionem requirunt, ut Cenſuræ, irregularitates, privatio vocis activæ; quædam privativæ, quæ tollunt iusaut facultatem: puta

irritatio actus, & contractus, & inhabilitas ad id faciendum.

Supponendum tandem, quod pœna licet ſit a lege impoſita tranſgreſſori, vel a Iudice ferenda per ſententiam condemnatoriam, vel declaratoriam; reus tamen non tenetur eam ſubire niſi poſt ſententiam latam, aut poſt factam a Iudice delicti declarationem, & id patet ex tenore legis.

Omnes leges inducunt pœnam; nam eo ipſo quod obligant, efficiunt, ut tranſgreſſores mereantur aliquam pœnam, quæ ex natura ſua debetur legem tranſgredienti; diverſo tamen modo eam inducunt: nam aliquæ leges præcipiunt quidem, ſed nullam pœnam præſcribunt, & tunc inducunt pœnam indeterminatam, ad arbitrium Iudicis determinandam; alia præcipiunt ſub culpa, & præſcribunt pœnam, hancque quam præſcribunt, inducunt; aliæ præcipiunt quidem, at non ſub culpa ſaltem Theologica, & pœnam præſcribunt, quam propterea inducunt; aliæ tandem inducunt pœnas ſpirituales, aliæ temporales, aliæ ipſo facto, aliæ poſt ſententiam Iudicis incurrendas, & aliæ alio modo iuxta poſitas diviſiones.

Lex pure pœnalis obligat quidem in conſcientia, & ſub culpa, ſed ſecundum aliquos disiunctive, ideſt vel ad actum præſcriptum, vel ad pœnam ſubeundam; quia alterutrum tantum præcipitur. Hinc, dicunt, peccat, ille, qui, non ſit paratus ad pœnam ſubeundam, cum ſit contra rationem, & legem Divinam non obedire Superiori, & eo modo, quo præcipir; & hæc videtur probabilior. Alii vero volunt, quod obliget ſub reatu culpæ, & ad ſubeundam pœnam; quia, dicunt, pœna iuſte infligi nequit, niſi ei, qui prius peccaverit, ut ex S. Auguſtino l. 1. Retract. c. 9. *omnis pœna, ſi iuſta eſt, peccati pœna eſt*; & quia inflictio pœnæ virtualiter includir Legislatoris præceprum, aut prohibitionem, cum pœna infligatur, ut actus omittatur, vel fiat. Alii vero melius videntur reſolvere, nempe leges mere pœnales, & obligare ad pœnam, & etiam ad culpam mortalem, ſi pœna impoſita ſit gravis, & latæ ſententiæ, ut in Canonicis pœna excommunicationis, ſuſpenſionis, &c. & in Civilibus pœna capitis, mutilationis, infamiæ, carceris perpetui &c. quia etiamſi lex non contineat verba præceptiva, ut *iubemus, præcipimus*, ſed indifferentia, *ſtatuimus, mandamus &c.* huiuſmodi graviſſimæ pœnæ ſemper ſupponunr gravem culpam; cum nonniſi ob gravem culpam, & contra hanc & non contra aliam iuſte poſſint infligi; & licet præceptum non exprimatur, cenſetur tamen implicite contineri, & maxime loquendo de pœnis temporalibus; quia culpa gravis eſt, & contra Charitatem, quam quiſque erga ſe ipſum habere deber, exponere ſe periculo mortis, mutilationis, alteriuſque gravis damni. Si vero pœnæ graviſſimæ ſpirituales ſint ſententiæ ferendæ, non expectata alia monitione, quod in lege exprimitur per verba v. g. *excommunicetur qui hoc fecerit abſque ulla monitione &c.* tunc puræ pœnales obligant ſub mortali, ſicut verba ſufficienter videntur innuere. Si vero non apponantur talia verba, & ſic Iudex nequeat reum excommunicare niſi prævia monitione, tunc Lex non obligat ad mortale, niſi poſt monitionem, ob quam ſi non obediat, completur eius contumacia, & in culpam mortalem labitur, ſicut ad ſubeundam excommunicationis pœnam requiritur.

Lex mixta obligat ad pœnam, & ad culpam.

Lex autem mixta, ſeu quæ præter pœnam, quam aſſignat, præceptum etiam imponit ſimilibus verbis, nimirum *præcipimus, iubemus, prohibemus* &c. obligat non ſolum ad pœnam, ſed etiam directe ad culpam: quia talis lex continet & præceptum & pœnam; & ex quo continet præceptum, obligat ſecundum vim, quam habet præceptum obligandi, quæ eſt ad culpam, vel gravem, ſi materia, vel tranſgreſſio ſir gravis, vel levem, ſi materia vel traſgreſſio ſit levis.

Reus ex communi tenetur ante Iudicis ſententiam etiam declaratoriam ſubire pœnas ipſo facto latas, ſive pœnæ paſſivæ ſint, ut ſunt Cenſuræ Eccleſiaſticæ irregularitatis; ſive privativæ ut privatio vocis activæ & paſſivæ, iuris aliquid percipiendi; ſive activæ ſint, ſed moderatæ, ut recitatio precum, ieiunium, moderata corporia flagellario &c. & hoc conſtat ex communi uſu Eccleſiæ, & quia Legislator habet poteſtatem infligendi & exequendi pœnas huiuſmodi, quoties hic modus infligendi & obligandi ad illas neceſſarius eſt, aut valde expedit in foro communi, ſicut revera expedit. Quare occulti legum violatores ſunt excommunicati, ſuſpenſi, privati voce activa, & paſſiva, ac ideo ab iis, quæ excommunicatis vetita ſunt, abſtinere debent quantum poſſunt. Dico *quantum poſſunt*, quia violatores occulti ad vitandam ſui diffamationem aliquando ſe gerere debent tanquam ſi non eſſent excommunicati. Quod intelligendum eſt etiam de irregularibus, qui aliquid ſub irregularitatis pœna vetitum clan-

culum

culum admiſere. Excipienda tamen eſt irregularitas, quæ oritur ex infamia. Nullus enim cenſetur infamis, niſi poſt ſententiam declaratoriam Iudicis. Beneficiarii pariter tenentur ante dictam ſententiam Beneficii fructus reſtituere, ad quorum participationem per omiſſionem Horarum Canonicarum inhabiles ſe reddidere.

Pœnæ, quæ irritant actum lege vetitum, ut Matrimonium clandeſtinum, vel obtentio Simoniaca, ſimiliave, ſuum ſortiuntur effectum ante ſententiam declaratoriam Iudicis. Unde clandeſtine coniuncti ſeparari debent, ſimoniacus Beneficium dimittere, & fructus perceptos reſtituere; quia actus illi plane ſunt invalidi, utpote facti contra legem, qua irriti erant. Idemque dicendum de pœnis, quæ non tam pœnæ ſunt, quam conditiones ad aliquid acquirendum neceſſariæ. Unde qui tempore debito ad Sacerdotium non initiatur, beneficio ſuo excidit. Pœnæ tamen quæ iure iam acquiſito privant, locum non habent ante Iudicis ſententiam, ſaltem declarativam criminis, etiamſi lex ferat eas pœnas ipſo facto, & non expectata Iudicis ſententia; unde & pœna privationis ſuæ dignitatis, & Beneficii ſtatuta ab Innocentio IV. in Concilio Lugdunenſi contra eos, qui interficere fecerint quempiam Chriſtianorum per aſſaſſinium, & a Pio V. contra Simoniam confidentialem &c. tum a Concilio Tridentino Seſſ. 24. c. 18. ubi privantur examinatores Simoniam in examine committentes; non intelliguntur niſi poſt Iudicis ſententiam locum habere. Idcirco ſequitur, Parochum, qui crimen commiſit, cui annexa eſt ipſo facto privatio Beneficii, valide abſolvere pœnitentes, & fructus beneficii ſuos facere, modo ſui officii munera exequatur. Ita Theologi omnes, ut affirmant Habert, ac Salmaticenſes; quia & id approbat Eccleſia, ut quieti conſulatur conſcientiarum, & quia hæ leges non aliter ſunt receptæ, & quia ſecus cederent in publicum detrimentum, utpotequæ in praxi a nemine aut fere nemine executioni mandarentur. Si tamen conſuetudine alicubi receptum eſſet, ut quædam pœnæ ante Iudicis ſententiam iure iam acquiſito privarent, huic conſuetudini obſequendum eſſet. Hinc coniuges privantur iure debiti petendi, ſtatim ac inceſtum cum alterius conſanguineo admiſerint. Item non tenetur reus ſubire pœnam ipſo facto latam, quæ ſine actione rei executioni mandari nequit, ſi illi ſit admodum acerba, & difficilis, ut confiſcatio bonorum, privatio Beneficii iuſte poſſeſſi, niſi addantur verba plus ſignificantia v. g. *Nulla præmiſſa monitione, ante omnem declarationem ſententiæ* &c. quia ſic communiter interpretantur; & voces *ipſo facto* habent ſufficientem effectum, ex eo quod ſine ſententia condemnatoria, ſed ſola declaratoria, pœna executioni mandetur.

Pœnæ item, quæ apponi ſolent, & præſcribi a Donatoribus, aut Teſtatoribus ſubeundæ, ſi mens ipſorum non impleatur, hæ non ſunt pœnæ proprie dictæ, ſed conditiones, quibus non obſervatis, Donator non vult, Donatarium rem ſuam retinere. Sed hæ quoque locum habere debent ante Iudicis ſententiam. Nam conditione non adimpleta res ſe habet, ac ſi non eſſet donata, & ſi donata non fuiſſet, vel legata, non poſſet donatarius vel legatarius eam retinere, ſed reſtituenda eſſet ſine ulla iudicis ſententia; quia eſſet aliena, & non propria. Ita cum non impleta conditione a tali iure decidat, & ius non habeat ſuper rem donatam, ut non amplius ſibi donatam, ideo non ſuam, ſed alienam, eam retinere nequit.

§. XLII.

De excuſatione ex ignorantia, ad incurrendum pœnam.

Omnis ignorantia ſcilicet invincibilis, quæ excuſat a culpa, excuſat etiam a reatu, ſeu debito pœnæ proprie dictæ; quia pœna proprie dicta ſupponit culpam, & hanc neceſſario ſupponit: & ſi invicibiliter ignorans condemnetur a Iudice ut pœnam ſubeat, eo quia ignorantiam ſuam probare nequeat, poteſt pœnam vitare, dummodo fiat ſine publica reſiſtentia, & ſcandalo. Ignorantia excuſans a culpa, excuſat etiam ab irregularitate ex delicto, quæ cum ſit proprie pœna, ſemper ſupponit culpam.

Tametſi ignorantia non excuſaret a veniali, excuſaret nihilominus a pœna legis, quæ mortali imponitur. Ex oppoſito vero quando ignorantia non excuſat a mortali, nequidem excuſat a pœna, niſi in lege addatur, quod dolum, aut ſcientiam requirat; uti mos eſt dicendi, *qui ſcienter, vel temere hoc fecerit, vel præſumpſerit*; quia cum tali ignorantia ponitur culpa, cui pœna ſtatuta eſt. Si ignorantia vero invincibilis ſit ſolius pœnæ, non excuſat a pœna quæ non ſit cenſura; quia ignorantia ſolius pœnæ non excuſat a culpa, propter quam eſt obligatio ad pœnam a lege ſtatutam. Idcirco Deus

Digitized by Google

punit peccatores etiam cum tali ignorantia, & poteſtas Civilis malefactores, licet pœnam invincibiliter ignoraverint; quia pœna non debet eſſe voluntaria, ſicut culpa. Quare appoſite diſtinguunt aliqui inter pœnas medicinales, & pure punitivas; & pure punitivas ſtatuunt incurri, etiamſi ignorentur; quia cum culpæ debeat correſpondere ſua pœna, & ad pœnam incurrendam non requiratur voluntas delinquentis, ſed ſufficiat voluntas ſuperioris; non videtur quare exigenda ſit ſcientia pœnæ in eo qui delinquit, ut incurrat pœnam, ſi illa ſit ſolum ad vindictam. Si autem pœna ſit medicinalis & ad correctionem, non incurritur niſi ſciatur, cum ſtatuta ſit, & impoſita ad eum deterrendum a ſcelere; vel ut inducatur delinquens ad pœnitentiam de ſuo delicto. Certe ſi ignorat pœnam, per illam non deterretur a ſcelere, nec induci per eam poteſt ad pœnitentiam, unde patet quod reſpectu ignorantis ſit fruſtranea, ideo non incurritur. Similiter non eximitur a pœna legis humanæ qui invincibiliter ignorat legem humanam prohibentem quod lege divina vetitum eſt; quia ſicut talis ignorantia non tollit omnem culpam, ita non tollit omnem cauſſam pœnæ, & lex humana non ſolum intendit punire tranſgreſſionem ſuam voluntariam, ſed etiam culpam contra legem Divinam. Idcirco talis ignorantia non excuſat a pœna, quando non ſit cenſura, a qua ſemper excuſat ignorantia invincibilis legis Eccleſiaſticæ; quia cenſuræ requirunt contumaciam contra legem Eccleſiaſticam. Quare ignorantia, de qua dicebam, non excuſat ab irregularitate ex delicto rebaptizantem, dummodo noverit legem divinam.

§. XLIII.

De Lege irritante, & de eius effectibus.

Nota 1. Legislatorem humanum ſive Eccleſiaſticum, ſive Civilem ita prohibere poſſe aliquos actus, vel præſcribere formam aut ſolemnitatem pro illis, ut tales actus aliter facti ſint omnino nulli, non ſolum in foro exteriori, ſed etiam in conſcientia, ita ut nullam ingerant obligationem ad ſtandum illis, & hoc indubitatum eſt apud Doctores. Etenim ſi contrahentes poſſunt ad invicem paciſci aliquas conditiones ad valorem ſuorum contractuum, multo magis poterunt Principes, a quibus ſubditorum voluntates dependent, ſecundum rerum circumſtantias, ac prout ipſis videbitur bono communi expedire, addere actionibus quaſdam conditiones, & formalitates ad earum valorem, ita ut ſi non ſerventur, actus illi nulli ſint. Idcirco Eccleſia inane ac nullum reddit Matrimonium, ſi illi deſit præſentia Parochi, & Teſtium, vel inter conſanguineos contractum ſit, & ſimiliter nullam reddit Profeſſionem Religioſam ante annum ſextum decimum emiſſam.

Nota 2. Irritationem nihil aliud eſſe, quam alicuius actus invalidationem. Idcirco Lex irritans ea eſt, quæ actum aliquem, cui certæ deſunt conditiones, nullum, & invalidum facit. Hæc irritatio duplex eſt, alia formalis, & eſt ipſa nullitas actus, alia effectiva, & eſt ipſa lex inducens illam actus nullitatem. Leges vero actus irritantes aliæ ſunt, quæ ipſo iure eos reddunt inanes, ut Matrimonia clandeſtina, vel inter certos gradus, Profeſſionem religioſam ante legitimam ætatem, alienationem bonorum Eccleſiaſticorum non ſervata debita ſolemnitate; & tales irritationes ipſo facto inducuntur, & per certa verba denotantur; ita ut aliter factum, ſit ipſo facto nullum, inane, infectum &c. *Irritatio quid & quotuplex.*

Alia eſt irritatio ferenda, ideſt actus non ſit nullus niſi per ſententiam Iudicis; ut cum dicitur, ſi hoc modo fiat irritetur, & caſſetur. Alia tandem irritatio eſt implicita ut quando illa per verba æquipollentia ſimilibus verbis datur, & eſt quando aliquam formam, conditionem, & ſolemnitatem aſſignat pro forma actus, quæ cum deteſſe rei, ſine illa nullus eſt actus. Sic in iure divino nulla ſunt Sacramenta non adhibita eorum debita forma, & materia. Inter leges irritantes aliæ ſunt pœnales, quando irritationem aſſignant in odium tranſgreſſionis, ut lex irritans matrimonium ab uxoricidium, vel ob adulterium cum promiſſione futuri matrimonii &c. collationem Beneficii ob ſimoniam in ipſa commiſſam, cum hæc ſint in gravamen delinquentis. Aliæ ſunt pure irritativæ, quæ non in odium alicuius, ſed ad ſolum commune bonum, vel privatum inducuntur, & hæc non ſupponunt actum malum, ſed præciſa illa lege poſſet eſſe bonus: ſive tamen uno modo ſit, ſive alio, hæc lex ſemper eſt odioſa, idcirco in benigniorem partem interpretanda. *Diviſio legis irritantis.*

Nota, legem irritare actum duplici modo; primo reddendo perſonas inhabiles ad illum valide efficiendum, ut eſt ex iure Canonico inhabilitas ad profitendum, quæ cuicumque eſt communis ante annum 16. completum, & in civilibus inhabilitas, quam habent *Lex irritans duplici modo invalidat actum.*

bent impuberes ad donandum &c. Secundo modo exigendo aliquas ſolemnitates, ſeu aliquam formam, qua, vel quibus non obſervatis actus ſit invalidus, ut iam diximus de Matrimonio ſine Parocho & Teſtibus in iure Canonico, & in iure Civili de Teſtamento, niſi tot determinati Teſtes adfuerint, ut ſeptem in Civitatibus, & aliqui minus in Villis. Nec ex facultate, quam quiſque habet de iure naturæ ut poſſit ſe obligare, nec ex eo quod ad obligationem contrahendam non requiratur de iure naturæ, niſi conſenſus volentis ſe obligare ſine alia ſolemnitate, aliqua oriri poteſt difficultas, quomodo lex humana poſſit irritare modis prædictis, quod cuilibet iure naturæ efficere conceditur: quia leges naturæ aliæ ſunt de iure naturali præceptivo, & has leges humanæ alterare non poſſunt, aliæ de iure naturali permiſſivo, & has humana auctoritas alterare poteſt. Hinc licet non poſſit hæc condere leges irritantes quod alicui competit de iure naturali præceptivo, puta præcipere quod aliquis Deum non colat, mentiatur, blaſphemet; poteſt tamen tum Eccleſiaſtica, tum Civilis poteſtas leges condere irritantes ea, quæ ſuis conveniunt ſubditis de iure naturali tantummodo permiſſivo, ut contrahere ſine Parochi & Teſtium præſentia, diſponere per Teſtamentum de re ſua ſine Teſtibus, cum hoc non præcipiatur a natura, ſed permittatur; ſicut etiam comedere carnes die veneris, & alia ſimilia. Idcirco ſine ulla læſione iuris naturalis potuerunt Eccleſia, & Principes condere leges etiam contra ea, quæ reſpiciuntur a iure naturali; quia hoc non ſecerunt nec faciunt in his, quæ ſunt iuris naturalis præceptivi, quia tunc nihil valeret lex humana; ſed tantum permiſſivi apponendo aliquas conditiones, formulas & ſolemnitates actibus huiuſcemodi, prout putarunt conducere exigentiæ publici boni, ut præſentiam Parochi, & Teſtium in Matrimonio, abſtinentiam a carnibus die Veneris, ſolemnitates teſtamenti; ex quibus ſit ut multa removeantur incommoda, quæ non parum opponebantur quieti ſubditorum, & publico bono. His poſitis ſit.

Invincibilis ignorantia legis irritantis non impedit irritationem actus, ſive facta ſit ad bonum commune, ſive in odium delinquentium, ideſt ſive ſit pure irritativa, ſive etiam pœnalis. Ratio primi eſt, quia talis irritatio non ſupponit culpam: ratio ſecundi, quia illa non exigit neceſſario cognitionem pœnæ, exceptis ſolis cenſuris in iure Eccleſiaſtico. Similiter non impedit irritationem metus gravis, quia ex hoc ſumeretur occaſio eludendi legem, quod multum obeſſet bono communi.

Lex irritans ſimul & prohibens actum obligat in conſcientia ad illum vitandum; quia Lex iſta continet præter irritationem etiam præceptum prohibens. Lex vero ſolum irritans actum non obligat ad illum vitandum, quia lex hæc non continet præceptum omittendi actum, quem irritat, & ad illius finem ſufficit ſola irritatio. Hinc lex irritans Teſtamentum factum ſine ſolemnitatibus non obligat quemquam ad non faciendum tale Teſtamentum. Unde patet, quod lex prohibens & irritans non ſint unum & idem; ita ut eo ipſo quod lex aliqua aliquem actum prohibet, cenſeatur illum etiam irritare. Plura enim habentur exempla in utroque iure plurium actuum, qui ſunt prohibiti, & tamen ſi fiant ſunt validi, iuxta illud regulæ Iuris in 6: *Multa facta tenent, quæ cæteroquin fieri prohibentur.* Hinc licet prohibeatur contrahere Matrimonium iis, qui habent ſimplex votum caſtitatis, tamen ſi contrahant, valide contrahunt. Et in Civili prohibetur luſus alearum, ſi tamen quis ludat, iuxta multos ſolvere tenetur: ergo eo ipſo quod aliquis actus prohibetur, non eo ipſo irritatur, & invalidatur. Et ſi ex aliquo textu colligi videatur, actus prohibitos eſſe etiam invalidos, ut quando dicitur non valere quod fit contra legem, & quæ contra ius fiunt debere pro infectis haberi; verba per accommodam interpretationem explicanda ſunt, ut ly *contra legem*, & *contra ius* intelligantur de lege irritante, & ly *non valere*, & *pro infectis haberi* ſumantur pro eo quod non habeant firmitatem ſtabilem, ſed ſoleant per Iudicis ſententiam irritari, ſi tamen ſint irritabiles; nam Matrimonium ſemel validum, etiamſi contractum fuerit contra leges, non poteſt amplius irritari ſeu invalidari.

Lex irritans, & ſimul prohibens actum obligat in conſcientia.

Lex non cenſetur per ſe irritans, quando eius verba nullam prohibitionem continent, ſed præciſe actum irritat; niſi ex materia, fine, circumſtantiis, aut uſu contrarium colligatur.

Lex ipſo facto irritans obligat in conſcientia ad ea omnia, quæ per ſe ex irritatione ſequuntur: nam talis lex actum, quem irritat, privat omni uſu, & utilitate morali, cum ad hoc irritetur. Hinc lex ipſo facto irritans acquiſitionem fructuum Beneficii, hoc ipſo privat illum omni utilitate morali, cum ad hoc irritetur, & ſic reddit

omnem illius uſum moralem illicitum ante omnem Iudicis ſententiam : idcirco ex lege non ſolum naturali, ſed etiam humana actum irritante tenetur ſubditus fructus reſtituere. Si vero lex non ſit irritans actum ipſo facto, ſed ſolum præcipiens irritationem, non obligat privatas perſonas ante ſententiam Iudicis ad irritandum actum, quod proprium eſt ſolius publicæ poteſtatis : etenim quod non fit per legem, fieri debet per Iudicem, ad quem ex vi legis ſpectat.

§. XLIV.

De modo obſervandi legem.

Nota 1. quod lex poteſt obſervari, & quoad ſubſtantiam, cum ponitur opus a lege præſcriptum v. g. quando auditur Sacrum, recitatur Officium; & quoad modum, quando opus perficitur eo modo & circumſtantiis, quæ a lege præcipiuntur.

Nota 2. quod ut lex quoad modum debitum obſervetur, tria ſunt expectanda a ſubdito, nempe ut advertat ad legem animo implendi; ut volens & non invitus operetur; ut recta ſit eius intentio, & honeſtum finem ſibi conſtituat.

Ad ſatisfaciendum præcepto negativo, ideſt vetante aliquam actionem, ex communi ſufficit, ut actio illa a nemine fiat, etiamſi nihil de illa unquam adverterit, quia de iſto verificatur, actionem vetitam non feciſſe. Ad hoc vero ut per talem obedientiam meritum quis acquirat, certe requiritur actus aliquis explicitus, vel implicitus voluntatis, quo ſtatuat ſe abſtinere ab opere vetito contrarias tentationes repellendo, quia ad meritum non ſufficit ſola operis negatio, ſed præter alia bonum opus requiritur. Ad ſatisfaciendum vero præcepto affirmativo, ideſt opus aliquod iubenti, ſufficit quod libere, & voluntarie actus ponatur; quia per legem actus humanus præcipitur. Quare coacte retentus in Eccleſia, ut Sacrum audiat, niſi mutet voluntatem, præcepto non ſatisfacit, ſicut ieiunii legi non ſatisfaceret, qui nolens ieiunare coactus cibo privaretur; quia & unum, & aliud poſitum non eſſet modo humano, ideſt voluntarie, & libere. Idcirco poſitio actus quæ ſola præcipiatur, ſufficit ad præceptum implendum, nec requiritur intentio explicita ſatisfaciendi, quæ non præcipitur, ſed ſufficit ſola implicita, & interpretativa contenta in voluntate faciendi actum præceptum, quæ non excludat intentionem implendi, nec ullibi maior obligatio reperitur. Ita etiam ignorans præceptum, dummodo libere ponat rem præceptam revera illud implet. Sic audiens Sacrum uno die, quem ignorat eſſe feſtum, non tenetur denuo Sacrum audire, ſi poſtea cognoſcat diem illum eſſe feſtum. Quinimmo, ſecundum aliquos (& ut communior, ac probabilior ipſis videtur) ſatisfacit præcepto, qui voluntarie & libere facit rem præceptam etiam cum animo non ſatisfaciendi; ut qui die feſto Sacrum audit pro ſua privata devotione, ut poſtea per aliud ſatisfaciat præcepto, iam ſatisfecit, nec tenetur aliud audire; quia prima voluntas inefficax eſt, nec deſtruit voluntatem efficacem ſatisfaciendi quod præceptum eſt, & vere præcepto ſatisfaciendi. Immo propter hanc rationem ſatisfaceret etiam ponendo opus cum prava voluntate non ſatisfaciendi, licet niſi hanc voluntatem deponat, peccet contra legem naturalem imponentem cuicumque ſubdito obligationem, ut velit obedire præceptis latis a Superiore.

Nec obſtat illud axioma *actus agentium non operantur ultra intentionem eorum*; quia hoc valet in his, quæ pendent ab intentione agentis, ut ſunt contractus &c. Vota &c. quia vovens ſibi impoſuit obligationem voti, & poteſt ſibi eam prorogare; itaut ſi habeat votum audiendi tali die Sacrum, poteſt in uno Sacro audiendo ex devotione prorogare ſatisfactionem pro voto in audiendo alio Sacro. At in ſatisfactione præcepti, cum ipſius præcepti impoſitio, & obligatio pendeat ab intentione Superioris, & non a voluntate ſubditi, nequidem pendet ab eo, ut illam proroget, & non impleat, cum voluntarie actum præceptum ponit, quem ſolum intendit Superior, quidquid in contrarium dicat Azorius. Ad ſummum talis videtur teneri ſaltem congruo tempore mutare intentionem, vel ſaltem indicare per opus iam factum ſe ſatisfeciſſe præcepto.

Totum tamen, quod dictum eſt, intellige, quando opus non eſt debitum ex iuſtitia, ſed ex ſola Religione; quia ſi opus debitum ſit ex iuſtitia, communiter conveniunt quod impleri non poſſit ſine intentione; & multo minus cum contraria intentione ſatisfaciendi: v. g. ſi quis deberet Caio 100. licet vel ſimul, vel diviſim dediſſet talem ſummam Caio ſine advertentia, & intentione ſatisfaciendi debitum, aut cum contraria intentione, hic revera debito non ſatisfecit, ſed liberaliter donavit. Ad ſummum dici poſſet, quod Clericus beneficiarius, qui multa ſit elargitus pauperibus ea mente, quod Beneficiarii teneantur dare quæ eis ſuperſunt pau-

Digitized by Google

pauperibus, is ſimul ſatisfecerit debito in hypotheſi, quod ſine advertentia quoſdam fructus ſui beneficii ſibi non competentes ſuos feciſſet, & ideo obligationem contraxiſſet reſtituendi Eccleſiæ vel pauperibus.

§. XLV.

De Attentione.

Ad ſatisfaciendum legi, illa etiam requiritur attentio, quæ neceſſaria eſt, ut opus conſtituatur in eſſe actus humani, & in ea ratione, ſub qua præcipitur; & ex dictis iam patet; alias non poneretur opus præceptum. Verum quidem eſt, quod diverſa pro diverſitate operis requiritur attentio; nam aliam & magis accuratam requirunt auditio Sacri, & recitatio Horarum divinarum, quam obſervatio ieiunii.

Et pro maiori intelligentia hic advertendum eſt, intentionem late ſumi pro actu, quo voluntas aliquid vult; (& in hoc ſenſu omnis actus voluntatis eſt intentio) & ſtricte pro actu quo voluntas vult finem per aliud conſequendum. Attentio vero eſt applicatio mentis ad id quod agitur. Unde patet differentia inter Intentionem, & attentionem; quia prima eſt actus voluntatis, ſecunda vero intellectus.

§. XLVI.

De intentione finis Legis.

Nota, duplicem eſſe finem legis, nempe intrinſecum, ad quem Legislator intendit ſua lege obligare, & eſt illud, quod reipſa per legem præcipitur, vel prohibetur; extrinſecum, & eſt illud ad quod res præcepta dirigitur, & ordinatur a Legislatore, & non ſpectat ad ſpeciem actionis præceptæ, ut ſi ordinetur oratio ad placandum Deum.

Finis extrinſecus eſt ad quem ordinatur actus præceptus, unde ſi præcipiatur a ſuperiore, non ſatisfacit præcepto, qui illum ſibi non proponit; quia in tali caſu non fit totum id, quod præcipitur, & finis tunc eſt etiam materia legis. Finis autem præcepti cenſetur, quoties præcipitur opus faciendum ob certum finem in lege expreſſum, ut ſi præcipiatur ieiunium, vel oratio ad avertendam publicam calamitatem. Si vero finis extrinſecus non præcipiatur, ſatisfit præcepto per ſolum opus præceptum, quia tunc impletur totum id, quod præcipitur.

Ad implendam legem humanam (nam de naturali & divina nullum eſt dubium) requiritur recta intentio, ideſt intentio finis intrinſeci legis, utpotequi cadit ſub præcepto: & conſtat tum ex deciſione ſummorum Pontificum Alexandri VII. & Innocentii XI. qui damnarunt ſententiam quorumdam, qui volebant per Confeſſionem, & Communionem ſacrilegam ſatisfieri præcepto communicandi in Paſchate; tum ex Scripturarum teſtimonio. Nam Epheſ. 6. dicitur: *Servi obedite dominis carnalibus cum timore, & tremore in ſimplicitate cordis veſtri, ſicut Chriſto; non ad oculum ſervientes, quaſi hominibus placentes, ſed ut ſervi Chriſti, facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate ſervientes, ſicut domino & non hominibus.*

Lex humana quidem non præcipit niſi actus bonos, ut bonos faciat homines. Unde cum actus bonus nequeat eſſe bonus, & bonum facere agentem, niſi fiat cum recta, & bona intentione, intentio recta ſpectat ad ſubſtantiam humani præcepti, ac cadit ſub hominum præcepto. Et hoc docet etiam Sanctus Thomas q. 62. art. 1. ubi expreſſe docet, hunc proprie eſſe legis effectum, ideſt efficere homines bonos, quod tamen fieri nequit, concludit S. D. *niſi ſint bene obedientes rationi, & per hunc modum virtus cuiuslibet ſubiecti eſt, ut bene ſubiciatur Principatui.*

Sed dicunt qui aliter ſentiunt, D. Thomam q. 91. art. 4. docere, quod homo legem facere poteſt, de quibus poteſt iudicare. Quare cum iudicare nequeat de interioribus motibus animi, ut eſt intentio, utpotequæ ipſum lateat, ſed ſolum de exterioribus, quæ apparent; idcirco intentio non cadit ſub humano præcepto. Et hoc probant tum ex iure civili, ex quo habetur, *cogitationis pœnam nemo patitur*, & ex Canonico cap. *Tua nos de ſimonia: de manifeſtis loquimur; ſecretorum autem eſt cognitor Deus, & Iudex eſt.* Ad quod reſpondetur, hominem de iis ſolum legem facere poſſe, quoad vim coactivam, de quibus ferre poteſt iudicium: ſecundum vero vim directivam, & coactivam ex parte poteſt etiam legem ferre de internis, quæ ut pure interna iudicare nequit. Etenim iure Canonico cap. *Si quis* 8. *diſt.* 30. excommunicatur qui ex interna ſuperſtitione ieiunium Eccleſiaſticum non ſervaverit. Similia habentur in Clemen. 1. *de ſtatu Monach. & Clement.* 2. *de Heret. & ſic alibi.*

Unde ex his facile explicantur leges in contrarium allatæ, nempe Eccleſiam non iudicare de internis per ſententiam declarato-

riam, & iudicio plene coactivo; quia actus interni non puniuntur niſi coniuncti ſint cum externis; non quod non poſſit per legem vi directiva tangere actus internos.

Nec valet quod ipſi inſtando reponunt, nempe poteſtatem a Chriſto Apoſtolis conceſſam limitari ex fine regiminis Eccleſiaſtici, qui finis eſt bonum commune & publicum, ad quod nihil conferunt actus interni, dummodo omnia Eccleſiæ membra bene ad invicem ſe habeant, quod ſatis eſt, ut Eccleſia ſumma pace fruatur. Nam reſpondetur, quod licet finis proximus regiminis Eccleſiaſtici ſit bonum commune, non eſt tamen finis ultimus; etenim omne regimen ſive Eccleſiaſticum, ſive politicum, & œconomicum ordinatur ad Deum, qui omnia propter ſe ipſum operatus eſt, & infima per media, domeſtica per Patresfamilias, fideles per Prælatum, cives per Principem, tanquam per ſuos miniſtros ad ſe adducit; actus vero a Legislatore imperati non tendunt ad Deum, niſi boni ſint. Denique Religio ex S. Auguſtino tota eſt ad animam excolendam: commune eius bonum eſt Dei cultus, quem ſi omnes pro viribus exhibeant, exoptata pace, & felicitate gaudent: *Spiritus eſt Deus, & eos qui adorant eum, in Spiritu & veritate oportet adorare*. Ita Ioannis 4. Igitur maxime conferunt ad bonum regimen Eccleſiaſticum.

§. XLVII.

De Requiſito intentionis rectæ ad ſatisfaciendum Præceptis.

Cum duo ſint præceptorum genera, ut iam diximus paulo ante, alia negativa, alia affirmativa, neutra ſubiacent iiſdem conditionibus, neutra eadem exigunt requiſita. Hinc eſt quod ſi præceptum ſit negativum, ſeu vetans actum, puta homicidium, eſum carnium diebus ieiunii, ſine dubio ei ſatisfit ſine recta intentione, ideſt cum mala, puta ex vanagloria, &c. ita ut non incurratur reatus homicidii, aut violationis ieiunii Eccleſiaſtici, niſi forte ex affectu. Cæterum natura huius præcepti eſt, ut dum nihil vis contra eius prohibitionem, nec deſideras, factum ſit tibi ſatis. Quoad præcepta vero affirmativa, quæ actum præcipiunt, requiritur, ut ipſis ſatisfiat, quod agens ponat actum præceptum ea animi, ſeu intentionis rectitudine, quæ vel eſt eſſentialis actui externo, ut attentio orationi vocali, contritio ſaltem imperfecta Sacramento Pœnitentiæ, vel per Legislatorem præſcribitur, ut perceptio Euchariſtiæ in Paſchate. Nam Eccleſia præcipit communionem moralem ſimul eſt ſpiritualem. Igitur qui ſine pia attentione adfuit ſacro, preces recitavit, vel ſine ſufficienti attritione confeſſus eſt, & ſimilia, non ſatisfecit præcepto; quia non fecit quod revera præceptum eſt. Item non ſatisfacit voto, & Confeſſarii præcepto de ieiunio, qui ex præcedenti crapula per totam diem a cibo abſtinet ſine ullo pietatis ſenſu; quia vovens ſibi, & Confeſſarius Pœnitenti imponunt obligationem actus honeſti: quando tamen honeſtas expreſſe non præcipitur, nec eſt conditio eſſentialis actui externo, ſine ea adimpletur præceptum humanum. Sic v. g. Filius honorat parentem, eique obtemperat, licet ex vanitatis motivo hoc præſtet, atque ideo peccat ſolum contra legem naturalem, quia non operatur ſecundum rectam rationem, quæ dictat agendum eſſe ob bonum finem.

§. XLVIII.

De ſatisfactione plurium præceptorum uno eodemque actu vel tempore.

Uno eodemque actu non poteſt ſatisfieri duplici præcepto, niſi aliunde colligatur ſic ſuperiorem intendere; quia fruſtra videtur ſuperior imponere novam obligationem, ſi a ſubditis non aliud exigeret, quam quod iam debent ex vi præcedentis mandati. Idcirco pœnitens oneri ſibi impoſito a Confeſſario ieiunandi non ſatisfacit ieiunio iam ex voto, vel Eccleſiæ præcepto ſibi debito; quia Confeſſarius cenſetur illum obligare ad opus non debitum, niſi aliud exprimat; & ſic dicendum quotieſcumque obligatio oritur ex lege præcipiente ex diverſo motivo & diverſo tempore. Similiter hoc multo minus fieri poteſt quando tituli ſunt diverſi, vel diſtincti, ut ex gratitudine, & iuſtitia, vel ex duplici titulo iuſtitiæ; v. g. ex mutuo, & ex compenſatione, vel propter opus receptum, vel propter damnum illatum; quia in huiuſmodi caſibus unica ſolutione non poteſt ſatisfieri, quod duplici titulo debetur; ita ut ſi quis debeat Caio 100. ex mutuo & 100. ex mercede, vel ex damno illato, non poteſt ſatisfacere utrique debito per unicam ſolutionem 100. Ita Sacerdos, qui duo ſtipendia accepit, vel duas habet Capellanias, quibus annexa eſt obligatio celebrationis, nequit unica Miſſa ſuum debitum implere: quia alias non eſſet æqualitas, quæ in actu iuſtitiæ neceſſario requiritur.

ſitur. Et ſic intellige de omni alia obligatione, quæ per ſe poſtulet opus, quod ex alio titulo non ſit debitum.

Poteſt tamen etiam per unum actum duplici præcepro ſatisfieri; primo, ſi aliunde colligi poſſit ſuperioris intentionem hoc non impedire; ſcilicet prudenter iudicari poſſit hoc ſuperiorem concedere; quia obligatio ad unum vel plures actus ab eius voluntate depender. Sic in Iubilæis ſatisfit ieiuniis a Papa præſcriptis per ieiunia quatuor temporum tunc concurrentia. Intentio autem ſuperioris poteſt cognoſci vel ex circumſtantiis, fine ac natura operis præſcripti, vel ex communi uſu, & interpretatione. Sic ſi Confeſſarius iniungat auditionem ſacri ſingulis diebus per menſem, pœnitens ſatisfacit audiendo diebus feſtis unum ſacrum; quia niſi Confeſſarius ſe aliter exprimat, cenſetur non obligare pœnitentem ad bis ſacrum audiendum eodem die. E contra vero ſi iniungat pœnitenti, ur ſacrum audiat omnibus diebus feſtis, per unum numero ſacrum non ſatisfacit, ſed tenetur bis ſacro intereſſe, quia ex natura ſatisfactionis colligitur talem eſſe mentem Confeſſarii.

Si tamen duo vel plura præcepta ſint eodem tempore ſimul & ex eodem motivo, tunc eadem ratione ſatisfit v. g. obligationi ieiunii quatuor temporum, quæ incidit in Quadrageſima, vel audiendi ſacrum in die feſto de præcepto & in Dominica. In dubio vero, num in duplici lege duplex actus exigatur, nec facile adiri poſſit Legislator, ut legem explicet, mens illius explicanda eſt de duplici obligatione, & ideo ſatisfaciendum duplici præcepto per actus diſtinctos, iuxta regulam iuris in 6. *Inſpicimus in obſcuris, quod veriſimilius eſt, vel quod plerumque fieri conſuevit.*

Pluribus præceptis ſatisfieri poteſt per plures actus eodem tempore factos, dummodo unus alterum non impediat, ſcilicet attentio debita ad unum non impediat attentionem, quæ alteri debetur: quia quando in præceptis non præſcribitur diverſitas temporis, tunc eodem tempore impleri poteſt quod per plura præſcribitur. Idcirco ex communi ſententia qui die feſto tempore Sacri recitat horas Canonicas cum intentione, & attentione debita, ſatisfacit præcepto Miſſæ & præcepto recitandi Horas Canonicas; quia ut utrumque adimpleatur, ſufficit quod attentio habeatur ad Deum, & ad eius myſteria. Secus vero dicendum, ſi tempore Sacri quis vellet facere examen ſuæ conſcientiæ, præcipue ſi longiuſculum eſſet; quia nimis mentem a ſacro diſtraheret.

Qui totum opus præceptum implere non poteſt, ſi opus ſit diviſibile in partes, & in ſingulis eius partibus ratio præcepti inveniatur, ut in ſeptem Horis Canonicis, in ieiunio Quadrageſimali, quod diviſum eſt in ſingulos dies, tenetur ad illam partem, quam poteſt, licet minorem. Et hoc patet ex propoſitione damnata ab Innocentio XI. quæ eſt numero 54. *qui non poteſt recitare Matutinum, & Laudes, poteſt autem reliquas Horas, ad nihil tenetur; quia maior pars trahit ad ſe minorem.* Quando enim materia præcepta eſt diviſibilis, præceptum obligat ad omnes & ſingulas partes, etiam ſeorſim ſumptas; quia in tali caſu, licet materia ſir realiter una, eſt tamen virtualiter multiplex; idcirco præceptum tunc ita afficit totam materiam, ut afficiat ſimul omnes, & ſingulas eius partes; ideoque non minus ad totum coniunctim, quam ad ſingulas eius partes diviſim tenemur quantum poſſumus, eo ferme pacto, quo is, qui debet alteri centum, ſi totum non poteſt, ſaltem partem quam poteſt, ſatisfacere tenetur. Quare in ieiunio qui non poteſt comedere piſces, debet veſci ovis, ſi neque iſtis, ſed poteſt abſtinere a cœna, tenetur iuxta regulam 37. Iuris in 6. *ſicut utile non debet vitiari per inutile, ita poſſibile per impoſſibile*; & Conſtit. Benedicti XIV. ſub die 30. Maii 1741. Hinc non valet in caſu noſtro illa regula, qua utuntur laxiores Probabiliſtæ, ut demonſtrent, non teneri ad partem, qui non poteſt totum; ideſt *acceſſorium ſequitur principale*; quia hoc non valet, quando principale & acceſſorium ſunt diviſibilia, & in acceſſorio reperitur aliqua ratio ipſius principalis. Sic qui promiſit alicui ovem cum ſuo agno, ſi alterutrum pereat, dare tenetur quod remanſit. Præterquamquod pars non eſt acceſſorium quid reſpectu totius.

Si vero contingeret duo ſimul concurrere præcepta obligantia, quæ ſimul ſervari nequeant, & neceſſitas ſit ut alterutrum omittamus, per ſe loquendo maius digniuſque eſt obſervandum; quia prævalet minori, & minus digno, & gravius obligat, ſicut lumen etiam naturale rationis dictat. Quare præceptum naturale prævalet poſitivo etiam Divino, Divinum humano, præceptum ſuperioris virtutis præcepto virtutis inferioris, præceptum ſuperioris ſupremi præcepto ſuperioris ſubordinati, negativum poſitivo, quia illud obligat ſemper, & pro omni tempore. Hinc ille, cuius opus eſt neceſſarium

infic-

Digitized by Google

infirmo toto tempore, quo die feſto viget debitum audiendi ſacrum, tenetur inſervire infirmo, Sacrum relinquendo; quia præceptum naturale, & Divinum Charitatis virtutum omnium præſtantiſſimæ prævalet omnibus aliis præceptis, & qui aliter faceret in hoc, & in omni alio ſimili caſu, in gravi materia peccaret mortaliter.

Conſulto dictum eſt *per ſe loquendo;* quia cum materia maioris & dignoris præcepti eſt levis, & minoris gravis, vel neceſſaria, aut valde utilis, tunc ſervandum eſt præptum minus. Unde non eſt omittendum Sacrum die feſto pro infirmo, quando non graviter indigeat alterius ope.

§. XLIX.

De Legis ceſſatione.

Duplici modo lex definit, proprie ſcilicet, & formaliter, quando abſolute, & univerſaliter, ſeu ſine ulla limitatione definit eſſe; & improprie, ac moraliter, quando definit limitate, vel ad certum tempus, vel pro quodam determinato caſu, vel alio modo reſtricte. Et tunc dicitur definere ſolum moraliter, quia lex de facto extat, ſed extat ac ſi non eſſet. Lex enim humana iam recepta, & in uſum inducta, cum omni vi obligandi pro eius executione infirmatur aliquando, vimque ſuam obligandi amittit per eius ceſſationem, in qua præcipua ipſius legis humanæ affectio reponitur, & eſt veluti mors legis; quia licet lex humana ſit ex ſe immutabilis, utpote ex ſe perpetua, pluribus tamen variiſque de cauſſis fieri poteſt, ut ceſſet, ſicut iam fit per ceſſationem illius cauſſæ finalis, per abrogationem, interpretationem, ſeu Epikeiam, diſpenſationem, privilegium, & contrariam conſuetudinem, ſeu præſcriptionem. Sed per diſpenſationem, & privilegium fieri poteſt, ut ceſſet etiam quoad aliquos tantum; cum diſpenſatio, & privilegium ut plurimum particularibus perſonis concedantur.

Cauſſæ quibus ceſſare poteſt lex.

Ceſſat enim lex quando ceſſat finis, propter quem lata eſt lex, ſi mutetur eius materia, ut ſi fiat inhoneſta aut inutilis; ſi mutetur voluntas Legiſlatoris; ſi poteſtas in ipſo definat; ſi ceſſet ſubiectio in ſubditis; quæ omnia partim patent ex iam dictis, partim patebunt ex dicendis.

§. L.

De Ceſſatione legis ob ceſſationem finis legis.

Finis legis, ut antea iam notavimus, alius eſt intrinſecus ipſi legi, nempe honeſtas rei præceptæ, ideſt conformitas ipſius rectæ rationi, quod neceſſario requiritur, ut lex bona ſit, & iuſta, & hic finis ſemper intendi debet a Legiſlatore; alter extrinſecus, nempe quando ob aliquam aliam rationem, prout ſecundum circumſtantias temporum, perſonarum &c. exigit bonum commune, movetur Legiſlator ad Legem aliquam ferendam, qui finis pariter ſecundum exigentiam circumſtantiarum poteſt eſſe & unus & multiplex.

Finis ceſſare poteſt univerſaliter & adæquate, & in particulari. Ceſſat univerſaliter, quando ceſſat finis in omnibus caſibus penes omnes illi ſubiectos, & per *ly adæquate* intelligitur, quod non ſuperſit unus omnino finis, nec pars ipſius, cuius vi poſſit dici quod ſubſiſtat. Ceſſat in particulari, quando ceſſet reſpectu alicuius privatæ ſeu particularis perſonæ finis adæquatus legis, vel quando ex pluribus finibus legis ceſſatio fiat in aliquo tantum, ſeu in uno ex illis, vel in alio; ita ut ceſſatio ſit tantum finis inadæquati: unde ſit.

Legiſlator ſi in lege ferenda intendit vel ſolum finem intrinſecum, ideſt præcipere aliquem virtutis actum, vel præter intrinſecum habeat etiam aliquem finem extrinſecum, a quo movetur ad legem ferendam; tunc quando finis intrinſecus non ſit aliqua virtus, quæ reſpiciat conſilia Evangelica, cum hæc non obligent; licet ceſſet finis extrinſecus, lex non ceſſat, cum ceſſare non poſſit finis intrinſecus; quia ſemper tenemur honeſte, & conformiter ad rectam rationem operari.

Si autem Legiſlator principaliter moveatur ad ferendam legem ab aliquo fine extrinſeco, vel movetur ab uno fine tantum, vel a pluribus, & hic vocatur finis ſeu cauſſa adæquata legis. Si ab uno fine tantum moveatur, hoc ceſſante communiter, & frequenter vel in omnibus, vel in maiori parte, ceſſat omnino obligatio legis; ut in voto, quod non obligat ceſſante tota & adæquata cauſſa ipſius voti. Ita ſi lex vetet contrahere, vel converſari cum Civibus alicuius Provinciæ, cum qua habentur bella, & inimicitiæ, ſi hæc ceſſent, ceſſat ſimul finis totalis, & obligatio legis. Si vero plures eſſent fines legis, cum omnes concurrant

xant ad conſtituendum adæquatum finem legis, uno, vel altero ceſſante, donec aliquis remaneat, non ceſſat adæquate finis legis, idcirco perſeverat eius obligatio quoad illam partem, qua eius finis partialis non ceſſat: etenim ſicut ſi finis legis ceſſaret ſolummodo pro aliquo tempore, non abſolute; ſed pro ſolo tempore, quo eſt inutilis lex ſuſpenderetur; ita ceſſante uno fine ceſſaret lex quoad illam partem, qua fit inutilis, non vero ſecundum aliam, dumodo tamen fines partiales non eſſent inſeparabiles; quia in tali caſu, ſi deficeret potior finis, & magis utilis, lex in totum ceſſaret; quia illa maior inutilitas reliquum finem, & partem legis inficiaret.

Hinc ſequitur, quod lex non ceſſet in particulari, quando in particulari non ceſſet adæquate finis legis, ſed ſolum privative, ideſt quia pro tunc redditur inutilis; quia cum lex attendat bonum commune, donec finis hic perdurat, etiam lex ipſa perdurat, licet in caſu particulari finis eius adæquatus ceſſet; alias daretur anſa cuicumque iudicandi pro affectu ſuo, legem in tali vel tali caſu non obligare, ex quo paſſim lex contemptui exponeretur. Si vero ceſſaret contrarie, ideſt ſi lex redderetur non ſolum inutilis, ſed ſimul mala, ac valde dura, & difficilis obſervationis; cum in hoc caſu ceſſaret iuſtitia legis, quæ in lege requiritur, ut ſit de re honeſta, & non nimis dura & difficili, ceſsaret etiam eius obligatio.

§. LI.

De Epikeia, ſeu interpretatione legis.

Definitio interpretationis ſeu Epikeiæ.

Interpretatio nihil aliud eſt, quam *congrua per aliud clarius explicatio verborum legis, ordinata ad concipiendum verum legis ſenſum a Legislatore intentum*. Tali enim explicatione, & declaratione determinatur ad quos caſus lex ſe extendat, ad quos vero non. Per hanc interpretationem, ſeu Epikeiam, ſeu legis explicationem lex ceſſare poteſt.

Interpretatio multiplex.

Interpretatio autem & Epikeia, ſeu legis explicatio triplex eſt. Alia *Authentica*, ſeu quæ prolata eſt cum auctoritate, ideſt per ipſum Legislatorem, vel eius Superiorem, vel ſucceſſorem, aut per Miniſtros ab ipſo conſtitutos; quæ cum procedat a Superiore, qui habet poteſtatem condendi legem & ſenſum explicandi, in quo vult eam ſervari, habet vim legis. Alia *uſualis*, quæ petitur ex communi uſu: *Nam conſuetudo eſt optima legum interpres* C. 8. *de Conſuet.* Alia *Doctrinalis*, quæ fit per homines doctos, & peritos. Hæc tametſi vim non habeat legis; cum non ſit a publica poteſtate, imprudenter tamen reiiceretur, præcipue ſi in eam Doctores omnes conveniant. Si vero diſcrepent, tunc ſequenda eſt tutior, vel ſaltem probabilior, licet minus tuta. Interpretatio doctrinalis, ſeu magiſtralis ſubdividitur in *declarativam*, *extenſivam*, & *reſtrictivam*. Interpretatio *declarativa* eſt congrua dubiorum, vel obſcurorum verborum expoſitio; *extenſiva* eſt ea, per quam fit ampliatio legis ad non expreſſa: & hæc vel eſt *mere extenſiva*, per quam diſpoſitio legis ob paritatem, vel ſimilitudinem rationis extenditur ad perſonam, vel caſum, neque verbis, neque mente Legislatoris expreſſum, mente tamen Legislatoris comprehenſum; vel eſt etiam *comprehenſiva*, per quam lex extenditur ad perſonam vel caſum verbis quidem non expreſſum, mente tamen Legislatoris comprehenſum ob adæquatam rationis identitatem. Interpretatio *reſtrictiva* eſt ea, per quam verba legis aut Statuti ſuadente ſic æquitate in ſua generali ſignificatione arctantur & reſtringuntur. Item interpretatio alia *ſimplex* eſt, qua explicatur ſenſus verborum; altera *per æquitatem*, qua interpretamur caſum aliquem particularem non comprehendi in lege, quamvis verba ſint clara & generalia, & hæc proprie eſt Epikeia.

Regulæ pro doctrinali interpretatione.

Regulæ ad doctrinalem interpretationem ſunt: prima, quod verba legis ſunt accipienda ſecundum eorum proprietatem, & ut accipi ſolent, niſi ita accepta includerent iniuſtitiam, & abſurditatem, aut lex inutilis redderetur. Etenim Legislator debet legem exponere per verba clara, & in eorum propria, & communi ſignificatione, alioquin nihil ſtatueret, & occaſionem præberet errandi; & in dubio uſus & ſenſus communis verborum præferri debet eorum proprietati. Secunda, quod Correctio legis vitanda eſt quoad fieri poteſt, Cap. 29. *De elect. in* 6. quia legum mutatio eſt noxia Communitati; Tertia, quod ſi verba legis ſint æquivoca, vel ambigua, ſignificatio eorum eſt ſpectanda ab antecedentibus, & conſequentibus, ex materia, ex circumſtantiis legis, ſicut etiam ex aliis legibus, in quibus eadem verba, vel ſimilia in tali ſenſu uſurpantur, ex Cap. 6. *de Verbor. ſignif.* & ex Sancto Thoma in 3. diſt. 37. art. 4. Quarta, quod Lex pœnalis & omnis alia oneroſa ſtricte eſt interpretanda ex Regul. iuris 49. *in* 6. *in pœnis benignior pars eſt interpretanda; in favo-*

rabi-

Digitized by Google

rabilibus vero lata eſt facienda ex Regul. 15. in 6. *odia reſtringenda, & favores convenit ampliari*. Hinc pœnæ non extenduntur ad caſum non comprehenſum in lege; & in pœnalibus non valet argumentum a pari, nec a minori ad maius. Quinta, quod Lex generaliter, vel indefinite loquens, omnia ſignificata propria comprehendit; nam verba generaliter ſunt accipienda; iuxta illud: *Ubi ius non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus*. l. 8. *de Publici*. Sexta, quod Lex intelligenda, & ſervanda eſt ſecundum conſuetudinem receptam; *optima enim eſt legum interpres conſuetudo* l. 37. ſ. *de Legibus*; & Cap. 8. *de Conſuet.* Septima, quod aliquando Legiſlator loquitur de ſingulari caſu, aut perſona; non quia ad hoc ſingulare legem reſtringat, ſed his utitur gratia exempli; quia exemplum non limitat diſpoſitionem, ſed declarat; idcirco valet hæc regula: Cum lex frequentioris uſus cauſſa aliquid decernit, caſum minus frequentem non excludit, ſed comprehendit. Lex poſitiva non ſemper trahi debet ob paritatem rationis ad alios caſus ab ipſa non comprehenſos; quia non ratio legis, ſed voluntas Legiſlatoris lex eſt, & obligat; qui quidem Legiſlator potuit velle unum punire, non alterum, licet ſit in utroque eadem ratio. Dicitur quod *non ſemper*; quia aliquando identitas rationis illam ad alios caſus extendit; nam ſi ad illos non ſe extenderet, ſequeretur abſurdum. Item quando ſunt correlativi; ita ut quod ſtatuit de uxore quoad ius coniugale, in quo ambo ſunt pares, extenditur etiam ad maritum, & vice verſa. Item in æquiparatis, & connexis. Item cum lex exprimit rationem propter quam eſt lata, tunc etiam ad alios caſus in quibus eadem eſt ratio, extenditur, illoſque comprehendit, & tunc non extenditur lex per interpretationem, ſed declaratur.

Epikeia eſt benigna, & rationabilis interpretatio ſecundum æquum & bonum, declarans caſum aliquem particularem ob ſuas circumſtantias non comprehendi in lege, licet generaliter lata; idcirco non obligare in tali caſu. Sola Lex poſitiva ſubiicitur Epikeiæ, quia hæc ſtatuit per verba generalia, quæ in certis caſibus exigit æquitas ut reſtringantur, & neceſſe eſt quandoquidem, ut facit Epikeia; quia tunc agendo ſecundum verba generalia legis, fieret aliquid contra rectam rationem & bonum commune, quod lex iubere nequit. Fieret enim contra rectam rationem, & bonum commune, ſi tempore belli non aperirentur portæ Civitatis, quando advenirent milites auxiliarii, eo quia lex vetaret portas Urbis aperire. Similiter licitus eſt uſus Epikeiæ, cum evidens eſt legem non poſſe ſervari ſine gravi damno, nec poſſit adiri Superior. In dubio vero, num aliquis caſus ſit in lege comprehenſus, Superior ſi adiri poteſt, eſt conſulendus; alias lex eſt ſervanda. Ita S. Thomas 2. 2. q. 120. art. 1. ad 3.

ſ. LII.

De diſpenſatione Legis.

Definitio diſpenſationis.

Diſpenſatio eſt relaxatio legis ad tempus ſeu exemptio a legis obligatione in aliquo particulari caſu, ubi cæteroquin lex obligaret, ſeu ut alii, *diſpenſatio eſt legis relaxatio cum cauſſæ cognitione facta a legitima auctoritate quibuſdam perſonis in aliquo caſu, in quo alioquin lex obligaret*. Primo dicitur *relaxatio*, ſeu exemptio, & ea vox locum habet generis; quia ſic convenit cum quacunque alia vinculi legis ablatione, ſive fiat per abrogationem, ſive per privilegium. Secundo dicitur *legis*, quo nomine intelliguntur etiam ſtatuta, & leges aliæ quæ in iure communi non continentur. Tertio *legitima auctoritate facta*, quia diſpenſatio eſt actus iuriſdictionis, & in hoc differt ab Epikeia, quæ non eſt actus iuriſdictionis, ſed doctrinæ & prudentiæ a quibuſdam perſonis, ſub quibus non privati ſolum comprehenduntur, ſed etiam Congregationes & ſimilia. Dicitur *in aliquo caſu*, & iterum differt diſpenſatio ab Epikeia, quæ iis ſolum in caſibus locum habet, ubi lex iudicatur non obligare. Dicitur *iuſta ex cauſſa*, quia ſine iuſta cauſſa nunquam diſpenſatio valida eſt. Quare differt primo ab interpretatione, qua non relaxatur obligatio, ſed ſolum declaratur legem in certis caſibus non tenere; ſecundo a privilegio, quod eſt facultas conceſſa pro ſemper per modum legis, & ſæpe non eſt contra, ſed præter legem; tertio a licentia, ſeu permiſſione, qua non relaxatur lex, ſed ſolum apponitur conditio, ſub qua lex non obligat.

Diviſio diſpenſationis.

Diſpenſatio dividitur *in totalem*, quæ tollit omnino obligationem legis, ut cum irregularis diſpenſatur ad omnes ordines, & *partialem*, quæ ſolum ex parte obligationem relaxat, ut ſi irregulari ſola minorum Ordinum ſuſceptio permittatur. Item diſpenſatio alia eſt *debita* ſeu neceſſaria, alia *voluntaria* ſeu permiſſa. *Debita* ea eſt, quæ petitur ab iis, quibus negari non debet, ut con-

contingit primo, quando commune bonum aliter procurari, aut commune ſcandalum aliter vitari nequit; ſecundo cum alioquin ſpirituale bonum poſtulantis periclitaretur; tertio cum a iure, vel ab homine conſtitutum eſt, ut diſpenſatio in tali cauſſa concedatur, quod maxime fieri ſolet in diſpenſationibus circa pœnas poſt condignam ſatisfactionem, aut ſi ſuperior mandet ordinario aut prudenti Confeſſario, ut diſpenſent cum poſtulante, ſi preces veritati nitantur; quarto cum, licet cauſſa diſpenſandi non inducat debitum iuſtitiæ, inducit tamen debitum miſericordiæ; opus enim miſericordiæ aliquando eſt debitum, cum nempe proximus graviter indiget, & ſine diſpendio ſublevari non poteſt. Quia tamen iniuſtitia ſuperioris non tollit legis vinculum, hinc qui diſpenſationem etiam debitam non obtinet, legem obſervare tenetur, niſi ei tantum eſſet nociva, ut cum tanto diſcrimine non obliget, ut alias notatum eſt. Uno verbo diſpenſatio eſt debita, & neceſſaria, ubi utilitas vel neceſſitas Eccleſiæ, vel meritorum prærogativa extet, cap. *ut conſtitueretur* 2. *diſt.* 50. *Diſpenſatio permiſſa*, ſeu voluntaria, quæ etiam arbitraria appellatur, eſt quando in iure ſit prohibitio, cuius moderatio relinquitur arbitrio ſuperioris, ut in cap. *Si quis Presbyter* diſt. 50. vel etiam quando permittitur, ut maius malum evitetur cap. 2. *de ſponſal.*

Diſpenſatio alia legis, alia hominis; alia mixta.

Diſpenſatio triplex etiam dicitur, alia *legis*, ut in cap. *litteras* 14. *de filiis Presbyteri ibi permittimus ordinari in clericum*; alia *hominis*, quæ a ſuperioribus ſolet concedi: alia *mixta*, quando ſcilicet lex concedit, ut homo diſpenſet ad Textum in cap. *de multa* 28. *de præbendis*. Ulterius diſpenſatio triplex eſt, alia *iuſtitiæ*, quæ dicitur utantea, debita; alia *gratiæ*, quæ merum continet privilegium, meramque Principis liberalitatem; alia *mixta*, quæ procedit partim ex iuſtitia, partim a gratia, & in hac mixta poteſt etiam comprehendi Principis tolerantia Abb. *in cap. niſi eſſet de præbendis*.

Inſuper diſpenſatio alia iuſtitiæ, alia gratiæ, alia mixta.

Diſpenſatio inſuper alia eſt *tacita*, quando Princeps conceſſit officium alicui inhabili, vel Papa Beneficium; nam tunc videntur tacite ſuper illius inhabilitate diſpenſare, ut Doctores communiter notant in l. *quidam conſulebant* ff. *de re iudicat.* Hoc tamen intelligendum quando Papa, & Princeps ſciebant inhabilitatem illius, cui facta eſt officii, & reſpective Beneficii conceſſio: ſecus vero, ſi ignorabant: Gloſſ. in l. *univerſis* c. *de præc. Imper.* quia nunquam cenſetur Princeps remittere vitium ignoratum. Hæc tamen diſpenſatio eſt minus frequens ob regulam 51. Cancellariæ Apoſtolicæ, quæ ſolet ab omnibus Pontificibus confirmari: alia *expreſſa*, in cuius litteris narratur defectus impetrantis, & in illis utitur Papa verbo *diſpenſamus*; cap. *Ad ſi cleric.* 4. *de Iudiciis* ff. *de Adulter.* Item diſpenſatio alia eſt *excuſabilis*, quando urget neceſſitas, quæ iam legem non habet, ac propterea tunc rigor legis infringitur; alia *laudabilis*, & eſt ubi communis provocat utilitas, quæ a iure æquiparatur neceſſitati. Innoc. in cap. *cum omnis de conſtit.* alia *damnabilis*, & eſt illa, ubi nulla urget neceſſitas, nec communis provocat utilitas, nec ulla alia adeſt iuſta cauſſa. Hinc diſpenſatio ſine iuſta cauſſa non eſt diſpenſatio, ſed diſſipatio dicitur communiter a Doctoribus. Idcirco diſpenſatio in lege ſuperioris ſine iuſta cauſſa, non ſolum eſt iniuſta, ſed etiam invalida. Tandem peculiariter dividitur diſpenſatio in eam, quæ eſt pro foro conſcientiæ ſolum, & a ſacra Pœnitentiaria conceditur, & in illam, quæ eſt pro foro etiam externo, & a Dataria expeditur.

Nota primo ad diſpenſationem tacitam non ſufficere ratihabitionem de futuro, ſeu præſumptam voluntatem, ſive diſpenſationem Superioris, qui probabiliter cenſetur diſpenſaturus, ſi ſciret, vel gratum habiturus; quia obligatio legis non ceſſat niſi per voluntatem Superioris: & futura voluntas non tollit actu vinculum, ſed illud ſolutum creditur. Et ſicut voluntas præſumpta præcipiendi non imponit actu obligationem obediendi, ita nec voluntas præſumpta tollendi vinculum, actu vinculum tollit. Similiter ſi Superior, qui diſpenſare poteſt videt aliquem ſubditum ſuum agere contra legem, & tacet, nec contradicit, dum facile, & ſine incommodo poſſet contradicere, hoc ſilentio non eſt cenſendus virtualiter diſpenſare in lege; quia ad diſpenſationem requiritur voluntas conceſſiva, non permiſſiva, qualis videtur in eo, qui ſolum tacet; & quia ſæpe fieri poteſt, ut Superioris ſilentium oriatur ex negligentia, ac nimia puſillanimitate, adeoque licet Superior non excuſetur a culpa, non ideo præſumi debet diſpenſare. Et equidem ſi quis aliquem diſpenſaret ob ſolam eius in legis tranſgreſſione audaciam, non minus, ita diſpenſatus delinqueret, quam qui traſgreſſionem eius videret, & non contradiceret.

Poteſtas diſpen ſandi eſt poteſtas iuriſdictionis.

Nota ſecundo quod poteſtas diſpenſandi eſt poteſtas iuriſdictionis, quæ duplex eſt, alia ordi-

ordinaria, quæ convenit alicui ratione officii vel ſui muneris; alia *delegata*, quæ recipitur ab eo, qui habet ordinariam. *Delegata* vero alia eſt *a iure*, quæ tranſit in ordinariam vel ei æquiparatur; alia habetur *ab homine* per privilegium, quæ non expirat morte concedentis, dummodo data non ſit per ſimplicem commiſſionem; quia tunc expirat, ſi res ſit integra, ideſt ſi nulla ſacta ſit executio. His præmiſſis ſit.

Nemo ex communi, ideſt nequidem Summus Pontifex poteſt diſpenſare in præceptis naturalibus & divinis etiam poſitivis; quia nemo poteſt relaxare obligationem a Deo impoſitam, niſi ſpecialem receperit poteſtatem a Deo. Nam inferior poteſtas, ſeu auctoritas non poteſt derogare Superiori. Itaque circa Divinas leges poſitivas Deus conceſſit Eccleſiæ ſolam facultatem illas interpretandi, & caſus declarandi, ad quos lex Divina non extenditur, ut in Matrimonio rato, & in votis.

In legibus humanis diſpenſare poteſt lege ordinaria Legiſlator, qui eam tulit, ſive eius ſucceſſor, qui iam parem habet cum ipſo poteſtatem. Ita qui habet poteſtatem ſuperiorem Legiſlatori circa eoſdem ſubditos; quia ſi poteſt diſpenſare qui habet poteſtatem ordinariam, multo magis poterit eius Superior. Hinc Papa poteſt diſpenſare ſuper omnes leges Eccleſiaſticas, etiam latas ab Apoſtolis; quia par eſt in iuriſdictione D. Petro, ut eius ſucceſſor.

Quare ſequitur, quod inferior non habeat poteſtatem diſpenſandi in lege Superioris, ut Epiſcopi in legibus Summi Pontificis, niſi ex eius conceſſione, & ut eius delegati; quia inferior non poteſt derogare auctoritati Superioris; poteſt vero ut eius delegatus, quia Superior poteſt exercere ſuam poteſtatem diſpenſandi etiam per alium. Unde Epiſcopi aliique Prælati Papæ inferiores non habent poteſtatem diſpenſandi in iure communi, & legibus Papæ, Cap. 15. *de tempore ordina.* niſi in caſibus, in quibus ſunt delegati, vel a Papa, vel a Conciliis, expreſſe, vel tacite, aut ex legitima præſumptione, ideſt quando invaluit conſuetudo apud ipſos ſub illa diſpenſandi Cap. 13. *de Foro comp.* ſicut etiam quando ſæpe occurrit diſpenſandi neceſſitas in aliqua lege, ut in Feſtis, & ieiuniis, vel quando ob periculum in mora, vel ſcandalum, aut graviſſimum damnum imminens recurri non poteſt ad Papam, ideſt in gravi & urgenti neceſſitate; quia tunc cenſetur talis facultas ipſis conceſſa; cum ita poſtulet bonum commune, & neceſſarium ſit ad ordinarium, & rectum animarum regimen. Epiſcopus vel Archiepiſcopus non poſſunt diſpenſare in legibus Concilii Provincialis, vel nationalis, niſi ex conceſſione eiuſdem Concilii, vel Papæ; quia hæc Concilia ſunt unum Corpus myſticum habens propriam diſtinctam iuriſdictionem, eamdemque maiorem iuriſdictione ſingulorum Epiſcoporum, qui proinde ſubiiciuntur eius legibus. Poteſt tamen Epiſcopus poteſtate ordinaria diſpenſare in legibus Synodi, & Capituli Canonicorum; quia & in uno, & in alio ſuperior auctoritas reſidet in Epiſcopo, & in his tota poteſtas condendi leges eſt pœnes Epiſcopum.

Prælati qui habent poteſtatem diſpenſandi alios quoad leges, vota, & iuramenta, poſſunt etiam ſecum diſpenſare ſaltem indirecte, committendo ſcilicet alteri poteſtatem, ut ipſos diſpenſent; quia Prælati non ſunt deterioris conditionis, quam ſubditi, qui habent impromptu a quo poſſint diſpenſari; immo poſſunt etiam ſe per ſe ipſos directe, & immediate diſpenſare, cum nullo iure ſit vetitum, nec ulla eſt repugnantia, quod quis exerceat in ſe iuriſdictionem omnino voluntariam, eo quia hæc non eſt nec abſolutiva, nec condemnativa; idcirco ſtricte hoc per ſe non requirit perſonarum diſtinctionem, ſicut in abſolutione, & condemnatione, quæ cum ſint actus iudicii, exigunt per ſe ut Iudex ſit perſona a reo diſtincta, cum implicet eumdem reum eſſe & Iudicem, non minus quam ſervum eſſe ſimul & dominum ſub eodem reſpectu.

Inferior diſpenſare nequit in Lege ſuperioris nequidem quando Superior hanc diſpenſationem ſibi expreſſe non reſervavit, & eſt probabilior ac communior contra non paucos, qui cum Sancto Antonino contrarium ſentiunt; quia cum inferior iura Superioris mutare nequeat, niſi ex eius conſenſu, hinc ex eo ipſo, quod Superior talem diſpenſationem ſibi expreſſe non reſervaverit, non cenſetur hanc inferiori conceſſiſſe. Unde Honorius III. oſtendit peccaſſe Epiſcopum, qui eadem die plures Sacros Ordines contraderat; quia hæc diſpenſatio minime per Sacros Canones erat ei permiſſa, ac ideo vetita. Quare multæ ſunt irregularitates, & inhabilitates, in quibus Epiſcopi diſpenſare non poſſunt, quia id a iure non eſt eis permiſſum, licet nec expreſſe id ſit eis vetitum. Ita etiam D. Thomas 1. 2. q. 97. art. 4. ad 3.

Nec valet hic paritas quod quilibet abſolvere poſſit ab excommunicatione, eo ipſo quod expreſſe reſervata non ſit; quia in his

quæ

Digitized by Google

quæ pendent ab hominis voluntate, non valet argumentatio a pari, & quia facultas diſpenſandi a caſibus in iure non expreſſis non eſt omnino neceſſaria, nec iiſdem ſubiacet incommodis, ſicut abſolutio a cenſuris ad Sacramenta recipienda. Nec valet paritas, quod Superior aliquando diſpenſationem legis expreſſe ſibi reſervet; quia hoc fit ad maiorem cautelam, & abundans cautela non nocet, nec ex eius defectu quidquam colligi poteſt. Nec officit pariter, quod Epiſcopus vi ſui Officii poſſit in ſua diœceſi quidquid poteſt Papa in tota Eccleſia, niſi poteſtas eius expreſſe limitetur; nam hoc axioma nec habetur in iure Canonico, nec ulla innititur firma ratione; immo generaliter acceptum ſecundum ſenſum verborum veritati repugnat. Alias poſſet ſicut Papa inſtituere impedimenta matrimonii dirimentia, conferre ſimplici Sacerdoti facultatem confirmandi, novos inſtituere Epiſcopos, quæ omnia falſa ſunt. Unde allegatum axioma in hoc ſolo ſenſu verum eſt, poſſe Epiſcopum in ſua Diœceſi, quæ neceſſaria ſunt ad eius gubernationem ordinariam, cum debita tamen Canonicis legibus ſubordinatione.

In dubio tamen, num caſus occurrens diſpenſatione indigeat, poteſt inferior diſpenſare, ſicut in voto dubio, quod ut dubium Papæ non eſt reſervatum. Ita a pari lex in dubio non eidem reſervatur. Unum addendum eſt, ideſt poſſe qui in lege aliqua diſpenſat, iungere cum diſpenſatione commutationem, & imponere aliquod pium opus; quod loco actus per legem præſcripti exerceatur. Sic ei, qui diſpenſatur a lege ieiunii, imponi poteſt eleemoſyna, dummodo non imponatur per modum ſtipendii, quod diſpenſans percipiat, quod vetitum fuit a Concilio Tridentino Seſſ. 25. cap. 18. de Reform.

De delegatis ad diſpenſandum

Circa ea vero quæ reſpiciunt poteſtatem delegatam diſpenſandi, communiter de illa tradunt Doctores, primo, quod qui pollet facultate ordinaria diſpenſandi, poteſt eam delegare aliis ut ipſa utantur iuxta formam ab eodem delegante præſcriptam: nam poteſtas diſpenſandi eſt poteſtas iuriſdictionis; hæc autem, dum eſt ordinaria, poteſt alteri committi, & delegari. Secundo, ſi delegatus habeat poteſtatem mere delegatam, non poteſt eam ſubdelegare, utpote qui poteſtatem hanc recipiat non ut Dominus, ſed ut ſimplex executor Superioris delegantis. Excipiunt tamen delegatos Papæ ac cuiuslibet Principis qui alium ſibi Superiorem non agnoſcit; quia huiuſmodi delegatus in his, quæ a Superiore ſibi vetita non ſunt, poteſt alium ſubdelegare; cap. final. *de offic. & Poteſt. delegati*: non ſic tamen, ut huic facultatem impertiatur ſubdelegandi. Excipiuntur delegati Papæ & alterius ſupremæ poteſtatis; quia delegati ab alio, quam a Principe non poſſunt cauſſam alteri ſubdelegare. Et ratio eſt, quia ſi quilibet delegatus poſſet cauſſam alteri ſubdelegare, poſſet hic etiam ſubdelegare tertio, & ſic in infinitum, quæ infinitas a iure expreſſe reprobatur, Cap. *cum in multis 2. de Reſcriptis in Sexto*.

Excipitur tamen, ſi ſit delegatus ad univerſitatem cauſſarum, & eſt communis, ut Bartol. in l. *Maiorum 5. n. 21. ff. de Iuriſdict. omn. Iuſ.* quia delegatus ad univerſitatem cauſſarum, quaſi ordinarius videtur; ut notat Gloſſa in *Cap. cum cauſſam 62. verb. delegatus de appellat.* & 161. Fagnanus n.4. cum aliis: ac proinde ad inſtar Iudicis ordinarii poterit ſubdelegare unam vel alteram cauſſam; quia delegatus ad univerſitatem cauſſarum, cum remaneat in eſſentia iuriſdictionis univerſalis, idem poteſt quod ordinarius. Unde Vicarius Foraneus, ſeu Decanus ruralis, aut quilibet alius etiam ad nutum Epiſcopi ab officio amovibilis, cui omnium certi generis v. g. decimalium vel Matrimonialium, vel omnium prorſus, ſed in certo loco cognitio, & examen commiſſa fuerint, poteſt unam, alteramve cauſſam, non tamen ipſam cauſſarum univerſitatem alteri committere.

Excipitur tertio delegatus, cui tacite aut expreſſe permiſerit delegans, ut alium ſubdeleget; quia in tali caſu non propria, ſed Superioris auctoritate delegat.

Diſpenſans ſine iuſta cauſſa etiam in propriis legibus, communis eſt quod peccet mortaliter ſi materia ſit gravis, quia irrationabiliter liberat ab onere eum, qui non eſt eximendus, & ideo peccat, & contra iuſtitiam diſtributivam, & contra bonum commune, quod Superior procurare debet per legum obſervantiam, & contra prudentem uſum ſuæ poteſtatis in deſtructionem, non in ædificationem. Similiter peccat contra charitatem ob occaſionem, quam præbet aliis peccandi, qui exemplo eorum, quos diſpenſat ſine iuſta cauſſa, incitantur ad legum violationem, putantes ſibi idem licere. Peccat vero venialiter, ſi materia ſit tantum levis. Peccat itidem ſubditus, ſi ſine iuſta cauſſa diſpenſationem petat, quia inducit Superiorem ad peccatum.

Nota, non requiri talem cauſſam diſpenſandi, ut teneatur Superior diſpenſare, ſed

ſuffi-

ſufficere, ut Superior per eam rationabiliter moveatur, ut benignius agat cum ſubdito, eum ab ea legis obligatione liberando. Si vero cauſſa talis ſit, ut Superior teneatur ex ſola charitate eum diſpenſare & ei deneget diſpenſationem, tunc ſubditus non remanet liber, ut antea diximus, ab obligatione, quæ tolli non poteſt ſine Superioris auctoritate.

Triplex cauſſa iuſta diſpenſandi in iure canonico.

Cauſſa iuſta diſpenſandi in iure Canonico triplex eſt, pietas ſcilicet, neceſſitas, & utilitas communis, vel etiam privata petentis, quæ redundet in bonum commune; quia diſpenſatio ſemper debet ſaltem mediate & ultimate cedere in bonum commune; alioquin eſt illicita, & infidelis, ut docent Suarez & S. Thomas. Sufficit tamen, quod detur propter bonum rationabile perſonæ privatæ ſine damno tertii; quia bonum commune poſtulat, ut etiam bonum ſingulorum Superior curet ſine præiudicio boni communis; idcirco docet cit. D. Angelicus, quod diſpenſatio, ut recta ſit non debet afferre periculum mali, nec impedire maius bonum.

Diſpenſatio data ſcienter ſine iuſta cauſſa ex communi eſt valida, quamvis illicita, ſi data ſit a Legiſlatore, vel ab eius Superiore, vel a ſuo ſucceſſore; quia lex poſitiva, & eius duratio pendet a libera voluntate Legiſlatoris, & a libero uſu iuris quod habet ad obligandum, & ſui ſucceſſoris, ac multo magis ſui Superioris; ita ut ſicut poteſt ſine iuſta cauſſa vel non obligare per legem, vel legis latæ tollere obligationem reſpectu omnium, a fortiori poteſt eam tollere reſpectu aliquorum in certis caſibus per diſpenſationem. Si vero diſpenſatio detur ſine iuſta cauſſa ab inferiore & delegato, invalida eſt ac nulla: ita communiter Doctores; quia hi non habent poteſtatem diſpenſandi ſine iuſta cauſſa, cum non ſit veriſimile, Superiorem ipſis facultatem concedere ad id quod licite fieri non poteſt; quia non eſt credendum velle ipſum peccare; & inferior ac delegatus non aliam, nec maiorem habent poteſtatem, quam eam, quæ ipſis datur a Superiore. Hinc Epiſcopus ſine iuſta cauſſa invalide diſpenſat in ieiunio, in votis &c.

Subdito non licet uti invalida diſpenſatione ſine culpa eiuſdem ſpeciei cum culpa quæ committitur in illius legis violatione; nam licet non amplius teneatur ex vi legis humanæ ad illud quod ea præſcribit, cum per diſpenſationem ſit exemptus a tali obligatione, ad illud tamen obligatur ex vi legis naturalis præcipientis uniformitatem membrorum in lege ſervanda ob bonum commune, & prohibentis, ne quis ſine iuſta cauſſa a tali onere ſe ſubtrahat, & fiat ſine ratione pars disiuncta a ſuo toto, ſicut ait S. Auguſtinus l. 3. Confeſſ. c. 8. *Turpis omnis pars eſt ſuo univerſo non congruens*. Verum quidem eſt, quod utens tali invalida diſpenſatione non incurrit cenſuras, & pœnas a lege humana impoſitas; quia, ſicut dictum fuit, peccat tantum contra legem naturalem, ad quam omnes tenentur, non contra legem humanam pœnas haſce imponentem, quia diſpenſatio ab obligatione legis humanæ eum liberavit. Peccat quidem ſecundum gravitatem materiæ & ſpeciem actus per legem humanam præſcripti; quia lex naturalis ſe accommodat in obligando materiæ gravitati, & eam præſcribit motivo, quo lex humana. Sic peccat graviter contra temperantiam, qui legem ieiunii non obſervat ex diſpenſatione iniuſte obtenta.

Nota tamen, quod licet ſubditus dubitet de ſufficienti ratione petendi diſpenſationem, non tamen peccat illam ſincere proponendo Superiori, nec utendo diſpenſatione, ſi detur, dummodo dubium deponat ſe conformando iudicio Superioris, qui (niſi in contrarium conſtet) cenſendus eſt prudenter iudicaſſe cauſſam ſufficientem diſpenſandi.

Sed quia invalidari poteſt diſpenſatio etiam ex parte petentis, antequam de hoc agatur, operæ pretium eſt, illud etiam præmittere, quod ſpectat ad reſcripta, in quibus diſpenſationes conceſſæ exarantur, ac per ea expediuntur. Reſcripta alia ſunt gratiæ, alia iuſtitiæ. Reſcripta gratiæ ea dicuntur, quæ ad obtinenda beneficia, diſpenſationes, ac alias gratias impetrantur: Reſcripta vero iuſtitiæ ea dicuntur, quæ obtinentur ad lites forenſes, ut alicui cura demandetur ad cauſſam in foro externo definiendam. Differentia autem præcipue inter reſcriptum gratiæ & iuſtitiæ (cæteris omiſſis) eſt, quod reſcriptum gratiæ obtentum per ſubreptionem, ſeu per ſuppreſſionem veri, irritum eſt ipſo iure, ac ideo actus virtute illius facti ſunt invalidi. Reſcriptum vero iuſtitiæ obtentum per ſubreptionem, validum eſt per ſe loquendo, donec pars contra quam obtentum eſt, iudicet ſubrepetitium eſſe, & curet elidi. C. *ſi autem*, & Cap. *plerique de Reſcriptis*. His præmiſſis ſit.

Reſcriptum aliud gratiæ, aliud iuſtitiæ.

Diſpenſatio nulla eſſe poteſt ex parte petitionis, ſi petitio fuerit ſubreptitia, aut obreptitia; quia tunc Superior non intendit diſpen-

Digitized by Google

Cauſſæ diſpenſandi alia finalis, alia impulſiva.

diſpenſare, nec diſpenſat niſi ſub hac tacita conditione, ſi res ita ſit, & nihil occultetur; nec voluntarium eſt, quando ignoratur quod agitur, ex Cap. 7. *de Inſtrum.* Diſpenſatio ſubreptitia ea eſt, quæ obtinetur per reticentiam veritatis exponendæ in petitione iuxta ius, & ſtylum. Obreptitia, quæ obtinetur per expoſitionem falſitatis, qua cognita data non eſſet diſpenſatio. Utraque tamen ſæpe confunditur, eo quod utraque nullius ſit roboris. Ratio prioris eſt, quia Legiſlator vult cognoſcere qualis ſit gratia, quæ poſtulatur. Ratio poſterioris eſt, quia Superior non vult diſpenſare ſine iuſta & vera cauſſa, nec poteſt cenſeri, eum peccare velle. Cauſſa vero alia eſt finalis, quæ immediate ad rem pertinet, & ob quam gratia conceditur, & ſine illa non daretur, aut ſaltem nonniſi cum quibuſdam oneribus, & limitationibus; alia impulſiva, propter quam Superior diſpenſat, ita tamen ut etiam ſine illa ſecundum rectam rationem, & cauſſæ meritum, eodem modo diſpenſaturus eſſet. Quæcumque tamen falſitatis expreſſio, vel ſuppreſſio veritatis non facit diſpenſationem obreptitiam vel ſubreptitiam, ſed tunc ſolum, quando ſiletur veritas, quæ iure, ſtylo, vel conſuetudine debet exprimi; aut allegatur falſum, cuius expreſſio eſt cauſſa finalis, ob quam Superior diſpenſare intendit; ſecus non. Et quoad primum; quia multa ſunt, quæ ſi exprimerentur, vel retardarent Pontificiam conceſſionem, vel eam prorſus averterent, ut quod petens ſit alicui vitio deditus &c. multa pariter ſunt, quæ ſi ſupprimerentur, Pontifex non ſemper concederet, ut quod petens ſit vir doctus, prudens &c. Sed ex omnium conſenſu nec hæc, nec illa vitiant diſpenſationem. Nec obſtat, quod in omni reſcripto, vel exprimatur, vel tacite ſubintelligatur ea conditio, *ſi preces veritate nitantur*; nam hæc conditio intelligi debet de veritate principali, & ſubſtantiali, ideſt motiva, non autem de accidentali, & ſecundaria, ſeu impulſiva, quæ non abſolute movet ad concedendum, ſed ſolum ad facilius concedendum; & ſine qua abſolute, licet forte difficilius voluiſſet Princeps eodem modo concedere. Quoad ſecundum vero diſpenſatio non eſt valida, niſi adſit conſenſus illius, qui diſpenſat. Quare cum diſpenſans nollit diſpenſare niſi res hoc vel illo modo ſe habeat, ſine quo diſpenſatio, vel nullatenus, vel ſaltem tali forma non conceditur, ſi ſupprimatur id quod de iure exprimendum eſt, non concurrit voluntas diſpenſantis in tali diſpenſatione fallaci expoſitione extorta.

Nihil tenet diſpenſatio, ſi eius cauſſa finalis non amplius ſubſiſtat tempore, quo conceditur a Papa, vel Pœnitentiario, Cap. *de Reſcript. in 6.* quia nolunt concedere niſi ob cauſſam, quæ tunc ſubſiſtat. Idem dicendum, ſi cauſſa non ſubſiſtat, quando Commiſſarius Epiſcopus, vel Confeſſarius diſpenſat: quia ceſſante cauſſa finali mandati ceſſat mandatum, ſi integra ſit res, ideſt nulla facta ſit litterarum executio ſeu diſpenſatio. Ulterius Commiſſarius non poteſt diſpenſare niſi ſub hac conditione, quæ vel expreſſe, vel tacite apponi ſolet, *ſi preces veritate nitantur*, quæ exigit, ut cauſſa finalis perſiſtat, & quando dantur litteræ pro diſpenſatione, & quando Commiſſarius eas exequitur; alioquin delegaretur poteſtas diſpenſandi ſine cauſſa exiſtente, quod illicitum eſt. Quare ſi cauſſa legitimandæ prolis ex conſanguinea petatur diſpenſatio in impedimento, & antequam obtineatur diſpenſatio, vel hæc a Commiſſario executioni mandetur, moriatur proles, non valet, nec executioni mandari poteſt.

Si tamen obtenta diſpenſatione, examinata, & a Commiſſario collata, ceſſet cauſſa finalis ante eius uſum v. g. ſi talis moriatur ante matrimonium contractum, iudicant alii, adhuc valere diſpenſationem ſuper impedimento; quia diſpenſatio conceditur ſub ſola conditione iam poſita, *ſi preces veritate nitantur*, cum petitio diſpenſationis examinatur. Alii vero communiter docent tunc diſpenſationem ceſſare, quia Superior non vult eam valere ceſſante cauſſa; alioquin eſſet iniquus, & culpabilis diſpenſator; idcirco in omni diſpenſatione ſubintelligitur conditio, *modo perſiſtat cauſſa tempore executionis*; idque certum videtur, præcipue ſi diſpenſatio ſit non ſuper impedimento, ſed ſuper obſervantia alicuius præcepti v. g. Officii Divini, ieiunii &c. nam ſi in his ante uſum diſpenſationis cauſſa ceſſet, manet obligatio ſervandi præceptum; quia talis cenſetur mens Superioris. Similiter ſi initio uſus ſubſiſtat cauſſa, ſed poſtea ceſſet, & diſpenſatio habeat effectum ſucceſſivum, & virtualiter ſit multiplex, tunc hæc quoque ceſſat ceſſante eius cauſſa. Sic qui ob infirmitatem, quæ videbatur forſan perpetua, indefinite diſpenſatus fuit a lege ieiunii, ſi convaleſcat, rurſus ieiunare tenetur; quia cum obligatio ieiunii ſit ſucceſſiva, & multiplex, ita ut tot ſint obligationes, quot dies ſunt ieiunii, illæ utique non poſſunt tol-

li, niſi per tot diſpenſationes virtualiter novas, ac proinde ex iuſta cauſſa: & ſemper intellige dictum id fuiſſe de cauſſa finali, non de cauſſa impulſiva, quia huius ceſſatio, vel falſitas non tollit diſpenſationem.

Quod ſi diſpenſatio ſit ſuper impedimento Matrimonii, irregularitatis, ſeu inhabilitatis, & iam executioni mandata fuerit, etiamſi ceſſet poſtea cauſſa, diſpenſatio non ceſſat. Puta, ſi quis ob parentum inopiam obtineat diſpenſationem ad Ordines, & poſt ſuſceptos Ordines ceſſet paupertas, non ideo ceſſat diſpenſatio ſuper irregularitate; quia non amplius redit impedimentum ſemel abſolute ſublatum per diſpenſationem; & quia factum legitime retractari non debet, licet caſus poſtea eveniat, a quo non potuit incohari.

Si diſpenſatio in reſcripto erraverit, puta ſi nomen Titii pro nomine Caii expreſſerit, dummodo certo conſtet de perſona, valet diſpenſatio: quia error in nomine nec mutat intentionem diſpenſantis, nec ullam cum diſpenſatione habet connexionem. Idemque dicendum ſi error profectus ſit ab Oratore; quia, ut ait Bonacina, nihil tacetur, quod connexionem habeat cum materia diſpenſationis. Immo hic error aliquando aliquid habet boni, quatenus impedit ne Superior ex odio procedat; adeoque non debet confundi cum eo, de quo loquitur Innocentius III. Cap. *ſuper litteris*. Valet pariter, ſi erratum ſit in nomine Diœceſis, nempe poſita ſit una Diœceſis pro altera, puta Tarviſina pro Patavina; quia, ut notat citatus Bonacina cum aliis, in Reſcriptis non tam verba, quam intentio Papæ ſpectari debet, quæ eſſe ſolet, ut Reſcriptum ſuum ad petentis Ordinarium dirigatur; unde Ordinarius petentis poteſt illud executioni mandare.

Non vitiatur Reſcriptum, ſi ſcriptor Brevis ex errore unum impedimentum pro alio v. g. tertium affinitatis gradum pro gradu conſanguinitatis ſcripſerit, ac proinde valet, dummodo conſtet veritatem expoſitam fuiſſe; quia Reſcriptum vim habet a voluntate Pontificis, & quia Cap. *de Reſcript. in* 6. dicitur, verba reſcripti ſtricte interpretanda eſſe, niſi de intentione mandantis aliud appareat. Quod ſi petens diſpenſationem, ex inadvertentia loco affinitatis expreſſerit conſanguinitatem, non valet diſpenſatio; quia etſi facilius diſpenſaſſet Pontifex in affinitate, quam in conſanguinitate, reipſa tamen non diſpenſavit in eo quod ſibi propoſitum non fuit. Inadvertentia excuſat quidem a culpa, ſed non facit quod validum ſit id quod de ſe eſt invalidum: idemque dicito, ſi loco voti expreſſerit iuramentum. An vero valeat diſpenſatio, ſi per errorem ſcripſeris te eſſe conſanguineum in ſecundo gradu, cum eſſes in tertio, diſputant Theologi, affirmantibus aliis; eo quia qui diſpenſat in maiori, multo magis diſpenſat in minori; Aliis vero negantibus, ut Pyrrhus, Conrradus, Vaneſpen &c. quia Papa id ſolum concedere vult, quod ei poſtulatur. Sed prima opinio videtur tuta in praxi, eamque ſequitur Pontas Verb. *diſpenſatio* de Matrimonio caſu 12. & faver iuris regula: *in eo, quod plus ſit, ſemper ineſt minus*, & hæc altera; *debet cui plus licet, & minus licere*.

Valet item diſpenſatio iis, quorum unus eſt in tertio gradu, alter in quarto, & qui gradum propinquiorem non expreſſerunt, ut tenent Panormitanus, Toletus, Sylvius, Natalis Alexander, Pontas, aliique contra aliquos, quia ita habetur in Conſtitut. Pii V. edita anno 1566. in qua is ſtatuit, & ordinavit, quod de cætero *in quibuſdam diſpenſationibus ... conſanguinitatis, & affinitatis gradus remotior attendatur, trahatque ſecum propinquiorem, & ob id ſufficiat remotiorem tantum gradum exprimere, excepto ſolum primo gradu, cum in eo Sanctitas ſua nunquam diſpenſare intendat*. Vult tamen idem Sanctus Pontifex, ut is cum quo diſpenſatum eſt, obtineat litteras declaratorias ſuper gradu propinquiori. Verum hæ Litteræ ſecundum Sylvium, & Salmaticenſes non requiruntur, niſi timeatur ſcandalum vulgi, qui ſæpe cenſet gradum propinquiorem eſſe computandum; Immo ſi abſolute non peterentur, diſpenſatio nihilominus eſſet valida.

Non eſſet tamen valida diſpenſatio ab affinibus obtenta, vel conſanguineis, qui in petitione prævium inceſtum non expreſſerint; etenim exigit Curiæ Romanæ ſtylus, ut primo exprimatur inceſtus, commiſſus etiam cum ignorantia impedimenti; ſecundo ut exprimatur, an cum cognitione impedimenti fuerit commiſſus; tertio an fuerit commiſſus ſpe facilius conſequendi diſpenſationem, cum in tali caſu diſpenſatio ſoleat negari, ne tali ſpe magis homines ad culpam alliciantur. Ita Tournelly cum Pyhrro, Conrrado, qui docent quoque manifeſtare debere carnalem copulam, ſi quam inter ſe habuerint, qui poſtulant diſpenſari ab impedimento Spiritualis cognationis, & publicæ honeſtatis. Num vero ſemel aut plu-

ries

ries tale commercium ſecutum ſit, hoc non eſt neceſſe aperire. Si vero habere inceperint carnale commercium poſt obtentam Romæ diſpenſationem, hæc diſpenſatio ſecundum aliquos non tenet; quia diſpenſatio ut nunc datur in forma commiſſoria, non tam eſt actualis diſpenſatio, quam mandatum de diſpenſando directum ad Officialem loci, ut inquirat, an res eo ſe habeant modo, quo expreſſæ fuerunt. At tempore verificationis non eſt verum, quod nulla inter partes præceſſerit copula carnalis; & huic ſententiæ favet praxis Romanæ Curiæ, necnon declaratio S. Congreg. Concilii Tridentini interpretis. Quod ſi partes ante ipſam petitionem diſpenſationis rem turpem habuerint, & expreſſerint, ſi in idem ſcelus relabantur antequam data ſit diſpenſatio, tunc tenet, cum non requiratur manifeſtare crimen quoad numerum. Si vero relabantur poſtquam Romæ obtenta fuit diſpenſatio, circa validitatem diſpenſationis obtentæ variant Theologi; etenim alii putant, opus eſſe nova diſpenſatione, ut inter alios ſatis aperte Ludovicus Habert Cap. 13. *de legibus*. Alii vero communius id negant, ut Sanchez, Sylvius, omneſque Romani Canoniſtæ, quia tunc copula poſt diſpenſationem non eſt inceſtus, cum non dicatur inceſtus niſi commixtio carnalis inter conſanguineos, & affines ſine diſpenſatione Matrimoniali, ut docent Caiet. Vega, Sanchez; & quia etiamſi ea copula foret inceſtus, non deberet cenſeri diremptivus Matrimonii; inceſtus enim, ut notat ibidem Habertus, hodie non computatur inter impedimenta Matrimonii: unde caput *ſi quis de eo qui cognovit* &c. contraria conſuetudine abrogatum eſt.

Num vero diſpenſatio teneat, quando copulative plures allegantur cauſſæ, quarum una falſa ſit, alia vera, & etiam talis, ob quam, licet ſola expoſita fuiſſet, Summus Pontifex diſpenſaret, videndum eſt, propter quam cauſſam, tamquam ob cauſſam finalem diſpenſatio concedatur. Si concedatur ob cauſſam veram, valet diſpenſatio, ſi ob falſam diſpenſatio invalida eſt. Si Titius v. g. petat diſpenſationem contrahendi cum conſanguinea, narrando pro cauſſa diſpenſationis copulam habitam, & periculum ſcandali, & infamiæ inde ſuboriturae, Titius dicitur tunc petere diſpenſationem ob plures cauſſas copulative, & hæc diſpenſatio non eſt valida, ſi revera non adſit periculum infamiæ, cum Pontifex difficilius concedere ſoleat diſpenſationem inter conſanguineos, quando copula interceſſerit. Copula in hoc caſu non dicitur habere connexionem cum materia diſpenſationis; unde Pontifex tunc concedit diſpenſationem non ob copulam, ſe ob prædictum periculum; quod ſi falſum ſit adeſſe tale periculum, invalida eſt diſpenſatio. Item quando diſpenſatio conceditur ob duplicem cauſſam, cuius neutra eſt ſufficiens materia ad diſpenſationem ſaltem eo modo, ſed utraque ſimul eſt ſufficiens; ſi una earum ſit falſa, diſpenſatio eſt invalida; cum in tali caſu diſpenſatio propter utramque ſimul concedatur, tamquam cauſſam finalem, cum altera non ſufficiat ad concedendam diſpenſationem, ſaltem eo modo. Dixi, *ſi plures cauſſæ copulative narrentur*; quia quando plures cauſſæ disiunctive narrantur, ſufficit aliquam earum eſſe veram; nam tunc adeſt actualis diſpenſatio, & intentio diſpenſandi ex quaſi cauſſa disiunctive narrata. Suarez, Sanchez, Bonacina.

Valet diſpenſatio, licet qui eam obtinuit non expreſſerit ſibi iam alias denegatam eſſe; quia nec ius ullum, nec ſtylus Curiæ, aut conſuetudo exigunt hoc exprimi; & valet ea diſpenſatio, quæ facta eſt a Superiore, qui vult & poteſt eam concedere. Unde valet diſpenſatio obtenta ab Epiſcopo, quæ ab eius Vicario, vel Prædeceſſore fuit denegata. An vero poſſit inferior concedere diſpenſationem quam Superior denegavit, controvertitur.

Diſpenſatio vero quæ obtenta fuit nulla facta mentione, quod eadem diſpenſatio alias impetrata fuerit, & obtenta, aliquando valida eſt, aliquando non. Valet quando utraque diſpenſatio pertinet ad res plane diverſas; ut ſi qui olim diſpenſationem in voto caſtitatis obtinuit, nunc diſpenſationem petat in ieiunio: ſicut cum quis diſpenſationem obtinuerit ad deſponſandam conſanguineam, aut affinem, & ea uſus non eſt, & ſi uſus eſt, mortua eſt conſanguinea quam duxerat, & ſimilia. Ita Sanc. Bonac. Valet etiam in eadem cauſſa ſi prior diſpenſatio nulla fuit, tum quia ex Regula 52. Iuris in 6. *non præſtat impedimentum, quod de iure non ſortitur effectum*, tum quia nullum ius eſt, nulla ratio, unde ſatis probetur invalidam eſſe diſpenſationem, quæ ſine præcedentis invalidæ mentione obtineatur. Non valet autem quando primæ diſpenſationis obtentio moraliter valde adauget difficultatem ſecundæ conceſſionis, adeo ut omiſſa primæ diſpenſationis mentione diſpenſans vere non intelligat, an cauſſa ſibi propoſita qualitatem, & quanti-

Digitized by Google

ratem gratiæ adæquet. Et hæc regula traditur a Suarez l. 6. *de legib. C.* 23. *n.* 12. Hinc non valet diſpenſatio ad ſecundum beneficium, niſi primum licet tenuiſſimum exprimatur ex C. *ad aures de reſcript.* Item diſpenſatus ſuper reſidentia ad quinquennium, ſubreptitie diſpenſatur ad aliud quinquennium, niſi mentionem faciat prioris diſpenſationis.

Ad hoc ut valide ſit diſpenſatio impetrata ab eo, qui duplici ligatur impedimento, ſi diſpenſatio ad diverſum finem obtineatur, non eſt neceſſe, ut utrumque explicet impedimentum. Unde qui vult diſpenſari in voto caſtitatis, exprimere non debet ſe eſſe irregularem ex defectu natalium; quia neceſſitas omnia exprimendi impedimenta in caſu præſenti, nec iure ullo, nec ſtylo, nec ratione probari poteſt. Si autem diſpenſatio ordinetur ad eumdem finem, puta ad unum matrimonium, mentio facienda eſt omnium impedimentorum, quæ huic fini opponuntur. 1. quia ſic uſu, & ſtylo Curiæ receptum eſt. 2. quia alioquin decipitur Pontifex in re intrinſeca diſpenſationis, & qua cognita, vel diſpenſationem non concederet, vel non eadem forma. Hinc ſi quis caſtitatis aut Religionis voto ligatus contrahere velit cum conſanguinea, debet utrumque impedimentum in eadem ſupplicatione exprimere. Qui tamen a Papa, vel ab Epiſcopo prius obtinuit voti caſtitatis, aut nubendi diſpenſationem, ſi vellet poſtea conſanguineam ducere, nova ſuper voto ſuo diſpenſatione non indiget, nec teneretur mentionem facere prioris diſpenſationis obtentæ.

Limitatur tamen hæc doctrina de aperiendo omni impedimento, primo quando unum impedimentum tolli poſſit alia via, quam per diſpenſationem. Sic qui vellet ducere conſanguineam, & ante pubertatem votum caſtitatis emiſerit, non tenetur in diſpenſatione petenda voti huius meminiſſe, ſecundum eos; qui votum ante pubertatem emiſſum, nec in pubertate ratificatum, putant poſſe a parentibus irritari. Secundo ſi unum impedimentum ſit occultum, & tunc ſufficit ſi petatur a Papa diſpenſatio impedimenti publici, occulti vero a S. Pœnitentiaria, cui tamen ex eius ſtylo, & praxi explicandum eſt, petitam eſſe, vel petendam a Pontifice diſpenſationem impedimenti publici. Tunc enim expendere poteſt Pontifex, an concurrente duplici hoc impedimento expediat diſpenſare, nec ne, & id ſine ulla petentis infamia; quia in petitione apud S. Pœnitentiariam nomen petentis non exprimitur. Occultum autem impedimentum illud dicitur, quod non poteſt probari, & manifeſtum, quod probari poteſt, & tunc, ideſt quando crimen eſt manifeſtum, maior Pœnitentiarius remittit ſupplicationem ad Datariam.

§. LIII.

De Requiſitis in expediendis mandatis Summi Pontificis & S. Pœnitentiariæ circa diſpenſationes.

Nota 1. differre diſpenſationes, quæ conceduntur pro foro externo ab iis, quæ conceduntur pro foro interno ſeu conſcientiæ: nam quæ conceduntur pro foro externo, committuntur Ordinariis locorum, ſaltem extraiudicialiter cognoſcendæ, prout decrevit Concilium Tridentinum Seſſ. 22. cap. 5. Quæ vero conceduntur pro foro interno, & conſcientiæ, non neceſſario præſentantur Ordinario illius, qui eas impetravit; quia hoc nullo iure cavetur, nec colligitur ex reſcriptis a Sede Apoſtolica, & a S. Pœnitentiaria conceſſis, ut Barboſa *in remiſſio*: a Concil. Trident. Seſſ. 22. Cap. 5.

Nota 2. tria circa rem hanc obſervanda; primo materiam cauſaſque, nempe caſus in quibus diſpenſationes iſtæ concedi ſolent; ſecundo formam litterarum Apoſtolicarum, & Pœnitentiariæ, quibus diſpenſatio committitur Confeſſario, quarum nonnulla verba explicatione indigent; tertio ipſam diſpenſationis executionem, & quid in tali executione obſervandum ſit. Quid obſervandum circa diſpenſationes.

Diſpenſationes, ſive gratiæ in triplici materia ſolent concedi, & iuxta diverſitatem eiuſdem materiæ diverſa quoque eſt forma, qua fit diſpenſatio. Primo ſolet diſpenſari in votis, v. g. ut in Voto Religionis ob inopiam parentum, fratrum, & alia ſimili ex cauſa, ut quis a voto ſimplicis caſtitatis vel etiam Religionis (poſtquam matrimonium contraxit) abſolvatur ad manendum in matrimonio, debitumque licite petendum; ut a voto Religionis (ob debilitatem virium per quas eius onera ferre non poſſit, aut ob metum incontinentiæ, aut dotis defectum) abſolvatur in ordine ad contrahendum matrimonium. Secundo in impedimentis occultis matrimonii; ſive ea ſint impedientia tantum, ſive dirimentia, ſive matrimonium cum hiſce contractum ſit, ſive contrahendum, dummodo privatim de eo actum fuerit, & concluſum, præſertim bona fide; ſive etiam quando contracto ſuperveniant:

niant. Circa quæ notandum primo, impedimenta dici occulta, quæ vel nulli, vel uni tantum, & alteri nota ſint, non tamen ad forum contentioſum ſint deducta; ſecundo etſi aliqua impedimenta, puta ſpiritualis cognitionis natura ſua ſint publica, eo quod in facie Eccleſiæ contrahantur, fieri tamen poteſt per accidens, ut ſint occulta v. g. ob diuturnitatem temporis, ex quo ſunt contracta, vel ob diſtantiam loci a loco contractæ cognationis, vel per mortem eorum, qui fuerunt conſcii, vel per ignorantiam huius contractionis; tertio in variis cenſuris, ut excommunicationibus, ſuſpenſionibus, irregularitatibus, præſertim occultis, ad abſolvendum ab iis, diſpenſandum, & rehabilitandum &c. Item ad condonandam obligationem reſtitutionis, ob neglectas Horas Canonicas, eligendum Confeſſarium etiam pro reſervatis, tranſeundum ad aliam Religionem, ſive Ordinem (in utroque foro) etiam poſt Apoſtaſiam a ſuo Ordine.

Formulæ frequentiores ipſius Brevis Apoſtolici verba continent ſubſtantialia, quæ difficultatem pariunt, & ſunt ſequentia 1. *Si eſt ita, vel quatenus ſi ita eſt*: quorum ſenſus eſt, ſi preces, præſertim tempore, quo litteræ datæ ſunt, veritate nitantur, nempe ſi res ita revera ſe haberet, ſicut in ſupplici libello fuit expoſita. Et veritas requiritur ſpecialiter quoad eſſentiam facti, puta affinitatem eſſe contractam, inceſtum commiſſum, & tractatum fuiſſe de matrimonio (intellige perfecte; itaut in idem uterque conſenſerit, & periculum, quod manifeſtetur, ac Scandalum oriatur) Requiritur autem ſecundario, quoad accidentalia v. g. bona fide actum eſſe, & ſimilia, quæ tantum ſunt impulſiva, & ſine quibus diſpenſationes huiuſmodi nihilominus conceduntur. Unde licet in iis aliiſve parvi momenti erratum ſit in petitione, conceſſio gratiæ non redditur invalida. Secundo *ſi periculum immineat revelationis*; nam ad hoc, ut diſpenſatio ſubſiſtat, requiritur, quod ſit periculum ut impedimentum reveletur (hoc tamen intelligendum, quando in formula ſit expreſſum) ſi non ſubſequatur matrimonium: periculum vero hic non dicit neceſſariam, ſed tantum moralem credulitatem, quod revelatio ſequatur, ſi reſiliatur a matrimonio contrahendo. Tertio *& Scandalum*: re & nomine hic intelligitur quævis infamia, ex qua poſtea ſequantur contentiones, minæ, pugnæ, Quarto *ut dicta mulier ſit de nullitate prioris conſenſus certiorata &c.* hæc clauſula eſt ſubſtantialis, ut nempe ſi agatur de diſpenſatione in impedimento dirimente, cum quo in facie Eccleſiæ contractum fuit matrimonium, pars, ſeu coniux ignorans tale impedimentum certificetur de nullitate ipſius prioris matrimonii, & novum validumque libere præſtet conſenſum. Verum obſervat Reginaldus, & Sanchez, hanc conditionem non eſſe omnino neceſſariam, quia illa verba *de nullitate matrimonii certiorari* non important conditionem, & formam, ut docet uſus ipſe, & praxis, ſed inſtructionem Confeſſarii de eo, quod facere debet, ſi commode poteſt; quia alias ſæpe huiuſmodi diſpenſationes fruſtrarentur ſuo valore ob incommoda, quæ poſſent ſuboriri præſertim ex parte fœminæ, ſi hæc nullitatem conſenſus neceſſario detegere cogeretur. Satis igitur erit, ut conſenſum iſtum præſtent etiam ſecreto inter ſe, ſine ullo teſte, per verba, vel ſigna ſignificantia, per copulam v. g. affectu maritali. Idcirco non debet executor litterarum diſpenſationis eos copulare per mutuum conſenſum ab ipſis præſtitum coram ſe, & teſtibus. Quinto *poſtquam dicto Sacerdoti ſi nondum ſatisfecerit &c.* verba huiuſmodi eſſe ſolent in facultate abſolvendi ab excommunicatione v. g. ob Clerici percuſſionem, & afferunt conditionem, ut antequam poſſit læſor abſolvi, ſatisfaciat parti læſæ, hoc eſt compenſando iniuriam, expenſas, & damna omnia, quæ ob illam percuſſionem læſus incurrit, quorum æſtimatio committitur executori diſpenſationis. Neque tamen liberatur a tali onere percuſſor per hoc, quod percuſſus obligationem totam reo condonaverit, & remiſerit. Quod ſi forte nequeat ſatisfacere in præſenti, ſatis eſt, ſi promittat iuramento, ſe, quam primum poterit, facturum ſatis.

Circa praxim vero, ſive executionem huiuſcemodi litterarum diſpenſationis, ita agendum eſt. Litteræ Sacræ Pœnitentiariæ iam diriguntur ad Oratorem, ideſt ad ipſum, qui per ſe, vel per alium diſpenſationem impetravit, qui non tenetur eas reſignare, ſed talem Confeſſarium eligere, quali inſcribuntur, qui eas ſibi ab Oratore traditas aperiat, eidem reſignet, legat, & deinde cum eo ſecundum commiſſionem diſpenſet. Praxis pro executione litterarum diſpenſationis.

Confeſſarius vero in concedenda diſpenſatione vi litterarum Sacræ Pœnitentiariæ, ſeu reſcripti Apoſtolici debet conditiones ſequentes reſpicere. Et primo reſpectu ſui ipſius iuxta clauſulam quæ in litteris ſolet apponi, ideſt *Diſcreto viro Confeſſori, magi-*

ſtro in Theologia vel Decretorum Doctori, ex approbatis ab ordinario, per latorem præſentium ad infraſcripta ſpecialiter eligendo. Unde ex litterarum contextu requiritur, ut is, qui huiuſmodi litteras ſive reſcripta expedire debet, ſit approbatus ad Confeſſiones ab ordinario. An vero approbatus ad certum genus vel numerum perſonarum, puta ad Confeſſiones virorum, eligi poſſit a fœmina ad excipiendam diſpenſationem ſibi conceſſam, probabilior eſt hunc non intelligi, ſed Confeſſarium abſolute approbatum, ideſt pro utroque ſexu, quia in tali caſu, & eſt proprie, & dici poteſt approbatus.

Secunda conditio eſt, quod ſi ſpecialiter electus ab Oratore, ſeu Pœnitente, ut ex verbis clauſulæ quæ ſolet apponi, exequi recuſet, vel ob nimium rigorem pœnitenti diſpliceat, poteſt pœnitens alium eligere, qui onus ſuſcipere velit executionis, & qui non laxe, ſed aliquantulum mitius procedat; cum talis etiam ſit mens concedentis ex conditione, quam exponit in executore eligendo, quem vult eſſe diſcretum *diſcreto viro*, ideſt qui nec laxus ſit, nec nimium rigidus.

Tertia conditio eſt, quod ſit magiſter, ſive Doctor in Theologia, aut iure Canonico in aliqua publica Academia. Quare, ut communiter, non poſſunt exequi has litteras, nec Licentiati, licet in favorabilibus veniant nomine Doctoris in iis, quæ pertinent ad exercitium Doctoris, nec qui hæc publice docent etiam in Academis, nec Lectores, & profeſſores Regulares, qui iuxta Ordinum inſtituta vocantur magiſtri Theologiæ, & iuris Canonici, niſi in publica aliqua Univerſitate, vel Academia realiter; & formaliter inſigniti ſint Laurea Doctorali. Poſſunt tamen etiam ſine hoc requiſito ii, quibus competit ex ſpeciali privilegio Apoſtolico. Sic ex tali privilegio expedire poſſunt litteras Sacræ Pœnitentiariæ, & prout opus fuerit diſpenſare Lectores iubilati Fratrum Minorum de obſervantia, prout expreſſe eis conceſſit Innocentius XI. 27. Novembris an. 1679. Conſtit. quæ incip. *exponent nobis*. Item ex hoc titulo Patres Confeſſarii Societatis Ieſu, non omnes tamen, ſed ii, qui ab eorum Præpoſito Generali, vel de eius licentia ab aliis Societatis Superioribus ad id ſpecialiter deſignati ſunt, prout expreſſe conſtat ex Bulla Gregorii XIII. qui hoc privilegium conceſſit die 3. April. 1582. Idemque poſſe credunt ex communicatione cum privilegiis Societatis Ieſu alii Mendicantes. Immo in caſu quod Sacra Pœnitentiaria commiſſionem, & inſcriptionem ita faciat, ut ſæpe ſolet pro faciliori executione ſuarum litterarum, & expeditione, *diſcreto viro Confeſſori, ex approbatis ab ordinario*; tunc poterit quivis approbatus ab ordinario etiam non laureatus, nec privilegiatus ſive ſæcularis ſit, ſive regularis, eaſdem litteras exequi, & expedire. Hæc autem intelliguntur pro executione, non pro aperitione earumdem litterarum, quæ fieri poteſt a quocumque, abſque eo quod quid de ſua virtute amittant.

Quarta conditio eſt, ut non diſpenſet ſine cauſſa, propter quam Sanctus Pontifex vel Sacra Pœnitentiaria diſpenſandi facultatem commiſit. Triplici autem de cauſſa concedi ſolent diſpenſationes ad contrahenda Matrimonia, nempe ex defectu dotis, ex defectu viri æqualis, & ex timore incontinentiæ. Verum circa hanc tertiam cauſſam, ob quam concedi ſolent diſpenſationes in voto caſtitatis, obſerva, requiri multum periculum incontinentiæ & frequentis lapſus, ſive hoc periculum proveniat ex carnis fragilitate, ſive ex prava conſuetudine, & habitu; & hoc colligitur ex verbis in reſcripto Apoſtolico, vel Litteris Pœnitentiariæ contentis, in quibus non fit diſtinctio cauſſæ, ex qua periculum provenit: dicitur enim *ſtimulis carnis adeo agitatum, ut maxime dubitet ſe continere*. Ita Doctores.

Quinta conditio eſt, ut rei veritatem, niſi notoria ſit, vel aliunde conſtet, ab ipſo pœnitente diligenter inquirat. Unde non tenetur Confeſſarius hanc ab alio inquirere, quia non præſcribitur hoc in reſcripto, & quia in Tribunali Pœnitentiæ ſtandum eſt pœnitenti. Dixi *niſi notoria ſit, vel aliunde conſtet*; quia ſi notoria ſit, & conſtet aliunde, cum nullus cogatur ad opus inutile, tunc ſupervacanea eſt Confeſſario omnis alia inquiſitio, & examen. Facienda eſt talis inquiſitio cauſſæ a Confeſſario, niſi hoc ei aliunde conſtet; quia invalida eſt diſpenſatio ſine prævia cauſſæ cognitione; nam hoc in reſcripto præſcribitur, & limitatur facultas Confeſſarii, cum dicitur; *ſi per diligentem examinationem inveneris ita eſſe*; quæ verba important conditionem, & formam actus: actus autem invalidus eſt, niſi forma & conditio impleatur, & eo vel maxime, quod Confeſſarius hic non eſt merus executor, ſed Iudex etiam, cui committitur facultas diſpenſandi. Circa illa verba autem, quæ in reſcripto habentur, *ac poſt monita, & conſilia opportuna* &c. hiſce verbis imponitur Confeſſario de admonendo

pœ-

Digitized by Google

pœnitente ad aperiendam veritatem, ne irrita ſit diſpenſatio, ut hic Reginaldus; non eſt tamen reus culpæ, ſi inquiſitioni non addat Confeſſarius dictam admonitionem. Nota, quod his verbis non inducitur forma ſubſtantialis, cum hoc non ſit aliquid ſubſtantiale, ſed quid prævium ad diſpenſationem, & hoc exponit quid Confeſſarius ante diſpenſationem facere debeat. Ita Reginaldus, Sanchez &c.

Sexta conditio eſt, ut is, cui Reſcriptum Apoſtolicum exhibetur ad diſpenſandum in Matrimonio, non diſpenſet niſi impedimentum ſit occultum, cum in clauſula Bullæ dicatur, *modo impedimentum inde proveniens occultum ſit*. Illud autem dicitur occultum, quod neſcitur a maiori parte Viciniæ, Oppidi, Collegii, vel Monaſterii, modo in eo Collegio, vel Monaſterio inveniantur ſaltem decem perſonæ. Debet eſſe occultum, quia Pontifex facultatem concedit diſpenſandi ſuper hoc impedimentum occultum, ad publicum ſcandalum vitandum, & ſcandalum vitatur, ſi modo dicto ſit occultum, & eſt occultum, quando etiamſi res ipſa ſciatur, ignoratur tamen ſecundum rationem impedimenti. Ita Sanchez cum aliis.

Septima conditio eſt, ut præcedat Confeſſio; quia debet diſpenſare in Confeſſione, vel immediate poſt, quando tamen Confeſſio in litteris præſcribatur; cum Confeſſio Sacramentalis non ſemper præſcribatur, ut conditio neceſſaria; nam non ſemper dicitur (præcipue in Brevibus Apoſtolicis) *audita Confeſſione, vel ſi confeſſus fuerit*, quæ particulæ conditionem Confeſſionis important. Et equidem aliquando occurrunt diſpenſanda, quæ non ſunt peccata, idcirco non auferenda per abſolutionem Sacramentalem.

Octava conditio eſt, ut pia iniungat opera, ſicut in Brevi vel litteris præſcribitur, quæ prudenter iudicaverit imponenda; quia licet ea non poſſit tollere, & removere, poteſt tamen prudenti diſcretione moderari, prout expedire iudicaverit, conſiderata qualitate pœnitentis & operis imponendi, iis tamen exceptis, quæ in Bulla exprimuntur, quia hæc prout exprimuntur, ſunt iniungenda, nec moderanda, niſi quando in litteris talis detur facultas, ut quando in privilegio ſit mentio confeſſionis menſtruæ, de qua ita dicitur in Reſcripto: *per confeſſionem menſtruam, vel quoties tibi videbitur*; ex quibus verbis colligitur facultas conceſſa executori moderandi rem plus minuſve, prout ei expedire videbitur.

In diſpenſationibus, quæ obtinentur in impedimento ratione delicti, ad matrimonium contrahendum, utrique pœna iniungenda eſt, ſi uterque deliquit, ſecus ſolum parti reæ.

Confeſſio fieri poteſt in quacumque die menſis, dummodo fiat antequam terminet; ſi aliquo menſe obliviſcatur, vel quomodocumque Confeſſionem omittat, non tenetur eam ſupplere; quia terminus videtur appoſitus ad finiendam obligationem. Si autem fiat quod concurrat obligatio pœnitentiæ cum obligatione Confeſſionis annuæ in Paſchatæ, non ſupplebit cum Confeſſione pro præcepto etiam Confeſſioni pro pœnitentia; quia ſunt duo debita diſtincta, ſicut præceptum & votum.

Nona conditio eſt, ut facta diſpenſatione litteras Confeſſarius dilaceret, cum ita in his præcipiatur; immo aliquando hoc præcipitur ſub pœna excommunicationis ipſo facto, & aliquando ſub pœna, ut litteræ parti non ſuffragentur, ſi parti reddantur. Sed hoc intellige non quod ammittant ſuum valorem in foro interno, & conſcientiæ, cum laceratio non ſit de eſſentia diſpenſationis, ſed ſolum quod illi non ſuffragentur in foro externo: ſic Bonacina, Molina, & alii. Quare neque atteſtationem diſpenſationis factæ, neque ipſum Breve, vel litteras ullo modo reddere debet.

Decima conditio eſt, ut pro diſpenſatione facienda nihil penitus exigatur, nequidem titulo compenſationis pro diſpenſatione, etiamſi fiat pro foro externo, cum ſoleat apponi præcipue litteris Sacræ Pœnitentiariæ clauſula: *gratis ubique*; & hoc committitur ſub pœna excommunicationis maioris, ita ut neque ſummus Pœnitentiarius (ſicut pluribus oſtendit Navarrus) quidquam etiam ſponte oblatum ſub dicta pœna recipere poſſit.

Circa vero verba diſpenſationis, quia nec a iure ullo, nec in litteris, vel Brevibus aliqua ſpecialia præſcribuntur, tametſi in litteris Sacræ Pœnitentiariæ addi ſoleat, ut diſpenſetur in forma Pœnitentiariæ; neceſſaria ideo non eſt certa particularis forma, ſed ſervanda eſt forma a Rituali Romano probata, cum in Reſcriptis Apoſtolicis pro aliqua diſpenſatione habeantur hæc verba: *In forma Eccleſiæ conſueta abſolvatur* &c. & poſt verba iſta *Abſolvo te a peccatis tuis*, ſubdere debet Confeſſarius ſupradictarum litterarum, vel Brevium diſpenſationis alicuius executor; *& eadem auctoritate declaro te in dicto Matrimonio manere*, (ſi ſit diſpen-

ſpenſatio in aliquo Matrimonii impedimento) *& debitum reddere poſſe, & debere, nec non diſpenſo tecum, ut idem debitum etiam exigere licite valeas. In nomine Patris, & Filii*, &c. Si vero abſolvendus ſit ab excommunicatione, videatur ipſius abſolutionis conſueta formula.

Circa vero clauſulam legitimationis prolis, quæ conſueſcit apponi, dum diſpenſatio conceditur ob præcedentem occultam affinitatem, vel inceſtum occultum, vel ob matrimonium ratione occulti impedimenti dirimentis invalide celebratum: ad hoc reſpondent Bonacina, Reginal. Sanchez, hoc operari, quod filius non eſt cenſendus irregularis, ſed eſt habilis ad Ordines, & Beneficia Eccleſiaſtica.

§. LIV.

De Tolerantia, derogatione, & abrogatione legis.

Inter ea, per quæ obſervantia legis tollitur, & ceſſat eius obligatio, vel in partem, vel in totum, prior eſt Tolerantia, quæ eſt permiſſio negativa rei prohibitæ, ſeu legis adhuc vigentis infractio, quæ tamen nec punitur, nec arguitur. Et hæc aliquando neceſſaria eſt tum ad evitandum maius malum, tum ne pax Reipublicæ ſive Eccleſiaſticæ, ſive Civilis turbetur, ut ex S. Auguſtino l. 15. *de Civit. Dei* Cap. 18. Ceſſante igitur tali neceſſitate Legiſlator, aut ii qui ex officio invigilare tenentur, ut leges obſerventur, licite uti non poſſunt tolerantia, ut Epiſtola 22. Cap. 5. docet Innocentius Papa I. *Quod neceſſitas pro remedio invenit, ceſſante neceſſitate debet utique ceſſare pariter quod urgebit; quia alind ordo legitimus, aliud uſurpatio, quam ad præſens fieri tempus impedit.*

Tollitur 2. Obligatio legis per derogationem, quæ eſt imminutio legis, quæ viget ſecundum aliquam eius partem v. g. quando tempore Quadrageſimæ ovorum uſus permittitur. Hæc autem fieri nequit, niſi per Superiorem, & quidem cum cauſa, quæ bonum commune reſpiciat, cum ſit velut quædam a lege ſecundum aliquam ſui partem diſpenſatio.

Tollitur 3. obligatio legis in totum per abrogationem, quæ eſt totius legis abolitio, ut lex Moyſis, quæ per Evangelium penitus antiquata fuit, & abolita quoad omnes ſuas partes eſſentiales & cæremoniales. Tollitur per derogationem, quando tollitur in partes; per irritationem, quando lex ab inferiore inſtituta, auctoritate Superioris reſcinditur, ſeu irritatur. Princeps valide abrogare poteſt legem latam a ſe, vel a ſuo anteceſſore, vel ab inferiore ſibi ſubordinato etiam ſine iuſta cauſa; quia lex poſitiva ut fiat, & conſervetur, a voluntate pendet Legiſlatoris; cum lex ſit actus, & uſus poteſtatis præcipiendi, & obligandi ſubditos, quæ poteſtas eadem eſt in Succeſſore, & maior etiam in Superiore, cui ſubordinatur Legiſlator. Hinc poteſt Epiſcopus conſtitutiones factas in Synodo Diœceſana abrogare, quia hæ leges nonniſi Epiſcopi auctoritate latæ ſunt; nam Clerici omnes, qui interſunt Synodo Diœceſanæ, non habent vocem deciſivam, ut ex Barboſa Salmanticenſes, qui tamen advertunt raro expedire, ut in Synodis conſtituta abrogentur.

Inferiores non poſſunt abrogare legem Superioris ſine eius conceſſione, ex Clement. *de elect.* quia inferiores non poſſunt prævalere poteſtati, & voluntati Superiorum; alias inferior excelleret auctoritate Superiorem.

Abrogans legem ſine iuſta cauſa peccat; quia nocet bono communi. Non peccant tamen ſubditi non obſervando legem ſic abrogatam; quia cum ſit valide abrogata, omnibus ſublata eſt obligatio eam obſervandi.

Nota, legem triplici modo abrogari, nempe per ſimplicem revocationem; per diſuetudinem, & contrarium uſum, expreſſe, aut tacite a ſuperiore approbatum, vel legitime præſcriptum; tandem per aliam legem, qua vel declaratur revocatio prioris, vel contrarium priori legi ſtatuitur; quia ſi lex poſterior ſtare nequit cum priore, illam revocat. Leges tamen ſpeciales per poſteriores generales non abrogantur ſine expreſſa earum mentione, vel clauſula ſaltem generali expreſſe derogatoria; quia, aiunt Canoniſtæ, Princeps cenſetur ignorare legem, cuius expreſſam mentionem non facit, vel cui expreſſe non derogat, ex *Capite 1. D. Conſtit. in 6.*

Invalidatur lex etiam irritatione, nempe cum lex lata ſit nulla, & invalida antequam recipiatur. Et lex humana irritatur, vel quando per contrariam & uſu receptam conſuetudinem ab hominibus ſapientibus, & fidelibus executioni non mandatur, vel cum in Legiſlatore defuerunt poteſtas, vel voluntas obligandi ad legis a ſe latæ obſervantiam. Item irritantur leges, quæ iuri naturali, aut Divino contrariæ ſunt, vel quæ fundantur, ſicut iam vidimus, in falſa facti præſumptione.

No-

Nota, quod non omne illicitum ſemper ſit irritum, ut patet in Matrimonio contracto cum voto ſimplici caſtitatis, quod licet ſit illicitum, tamen non eſt irritum. Aliqua vero illicita ſunt irrita: ſed hoc non oritur ex parte illius, qui fecit illicitum, ſed ex defectu vel poteſtatis, vel voluntatis in legislatore. Idcirco irriti ſunt contractus, qui ad turpem cauſſam celebrantur a duobus reis eiuſdem criminis; quia nulla lex poteſt præcipere crimina, ſive flagitia ſint, ſive facinora.

§. LV.

De Privilegiis.

Lex ceſsat aliquando per privilegium, quod eſt exemptio facta a Superiore in favorem aliquorum per modum legis, qua permanente conceditur agere vel non agere aliquid contra, vel præter legem; idcirco dicitur privilegium quaſi privata lex; quia vi illius privilegiati vivunt quaſi privato iure ab aliis diverſo, licet privilegium late ſumptum ſignificet omnem gratiam & facultatem a Principe conceſsam. Si tamen ſtricte ſumatur differt a favore, indulgentia, beneficio, & cæteris huiuſmodi. Et ad maiorem clariratem facilioremque doctrinæ ordinem notandum, Principes duo genera gratiarum univerſaliter concedere: unum faciendi aut non faciendi aliquid contra aut præter ius univerſaliter, & ſine ulla limitatione, quod cæteroquin fieri aut omitti non poſſit; alterum faciendi vel non faciendi aliquid contra ius quod non competeret, ſed limitatum ad aliquos actus vel etiam ad unum. Gratiæ primi generis ſunt eæ, quæ communi nomine *privilegia* appellantur, aliæ vero ſecundi generis ſunt eæ, quæ alio nomine dicuntur *diſpenſationes*, de quibus iam actum eſt. Hinc privilegium differt a diſpenſatione, ut magis late patens a minus late patente, ſiquidem diſpenſatio ſemper concedit aliquid contra ius; privilegium vero etiam prærer ius; diſpenſatio eſt ad unum aut alterum actum, privilegium ad plures. Quare privilegium proprie ſumptum eſt ſupremi Principis conſtitutio ſpecialem favorem contra vel præter ius alicui concedens.

Diverſa genera Privilegiorum. Privilegium aliud eſt ſcripto, aliud voce tradirum aut conſuetudine acquiſitum; aliud eſt privilegium contra ius, quo iuri communi derogatur, ut exemptio a ſolvendis decimis, a iuriſdictione Ordinarii; aliud reale quod conceditur rei, ut mercibus, dignitati, loco, aut communitati, ordini, capitulo, & tunc vocatur etiam corporale, & hoc tranſit de uno in alium: aliud *perſonale*, quod conceditur immediate perſonæ, & extinguitur cum perſona. Aliud *mixtum*, nempe partim *reale*, partim *perſonale*, ideſt conceſſum partim reſpectu rei, ideſt ſtatus, dignitatis, aut conditionis ipſi inhærentis, partim reſpectu perſonæ, ut ſunt privilegia Clericorum, ſtudioſorum, militum, & huiuſmodi, quæ ſunt etiam perpetua, & tranſeunt ad perſonas ſuccedentes in dignitate, officio, &c. Aliud *Gratioſum*, quod gratis & liberaliter conceditur; aliud *Remuneratorium*, quod datur pro meritis. Aliud *Purum*, quod abſolute conceditur; aliud *Conventionale*, quod conceditur cum pacto. Aliud *Commune*, quod immediate reſpicit bonum commune; aliud *Privatum*, quod privatæ impartitur perſonæ. Aliud *Favorabile*, quod commodum confert & favorem privilegiato ſine alterius incommodo, aliud *Odioſum*, quod favendo uni affert præiudicium alteri. Aliud *Perpetuum*, aut ſemper duraturum; aliud *Temporale* duraturum ad tempus. Aliud *pro Foro conſcientiæ* quod non valet in foro externo; aliud pro *Foro externo* valens etiam in foro conſcientiæ. Item aliud eſt Privilegium *Clauſum* in corpore iuris, quod inter alia iura, ſeu alias leges corpori iuris inſertum eſt, ut ſunt privilegia Eccleſiarum, & Eccleſiaſticorum, quæ paſſim habentur in utroque iure, privilegia pupillorum, minorenorum, ſtudioſorum, militum, fiſci creditorum, & ſimilia; aliud extra corpus iuris, & eſt illud, quod per ſpeciale reſcriptum Principis ſeu per ſpeciales litteras, vel per Bullam, Diploma, ſeu Indultum alicui perſonæ vel communitati, vel loco eſt conceſſum, & nondum iuri communi eſt inſertum. Dividitur tandem privilegium in conceſſum ex motu proprio concedentis, & in privilegium conceſſum ad preces ſeu ſupplicationem privilegiati per ſe vel per alium: privilegium ex motu proprio eſt illud, quod inſertam habet clauſulam *motu proprio*, etiam ſi forte privilegiatus per ſe, vel per alium pro eo ſupplicaverit. Conceſſum vero ad preces non habet clauſulam *motu proprio*. Inter hæc duo privilegia magna intercedit differentia, quod privilegium *motu proprio* conceſſum non tantum ſit altero favorabilius, & pleniſſimæ interpretationis Cap. *Quamvis* 4. ſed etiam non poſſit argui de ſubreptione Cap. *Si motu proprio* 23. *de Præben. in* 6. Alter vero corruit per falſa narrata,

vel

Digitized by Google

vel per ſilentio prætermiſſam veritatem; cum ſemper intelligatur illa tacita conditio, *ſi preces veritate nitantur*, ut in Cap. *ex parte 2. de Reſcript.*

Privilegium concedere non poteſt, niſi qui poteſt legem ferre, & iiſdem tantum, quibus poteſt legem ferre, ideſt ſuis ſubditis. Poteſt tamen etiam aliis ſibi non ſubditis aliquod circa ſe & ſua concedere, quod iure communi non haberent. Advertendum tamen cum Canoniſtis, in generali conceſſione ſpecialiſſima non comprehendi, niſi ſufficienter exprimantur, ut in Reg. 81. *iuris in 6. In generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis non eſſet veriſimiliter in ſpecie conceſſurus.*

Conditiones pro Privilegio.

Ad hoc ut privilegium conferat ius aliquod privilegiato, requiritur, quod ei innoteſcat: quia ut ex Cap. 17. *de Præben.* in 6. *Beneficium collatum non acquiritur abſenti, donec illud ratum habuerit.* 2. Quia gratia ut eſt privilegium non datur invito ſed volenti. Unde ad hoc ut quis aliquid acceptare velit, prærequiritur, ut collatio talis gratiæ ei fiat nota. Et hoc intelligitur de privilegio motu proprio conceſſo alicui, non de privilegio, quod quis quæſivit per ſe, vel per Procuratorem, aliumve; nam hoc valet ſtatim ac Superior annuit, cum ad valorem gratiæ ſufficiat mutua petentis, & concedentis conſenſio. Peccaret tamen privilegiatus, qui antequam notitiam haberet de conceſſione privilegii, eodem uteretur, quia exponeret ſe periculo faciendi contra legem. Unde tametſi illicite, valide quidem contraheret, qui poſt petitam, & obtentam Romæ diſpenſationem Matrimonium iniret, licet adhuc neſciret gratiam eſſe conceſſam. Ita hic Sanchez, Tournely.

Privilegium cuique concedi poteſt, dummodo ſit capax; cum privilegium ſit veluti donatio, quæ cuilibet fieri poteſt. Dixi *dummodo ſit capax;* nam privilegium audiendi Confeſſiones v. g. dari non poteſt niſi Sacerdoti &c. quia alii non ſunt capaces. Ad validitatem privilegii nulla requiritur ſolemnitas, ut valeat in foro interno, ſed eo ipſo quod Superior vult dare, & alter acceptare, validum eſt privilegium. Unde requiritur, ut voluntas Superioris volentis concedere privilegium manifeſtetur, quantum neceſſarium erit, ut deveniat in notitiam illius, cui conceditur privilegium, ut is poſſit illud acceptare. Ad hoc vero, ut privilegium detur licite, requiritur aliqua cauſſa; quia irrationabile eſſet, ut quis ſine cauſſa abſolveretur a lege, vel a cæteris diformaretur; quod autem eſt irrationabile, fieri nequit ſine culpa, quæ gravis vel levis iudicanda eſſet ex deordinatione, quæ hinc in Republica obveniret.

Nec valet dicere, quod ſi cauſſa non requiritur, ut privilegium ſit validum, nec requiri debet ut ſit licitum; quia plura requiruntur ad uſum licitum auctoritatis quam ad validum; quia ad validum uſum auctoritatis ſufficit voluntas illam exercendi; alias ſi plus requireretur auctoritas Superioris non eſſet libera, nec independens. Ad licitum vero exercitium requiritur, ut rationabiliter fiat, ideoque ex cauſſa; alias non fieret rationabiliter.

§. LVI.

De effectu & uſu privilegiorum.

Effectus privilegiorum duplex.

Effectus privilegii duplex eſt; unus ut privilegiatus vel non teneatur aliquo tali iure, vel aliquid facere poſſit contra ius, vel præter ius; alter vero eſt, ne impediri valeat ab uſu huiuſce facultatis. Habet quis privilegium comedendi carnes die veneris: eſt privilegium huiuſmodi contra ius. Privilegium alter habet utendi aliquo illuſtri titulo: eſt præter ius. Ita Privilegia hæc duos habent effectus; primus eſt, ut privilegiati poſſint, unus comedere carnes, alter titulum illum adhibere; ſecundus eſt, ut nemo poſſit impedire, quod unus comedat carnes die veneris, utatur alter illo titulo. Uſus autem privilegii debet eſſe cum moderata prudentia ita temperatus, ut limites non excedat conceſſionis, alios non offendat, aut ſcandalum illis afferat; alias uſus privilegii degeneraret, ac verteretur in abuſum.

Privilegio conceſſo ſine ulla reſtrictione ad locum & tempus uti poteſt privilegiatus, ubi, quandoque voluerit, intra ditionem concedentis; conceſſo vero cum reſtrictione, iuxta iniunctam reſtrictionem. Unde privilegium ad poſſidenda duo beneficia Eccleſiaſtica in una Eccleſia, non valet in alia. Privilegium perſonale ut afficiens perſonam valet per ſe loquendo etiam extra ditionem concedentis, non vero per accidens, nempe ſi in Territorio ad quod privilegiatus acceſſit, ſit lex contraria, quia tunc tenetur legibus illius loci, ut iam ſuo loco dictum eſt; ſic etiam ſi ſibi uſus privilegii afferret ſcandalum, vel aliquid aliud inconveniens.

Ad dubium autem, quod hic occurrere poſſet circa debitum utendi privilegio, pro clariori intelligentia diſtinguendum eſt inter

pri-

Digitized by Google

privilegium quod eſt mere perſonale, & dicitur *ſuum* privilegiati, ideſt datum in favorem ſolius perſonæ, non intuitu ſtatus, non gradus, non dignitatis, a privilegio *non ſuo*, ideſt conceſſo non perſonæ præciſe, ſed præcipue ratione ſuæ conditionis, officii &c. Unde ad dubium reſpondetur, quod ſi privilegium ſit ſuum privilegiati, ideſt mere perſonale, non tenetur ex vi ipſius privilegii, & directa obligatione eodem uti; quia quod datum eſt in favorem, redundare non debet in onus, ſicut fieret, ſi quis premeretur obligatione utendi ſuo privilegio: ſi autem privilegium ſit non mere perſonale, ſed mixtum, puta ratione officii, gradus, dignitatis, tenetur privilegiatus eo uti: & ita tenetur Clericus uti privilegio ſuæ libertatis, & ſimiliter uti, quando captus eſt in Eccleſia, privilegio ſuæ immunitatis &c. non poſſunt enim Clerici quidquam facere contra hæc privilegia, quia hæc non ſunt ſua privilegiati, ſed aliena; nam alterum eſt Clericatus, alterum Eccleſiæ. Dixi *directa obligatione*, quia poteſt contingere, ut privilegium tollat aliquid, quod impediret obligationes alicuius præcepti; & tunc privilegiatus tenebitur ad illud præceptum implendum, nec poterit non uti ſuo privilegio; e. g. tempore interdicti, quo nullus poteſt Sacrum audire, ſi quis ſit privilegiatus ad Sacrum tali tempore audiendum, debet die feſto ſacrum audire, cum non poſſit adducere impedimentum interdicti, quia vi privilegii ei eſt ablatum; unde tenebitur hic uti ſuo privilegio, ſed obligatione indirecta proveniente ab Eccleſiæ præcepto.

Si forte verba privilegii ſint obſcura & ambigua ut dubitetur de mente concedentis, adiri debet concedens, ſi moraliter fieri poteſt; alias recurrendum ad coniecturas, ut ſincere mens concedentis inveſtigetur. Regula autem interpretandi privilegia præter illas, quæ traditæ iam ſunt pro interpretatione præcipua eſt & magis utilis ad faciliorem ſecurioremque privilegii interpretationem; nempe privilegia, quæ non ſunt contra ius commune, ſed ſolum præter vel ultra ius, nec cedunt in præiudicium alterius, cum ſint meræ gratiæ & beneficia Principis, late ſunt interpretanda; eſt Communis, & hoc habetur in Cap. *cum olim 16. de Verbor. ſignif.* ubi dicitur: *cum beneficia Principum ſint interpretanda latiſſime, Privilegia quæ ſunt contra ius commune, & quæ cedunt in præiudicium alterius, ſunt ſtricte interpretanda.* Et quoad primum patet; quia omnis receſſus a iure communiter cenſetur odioſus Cap. *odia 15. de Reg. iuris in 6. odia reſtringi, & favores convenit ampliari*, & Cap. *quæ a iure 28. de Reg. iuris in 6. quæ a iure communi exorbitant, nequaquam ad conſequentiam ſunt trahenda.* Quoad ſecundum autem deſumitur ex Cap. *ſuper eo 15. de offic. delegat.* & alibi, unde colligitur, privilegium cedens in præiudicium alterius, ſi in ipſo aliud non ſit expreſſum, eſſe ſtricte interpretandum.

Privilegium intelligitur conceſſum ſolummodo expreſſe nominatis in privilegio, & comprehenſis propter verborum ſignificationem, vel materiæ aut connexionis ſignificationem, vel iuris diſpoſitionem v. g. Privilegium nobilitatis conceſſum viro, cenſetur conceſſum uxori etiam & filiis ex iuris diſpoſitione. Quare non extenditur privilegium ad alias perſonas, vel actiones ob ſimilitudinem rationis, ut notatur, quando de legis interpretatione; quia concedens non intendit alios privilegio donari, niſi expreſſos, & connexos.

§. LVII.

De aliis modis acquirendi Privilegium præter Principis conceſſionem.

Præter Principis conceſſionem dantur etiam alia media quibus privilegia acquiri poſſunt, nempe præſcriptio ſeu conſuetudo, & communicatio.

Acquiri poteſt privilegium præſcriptione, ſeu conſuetudine legitime præſcripta, & eſt Communis per *Text. in Cap. novit. 13. de iudiciis*, & Cap. *ſuper quibuſdam 26. de Verbor. Signif.* nam conſuetudo legitime præſcripta habet vim privilegii, & inducit ius, citat. Cap. *Novit.* de *Iudiciis*, ubi Gloſſa communiter recepta Verb. *conſuetudo* ſic dicit: *Nota quod conſuetudo purificatur privilegio*, Cap. *Conqueſtus*. 8. Cal. 9. & alibi. Unde per conſuetudinem legitime præſcriptam acquiritur iuriſdictio; Cap. *duo ſimul* 9. & ibi *Gloſ.* Verb. *conſuetudo de offic. Iudic. ordinar.* Item acquiritur per ipſam exemptio a decimis, a funeralibus, & ſimilibus, *Cap. de quarta* 4. & alibi.

Acquiritur privilegium etiam per communicationem, ut communiter. Communicatio vero ſeu communicare idem eſt ac commune facere, & conferre alicui, quod prius iam alteri fuerat conceſſum. Unde communicatio privilegiorum conſiſtit in participatione & conceſſione quadam privilegii, qua Superior, poſtquam illud uni ſimpliciter conceſſerat, etiam ad alium extendat, Cap. *de di-* Quid ſit communicatio privilegiorum.

diverſis 2. *de Privilegiis* in 6. Hæc privilegiorum communicatio habetur præcipue in Ordinibus Religioſorum Mendicantium, qui promiſcue ſuorum inter ſe Privilegiorum ius communicant ſeu participant; immo participant Ordines mendicantes de privilegiis quoque aliis non mendicantibus Ordinibus conceſſis. Sic inter alios, qui communiter ita habent, Reiffenſtuel l. 5. Decretal. Tit. 33. n. 55. tradit, quod iam patet manifeſte ex variis Summorum Pontificum Conſtitutionibus, & præcipue Sixti IV. Alexandri VI. Iulii II. Leonis X. Clementis VII. Pauli V. aliorumque qui noviſſime ennumerantur a Benedicto XIII. Conſtit. quæ incipit: *Summe decet*; & Conſtit. quæ incipit *Pretioſus*; necnon in aliis quas ſpecificat Clemens XII. Conſtit. quæ incipit *Romanus Pontifex*, in qua moderatur maximas ampliationes, novaſque ingentes conceſſiones factas iisdem Ordinibus Regularibus a Benedicto XIII. Conſtit. cit. *Summe decet*.

Omnes igitur Religiones mendicantes in privilegiis ita ſtricte ad invicem communicant tam conceſſis, quam concedendis, non ſecus ac ſi ſpecialiter, & nominatim ſingula, & omnia aliarum Religionum conceſſa eſſent communicanti; unde id quod poteſt Generalis unius Ordinis, poſſunt & Generales aliorum Ordinum, & proportionaliter dicendum de Provincialibus, aliiſque Superioribus. Similiter Privilegia conceſſa Eccleſiæ, Domibus, Religioſis unius Ordinis ut ſunt partes illius, participant aliæ Domus, Eccleſiæ, & Religioſi eiuſdem vel alterius Ordinis; & conceſſa pro feſtivitate unius Ordinis reſpective intelliguntur feſtivitatibus alterius convenire, ſive ſint Indulgentiæ, ſive aliquid ſimile. Et hoc eſt certiſſimum & communiſſimum apud Doctores, ut conſtat ex Bullis Summorum Pontificum iam citatis. Et ratio eſt, quia cum Regulares, licet diverſorum Ordinum, ſint perſonæ per vota eſſentialia Deo dicatæ, æquiſſimum fuit, ut ſicuti in temporalibus Rebuſpublicis paſſim reperitur temporalium privilegiorum communicatio, qua exemptiones, quibus privilegiata fuit una Civitas, aliæ etiam communicent, ut eo magis coniungantur animi ad obſequia, obedientiamque Principi præſtandam; ita qui profeſſione, & zelo ſunt veluti unum corpus in Deo, unirentur etiam in iisdem privilegiis & gratiis, ut qui ſunt uniti arctiori vinculo Sedi Apoſtolicæ, viciſſim ad nomen gloriamque Dei propagandam, animarumque ſalutem promovendam copularentur.

Sed quia ſupra innui incidenter ſupradictorum privilegiorum moderationem factam a Clemente XII. non inutile erit hic aliqua breviter dicere de moderationibus, quæ aliquando ſuper Regularium privilegia evenere.

Variæ fuerunt in diverſis temporibus moderationes factæ in Privilegiis Ordinum Religioſorum, & præcipue tempore Concilii Tridentini, in quo valde moderata fuere, & alias poſtea, pro ut identidem, vel motu proprio Summorum Pontificum, vel ex impetratione innovata fuere iam moderata per dictum Concilium, vel noviter obtenta, a Succeſſoribus fuerunt denuo moderata, ut paulo ante dicebam. In Concilio igitur Tridentino non in odium Venerabilium Regularium Inſtitutorum, ſed ſolummodo ob decorem Eccleſiaſticæ Hierarchiæ, & diſciplinæ moderata fuere privilegia Religioſorum Ordinibus conceſſa, ut aliquantulum profecto contra ius commune exorbitantia, ea præcipue revocando quæ adverſantur decretis Seſſ. 25. de *Regularib. & Monialib. Cap.* 22. Similiter revocata ſunt privilegia illa ante Tridentinum Regularibus conceſſa, quæ adverſantur præcedentium Seſſionum Decretis habentibus eandem vel ſimilem Clauſulam poſitam in Cap. 22. Seſſ. 25. revocatoriam Privilegiorum; *Non obſtantibus quibuſcumque privilegiis* &c. Ita communiter. Quia ubi adeſt expreſſa clauſula Privilegiorum revocatoria, non licet dubitare de revocatione. Etenim in his quæ clare & expreſſe exponuntur, non habet locum interpretatio, vel voluntatis coniectura l. *licet Imperator ff. de legatis* 3. Unde Gloſſa communiter recepta in Cap. *cum dilectus* 8. *de Conſuetud. Verbor.* ita expreſſe habet; *ubi Verba non ſunt ambigua, non eſt locus interpretationi; ſed ubi ſunt dubia, neceſſaria eſt interpretatio.*

An vero revocata cenſeantur non ſolum Privilegia Regularium quæ adverſantur alicui ex Decretis Concilii Tridentini cit. Seſſ. 25. vel alicui ex Decretis præcedentium Seſſionum habentibus ſupradictam expreſſam clauſulam revocatoriam Privilegiorum, *Non obſtantibus quibuſcumque privilegiis* &c. ſed illa quoque, quæ contraria ſunt Decretis aliarum Seſſionum, quæ non habent expreſſam clauſulam Privilegiorum revocatoriam; ita ut per Bullas, quæ Privilegia Regularium confirmant, nunquam cenſeantur eadem confirmari; ſed potius pro invalidis declarari per illam clauſulam in dictis Bullis eorundem Privilegiorum confirmatoriam; *Dummodo Sacris Canonibus, & Decretis Concilii Tridentini non adverſentur* &c.

non

non eſt conſona inter Doctores ſententia ; nam aliqui, ut Bonac. Peyrinus in declaratione Privileg. T. 2. in Conſtit. Gregor. XIII. l. 3.; aliique ſtant pro affirmativa , nempe illa quoque cenſenda eſſe revocata . Alii vero, ut Suarez l 8. *de legibus Cap.* 18. in fine, Rodriguez , Reiffenſtuel. l. 5. *Decretalium Tit.* 33. *a n.* 116. ad n. 218; & *a n.* 139. *ad n.* 146. negativam ſententiam defendunt, ac ſuſtinent ; ideſt Regularium Privilegia quæ contraria ſunt Decretis aliarum ſeſſionum, excepta ſeſſ. 25. citata de Regularibus , & expreſſam Clauſulam Privilegiorum revocatoriam non habentibus, probabiliſſime non cenſenda eſſe revocata ab eodem Concilio, ac proinde non excluduntur a confirmatione per illam clauſulam , *Dummodo Sacris Canonibus & Decretis Concilii Tridentini non adverſentur*. Videatur cit. Reinffenſtuel. l. cit. ubi rationibus pluribus, ac iuribus adductis contrariſque ſolutis argumentis ſolide , ac fuſe ſententiam hanc propugnat. Et equidem ſtylus & œconomia dicti Concilii Tridentini videtur aperte hoc comprobare; eo quod quando voluit revocata privilegia, hoc declaravit, unde patet, quod ea , circa quæ nullatenus ſe declarat , nec implicite quidem mentem ſuam exprimit , videntur non poſſe haberi revocata ; nam exceptio firmat regulam in contrarium : Privilegium etenim ut ceſſet per revocationem ,neceſſe eſt , ut auctoritas Superioris per legem expreſſe, vel ſaltem dicam implicite revocatoriam illud tollat & revocet .

Regulares non poſſunt in conſcien. tia uti privilegiis expreſſe revocatis.

Porro non poſſunt Regulares, nec in foro interno conſcientiæ uti ſuis privilegiis, quæ expreſſe ſunt revocata a Tridentino, ſed ne iis quoque , de quibus habetur probabilis conjectura , quod ſint tacite revocata per dictum Tridentinum.

Licet permulta Regularium privilegia tum per Concilium Tridentinum , tum per varias Pontificum Conſtitutiones revocata fuerint , multa tamen, immo plurima alia adhuc extant, quæ cum non adverſentur Decretis Concilii Tridentini , & Apoſtolicis Conſtitutionibus, ideo non ſunt revocata , ut conſtat ex Compendiis privilegiorum Regularium recenter editis præcipue ab Alphonſo de Caſarubios Hiſpano, & a Hieronymo ab Orbe, & iuxta Decreta Concilii Tridentini & Apoſtolicas Conſtitutiones reformatis, ut notat Reiffenſtuel l.cit. Caute igitur procedere debent Regulares in uſu ſuorum privilegiorum, ne cum iis , quæ adhuc vigent , aliis etiam utantur cum gravamine propriæ conſcientiæ, quæ ſunt revocata, vel quæ alicui ordini incommunicabiliter ſunt conceſſa .

§. LVIII.

De Privilegiis , in quibus datur communicatio, & de iis , in quibus non datur .

Primo circa mutuam communicationem Privilegiorum inter Ordines Regularium mendicantium certum eſt, quod ſi privilegia conceſſa uni Religioſo Ordini, alterius Religioſi Ordinis ſtatutis , legibuſque , aut modo vivendi adverſentur, ab iſto Ordine non participantur , puta privilegia conceſſa laxiori Religioni, non poſſunt communicari ordini ſtrictiori. Hinc in aliquibus privilegiis communicantibus ſolet hæc clauſula apponi: *dummodo Regulari obſervantiæ non ſint contraria*, vel hæc : *dummodo conſtitutionibus Ordinum non contradicant* . Et quando id non ponitur expreſſe, ſubintelligitur tacite, tum quia privilegia , prout opponuntur proprio inſtituto , ſunt odioſa : odioſa autem non communicantur , ſed privilegia ; alias extorqueretur in odium, quod in favorem conceditur , quod tanquam irrationale nequit præſumi de ſummo Paſtore; tum etiam quia Summi Pontifices per ſua Privilegia intendunt fovere Regularem obſervantiam, non relaxationi viam aperire , ſalutaria tandem ſtatuta augere & conſervare. Ita quamplures, immo communiter. Hinc Patres Cappuccini, quia ex proprio Inſtituto non poſſunt confeſſiones ſæcularium excipere, uti non poſſunt privilegiis Regularibus Confeſſariis conceſſis ; quia opponuntur ſuo Inſtituto , & ſic non intelliguntur eiſdem communicata.

II. Non communicant in odioſis, & pœnalibus, quibus pœnæ , cenſuræ , aliave onera impoſita ſunt , niſi hæc cedant in favorem communem Religionis ; quia tales conceſſiones , in quibus pœnæ inſtitutæ ſunt , potius dicendæ ſunt ſtatuta , quam privilegia, & Pontifices qui potius favere volunt quam detrahere, in favoribus, quos convenit ampliari, non in odioſis, quæ ſunt reſtringenda, communicationem impartiuntur. Ita quamplurimi, ut Lezana, Pellizzarius . Hoc tamen intellige reſpectu eorum , qui communicaſſent ; quia ſi pœnæ ſint reſpectu ſæcularium, ut perterriti timore pœnæ reverentiam & obſequium Religioſis exhibeant, non ſunt certe contemnenda privilegia, nam tunc pœnæ cum ſint favores Ordini, ideſt in favorem ipſius Ordinis, communicantur aliis in favorem Religionum .

Item

Digitized by Google

Item communicantur, quando pœnæ cedant in favorem communem Religionis: etenim ſunt aliqua privilegia, quæ licet pœnalia videantur, & odioſa reſpectu alicuius particularis Religioſi, reſpectu tamen Religionis in communi ſunt favorabilia, quatenus per illa melius conſervatur Regularis diſciplina; & augetur obedientia erga Superiores; & ideo impenditur etiam particularibus ſpiritualis favor: ſiquidem per obſervantiam huius pœnalis privilegii ipſi ſubditi aſſequuntur perfectionem proprii inſtituti.

III. Religio communicans in privilegiis per privilegium primo & immediate alteri conceſſum, & ſibi vi communicationis competens, poteſt contra eam ſe defendere, dum hæc agit de damno vitando in re poſſeſſa, illa de lucro acquirendo in re non poſſeſſa, quod exemplo melius patebit. Ordini Minorum conceſſum fuit privilegium a Clemente IV. ne alia Religio vivens in paupertate puta Prædicatorum, Carmelitarum, &c. iuxta ſuum Monaſterium poſſit Monaſterium ædificare intra ſpatium trecentarum cannarum longitudinis octo palmarum, quæ per aerem menſurandæ ſunt, quando alias recte menſurari rerum diſpoſitio non permittit. Prædicatores, Carmelitæ, aliive, qui huic privilegio communicant, poſſunt vi iſtius privilegii licet communicati, a Minoribus ſe defendere, & agere contra Minoritas volentes ædificare Monaſterium intra ſpatium trecentarum cannarum contra præſcriptum dictæ Bullæ Clementis IV. quia hoc privilegium factum eſt commune utrique, & æquæ utriuſque proprium, unius quidem Religionis per primam conceſſionem, ſed in hac minus fortius, quia agitur de lucro acquirendo in re non poſſeſſa, alterius per ſecundam factam in communicatione, ſed in hac fortius, quia agitur de damno vitando in re poſſeſſa. Ita Salmanticenſes cum aliis.

IV. Mendicantes, aliive, qui participant in privilegiis Societatis Ieſu, non poſſunt iiſdem privilegiis ſine licentia Generalis, vel Provincialis eiuſdem Societatis, quem expoſcere debent Religioſi Societatis, ut illis fruantur; quia hæc conditio reſpicit ſolummodo Religioſos Societatis, quibus ſub tali conditione, ſeu reſtrictione fuit privilegium conceſſum, eo quod ita exigeret ratio inſtitutionis Societatis ob perfectum Regimen Monarchicum, & omnimodam dependentiam ab uno capite, quæ eſt illi Inſtituto propria; unde etiam in communicatione privilegiorum aliorum Ordinum ſubiacent Religioſi Societatis eidem reſtrictioni. Non reſpicit vero alios Religioſos Ordinum in privilegiis Societatis communicantium, quibus communicatio conceditur independenter a Generali Societatis; alias communicatio in tali reſtrictione eſset onus, non privilegium. Ita cit. Salmanticenſes cum aliis communiter.

V. Religio quæ gaudet generali & abſoluta communicatione privilegiorum aliorum Ordinum, & præcipue ſi in conceſſione communicationis poſita ſit clauſula, *ut poſſint communicare in omnibus*, licet illa habeant clauſulam incommunicabilitatis, etiam in his indubitanter vi dictæ clauſulæ communicant; immo dum una tantum Religio haberet communicationem cum tali clauſula, ob communicationem, quam habent omnes aliæ cum ipſa in omnibus privilegiis, ſic communicant etiam in iſto cum tali clauſula favorabili roborato. Sed difficultas ſuboritur, num quando in conceſſione communicationis non habetur hæc clauſula, ut communiter non habetur; adhuc communicent in privilegiis, quæ habent clauſulam incommunicabilitatis; & probabilius videntur tunc non communicare, ſicuti tenent Suarez, Peyrinus, Lezana, aliique propter quædam privilegia ſub clauſula incommunicabilitatis conceſſa, nempe ut ordinari poſſint in ſacris ſine interſtitiis extra tempora, ſine examine, & alia huiuſce generis, in quibus alii certe non communicant, nec communicare poſſunt, niſi in communicatione addatur clauſula, quæ ſit revocatoria clauſulæ incommunicabilitatis additæ in eorum conceſſione.

§. LIX.

De Communicatione Privilegiorum, quæ particulariter conceduntur uni loco vel Perſonæ.

Ex generali & pleniſſima privilegiorum conceſſione, qua Romani Pontifices tam inſigniter Ordines Regularium decorarunt, & præcipue Mendicantium, ut omnia ac ſingula privilegia, immunitates, indulgentias &c. quibuſcumque Congregationibus, Societatibus, Ordinibus, aliiſve Monaſteriis vel illorum perſonis quomodolibet conceſſa in genere vel in ſpecie, tam coniunctim, quam diviſim, ſingulis Ordinibus Mendicantium concedant, extendant ac communicent, cum debitis conſuetiſque clauſulis *motu proprio*, *certa ſcientia*, *de plenitudine poteſtatis*, *quorum tenore* &c. Ex generali, & tam effuſa elargitione, dixi, non levis oritur difficultas, num privilegia quoque conceſſa uni Provin-

vin-

vinciæ, Conventui, vel Eccleſiæ particulari, vel ſingularibus perſonis, conceſſa cenſeantur non ſolum cæteris Provinciis, Conventibus, Eccleſiis, perſonis eiuſdem Ordinis, ſed etiam cuiuſcumque alterius Ordinis. Si revera ſpectetur illa ſummorum Pontificum ampliſſima liberalitas in ſuis indultis, præcipue erga Ordines Mendicantes, valere ſeu ſtare videtur communicatio etiam in dictis ſpecialibus indultis, ac privilegiis, & eo vel maxime, notant Salmaticenſes hic, quod DD. ſæpe ducti ex tam ampla elargitione utuntur privilegiis uni Provinciæ & Conventui privative conceſſis ad probandum ea aliis Provinciis & Conventibus tum eiuſdem, tum alterius Ordinis per communicationem convenire.

Verum hoc difficile nihilominus videtur, & a mente Pontificum valde abſonum, nec non a iure communi nimium exorbitans ac maximarum confuſionum, abſurdorumque ſcaturigo, atque omnium perturbatio & confuſio. Incredibile enim videtur, quod privilegia conceſſa Provinciis Religionum, quæ inter infideles morantur, ac pro fidei dilatatione ſtrenue deſatigantur, ubi deficit aſſiſtentia Epiſcoporum, & protectio, Sacrorum Miniſtrorum affluentia pro tot infidelium ſalute, intelligi poſſint conceſſa etiam Provinciis, ubi ſine tot tantiſque incommodis degitur, ut inter fideles. Item credibile videri nequit, quod gratiæ privilegiaque conceſſa Monaſterio inopi, vel alteri, quod habet magnum Religioſorum numerum, qui in illo frequenter vivunt, ut tali ſubſidio illorum inopiæ aliquo modo provideatur; vel quod Indulgentiæ, aliaque Privilegia conceſſa alicui Eccleſiæ, vel Monaſterio, in quo eſt imago ſingularis, & miraculoſa Chriſti Domini, Virginis Mariæ, vel Corpus, aut ſingularis Reliquia alicuius Sancti, vel ob magnam populorum devotionem, & concurſum; vi communicationis conceſſa voluerint Summi Pontifices aliis etiam Eccleſiis, & Monaſteriis, ubi non adeſt hæc ratio; ita ut nullum eſſet diſcrimen, idemque eſſet viſitare Eccleſiam domumque Lauretanam, vel loca Sancta Paleſtinæ, ubi operata fuere myſteria noſtræ Redemptionis, S. Iacobi in Compoſtella, ac omnem aliam Regularium Eccleſiam. Hoc certe non parum rectæ rationi repugnare videtur; nam ſi res ita ſe haberet, procul dubio fervor fidelium devotioque tepeſceret, eorumque obſequium erga etiam inſigniora ac utiliora Religionis noſtræ monumenta decreſceret. Idemque dicito de Privilegiis conceſſis alicui Religioni particulari, ob ſpeciale illius inſtitutum, ut conceſſum eſt ob eorum aſſiduas occupationes in Iuventutis educatione, in recipiendis fidelium Confeſſionibus, aliiſque chriſtianæ charitatis exercitiis, in quibus indeſinenter verſantur, Religioſis Societatis Ieſu, non recitandi Officium divinum in Choro.

Quare in particulari privilegiorum communicatione, non in omnibus currit eadem ratio, & ius communicandi univerſim, ſicut in privilegiis toto Ordini, omnibuſque Eccleſiis Ordinis generaliter conceſſis. Hinc communiter ſentiunt Doctores circa has particulares gratias, quod privilegia conceſſa alicui Perſonæ ratione officii, miniſterii &c. puta Generalis, Provincialis, Prioris Capituli, Confeſſarii, Prædicatoris, &c. hæc participantur a quibuſvis perſonis in eadem dignitate, officio, ac miniſterio conſtitutis, ſive eiuſdem, ſive alterius Ordinis ſint. Item quæ conceduntur particularibus perſonis alicuius Ordinis, non ut particulares ſunt, ſed ut membra, & partes alicuius congregationis, vel communitatis, ab aliis etiam, in eodem officio ac conditione conſtitutis participantur; quia ſicut ſunt vel in eodem officio, & dignitate, vel in eiuſdem exercitiis Religionis in communi, ſic æquum eſt, quod communicent in iiſdem favoribus, & gratiis. Dixi *in eadem dignitate & officio*; quia licet Prælati Ordinum Religioſorum gaudeant quoque privilegiis Religionis ſubditis conceſſis, tametſi in conceſſione nulla fiat eorum mentio; eo quod in favorabilibus, licet non in odioſis, nomine Religioſorum veniant Prælati, Privilegia tamen Prælatis, ſeu Superioribus ut talibus conceſſa, non conveniunt ſingulis ſubditis, quia ſunt conceſſa non ratione perſonæ, ideſt quia religioſi ſunt, ſed ratione dignitatis, nempe quatenus ſunt Prælati. Et eadem ratio currit inter Superiores: ſic privilegia conceſſa Generalibus, non intelliguntur conceſſa Provinciali nec Priori; & conceſſa Provinciali non ſunt conceſſa Priori; ita ut Prælati inferiores communicare non poſſunt in privilegiis conceſſis Prælatis Superioribus. Idem dicito de privilegiis conceſſis Capitulis Generali, & Provinciali; quia inferior non communicat in privilegio Superiori conceſſo.

Hinc ſingula privilegia quæ non reſpiciunt aliquam ſpecialem rationem vel inſtitutum alicuius Ordinis, ut de Societate Ieſu notavimus quoad indultum non recitandi Officium divinum in Choro, vel alicuius

Digitized by Google

cuius Eccleſiæ, aut loci, ut Eccleſiæ domuſque Lauretanæ, locorum venerabilium Terræ Sanctæ, S. Iacobi, in Compoſtella, &c. nec pariter reſpiciunt aliquam particularem perſonam, qua talem, ſed aliquem reſpiciunt ut eſt pars communitatis, vel ut habens gradum, officium, ac exercitium in communitate, ut proprium illius communitatis, ſeu inſtituti; omnia huiuſmodi privilegia ſine ſpecialibus reſpectibus licet particulariter conceſſa, ideſt alicui Provinciæ, Conventui, Eccleſiæ, vel particulari Religioſo, conveniunt vi communicationis aliis Provinciis, Conventibus, Religioſis tum eiuſdem Religionis, tum alterius, etiam cuiuſvis Ordinis. Ita quamplures citati hic a Salmaticenſibus n. 113. quia licet, ut ii notant, ex vi conceſſionis hoc vel illo intuitu, hac vel illa ratione, aut circumſtantia non extendantur gratiæ, & indulta, ſic, ideſt particulariter conceſſa, ad alia monaſteria, Eccleſias &c. ubi talis ratio non habetur, vel circumſtantia; quando tamen habetur eadem ratio, & circumſtantia, propter quam Pontifex huiuſcemodi privilegia conceſſit in aliquibus Eccleſiis, vel Monaſteriis, Religioſis &c. vi communicationis ad alia quoque Monaſteria, Eccleſias, Religioſoſque, tum eiuſdem, tum alterius Ordinis extenduntur. Et eo vel maxime, quia in dubiis privilegia extendenda ſunt, non reſtringenda. Et hoc valet etiam, quando privilegium, gratia &c. conceditur alicui Ordini, Monaſterio, Eccleſiæ &c. intuitu eius Religioſitatis, vel intuitu doctrinæ &c. ut quamvis forte maior Religio, aut doctrina vigeat in tali monaſterio, quam in alio, ob quam cauſſam ei primo conceditur, extenditur nihilominus ad alia Monaſteria quoque, tum eiuſdem Ordinis, tum aliorum Ordinum in privilegiis communicantium; quia eadem, vel ſimilis, vel æquivalens ratio cenſetur in omnibus reperiri; ut eſſet indulgentia pro die Patroni, vel alicuius Sancti Ordinis, vel ſuſpenſio interdicti pro certis diebus, quod reſpective communicatur aliis Ordinibus. Sic in ordine ad ſtudia, illis tamen circumſtantiis exceptis, in quibus per aliquod ſpeciale inſtitutum Ordinis aliqua Religio cum aliis non convenit, ut eſt gradus magiſterii, qui vi ſtatuti Ordinis in aliquibus Religionibus excluditur; in cæteris vero, in quibus ſpecialis non habetur exceptio, tam Lectores quam ſtudentes gaudent iiſdem gratiis, indultis, Privilegiis, quæ ſine aliquo ſpeciali reſpectu, aut ratione alteri Ordinis ſunt conceſſa.

Communicatio profecto non extenditur ad gratias eas, quæ alicui Conventui, vel Religioni, vel dignitati Regulari per Brevia particularia præcedente Decreto, vel examine alicuius Congregationis Pontifices concedunt, cum non concedantur intuitu obſequii communis cum aliis Religionibus ſeu Conventibus, ſed ob particularem, & ſpecialem rationem: unde naturam ſapiunt ſingularum gratiarum, quæ non participantur vi generalis communicationis; ut eſt indultum conceſſum Superioribus ordinum Canonicorum Regularium, Monachorum Sancti Benedicti, ac Ciſtercienſium, aliorumve pro uſu Pontificalium, quæ gratia ob eius ſingularitatem non tranſit ne quidem ad omnes Ordines Monachales, cum Carthuſiani inter alios, licet Monachi, in tali Privilegio non communicent. Sic facultas conceſſa alicui Monaſterio alienandi bona immobilia, vel alicui Congregationi recitandi Officium ac Miſſam de aliquo Sancto, vel apponendi Breviario Sanctum illius Ordinis, vel reducendi numerum Miſſarum, hæc, alia, vel ſimilia, quæ computantur inter ea, quæ perraro, & non ſine magna difficultate conceduntur, plane non extenduntur ad alia Monaſteria eiuſdem Ordinis, & multo minus ad alios Ordines: ita Lezana cum aliis, quos hic citant Salmaticenſes.

Quæ autem dicta ſunt de Privilegiis, hæc pariformiter aptantur indulgentiis, cum hæ ſub privilegii nomine comprehendantur, & ſub proprio nomine indulgentiæ conceduntur, & mutuo ab Ordinibus Religioſis participantur iuxta ordinem privilegiorum. Unde omnes participantur, quæ generaliter alicui Religioni intuitu Religionis conceduntur, niſi de his fuerint, de quibus ſpecialis requiritur mentio. Non participantur autem ea, quæ ob ſpecialem ſpecificamque rationem alicui Ordini, Eccleſiæ, Monaſterio conceduntur, & quæ rarro, & nonniſi cum magna difficultate concedi ſolent. Talis eſt indulgentia Altaris Privilegiati, cum hoc concedatur ex ſpecialiſſimo indulto, vel difficillime, ac proinde non comprehenditur ſub generali communicatione. Ita Peyrinus & alii. Item communicantur Indulgentiæ perpetuæ, quæ pertinent ad generalem rationem, nimirum auxilium Sanctorum, Chriſtianæ Religionis augmentum, Eccleſiarum decus, tametſi in ſpecie aliqua Religio has impetraverit; ſed non participantur indulgentiæ ſicut nec alia privilegia, quæ ad ſolum tempus determinatum conferuntur; eo quia communicatio Privilegiorum & Indul-

dulgentiarum intelligatur de perpetuis, ut Lezana & alii docent.

Nota, quod ad hoc ut privilegiatus in foro conſcientiæ uti valeat privilegio ſibi immediate, vel per communicationem conceſſo, neceſſe eſt ut ei conſtet, vel ſaltem ſit moraliter certus de eius validitate, & firmitate. Non requiritur tamen pro tali foro, ut ſit in externa ſcriptura, ideſt Bulla, ſed ſufficit, quod oretenus illud impetraverit, vel ſibi conſtet eſſe impetratum per aliquod vivæ vocis oraculum, nec unquam fuiſſe a S. Sede revocatum. Dixi *in foro conſcientiæ*, ideſt interno; nam pro foro externo requiritur, quod exibeatur in ſcriptis, vel in alia forma probante, quia in hoc foro nulli creditur. Cap. *tua nos de Sponſalib.* Cap. *accepimus* 4. *De Privilegiis*.

§. LX.

De Privilegiorum ceſſatione.

De variis modis, quibus ceſſant privilegia.

Privilegium ceſſat pluribus modis, nempe per eius amiſſionem, per revocationem, per renuntiationem, vel per cauſſæ ipſius ceſſationem. Ceſſat 1. per amiſſionem, & dupliciter, vel per eius abuſum, accedente Iudicis ſententia, quia privilegium meretur amittere, qui permiſſa ſibi abutitur poteſtate Cap. 24. *de privileg.* vel per non uſum ſpatio ſufficienti ad præſcribendum ſi gravet alios ex Cap. 15. *de Privileg.* quod ſi non gravet, non amittitur per præſcriptionem; cum alii non poſſint præſcribere contra privilegiatum, quando ipſorum nihil interſit. Ceſſat 2. privilegium, ſeu amittitur etiam per ipſius revocationem factam a concedente, vel ab eius Succeſſore vel a Superiore, & privilegiato ſignificatam, aut per legem revocatoriam promulgatam. Revocatio autem fieri poteſt expreſſe, & tacite. Revocatio expreſſa alia eſt *ſpecialis*, quando iſtud, vel illud privilegium in ſpecie revocatur; *generalis* alia, quando in genere revocantur privilegia omnia alicui legi, aut decreto contraria. Revocatio *generalis* alia eſt *communis*, quæ fit per clauſulam generalem communem, dicendo v. g. *non obſtantibus quibuſcumque privilegiis*; alia *extraordinaria*, quæ fit per clauſulam extraordinariam, & fortiorem dicendo; *non obſtantibus privilegiis quibuſcumque, & ſub quacumque verborum forma conceſſis*.

Per clauſulam communem generalem abſque alia expreſſa, & ſpecifica mentione non revocantur privilegia clauſa in corpore iuris, & certis perſonis conceſſa, & eſt communis; quia correctio iuris eſt vitanda, quantum fieri poteſt, nec facile eſt præſumenda, niſi clare exprimatur cap. *cum expediat de elect.* in 6. Item per dictam clauſulam communem generalem; *non obſtantibus quibuſcumque privilegiis*, nec revocantur privilegia extra corpus iuris exiſtentia, ſi conceſſa fuerint cum clauſula, quod revocata non cenſeantur, niſi expreſſe eorum mentio fiat. Revocantur quidem per clauſulam communem extraordinariam ſupra allatam. Per nullam tamen ex prædictis clauſulis generalibus revocata cenſentur privilegia per modum contractus conceſſa, vel in remunerationem meritorum, & obſequiorum præſtitorum, niſi ſaltem in genere addatur clauſula, *etiamſi per modum contractus fuerint conceſſa, vel etiam meritorum intuitu*; & eſt communis; quia talis revocatio cedit in præiudicium tertii, ius acquiſitum ei auferendo, adeoque non præſumitur in Principe voluntas revocandi, niſi exprimatur; & quia talia privilegia ordinaria revocari non poſſunt, niſi ex gravi cauſſa ad bonum publicum pertinente, & cum aliqua compenſatione ablati: Ita Reinffeſtuel, Egel. Tacita autem revocatio privilegii fit per actum Principis directe contrarium privilegio, qui non poteſt ſubſiſtere, ſeu habere effectum intentum ſine revocatione privilegii antea conceſſi; dummodo poſſit præſumi eum ſcire privilegium antea conceſſum ipſiuſque recordari *l. idem Ulpian. ff. de excuſationibus Tutorum*. Circa hanc tacitam privilegiorum revocationem traduntur communiter ſequentes regulæ 1. per Legem generalem non expreſſe revocantem privilegia cenſentur tacite revocata privilegia in corpore Iuris contenta, non vero quæ extra idem corpus Iuris vagantur, niſi fiat eorum ſpecialis mentio, quia priora cum ad leges univerſales pertineant, præſumitur Legiſlator ea ſcire, non vero poſteriora, utpote iura privata & particularia facta Cap. *Licet* 1. de Conſtit. in 6. Secunda regula eſt: privilegium prius conceſſum non tollitur, nec tacite revocatur per privilegium poſterius contrarium, niſi illius prioris fiat mentio ſpecialis. Quia cum privilegium ſit ius privatum, & particulare, præſumitur quod Princeps conceſſerit privilegium poſterius ex ignorantia prioris, ſi de illo nullam mentionem faciat, ac proinde hoc ſecundum privilegium cenſetur ſubreptitium, & invalidum. Cap. *Cum ordine in 6. de Reſcript.*

Nota, Alexandrum VII. damnaſſe hanc propoſitionem, quæ numero eſt 36. *Regula-*

Digitized by Google

res poſſunt in foro conſcientiæ uti ſuis privilegiis, quæ ſunt expreſſe revocata per Concilium Tridentinum.

3. Ceſſat privilegium ex renuntiatione ipſius facta a privilegiatis: ſed quoad hoc videndum, num privilegium ſit mere ſuum privilegiati, ſcilicet in ſolam ſui ipſius gratiam conceſſum, & num effectum ſuum habuerit: nam ſi alienum ſit, vel ſuum ſortitum ſit effectum, non poteſt privilegiatus renuntiare privilegio; cum nemo renuntiare poſſit rei alienæ. Unde Religioſi item renuntiare nequeunt privilegiis ordini conceſſis, puta privilegio exemptionis ſine conſenſu Papæ, qui eos ab Ordinariorum iuriſdictione exemit, & ſuæ gubernationi, ac protectioni immediate ſubiecit, ut in Cap. *Cum tempore 5. de Arbitr. & ibi Abbas* n. 2. Suarez l. 8. *de legibus* Cap. 33. n. 2. Reiffenſtuel, & alii paſſim. Item ſi privilegium ſit principaliter conceſſum in favorem alicuius Communitatis, dignitatis, loci, Civitatis, v. g. Eccleſiæ &c. non poteſt ei renuntiari a perſonis particularibus illius Communitatis vel loci. Ita communiter ex Cap. *ſi diligenti 12. de foro competenti*: Unde Clerici non poſſunt renuntiare privilegio fori: eſt communis, ut conſtat ex citatis, capitibus *Si diligenti, & de foro competenti*. Neque poſſunt renuntiare privilegio Canonis, ut in Cap. *contingit 36. de Sententia excommunicationis* ubi ita; *quia ille Canon, non tam in favorem Clerici ordinati, quam in favorem Ordinis Clericalis fuit promulgatus.*

Poſſunt tamen Prælati Regulares limitare, reſtringere, immo etiam tollere ſuis ſubditis uſum quorumdam privilegiorum, etiam a S. Sede conceſſorum, ut iiſdem uti nequeant. Sic conceſſit Leo X. Minoribus, & Auguſtinianis, Clemens IV. Ciſtercienſibus. & Gregorius XIII. Societati Ieſu. Ita Reiffenſtuel n. 199. & 200. Lezana in Sum. quæſt. Regular. t. 2. cap. 18. n. 56. & alii. Item tota alia Communitas v. g. Civitas, Prælatus, Capitulum & huiuſmodi alii renuntiare poſſunt privilegio ſibi conceſſo, quod eidem vel non eſt utile, vel eſt indifferens; ut ex Cap. *cum acceſſiſſent 8. de Conſtitutionibus*, Cap. *Pro illorum 22. de præbendis*. Secus tamen ſi renuntiatio cederet in præiuditium Eccleſiæ, vel communitatis, in quo caſu etiam unus ſolus de Capitulo contradicens impedire poteſt renuntiationem, ut Innocentius in cap. *Accedentibus 15. de Privileg.* & Gloſſa *Abbas*, Reiffenſtuel ac alii paſſim.

Dixi *Cum effectum ſuum non habuerint*: nam ſi aliquis habens Privilegium diſpenſandi ab irregularitate, aliquos diſpenſaverit, licet renuntiet privilegio, illi erunt diſpenſati.

Privilegio vero, quod ſuum eſt, poteſt quiſque renuntiare, & ſic ceſſare privilegium: id patet ex iuris ipſius deciſione, *neque ad Apoſtolicam de Regularibus l. Si quis in conſcribendo Codice de pactis*. Et revera cum quilibet rei ſuæ Dominus ſit, & arbiter, ac ideo de illa pro libitu diſponere poſſit, hinc habens privilegium quod ſuum eſt, poterit eidem ad placitum renuntiare.

Nota, quod ad validam privilegii renuntiationem requiritur, ex parte renuntiantis libera voluntas exterius expreſſa, vel tacite manifeſtata; ex parte vero concedentis verius eſt requiri ipſius acceptationem: nam decet dignitatem Principis, ut ſua privilegia permanentia ſint, nec poſſint a ſubdito propria voluntate aboleri.

Quod ſi privilegium incipiat eſſe nocivum, per ſeipſum ceſſat, ita ut obſervari non debeat. Sic communiter, & Cap. *quod ob gratiam 61. de Regul. iuris in 6.* ibi: *quod ob gratiam alicuius conceditur, non eſt in eius diſpendium retorquendum.*

Non ceſſat privilegium ex morte concedentis; nam decet privilegium conceſſum a Principe eſſe manſurum. Sic in *Regul. 16. in 6.* Ceſſat tamen per ſe ceſſante cauſa, ob quam datum eſt, quando verſatur circa obligationem diviſibilem & ſucceſſivam, quam tollit, ut dicitur de diſpenſatione; quia non intendit Superior dare exemptionem, quæ duret contra legem ceſſante cauſa, cum id licite non poſſit. Sic ſi privilegium datum ſit alicui non recitandi Divinum Officium ob gravem cauſam, hac ceſſante ipſum quoque privilegium ceſſat.

§. LXI.

De Conſuetudine.

Definitio conſuetudinis.

Conſuetudo ex nominis etymologia dicitur a verbo conſueſco, ſive conſuetus facio, ideſt ſimul, ac ſæpius facio, cum non inducatur conſueſco niſi a maiori parte Communitatis ſimul ac ſæpius actum frequentantis. Conſuetudo vero ſtricte accepta ſecundum eius intrinſecam naturam eſt *ius quodam ex ſimilium actuum liberorum frequentia conſtitutum*, vel ut S. Iſidorus l. 2. Etymolog. C. 10. *Ius quodam moribus inſtitutum, quod pro lege ſuſcipitur, ubi lex deficit*. Et conſuetudo eſt aliud alterum ius ſeu lex, quæ dicitur non ſcripta, ac ideo

non

Digitized by Google

non ſecus ac ſcripta vim habet obligandi, & eſt vera morum regula; quia tum ex lege civili 37. *digeſtis de legibus*, tum eccleſiaſtica Cap. *cum dilectus* Tit. *de Conſuetud. Conſuetudo eſt optima legum interpres*, & Cap. *Finali* eod. Tit. dicitur, quod longævæ conſuetudines non ſint civilis auctoritas, & quod iuri poſitivo derogent, ſi ſint rationabiles & legitime præſcriptæ. Nomine autem actuum hic intellige etiam omiſſiones. Conſuetudo alia eſt *facti*, quæ dici poteſt popularis; alia *iuris*, quæ dici poteſt legalis. Conſuetudo facti eſt uſus & frequentia actuum externorum, exercitorum a maiori, ſed non a ſaniori parte communitatis perfectæ. Dicitur 1. *uſus & frequentia*; quia unus actus bis, aut ter repetitus non efficit conſuetudinem. Dicitur 2. *actuum externorum*; quia ex actibus internis ſæpius repetitis exurgit habitus, qui etiam dicitur conſuetudo bene, vel male agendi, de quo nunc non loquimur; cum agamus hic de conſuetudine Communitatis, quæ non exurgit niſi ex actibus externis. Dicitur 3. *exercitorum a maiori parte*; frequentes enim paucorum actus dici nequeunt conſuetudo Communitatis. Dicitur 4. *non a Saniori parte*, ut diſtinguatur conſuetudo facti a conſuetudine iuris, quæ debet eſſe a ſaniori parte Communitatis. Dicitur 5. *Communitatis perfectæ*, ut excludatur conſuetudo privatæ Familiæ ſive Sodalitatis, quæ ſi pugnet contra ius commune, excluſo ſpeciali privilegio eſt mera corruptela. Conſuetudo vero iuris eſt ea, quam iam expoſuimus cum S. Iſidoro, nempe *ius quodam moribus inſtitutum, quod pro lege ſuſcipitur ubi deficit lex*. Dicitur *ius*; quia ſi adſint conditiones legitimæ, habet vim legis, & per hanc vocem conſuetudo convenit cum lege ſcripta; utraque enim eſt ius, & differt a conſuetudine facti, quæ ius non conſtituit. Dicitur 2. *moribus inſtitutum*, ut diſtinguatur a lege ſcripra; hæc enim a Legiſlatore editur, illa vero ab uſu, quem populus invexit. Dicitur 3. *ubi lex ipſa deficit*; quia cum lex poſitiva non ſe extendat ad omnes & ſingulos actus, nec ſemper ſatis clare loquatur; Conſuetudo eſt eius ſupplementum ordinans ea, quæ lex poſitiva non attingit, ac explicans quæ dubia relinquit.

Conſuetudo alia eſt generalis, ideſt totius Reipublicæ, ſive Eccleſiaſticæ, ſive Civilis, alia particularis & eſt alicuius particularis Provinciæ ſeu Communitatis, ſive Civilis, ſive Eccleſiaſticæ. Cum autem per verba ultima D. Iſidori denotetur, conſuetudinem debere eſſe præter legem, ut vim Legis obtineat; hinc nota tripliciter ulterius dividi conſuetudinem, nempe in conſuetudinem, quæ eſt contra legem, ſecundum Legem, & præter legem. Prima abrogat legem præexiſtentem. Secunda eſt potius executio & obſervantia legis, & talis conſuetudo tollitur per laxationem, abrogationem, & diſpenſationem ipſius legis. Tertia novum ius introducit, & habet vim legis.

Conſuetudo ut habeat vim legis, & obliget, requiritur ex communi Doctorum, ut ſit honeſta, & utilis bono communi; & hoc eſt de eſſentia legis: idcirco conſuetudo non poteſt habere vim legis ſi noxia ſit, inutilis, vel contra bonos mores; nam tunc eſt mera corruptela: ut inducatur a Communitate perfecta per actus voluntarios, & publicos; quia conſuetudo non habet vim legis niſi ratione conſenſus Communitatis, qui per tales actus declaretur, cui Princeps ſe accommodet: & cenſetur fieri a tota Communitate, quod fit a maiore illius parte ex l. 19. &c. *Ad municip.* Dicitur *a Communitate perfecta* non ſtricte, ut ſit independens, & poſſit condere leges; quia ad introducendam conſuetudinem, quæ vim legis obtineat, ſatis eſt, ut ſit Communitas perfecta, capax veri regiminis ſub perfecta unitate corporis politici, quæ per leges poſſit gubernari, licet non habeat activam poteſtatem condendi legem. Talis enim Communitas conſuetudinem introducendo non fert legem ut ſuam, ſed ex tacito, vel expreſſo conſenſu Principis applicato Communitati capaci legis. Ita D. Thomas 1. 2. q. 97. ad 3. Suarez, Bonacina aliique multi. Circa hoc tamen notandum, quod talis conſuetudo, quæ ſit legis abrogativa, debet introduci ab his, qui legem obſervare tenentur. Condiciones, ut Conſuetudo habeat vim Legis.

Requiritur pariter, ut actus, ex quibus exurgit conſuetudo, facti ſint animo ſe obligandi; quia non habet vim legis, niſi ex voluntate populi, cui Princeps conſentit. Quare Conſuetudines inductæ ex devotione, (ut trina Salutatio Angelica, quæ fit quotidie ad ſonum Campanæ) non habent vim legis. Tunc vero conſuetudo inducta cenſetur animo ſe obligandi, ſi ita Doctores communiter ſentiant, quia talis conſenſus parit evidentiam in rebus, quæ ab hominum uſu, & opinione pendent, in quibus docti & prudentes ſe habent, ut multitudo Teſtium omni exceptione maiorum: ſi conſuetudo ſit rei gravis, & difficilis; quia in his citra obligationis motivum, non ſolet maior pars Communitatis diu perſeverare:

ſi timorati, & prudentes male ſentiant de non perſeverantibus, & populus ſcandalum inde patiatur: ſi tales inobſervantes a Prælatis, & Magiſtratibus graviter reprehendantur, & puniantur.

Tandem concurrere debet Principis conſenſus, vel perſonalis cum per ſe immediate conſentit, aut licentiam alicui concedit, ut inducatur conſuetudo obligans, ſive approbat conſuetudinem expreſſe aut tacite; vel conſenſus legalis, ſcilicet quod ipſe vel eius prædeceſſores tulerint, aut receperint legem approbantem conſuetudines rationabiles, & legitime præſcriptas.

Nulla conſuetudo poteſt abrogare legem naturalem, utpotequæ ea ſolum ſtatuat, quæ neceſſario, & ex natura rei agenda, & omittenda ſunt ad vivendum honeſte ut cap. ult. *de Conſuetud.* Gregorius IX. Idem dicito de Lege Divina & Evangelica; quia Deus vult illam ſervari uſque in finem; nec poſſunt homines abrogare quod eſt de iure Divino, ſive naturali, ſive poſitivo; quia, ut alias diximus, non poteſt inferior prævalere voluntati, & auctoritati Superioris. Si vero conſuetudo ſit rationabilis, & legitime præſcripta, vim habet abrogandi legem humanam. Ita omnes, & conſtat tum ex Iure Civili l. 32. &c. *De Legibus*: tum ex Iure Canonico Cap. ult. *de Conſuetud.* quia poſita tali conſuetudine Princeps conſentit, ſaltem legaliter, ut Lex non amplius obliget; cum & impoſitio, & perſeverantia legis pendeat ob eius voluntate. Dicitur *ſi ſit rationabilis*, ex cap. cit. & ex conſenſu Doctorum: & ad hoc, ut conſuetudo ſit rationabilis, non debet eſſe contraria legi naturali, aut Evangelicæ, aut debito ordini, aut immunitati Eccleſiaſticæ, nec a Iure Canonico reprobari, nec præbere occaſionem & licentiam peccandi, vel alia ratione nocere Communitati, nec aliquam indecentiam continere ne peccata multiplicentur, & ne ſubditi ad difficilia obſervanda adſtringantur. Dicitur *legitime præſcripta*; quia quando Legiſlator, nec conſentit, nec contradicit conſuetudini, eo quod forte illam ignoret, aut ad illam non attendet, ut hæc legem antecedentem abroget, & ipſa vim legis ſortiatur, neceſſe eſt, quod ſit legitimæ præſcripta. Ut autem legitime conſuetudo præſcripta ſit, debet eſſe continuata toto tempore requiſito ad præſcribendum ſine Superioris contradictione. Cum vero definitum non ſit a iure, quantum temporis requiratur ad præſcribendum quoad leges, ſecundum multos tempus illud requiritur, quod ad præſcriptionem bonorum ac iurium conſtitutum eſt. Idcirco leges civiles 10. annis præſcribuntur, Eccleſiaſticæ vero, cum ſint iure Eccleſiaſticæ 40. annis, ſi non reſiſtat Superior. Ita S. Antoninus, Fagnanus, Navarrus, Azorius, cum aliis, qui aſſerunt, hanc eſſe communem ſententiam. Alii vero volunt etiam leges Eccleſiaſticas præſcribi ſpatio 10. annorum, quia ad hanc quoque præſcriptionem dicunt quod requiritur, & ſufficit longum tempus, quod in iure civili cenſetur 10. annorum, & ius civile valet in Eccleſiaſticis, quando præter illud nihil ſtatutum ſit in Iure Canonico.

De tempore requiſito ad præſcribendam legem.

Notandum igitur, communem eſſe ſententiam Canoniſtarum, & Theologorum, quod conſuetudo contra legem præſcribat, licet hoc ignoretur a Principe, cum ad hoc ſufficiat conſenſus legalis, qui communis eſt tam iuri civili quam Canonico; ideſt ſufficit, quod conſuetudo ſit rationabilis, & certo tempore perſeveraverit non contradicente Superiore: Princeps enim generatim conſenſit, ut omnis rationabilis conſuetudo legem ſuam abrogaret, eo ipſo quod ille, aut eius Prædeceſſores legem de hoc tulerint, aut receperint, vel id, quo ut dixi approbentur conſuetudines rationabiles ac legitime præſcriptæ uſu receptum non improbaverint; quod verum eſt etiam reſpectu Eccleſiaſticæ poteſtatis, quæ ſemper conſenſit in omni conſuetudine legitime introducta, ut in cap. *Final. de conſuetu.* Unde S. Thomas petit ſolam Principis tolerantiam ut conſuetudo ſit rationabilis & etiam legitime præſcripta, & ſic vim habeat legis. Alias vix conſuetudines ullæ particularium Eccleſiarum adverſus iura Pontificia cenſeri poſſent legitimæ, cum cæteroquin Papa conſiteatur ſe particularium Eccleſiarum conſuetudines ignorare cap. 1. *de conſtitutionib. in 6.* Ita D. Thom. Sanch. Bonac. cum aliis apud Salmanticen.

Notandum item, quod ut conſuetudo legitime præſcribat contra legem, non requiritur continua bona fides ſicuti in bonorum præſcriptione, quia in his agitur de damno tertii, cui facile via aperiretur, ſi præſcriptio quæ ad lites vitandas ex iuris diſpoſitione ſpoliat de illis proprium Dominum & invitum, etiam mala fide induci poſſet: Præſcriptio vero ad ſtabiliendam rationabilem conſuetudinem, neminem lædit; cum Princeps, cuius ſola auctoritas lædi poſſet, non ſit invitus, ſed legaliter conſentiens, eo ipſo quod non contradicit conſuetudini cum poſſit. Idcirco peccant priores, qui cum mala fide

Digitized by Google

fide legem non ſervant, deinde continuatur pleriſque bona fide agentibus, & putantibus legem non vigere. Denique tranſacto decennio, vel ſecundum aliquos quadrageſimo anno deſinit legis obligatio. Unde huc cadit ſententia Vincentii Lyrinenſis; *condemnantur Magiſtri, abſolvuntur diſcipuli*.

Ut lex toti eccleſiæ communis in aliqua tantum Provincia per conſuetudinem, vel diſſuetudinem contrariam abrogetur ſufficit, ut non ſervetur a maiori parte Provinciæ, Superioribus non contradicentibus toto tempore ad præſcriptionem requiſito. Sic in quibuſdam Diœceſibus conſuetudo abrogavit legem communem ieiunandi in vigiliis S. Thomæ, & Bartholomæi; in aliis vero veſcendi carnibus diebus Sabbati a Nativitate Chriſti Domini uſque ad purificationem B. Virginis incluſive contra commune continendi a tali cibo ſingulis ſabbatis anni. Nam ſpecialis conſuetudo legitime introducta abrogat legem ſpecialiter, ubi viget hæc conſuetudo, generalis generaliter.

Cum autem conſuetudo vim habeat abrogandi legem omnem humanam, a fortiori etiam lex pœnalis fieri poteſt per illam non pœnalis, & mixta pure pœnalis. Item conſuetudo derogare poteſt legi, ſeu tollere partem legis, alia remanente. Ita P. Antoi cum aliis communiter.

In Dubio autem an lex abrogata ſit, ipſa obligat; quia lex tamdiu obligat, quamdiu non conſtet eam non vigere, & in dubio non amittit poſſeſſionem, quam habet obligandi.

Conſuetudo etiam immemorialis poteſt abrogari per legem contrariam ſubſequentem ex cap. 1. *de conſtit. in 6.* Quia ſi conſuetudo non habet vim niſi auctoritate Principis illam approbantis; Princeps eadem auctoritate poteſt eam abrogare; & eo vel maxime, quod conſuetudo non habet maiorem vim lege vel conſuetudine præcedente quam abrogavit; idcirco ipſa quoque per legem ſubſequentem pari paſſu poteſt abrogari.

Non abrogatur tamen conſuetudo particularis per legem contrariam, niſi recte præſumatur Princeps illam noſce ſaltem confuſe & voluiſſe eam abrogare ex cap. 1. *de conſtit. in 6.* Hinc conſuetudo particularis unius Provinciæ non abrogatur per legem univerſalem totius Eccleſiæ, niſi in lege fiat ſpecialis illius mentio, vel per clauſulam dicatur: *Non obſtante quacumque conſuetudine contraria*: quinimmo ſi conſuetudo ſit immemorialis, cuius nempe initii non extet memoria; niſi dicatur *Non obſtante quacumque conſuetudine etiam immemoriali*; quia alioquin Princeps præſumitur ignorare conſuetudinem immemorialem, ideoque non fuiſſe ei in animo illam abrogandi: & ius ita ſtatuit, nempe eam non exprimendo, ut talis conſuetudo non abrogetur. Econtra cum conſuetudines univerſales præſumantur Principi notæ, abrogantur eo ipſo, quod Princeps fert legem in contrarium, etiam ſine clauſula univerſali derogatoria, quia videlicet ſtatuit contrarium conſuetudini, quam ſatis novit.

Conſuetudo principaliter differt a Præſcriptione, quia *Præſcriptio* datur inter privatos, & a privatis inſtituitur, Conſuetudo vero non inducitur niſi a Communitate, cum ipſa ſit lex, & ius non ſcriptum l. *de quibus* 32. §. *de legit. & §. ſine ſcripto 9. Inſtit. de iure naturali*. Uno verbo ex conſuetudine hoc ius non ſcriptum acquiritur publico, ex præſcriptione acquiritur privato.

TRACTATUS DE PECCATIS.

CAPUT I.

De peccatis in genere.

Peccati nomen ſumi 1. poteſt generatim, & late pro quolibet defectu non ſolum moris, ſeu animi, ſed etiam naturæ & artis, & hæc duo poſtrema ſunt vitia & peccata ſecundum quid, cum natura aut artifex in ſuis defectibus peccent ſolummodo contra finem particularem, nec opponantur legi æternæ Dei, & ad Deum referri poſſint ultimum rerum omnium finem. Dicitur enim peccare natura quando producit monſtra, aliaque naturaliter defectuoſa, ac imperfecta, & hoc vocatur peccatum naturæ.

Dicitur peccare artifex quando errat in operibus ſuis, illas non faciendo juxta regulas artis, & hic error appellatur peccatum artis. 2. Nomen peccati ſumitur ſtricte, idest pro ſolo morali rationis, ſeu animi defectu, qui animi defectus ſunt & vocantur peccata ſimpliciter, & proprie, utpotequæ opponuntur legi æternæ Dei, nec proinde ad Deum nec referri poſſunt, ad quem referri nequit, niſi quod ut bonum, & honeſtum eum tamquam ſupremum Dominum honorat, non vero quod ut malum morale iniuriam ei affert, quia violat Divinam eius legem, & ideo eiuſdem maieſtatem, ac dominium contemnit. Hinc peccatum animi ſeu rationis generatim acceptum illud eſt, quo natura rationalis denominatur diſplicens Deo, & inducit in peccantis animam reatum alicuius pœnæ, ut videbimus infra. Vitium & peccatum aliquando promiſcue accipiuntur, ſed vere, & proprie differunt, ſicut actus, & habitus. Vitium ſiquidem eſt prava diſpoſitio in anima permanens, qua inclinatur homo ad actiones rationi, & fidei contrarias, ideſt ad actiones moraliter malas, & hæc prava diſpoſitio illud eſt, quod dicitur habitus; Peccatum vero eſt ipſa actualis actio, rationi & fidei contraria, ſeu actio moraliter mala ex vitioſo habitu procedens. Vitia, ſicut virtutes acquiſitæ, ex frequentatis actibus generantur, & accreſcunt, eo tamen felicius, & promptius, quo corrupta hominis natura propenſior eſt ad vitium, quam ad virtutem. Et de hoc genere vitii ac peccati ſtricte accepti; ideſt non de vitio, aut peccato naturæ vel artis, ſed moris, ideſt de vitio & peccato, pro ut ſunt defectus rationis, quæ proprie ſunt vitia, & peccata, utpotequæ deficiant a debita rectitudine, ideſt a recta ratione, a lege naturali & Divina, quæ ſunt veræ morum regulæ, hic agitur.

§. I.

De natura peccati.

Virtuti, quæ eſt affectio rationali naturæ propria, ac conveniens tria opponuntur ſecundum D. Thomam 1. 2. q. 71. ad q. 89. Vitium ſcilicet, peccatum, & malitia, quæ licet, ut ſupra de duobus primis notavi, aliquando viciſſim confundi ſoleant, re ipſa tamen diſtingui debent. Nam vitium eſt habitus inclinans ſubiectum, cui ineſt ad actus moraliter malos, & ſic opponitur virtuti prout hæc eſt habitus ad actus bonos diſponens; peccatum eſt actio moraliter mala, & ſic opponitur rectitudini, ſeu bonitati actus virtuoſi, ſicut malum opponitur bono.

Peccatum moris interdum ſumitur pro cauſſa, vel effectu peccati, ut Roman. 7. *quod habitat in me peccatum* ideſt fomes peccati, ſeu concupiſcentia. Interdum ſumitur pro materia, circa quam vertatur peccatum, ut Deuteron. 9. v. 21. *Peccatum autem veſtrum quod feceratis, ideſt vitulum arripiens igne combuſſi*. Sumitur aliquando pro hoſtia in expiationem peccati, ut 2. Corinth. 5. dicitur quod Chriſtus factus ſit pro nobis peccatum, nempe hoſtia pro noſtro peccato. Hic tamen agendum de peccato ſtricte ſumpto.

Peccatum igitur ſtricte & proprie ſumptum eſt *libera divinæ legis violatio, ſive actus liber factus, vel omiſſus contra legem Dei*. Quia peccatum primo eſſencialiter conſiſtit in violatione divinæ Legis, ex Sancto Ambroſio l. *de Parad.* c. 8. *Quid eſt peccatum* (ait S. D.) *niſi prævaricatio legis divinæ, & inobedientia divinorum præceptorum?* & ex D. Auguſtino l. 22. *contra Fauſtum; Peccatum eſt dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei æternam*. In his enim comprehenduntur non ſolum peccata cordis, oris, & operis, ſed etiam peccata omiſſionis; nam in moralibus nomine actus intelligitur etiam omiſſio, ut notat D. Thom. ad 5. *Pro eodem accipiuntur dictum, & non dictum, factum, & non factum*; immo etiam peccata venialia, quæ pariter ſunt contra legem Dei, prout lex prohibet venialia; cum cæteroquin ob eorum levitatem proprie ſint potius præter legem, quam contra legem; & ipſum pariter originale peccatum; cum hoc quoque non ſolum reſpectu Adæ primi parentis, ſed ſuorum quoque poſterorum dici poſſit factum contra legem Dei; quia cum voluntas Adæ in tali peccato non fuerit voluntas privatæ perſonæ, ſed & omnium communis hominum quorum Adam erat caput; hinc dici poteſt reſpectu cuiuſcumque poſteri Adæ factum, & voluntarium voluntate primi Parentis, in qua ut in capite continebantur virtualiter omnium Adæ deſcendentium voluntates. Unde ſequitur non dari peccatum mere Philoſophicum, ideſt ſoli rationi repugnans, non legi divinæ, quia qui peccat contra rectam rationem, peccat ſimul, & indiviſibiliter contra legem Dei, & ideo Deum offendit; cum dictamen rationis ſit intimatio, & impreſſio legis æternæ Dei in cordibus noſtris, prohibentis quidquid dedecet naturam rationalem, & præcipientis quid-

Peccati definitio.

quidquid requiritur ut conformiter, & decenter rationali naturæ vivamus. Secundo vero peccatum eſſentialiter conſiſtit in violatione libera, vel in ſe, vel ſaltem in cauſa, aut periculo legis æternæ, ita ut non ſit ex ulla neceſſitate intrinſeca, & antecedente, ut vere potuerit vitari, ſicut confirmat Eccleſia in damnatione propoſitionis Ianſenii: *non requiri in homine viatore libertatem a neceſſitate, ſed ſolum a coactione*. Quare colligitur, ut iam dictum eſt in inquirenda natura actus humani in ordine ad conſtituendam eorum malitiam & bonitatem moralem, ad naturam & eſſentiam peccati, ſcilicet ad hoc ut in legum tranſgreſſione rei ſimus peccati, requiri, quod tranſgreſſio ſit voluntaria, ſeu facta cum advertentia, ideſt cum cognitione moralis malitiæ obiecti, & libera electione voluntatis circa tale obiectum; alias actio non eſſet humana, ſed hominis tantum, ac ideo moralis malitiæ incapax.

§. II.

De eo in quo natura peccati conſiſtit.

Sophiſtice magis quam Theologice diſputari ſolet in ſcholis circa peccati nequitiam & inhoneſtatem, quam malitiam appellant, num ſcilicet ſit aliquid poſitivum, aut privativum, ideſt an peccati eſſentia conſiſtat in poſitivo, vel in privativo. Verum pro faciliori ac clariori intelligentia.

Nota, quod in omni actu peccaminoſo duo ſpectari ſolent: 1. phyſica entitas actus peccati, quæ quia ad inſtar materiæ eſt quid bono, & malo commune, materiale nuncupatur. 2. Formale, ideſt ipſa actus oppoſitio, & repugnantia cum lege æterna, ſeu actus ipſe non ſimpliciter, ſed prout eſt contra legem. Quoad materiale peccati, procul dubio hoc eſt aliquid poſitivum, quia dictum, factum, concupitum aliquid poſitivi ſignificat. Quoad formale vero, ex eo quod illud ſignificare poſſit aliquod poſitivum per modum contrarietatis, ut calor frigori opponitur, vel per modum privationis, ut mors eſt contra naturam viventis; hinc oritur difficultas inter Theologos, num formale, ideſt ratio, ſeu eſſentia peccati ſit aliquid reale poſitivum, an mera privatio? Et cum revera multiplex privatio reperiatur in peccato, ut gratiæ, converſionis ad Deum, conformitatis cum lege; & peccatum ex ſe, ſeu ex intrinſeca ratione ſui ſit defectus voluntatis ſua inclinatione & affectu a recta via & fine declinantis, patet quod peccatum ex ſpecifica ſui ratione ſecum afferat, ac importet rectitudinis privationem. Quare ſit.

Formale ſeu natura peccati conſiſtit in privativo, non in poſitivo, & hoc eſt magis conforme ac conſonum doctrinæ & locutioni plurium SS. Patrum; etenim Dionyſius de divinis nominibus cap. 4. circa finem ait *Relinquit ergo malum imbecillitatem, atque privationem boni*. S. Ambroſ. l. *de fuga ſæculi* cap. 4. ſic habet: *non invenit malitiam; quia malitia nihil eſt*. S. Auguſtinus Tract. 1. in Ioan. inquit: *Peccare nihil eſt, & nihil fiunt homines cum peccant*: & ſimilia habet D. Damaſcenus l. 2. *de Fide* cap. 4. Sic S. Fulgentius l. 1. *de fide ad Petrum* cap. 21. S. Anſelmus l. *de concordia præſcientiæ, & prædeſtinationis*.

Et ratio ipſa hoc comprobat; quia eodem modo ſe habet peccatum ad legem, ſicut malitia moralis ad dictamen rationis: ſed malitia moralis conſiſtit formaliter in privatione conformitatis ſeu convenientiæ ad dictamen rationis: igitur peccatum conſiſtit in privatione rectitudinis ſeu conformitatis ad legem. Unde S. Thomas 1. 2. q. 85. art. 4. dicit, quod ordinatio actus eſt quid bonum, huius privatio eſt eſſentialiter ipſum peccatum. Et 2. 2. q. 162. art. 6. iſtam tradit regulam: *Dicendum, quod in peccato duo attenduntur, ſcilicet converſio ad commutabile bonum, quæ materialiter ſe habet in peccato, & averſio ab incommutabili bono, quæ eſt formalis, & completiva ratio peccati. Culpa mortalis*, (inquit 3. p. q. 86. art. 4. ad 1.) *utrumque habet, & averſionem a Deo, & converſionem ad bonum creatum. Converſio ad bonum creatum eſt ſicut materiale, & averſio a Deo ſicut formale. Remoto autem formali cuiuſque rei tollitur ſpecies; & ideo ex hoc ipſo dicitur culpa mortalis remitti, quod per gratiam tollitur averſio mentis a Deo*. Formale igitur peccati ex D. Thoma in averſione conſiſtit, ideſt in privatione recti ordinis, ſeu converſionis ad Deum. Et clare hoc confirmatur a S. Doctore 1. p. q. 14. art. 10. ubi ait; *quod Deus non cognoſcit malum in ſe, ſed in aliqua natura bona, quia eſſe peccati non eſt niſi privatio boni, ſicut per lucem cognoſcuntur tenebræ*.

Nec valent quæ ſolent obiici, nempe peccata blaſphemiæ, homicidii, & huiuſmodi conſiſtere in poſitivo; quod dantur vitia virtutibus diverſis oppoſita, quæ oppoſitio repeti nequit a privatione rectitudinis, utpotequæ in omnibus eadem ſit, & uni for-

Digitized by Google

mæ nonniſi una privatio reſpondet. Idcirco dicendum opponi per entitatem aliquam ipſorum vitiorum pravitatem conſtituentem. Item ſi in ſola privatione peccati natura conſiſtat, non levia ſequentur abſurda; nam ita peccatum nihil erit, nihilum remittet Sacerdos, pro nihilo damnabitur tranſgreſſor legis, in nihilo peccatum commiſſionis diſcrepabit a peccato omiſſionis. Ulterius unum peccatum non eſſet altero gravius, quod contingere nequit ex privatione, cum una privatio non ſit altera gravior in ſe ſpectata.

Reſpondetur enim, blaſphemiam, homicidium, & ſimilia conſiſtere in poſitivo ſi conſiderentur quoad eorum materiale, quod eſt actio phyſica blaſphemiæ, non vero quoad eorum formale, quod eſt privatio debitæ rectitudinis & conformitatis ad divinam legem, quæ deberet ineſſe actui, & non ineſt. Hinc homicidium in bello iuſto, vel auctoritate publica factum contra malefactores non eſt peccatum, eo quod non interveniat illa privatio conformitatis ad legem, quamvis quoad cætera tam in iuſta, quam in iniuſta occiſione omnia ſint æqualia. Ad illud vero de oppoſitione vitiorum virtutibus, reſpondetur quod hæc haberi poſſit in diverſis ſubiectis ex ipſa privatione diverſos terminos connotante. Unde ſicut carentia rectitudinis in una virga poteſt eſſe diverſa a carentia rectitudinis alterius virgæ, quod una deficiat a rectitudine dextrorſum, altera ſiniſtrorſum; ita effuſa prodigalitas, & parca tenacitas ſunt duo vitia eidem virtuti temperantiæ contraria, prout deflectunt a rectitudine talis virtutis, hinc illa profundendo, iſtinc alia avidius reſtringendo; uno verbo eſt eadem privatio, connotative diverſa. Ad abſurda vero, quæ obiiciunt, reſpondetur primo, quod idem valeret etiam de omiſſionis peccato, quod tametſi remittatur a Sacerdote Eccleſiæ miniſtro, & plectatur punitione, conſiſtit nihilominus etiam per ipſos Adverſarios in privativo. Deinde dicam peccatum remitti a Sacerdote eo modo, quo tenebræ fugantur a Sole, nempe lucem ſantificantis gratiæ diffundendo, non entitatem aliquam deſtruendo; & peccatorem puniri, non quia operatur, ſed quia aut non operatur, aut male operatur. Præterea peccatum non privationem tantummodo importat, ſed etiam maculam animæ, quæ, ut antea diximus, eſt privatio nitoris & pulchritudinis, ſine qua merito a Deo repudiatur, & contemnitur. Peccatum porro commiſſionis differt a peccato omiſſionis ratione actus, quamvis dicant ſcholaſtici, hanc eſſe differentiam materialem, non formalem. Tandem una privatio licet in ſe conſiderata non ſit altera maior, quia nihil eſt; tamen maior eſt connotative, ideſt comparate ad bonum, cuius eſt privatio, ſive ad regulam ſummæ æquitatis, a qua deflectit, ac proinde unum peccatum hac eadem ratione poteſt eſſe altero gravius.

§. III.

De cauſſa materiali Peccati.

Subiectum peccati eſt omnis & ſola humana creatura, ideſt rationalis, non tamen in omni ſtatu. *Omnis, & ſola rationalis creatura;* quia habetur Pſal. 115. *Omnis homo mendax*; tum quia nulla eſt rationalis Creatura quæ non ſit libera libertate etiam contrarietatis, ut alias diximus. Ubi vero datur hæc libertas, datur potentia ad bonum, & ad malum morale. Dixi, *non tamen in omni ſtatu* quia 1. peccare non poſſunt Beatis quos viſio beatifica, qua perfectiſſime inebriantur, ab omni prorſus peccato retrahit. 2. Animæ in Purgatorio detentæ, quæ licet Deum non videant, tanto tamen eius deſiderio tenentur, & tam gravia pro levibus peccatis luunt, ut ab omni peccato prorſus abhorreant. 3. Numquam, nec leviter peccavit B. Virgo, ut ſeſſ. 6. Can. 23. Definivit Concil. Trident. & hoc innuit etiam S. Auguſtinus l. *de natura, & gratia* cap. 36. ubi ait *Sanctiſſimos quoque viros obnoxios fuiſſe peccato, excepta tamen B. Virg. Maria, de qua propter honorem Dei nullam prorſus cum de peccatis agitur nolo habere quæſtionem.* Et impudentiſſime, ac impie calumniantur Hæretici Sanctam Virginem 1. incredulam verbis Angeli cum dixit Lucæ 1. *Quomodo fiet iſtud?* 2. Negligentem, quando filium perdidit. 3. ambitioſam, quando in nuptiis Canæ miraculum petiit, ideoque a filio hiſce verbis emendatur; *quid mibi, & tibi mulier?* Quia & primum falſum eſt; cum Virgo non dubitaverit de veritate prædicationis, & Angelici promiſſi, ſed ſollicita fuerit, quomodo id fieret, propter votum, quod emiſerat, Virginitatia naturaliter incompoſſibile cum Maternitate. Falſum ſecundum, quia fieri potuit, ut uterque parens crediderit Filium cum altero reverti, vel, quod forte alias contingerat, eſſe in comitatu cognatorum & amicorum. Falſum tertium, dum nulla fuit Virginis ambitio in his nuptiis, ſed ſumma cha-

Digitized by Google

charitas & *Chriſtus*, ait S. Iuſtinus, *non verbo obiurgavit quod facto honoravit.*

Non loquimur hic de Chriſto, qui utpote homo Deus nec peccavit, nec peccare poterat; neque etiam de damnatis.

Primus homo in ſtatu innocentiæ potuit peccare venialiter, cum mortaliter peccaverit in tranſgreſſione præcepti quoad eſum fructus vetiti.

Hactenus locuti ſumus de ſubiecto mediato peccati; quia ſubiectum immediatum peccati eſt voluntas; nam omne peccatum eſt in voluntate, vel ut in ſubiecto, vel ut in primo movente: quia cum omne peccatum debeat eſſe voluntarium, hinc vel elici debet a voluntate, & tunc in ea proxime ſubiectatur, vel ſaltem ab ea imperari, & tunc eſt prima peccati radix, ſive aliæ facultates peccati ſubiectum dicantur, ſive non. Unde tritum eſt illud S. Auguſtini: *voluntas eſt qua peccatur, & recte vivitur.*

§. IV.

De Cauſſa Efficiente Peccati.

Vera & propria efficiens cauſſa peccati, non alia certe cenſenda eſt, quam ipſa cuiuſcumque propria voluntas, quam antea diximus etiam cauſſam eſſe ſubiectivam peccati: cum hic tamen nomen cauſſæ latius ſumatur, nempe pro omni eo, quod cauſſa eſt cur homo peccet; hinc duplex diſtinguitur cauſſa peccati: interior, quæ eſt in ipſo homine, & exterior, quæ eſt extra ipſum. Cauſſa interior triplex eſt, ignorantia ex parte intellectus, concupiſcentia & paſſio ex parte appetitus, & malitia ex parte voluntatis. Cauſſa vero exterior pariter triplex eſt, vel potius effingi poteſt: Deus una cum voluntate ad peccatum concurrens; dæmon ad illud excitans; homo peccatum ſuum alteri homini communicans, de quo poſtremo dicetur, quando de peccato Originali.

§. V.

De Ignorantia ut cauſſa peccati.

Si ad memoriam revocentur ea quæ de ignorantia dicta ſunt, dum agebatur de actibus humanis, non difficile erit agnoſcere, quæ de ignorantia hic dicenda occurrunt 1. nempe ignorantiam reipſa cauſſam eſſe peccati; 2. dari ignorantiam, quæ eſt peccatum, 3. ignorantiam eſſe, quæ penitus tollit peccatum, vel ſaltem ex parte. Ignorantia poteſt eſſe cauſſa peccati per accidens, ut habetur ex Script. Act. 3. *Scio fratres quia per ignorantiam feciſtis*, & 1. Corinth. 2. *Si cognoviſſent, numquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.* Dixi *per accidens*, quia cum ignorantia ſit privatio, non poteſt influere poſitive in peccatum, ſed indirecte tantum, & quatenus removens, ac prohibens tollit ſcientiam, quæ ſi adeſſet, peccatum non poneretur.

Ignorantia vero quæ cauſſa ſit peccati, eſse nequit ignorantia invincibilis, & antecedens, quia licet ſit cauſsa operis, qua ſecluſa opus non poneretur, non eſt tamen cauſsa peccati formaliter ſumpti, cum tollat omne voluntarium, ut patet in Iacob, qui acceſſit ad Liam putans eam eſse Rachelem: non pariter ignorantia concomitans, ſi ſit invincibilis, nam ignorantia peccatum non cauſsat, quæ impedit ne actio cognoſci poſſit ut mala, quod facit ignorantia concomitans, ſicut patet in eo, qui dum feram occidere credit, bona fide hoſtem quem cæteroquin occidere quærebat interficit. Unde reſtat, quod ignorantia conſequens, & vincibilis, ſive affectata ſit, ſive non, utpote quæ cauſsa ſit cur ponatur actus formaliter malus, qui ea ſublata non poneretur, ſit vera cauſsa peccati; quia cum talis ignorantia tolli potuerit, & debuerit, non tollit abſolute voluntarium in tali actu peccaminoſo; ideoque eſt cauſſa, cur ponatur actus formaliter malus. Dixi *quod eadem ignorantia ſublata non poneretur actio;* alioquin enim ſi quis ita eſſet diſpoſitus, ut etiam ſine illuſione huius ignorantiæ adhuc poneret actionem, tunc ignorantia non eſſet conſequens, ſed concomitans. Præter ignorantiam vero quæ eſt cauſsa peccati datur ignorantia, quæ eſt ipſum peccatum: hinc ita precatus eſt David Pſalm. 24. *Ignorantias meas ne memineris Domine*, & Hebr. 9. Moſayci Sacerdotes dicuntur ſauguinem obtuliſse pro ſua, & populi ignorantia. Hæc ignorantia quæ in ſe ipſa eſt peccatum, eſt ignorantia voluntaria, ſeu volita, quæ eſt craſsa, ſeu ſupina, & potiori ratione affectata, quarum utraque eſt vincibilis, ſeu voluntaria neſcientia eorum, quæ quis tenetur, & poteſt ſcire; hæc enim æquivalet omiſſioni eorum, quæ quis tenetur, & poteſt facere: unde ſi huiuſcemodi omiſſio eſt culpabilis, ita huiuſmodi vincibilis ignorantia. Cum vero ignorantia invincibilis, & antecedens excuſet penitus a peccato, conſequens, niſi ſit affectata, excuſat in aliqua

par-

Digitized by Google

parte, ideſt a tanto, ita ut peccatum ob talem ignorantiam ſit minus grave. Et de ignorantia invincibili, & antecedente iam vidimus ſuo loco eam eſſe, quæ nec directe, nec indirecte eſt volita, & eſt vel eorum quæ quis ſcire non tenetur, vel ſi ſcire tenetur, ſufficientem adhibuit diligentiam, & tamen ſcire non potuit: & tunc cenſetur quis debitam adhibuiſſe diligentiam, quando fecit non iam totum, quod in ſe eſt, ſed quod communiter viri pii, ac prudentes efficere ſolent, & eo modo, quo ſolent. Sic Iacob accedens ad Liam, cum nullam ſuſpicandæ fraudis cauſſam haberet, potuit eam ſuſcipere, quæ ſibi offerebatur, abſque eo quod teneretur lumen adhibere, eam ad loquendum provocare, ut véritatem exploraret. Quoad illud vero quod dicitur de ignorantia conſequente vincibili, non affectata, ſcilicet peccatum imminuere, facile hoc deprehenditur ex iam dictis de tali ignorantia quæ voluntarium minuit, ac ideo etiam peccatum, cuius tota ratio dependet a voluntate; minus enim voluntarium eſt quod volitum eſt tantum indirecte, quam quod volitum eſt directe. Et hoc oſtendit exemplo Chriſtus Dominus Lucæ 12. ubi habetur de ſervo, qui cum non agnoverit voluntatem Domini ſui & fecerit digna plagis, paucis vapulabit; igitur talis ignorantia minuit peccatum.

Num vero hæc ignorantia tantum peccatum minuere poſſit, ut ex mortali fiat veniale, hoc facile dignoſci poteſt ex peccato negligentiæ unde ſequitur ignorantia; cum hoc ſit menſura peccati, quod ex ignorantia procedit. Quare ſi negligentia ſit gravis, ut eſſe ſolet, licet non ſit ſumma, peccatum non deſinet eſſe mortale. Porro mortaliter peccarunt Iudæi, utpote qui ex tali vincibili ignorantia (in aliis plus, in aliis minus) Chriſtum crucifixerunt, eiuſque Apoſtolos perſecuti ſunt. Peccant mortaliter Iudices, Advocati, Confeſſarii, Medici, Opifices &c. qui ex gravi, licet non omnium maxima negligentia, deficiunt ſcientia ad eorum munia exercenda requiſita. Si vero negligentia ſit ſolummodo venialis, ac imperfecte voluntaria, qualis eſt cum quis aliquam ſed non ſatis magnam adhibuit ſollicitudinem, tunc ita imminui poteſt peccatum, ut non pertingat ad mortale. Et id in caſu periurii ex veniali negligentia, & ignorantia poſſet accidere, ut tenent Navarrus, Silveſt. Valentia & alii.

Num vero mollities, ſeu pollutio excuſari poſſit a peccato ſub prætextu ignorantiæ niſi ſit affectata, dubitant aliqui, negant plures, & melius. Dixi *niſi ſit affectata*; nam hæc potius auget quam minuat peccatum; cum ignorantia huiuſmodi videatur continere non ſolum interpretativum, ſed formalem legis ac Legiſlatoris contemptum: hi enim qui talem fovent ignorantiam, ſunt ii, qui dicunt Iob 21. *Recede a nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus*. Hi enim intelligere nolunt ut bene agant.

Ignorantia concomitans, nec excuſat, nec accuſat; quia etiam eadem ſecluſa adhuc actus malus fieret, & quidem libentius ea ſublata. Igitur in hoc ſenſu ignorantia concomitans non excuſat. Quia tamen actus ignorantiæ concomitanti coniunctus non eſt volitus, neque directe, neque indirecte, idcirco talis ignorantia non accuſat. Hinc qui putans occidere feram inimicum occidit, non eſt reus homicidii, nec ſubiacet pœnis quæ contra homicidas latæ ſunt.

Quod hactenus dictum eſt de ignorantia, ſicut iam alias admonuimus, idem dicendum de inadvertentia, quæ eſt carentia attentionis actualis; de inconſideratione, quæ eſt privatio debitæ inſpectionis; de oblivione, qua quidpiam fugit e memoria: cum hæc enim ſint quædam debitæ cognitionis privationes, merito reducuntur ad ignorantiam, & cum ipſa eiuſdem ſunt conditionis. Unde inadvertentia (idemque dicito de aliis) excuſat a toto, ſi invincibilis ſit, ut eſſe ſolet in his, qui habentes habitualem ſui officii cognitionem, alio neſcii, & inviti rapiuntur. Non excuſat vero, niſi a tanto, ſi debuerit, ac potuerit vitari; quia tunc non tollitur voluntarium indirectum: & idcirco culpabilis eſt inadvertentia 1. in ſe ipſa, quando quis cognoſcit, id, quod agendum ſuſcipit, plus mereri conſiderationis, nec tamen vult amplius ad rem attendere. 2. In alio, ut quando quis aliquid vult, quod cum ſeria rei faciendæ conſideratione cohærere non poteſt, aut cum ſe non exuit defectu quodam, qui advertentiam tollit, puta præcipitatione in agendo, negligentia in attendendo. &c.

§. VI.

De aliis interioribus cauſſis Peccati, ideſt paſſione, & malitia.

Inter cauſſas internas peccati paſſio quoque recenſetur, quæ eſt *appetitus ſenſitivi motio, quæ extraordinariam corporis mutationem producit*. Hæc eſſe poteſt, ſicut ſæpius eſt, cauſſa peccati, ut Daniel 13. *Concupiſcentia ſubvertit cor*. Peccatum ex paſſione dicitur

citur infirmitatis; quia ſicut corpus tunc infirmum dicitur, quando propter humorum intemperiem impeditur ab opere ſuo bene exercendo; anima pariter tunc infirma appellatur, cum motibus inordinatis appetitus ita diſtrahitur, ac retardatur, ut actiones ſuas juxta rationis dictamen exercere nequeat. Paſſio ſi antecedat, præcedatque voluntatis motum, eamque ad aſſenſum trahat, vel inclinet, non tollit quidem omnino peccatum, ſed revera hoc minuit. Etenim quoad primum quod fit etiam impellente, & inclinante paſſione antecedenter ad motum voluntatis, nequit eſſe ita liberum, ſicut id quod ſine hujuſmodi impulſu peragitur. Verum cum peccatum includere debeat in ſe actum liberum, eo ipſo quod a paſſione minuitur liberum, peccatum quoque minuitur. Et quia paſſioni antecedenti poteſt, & debet reſiſti, ideo paſſio antecedens peccatum prorſus non tollit: immo communiter loquendo, nec adeo illud minuit, ut ex mortali in motibus deliberatis veniale efficiatur, quia tunc nec deeſt materia gravis, nec conſenſus, qui ſufficit ad mortale; nam peccare poteſt lethaliter, qui motus paſſionis quos advertit poſitive non repellit, licet poſitive non contentiat, ut alias dicetur. Si tamen paſſio omnino auferat, ſeu abſorbeat rationis uſum, ut ſit prorſus involuntaria tam in ſe, quam in ſua cauſa, ut quando quis involuntarie poſitus in phreneſi, vel in ebrietate, Matrem percutit, tunc profecto paſſio excuſat ab omni peccato: at cum tamenſi actu involuntaria ſit, a principio tamen ideſt in cauſa voluntaria paſſio fuerit, ut cum quis ex voluntario amore incidit in inſaniam; tunc quod præviſum fuit, vel quod per ſe ex hujuſmodi amore ſequitur, non excuſat a peccato; quia inſania tunc ſe habet ut ebrietas, quæ eſt brevis quædam amentia. Paſſio vero conſequens, ſeu quæ ſubſequitur motum voluntatis, & quam quis in ſe excitat, ut vi tanto vehementiori operetur, non minuit peccatum, ſed potius auget, vel ſignum eſt ejus magnitudinis; quia vel auget voluntarium, vel ſignum eſt voluntatis vehementioris. Peccatum ex paſſione conſequenti non dicitur ex infirmitate, ſed potius ex malitia, ut notat Sylvius.

Datur etiam peccatum quod oritur ex malitia, nempe nec ex ignorantia, nec ex paſſione antecedenti, quod eſt peccare ex infirmitate, ſed ex plena cognitione, advertentia, & libertate iſtud committitur, & hoc eſt peccare ex ſolius influxu malitiæ. Qui enim ita peccant, ſunt ii, qui quaſi de induſtria receſſerunt a Deo, & omnes vias ejus intelligere noluerunt, cujuſmodi ſunt qui lætantur cum male fecerint & exultant in rebus peſſimis. Hi ſunt ſervi illi, qui voluntatem Domini ſui cognoſcentes, eam facere contemnunt. Hic aliqua occurrunt obſervanda. 1. Peccatum ex malitia, ex genere ſuo eſſe omnium graviſſimum, quia ſuper omnia alia eſt magis voluntarium. 2. Peccatum ex infirmitate gravius eſt, quam peccatum ex ignorantia non affectata. 3. Peccatum quod vel ex ignorantia affectata, vel ex paſſione libere excitata prodit, vel eſt peccatum ex malitia, vel ei æquivalet: Peccatum vero ex malitia non ſemper prodit ex peccato præcedenti; cum primum peccatum aliquando fit ex malitia, ut patet in Angelis, & primis Parentibus, qui cum non peccaverint ex ignorantia, aut paſſione, ex ſola malitia peccaſſe videntur, ut vult Sylvius. Sic non omnis peccans ex malitia, peccat ex habitu, quia fieri poteſt, voluntatem illius, qui omnis pravi habitus expers eſt, ex ſe ipſa moveri ad malum, quod eſt peccare ex malitia. Quicunque tamen peccat ex habitu, profecto peccat ex certa malitia, ut hic docet D. Thomas, quia peccans ex habitu, peccat ex majori voluntatis propenſione, licet ita cito & modo fere imperceptibili determinetur ad malum, quod ei evadit quodammodo connaturale, quatenus conſuetudo, & habitus tranſeunt in naturam. Hinc facile cuique eſſe poteſt comprehendere, quam ſtulte aliqui ſcelera ſua ex hoc excuſare ſtudeant, quod ex habitu, ſeu conſuetudine oriantur, cum conſuetudo, dum non retractatur, ipſam malitiam augeat. Et equidem circa malam conſuetudinem mortaliter peccandi, ſentiunt non pauci, eos, qui hujuſcemodi laqueis ſunt irretiti, teneri ſub mortali ad eam retractandam; quia, ut ipſi cum aliis communiter aiunt, quiſque tenetur removere a ſe occaſionem proximam, ac morale periculum peccandi, alias cenſetur interpretative, ac indirecte & in cauſa velle peccatum, cum velit id, ex quo tamquam ex cauſa peccatum ſequitur, cujuſmodi eſt plane mala conſuetudo, quæ eſt prima, & proxima occaſio, & morale quodam periculum, ſeu potius moralis quædam neceſſitas peccandi, quatenus ut docet D. Auguſtinus; *Dum conſuetudini non reſiſtitur, facta eſt neceſſitas*. Adduntque, conſuetudinarium toties peccare, quoties ad pravam conſuetudinem qua implicatur advertens, non proponit efficaciter eam corrigere; quia ſaltem interpretative vult id, quod reſpectu ipſius eſt proximum peccandi periculum

lum

lum & cauſſa, quam velle novum eſt peccatum.

§. VII.

De Cauſſis exterioribus Peccati.

Circa cauſas exteriores, quæ ut efficientes movere poſſunt, ſeu excitate ad peccandum hominem, in præſentiarum perpendemus Deum, & Dæmonem Dei hoſtem; & examinabimus, num vere cum homine cauſſæ ſint efficientes ipſius peccati.

Et quod ſpectat ad Deum, non defuerunt Hæretici *Libertini* appellati, qui in tam impiam prolapſi ſunt dementiam, ut non erubuerint facere Deum auctorem peccati. Hoc dogma acriter impugnare contendebat Calvinus, ut revera ex una parte hoc præſtitit, ex altera tamen ipſum manifeſte innovavit; nam ſic negat Deum peccati auctorem, ut poſtea ſæpe, immo ſæpiſſime ſcribat de Deo, quod Deus velit, decernat, præcipiat peccatum; loquens enim Calvinus de Catholicis: *aiunt*, inquit, *hoc peccatum, & excæcationem Dei tantum permiſſu, non etiam voluntate fieri; Ipſe vero Deus palam ſe facere pronuntiat.* Errorem hunc proſcripſit Sancta Synodus Tridentina Seſſ. 6. Can. 6. hiſce verbis; *Si quis dixerit ... mala opera; ita ut bona Deum operari, non permiſſive ſolum, ſed etiam proprie, & per ſe, adeo ut ſit proprium eius opus non minus proditio Iudæ, quam vocatio Pauli, anathema ſit.* Unde ſit.

De fide eſt Deum non eſſe cauſſam, & auctorem peccati.

De Fide eſt, Deum non eſſe cauſſam & auctorem peccati, ad illud impellendo, & excitando. Et conſtat hæc veritas ex proxime allata Tridentini definitione contra Calvini errorem, & perplurimis divinæ Scripturæ Teſtimoniis, ubi manifeſte explicatur Deum nolle iniquitatem, & abominari impios, eorumque impietatem: tantum abeſt quod poſſit præcipere & operari quod eſt peccatum. Nam Pſal. 5. habetur *non Deus volens iniquitatem tu es*, & Pſal. 44. *dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem*, Sap. 14. *odio ſunt Deo impius, & impietas eius.*

Ratio autem huius Catholicæ Doctrinæ eſt manifeſta, quia ſcilicet peccatum cum ſit malum omnium maximum, quin & averſio a Deo tamquam ultimo fine, repugnat infinitæ Sapientiæ, iuſtitiæ, bonitati Dei. Unde peccatum graviſſime & ſub interminatione æternæ damnationis prohibuit.

Nec obſtat, quod phyſice concurrat ad actionem peccati; quia ut patet, concurrit ad materiam, ideſt ad materiale peccati, ut dicunt Theologi, non vero ad defectum morale, quod eſt formale, & vera ratio peccati.

Et multo minus pariter favere poteſt contrario errori divina Scriptura, ex eo quod in ea habeatur, Deum indurare, excæcare hominem, & huiuſmodi; ut Exodi 7. *Ego indurabo cor Pharaonis*, Iſaiæ 6. *excæca cor populi huius*, & alibi. Nam reſpondetur cum communi Theologorum, huiuſmodi S. Scripturæ teſtimonia intelligenda non eſſe de actione poſitiva, & directa; unde Deus influat errores, aut duritiam in cor, cum hoc repugnet ex allatis teſtibus, & aliis Divinæ Scripturæ; ſed intelligenda eſſe quoad Deum permiſſive, ſeu quatenus ipſe iuſto, & imperſcrutabili ſuo iudicio peccata permittit; & partim ut ſalva remaneat ſua peccatori libertas, partim ut homines iuſti per malos quodammodo exerceantur, partim ob alia impenetrabilia ſua iudicia permittit homines male agere, occaſione cuius ii ſubinde in peccatis magis obdurantur atque ad bonum faciendum excæcantur. Dicitur pariter Deus, hominem indurare, & excæcare, indirecte tamen; nempe ſubtrahendo ſpecialiora gratiæ actualis auxilia; Deus enim iuſto ſuo iudicio, & in pœnam præſertim priorum peccatorum ſubtrahit homini in peccatis inveterato, non quidem omnia, ſed ſolum ſpecialiora, ac uberiora actualia gratiæ ſubſidia, ſine quibus ille poſſet quidem bene agere, ſed prævidetur a Deo non bene operaturus, & id ob propriam ſuam malitiam, ac pravam voluntatem.

Dæmon eſt cauſſa peccati in homine indirecte tantummodo.

Quoad Diabolum vero, non ſolum verum eſt, ipſum cauſſam eſſe peccati ab ipſo commiſſi, ſed aliquo modo, ideſt indirecte, & per accidens eorum etiam, quæ ab hominibus committuntur: *Dixi indirecte & per accidens;* quia ad hoc ut quis directe & per ſe ſit cauſſa peccati, neceſſe eſt, quod phyſice ac realiter voluntatem moveat, actum eius interius operando, vel ut ita obiectum ei proponat, ut eam neceſſario ad illud trahat, quorum neutrum efficere poteſt Diabolus. Indirecte quidem Diabolus in hominibus eſt eauſſa peccati, quatenus ad illud fortiter ſuadendo iucundumque, ac ſuave peccatum eis exibendo, ad illud extimulat ac ſollicitat, quod efficere poſſunt etiam homines, adiungendo etiam pravum eorum exemplum, quod fortius, quam ſuationes vim habet, ut ad malum alii homines inclinentur, & perducantur. Sed hoc non obſtante efficacius quam homines etiam ſine

ſuo

ſuo exemplo peccatum ſuadet Diabolus, & ad ipſum movet; quia cum homines nonniſi in ſenſus exteriores directe agant, ſæpe voluntatem movere nequeunt, quando præcipue appetitus ſenſitivus in aliud obiectum propendit, & ſenſum interiorem præoccupat, quo fit, ut mens non attendat ad ea quæ homines dicant, vel faciant, ſive minentur, ſive blandiantur. At dæmon ſenſus interiores, & appetitum ſenſitivum directe afficit, Deo ita permittente, phantaſiæ ſpecies, quæ ſunt cogitationum ſemina, commovet, & ſic obiecta veluti præſentiſſima in imaginatione recurrunt. Spiritus quoque animales, alioſve humores exagitando, appetitum ſenſitivum ad libidinem, iram, & alios inordinatos motus accendit. Voluntati tamen neceſſitatem non infert; quia inordinati concupiſcentiæ motus voluntatem phyſice non determinant. Ita ex S. Thoma in 2. diſt. 21. q. 1. art. 2. ad 1.

Poſt cauſas materialem ideſt ſubiectum, & efficientem peccati, dicendum aliquid eſſet de cauſa occaſionali, ideſt de occaſionibus peccati: verum huic locum relinquimus in tractatu de Sacramento pœnitentiæ, ubi ſtatuetur etiam, quibus deneganda ſit, vel differenda abſolutio ob occaſiones peccati, in quibus quis verſatur.

§. VIII.

De Conditionibus ad peccatum requiſitis.

Quoniam peccatum eſt actio moralis, profecto ad ipſum neceſſario concurrere debet advertentia rationis, & libera conſenſio ex parte voluntatis, cum dari nequeat peccatum, niſi actio voluntaria ſit & indifferens, ac proinde procedens, & a cognitione intellectus, & a libera voluntatis determinatione. Verum quia non ita facile patet, cuius generis eſſe debeat conſenſus ille & advertentia, licet hæc expenderimus dum agebatur de natura actus humani, explicando, quid ad eorum bonitatem, & malitiam, ideſt ut virtuoſi ſint, vel vitioſi requiratur; hinc pro maiori ac faciliori intelligentia, non incongruum cenſui hic quoque circa advertentiam, & conſenſum ad malitiam actuum moralium requiſitum, dum particulariter de eadem eorum malitia ſermo habetur, aliqua breviter addere.

§. IX.

De Advertentia neceſſaria ad peccatum.

Multiplex advertentia.

Nota, advertentiam multiplicem eſſe, & 1. *ratione obiecti*, alia eſt ad actum materialiter ſumptum, ut cum quis advertit quidem ſe carnem comedere, non advertit autem, quod die ieiunii hoc faciat; alia eſt ad actum, & malitiam eius, ut cum quis reflectit ſe carne veſci die ieiunii: 2. *ratione modi*; alia eſt formalis, & expreſſa, cum quis actionem ponit actu advertens eſſe vetitam; alia virtualis ſeu implicita, quæ etiam interpretativa dicitur, dum ſcilicet non ſolum adeſt dubium, ſcrupulus, vel ſuſpicio peccati, aut periculi eius, vel præviſio ſaltem confuſa actus mali in ſua cauſa; ſed cum negligentia culpabilis facit, ut peccatum eiuſque periculum non cognoſcatur, nec advertatur cum adverti poſſit & debeat; immo hoc ſolum ſatis eſt ad peccatum, 3. *ratione perfectionis* alia plena eſt, cum agens ita ſibi præſens eſt, & ſui compos, ut rem conſideret, aut conſiderare poſſit quantum ſatis eſt; alia ſemiplena, cum ſomnum aliudve impedimentum efficit, ne homo ſatis ſui compos ſit, ut ad rem quantum ſufficit reflectere valeat. Communis eſt apud omnes, nullum eſſe peccatum, ubi nulla ſaltem virtualis habetur advertentia, quia ſublata advertentia tollitur voluntarium, ſine quo dari nequit, ac ſtare peccatum. Hinc ut alias notatum fuit, actus qui primo, primi dicuntur, immunes ſunt a peccato, utpote qui antecedant advertentiam omnem voluntatis.

Diſputant acriter inter ſe Theologi, num ad hoc ut formaliter quis peccet neceſſaria ſit actualis & expreſſa cognitio, ſeu advertentia, & cogitatio, vel ſaltem actuale dubium vel ſcrupulus, vel ſuſpicio de malitia actionis, an vero ſatis ſit, ut quis actionem faciat, quæ mala eſt, dum advertere poteſt ac debet ad eius malitiam, ad quam tamen non advertit, ſive ob habitum, aut paſſionem, quibus rapitur, ſive quia intentus eſt ad alia, quæ cum advertentia ſubſiſtere & componi nequeunt.

Circa hanc quæſtionem affirmant alii, ad formaliter peccandum requiri actualem, & expreſſam cognitionem, ſeu advertentiam de actionis malitia, & huic ſententiæ affinis eſt ſeu proxime conſona opinio illa de peccato quod vocant Philoſophicum, ſeu mere morale, quæ in Academia Pariſienſi propugnata eſt anno 1686. & his verbis fuit propoſita. *Peccatum philoſophicum, ſeu morale eſt actus humanus diſconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi; Theologicum vero, & mortale eſt tranſgreſſio libera divinæ Legis. Philoſophicum quantumvis grave in illo*

illo qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, eſt grave peccatum; ſed non offenſa Dei, neque peccatum mortale diſſolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum. Hanc propoſitionem proſcripſit Alexander VIII. die 24. Auguſti anno 1690. eam declarando ſcandaloſam, temerariam, piarum aurium offenſivam, & erroneam. Apoſtolicæ Sedis iudicio iam non pauci Theologi, præcipue duo celebres ex Societate Ieſu præiverant, teſtantes prædictæ propoſitionis doctrinam ex ſe deteſtari velut hæreticam, ut inter alios expreſſe docent P. Comitolus, & Tyrſus Gonzalez dictæ Societatis Præpoſitus Generalis, & alii paſſim, iuxta quorum ſenſum ſit.

Ad hoc ut formaliter quis peccet, non requiritur actualis advertentia, vel dubitatio aut ſcrupulus, num actus moralis malitia inficiatur; ſed ſatis eſt advertentia interpretativa, nempe quod quis potuerit animadvertere, & debuerit. Et vere dantur peccata commiſſa ſine actuali advertentia, vel actuali dubio, aut ſcrupulo; & eſt de fide contra Abaelardum, qui volebat peccatum nullum committi ex ignorantia, quem acriter impugnavit S. Bernardus Epiſt. 77. ad Hugonem: *Is forſitan*, inquit, *qui aſſerit non poſſe peccari per ignorantiam, nunquam pro ſuis ignorantiis deprecatus eſt; ſed potius irridet Prophetam deprecantem, & dicentem: delicta iuventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris.* Igitur ſi peccari poteſt ex ignorantia, cuius peccati cauſſa eſt ſola ignorantia, quatenus removens, prohibens, ideſt quatenus tollit cognitionem peccati, qua poſita peccatum non poneretur, ac proinde nulla eiuſdem peccati actualis notitia, dubium, aut ſcrupulus ſupponitur; manifeſte conſtat, quod ad peccatum formaliter non requiratur actualis advertentia, vel dubitatio, aut ſcrupulus, an actus moralis malitia vitietur, dummodo habeatur advertentia interpretativa, ideſt quod quis animadvertere potuerit, & debuerit. Inſuper quod ad ignorantiæ peccatum non requiratur actualis peccati cognitio, vel dubium ipſius aut ſcrupulus, apertiſſime patet; nam qui actualem habet eiuſdem peccati cognitionem, aut ſaltem dubium de peccato, nequit ullam, vel ad minus plenam, ſi dubitet, eiuſdem peccati habere ignorantiam: igitur nullum datur ignorantiæ peccatum, ſi nullum adſit peccatum ſine ipſius peccati notitia, vel dubio &c. Quod de fide falſum eſt; cum de fide ſit, ſicut diximus, dari peccatum ignorantiæ.

Et hoc confirmatur ex errore culpabili, ſeu ex conſcientia culpabiliter erronea, ut ex D. Auguſtino Lib. *de Spiritu & littera* Cap. 36. *In multis enim*, ait S. D. *offendimus omnes, dum putamus Deo quem diligimus placere, vel non diſplicere, quod facimus.* Huiuſcemodi fuere ex S. Bernardo peccata eorum, qui cum Apoſtolos occiderent, putabant obſequium ſe præſtare Deo. Hinc ait Propheta: *delicta quis intelligit?* Peccata vero huiuſmodi, ideſt quæ fiunt ex conſcientia erronea, fiunt ſine cognitione, & dubio de malitia peccati, cum nulla ſupponi poſſit cognitio, aut dubium de malitia peccati, quando mens (ut in eo qui ex erronea conſcientia operatur) nedum cognoſcit ſe peccare, quin etiam (ut notat Gonzalez) habet pro certo, ſe bene agere. Et hoc patet præſertim in iis, qui ex nativitate in hæreſi enutriti ſunt, ii enim veluti cum lacte hanc falſam ſuxerunt perſuaſionem, unam eſſe, quæ vera ſit, Religionem quam tenent; nec circa illam ullos unquam remorſus patiuntur, ſicut teſtati ſunt non pauci eorum, poſtquam ſpeciali divinæ gratiæ ſubſidio ad Catholicam fidem vocati fuere.

Unde patet ad evidentiam, contra oppoſitam ſententiam, neceſſariam non eſſe ad formaliter peccandum malitiæ peccati actualem notitiam, aut dubium, ſed ſufficere notitiam interpretativam ac virtualem peccati, qua talis, quæ in eo conſiſtit, quod homo cognoſcere poſſit, & debeat; cum hæc ſatis ſit ad hoc, ut peccatum & in ratione actus, & in ratione peccati voluntarium ſit, ſi non formaliter, & actu (ad quod requiritur actualis advertentia ad peccatum ut tale) virtualiter quidem, & interpretative, quod eſſe poteſt cum ſola virtuali advertentia & interpretativa, ſine advertentia, ſeu cognitione actuali malitiæ peccati. Voluntarium vero virtuale interpretativum utpote quod habet virtualem notitiam peccati, qua talis, quatenus homo cognoſcere poteſt, & debet, ſufficit, ut peccatum ſatis ſit volitum; ideoque virtualis cognitio ſufficit ad peccandum formaliter. Et quia poſſe & debere ſcire apud iuriſperitos æquivalet ei, quod eſt ſcire de facto, & quia, ut loquitur S. Thomas 1. 2. q. 6. art. 7. ad 3. non totaliter tollitur cognitio, quia non tollitur poteſtas cognoſcendi, ſed ſolum conſideratio actualis in particulari operabili; & tamen hoc ipſo eſt voluntarium, quatenus voluntarium dicitur quod eſt in poteſtate volentis, ut non agere, & non velle, ſimiliter

Digitized by Google

ter & non conſiderare; & quia ſicuti qui poteſt & debet impedire malum proximo, & non impedit, cenſetur ei virtualiter conſentire, licet actu non conſentiat, immo actu nollit; ita qui poteſt, & debet notitiam habere, & eamdem habere negligit, aut impedit voluntarie, ne eam habeat, tametſi ea de facto careat, cenſetur virtualiter ſcire, & peccat non ſecus ac ſi ſciret, & cognoſceret.

Inſuper ſi ad peccandum neceſſario requiritur actualis cognitio, & advertentia malitiæ peccati, vel de ipſo dubium, aut ſcrupulus, graviſſima ſequerentur abſurda, videlicet Infideles, & Hæreticos non peccare in ſua infidelitate, utpotequi non deprehendant falſitatem ſuorum errorum, idest ſuæ culpabilis infidelitatis malitiam, nec de ea ullatenus ſuſpicentur; quinimmo, ut paulo ante dicebam, idiotæ præcipue, & mulierculæ ita ſibi perſuadent de veritate ſuæ ſectæ, ut alacriter fortiterque mortem potius ſubirent, quam eam deſerere. Item innocui eſſent in innumeris ſuperſtitionibus, quæ in gratiam ſuæ Religionis velut legitimæ exercent, abſque eo quod mala eſſe ſuſpicentur, cum optima eſſe ſentiant. Sic Sinenſes infantes ſuos enecant ex quodam ſenſu ac motu pietatis ut eos ſcilicet vitæ miſeriis eripiant: ſic filii ibidem infirmitate vel nimia ſenectute languentes parentes periment, &c. Idem autem dicendum de conſenſu, quod dictum eſt de advertentia. Idcirco certum eſt 1. plenum conſenſum ſufficere ad mortale peccatum. 2. non requiri ut conſenſus feratur in rem ut malam, ſed ſatis eſt ſi feratur in rem, quæ mala eſt, & ut talis adverti poſſit, & debeat. 3. nonnunquam fieri, ut peccatum etiam in materia gravi defectu ſufficientis cognitionis non ſit niſi veniale. Sed ut clarius ſicut negotium hoc exigit, quæ ad conſenſum pertinent exponantur, ſequitur.

§. X.

De Conſenſu ad peccandum requiſito.

Conſenſum ita definire ſolent Theologi, nempe: *acceptatio, & complacentia voluntatis in eo, quod ei ab intellectu proponitur*. Conſenſus autem multiplex eſt: 1. alius poſitivus, quo voluntas expreſſe approbat objectum ab intellectu ipſi voluntati propoſitum; alius negativus, quo voluntas etiam ſuppoſita ſufficienti intellectus advertentia, nec poſitive approbat, nec poſitive diſſentit, quamvis diſſentire valeat; 2. alius directus, qui directe fertur in objectum a voluntate propoſitum, ut cum quis vult furtum, homicidium; alius indirectus, quem alii virtualem, ſeu interpretativum vocant, & eſt quando quis licet rem aliquam in ſe non velit, vult tamen aliquid, in quo res illa continetur, aut illud, ex quo res ſequitur, ut cum quis non vult turpes corporis motus, ſed vult lectionem librorum carnales amores ſpirantium, ex quibus tales motus excitantur; 3. alius eſt perfectus, & plenus, alius imperfectus, prout voluntas aliquid acceptat cum plena, aut ſemiplena advertentia, vel approbatione; 4. alius abſolutus, quando quis vult abſolute rem malam; alius conditionatus, quando quis vult rem malam, ſolum tamen conditionate, ideſt ſuppoſito v. g. quod mala non eſset, ut velle furari, fornicari, &c. niſi Deus prohiberet. 5. Demum alius eſt efficax, cum voluntas ita malum approbat, ut eius executionem intendat ſive malum ponat, ſive non; alius inefficax, cum voluntas ſibi complacet quidem, & delectatur circa malam actionem v. g. circa fornicationem; ſed ſine ulla intentione opus exequendi: & hic actus complacentiæ in malo, abſque mali exequendi deſiderio, eſt cogitatio, ſeu delectatio, de qua in ſequenti paragrapho.

§. XI.

De Delectatione Moroſa.

Pro clariori huius rei intelligentia ſupponendum eſt, 1. cogitationem ſeu delectationem moroſam communiter definiri ſic: *ſimplex complacentia objecti prave cogitati ſine intentione efficaci executionis illius*. Hinc notat Sanchez in ſumma l. 1. duplicem eſſe affectum voluntatis: primus eſt conſequendi quod delectat & dicitur efficax voluntas; ſecundus eſt ſimplex complacentia objecti quod delectat abſque executionis deſiderio, & hic dicitur cogitatio, ſeu delectatio moroſa, ut hanc deſcribit etiam S. Auguſtinus l. 12. de Trinitate Cap. 12. *Cum ſola cogitatione mens delectetur illicitis, puta venereis, ultione inimici, non quidem decernens eſſe facienda, tenens tamen, & volvens; quæ ſtatim ut attigerunt animum, reſpui debuerunt*. Unde in cogitatione moroſa duo intelliguntur, nempe cognitio, & delectatio rei illicitæ. Hæc autem moroſa delectatio eſſe poteſt non ſolum in voluntate, ſed etiam in appetitu ſenſitivo, cum hoc tamen diſcrimine, quod ſi ſit in voluntate eſt actus

ctus pure immaterialis, ſicut eſt voluntas: ſi vero ſit in appetitu ſenſitivo eſt materialis, & ſenſibilis, cum hic appetitus corporeus ſit.

Supponendum 2. cum S. Thoma hic q. 74. art. 3. ad 3. cogitationem ſeu delectationem dici moroſam, ut ait etiam Sylvius cum aliis Theologis, non a temporis mora, cum mortalis culpa uno temporis momento perfici poſſit, ſed a mora ſeu deliberatione rationis, quæ hanc delectationem, poſtquam eam ſenſit repellere negligit, ſed vel in eam conſentit, vel eam ut poteſt, & debet, non cohibet; tunc enim ratio eſt in mora, ut ii in mora eſſe dicuntur, qui ſuo non funguntur officio, ſtatim ac fungi poſſunt & debent.

Supponendum 3. pariter cum D. Thoma 1. 2. q. 74. art. 8. duplicem eſſe poſſe delectationem moroſam de obiecto malo cogitato. Prima eſt de cogitatione ipſius obiecti, in qua obiectum pravum ſe habet ut quid immateriale, & cogitatio eſt tamquam obiectum quod delectationis. Secunda vero eſt de ipſo obiecto cogitato, in qua obiectum pravum ingreditur, & eſt tamquam obiectum quod delectationis, cogitatio vero tunc eſt ut conditio applicans obiectum voluntati, ut notant Vaſquez & Sanchez hic cit. a Salmanticenſibus.

Omnis autem delectatio cogitationis rei illicitæ, ſi habeat cogitationem pro obiecto quod, ſeu formale, ideſt delectatio terminetur ad cogitationem, ſeu cognitionem rei illicitæ, non vero ad rem ipſam illicitam, quomodo gaudet Confeſſarius, qui ex lectione notitiam acquirit eorum, quæ ſexto Decalogi præcepto prohibentur, licita eſt, & honeſta, ac proinde neutiquam culpabilis, niſi forſan quis inutiliter, & ex ſola curioſitate mentem in his occupet, ac ideo ſe exponat periculo patiendi motus inordinatos. Item ſi delectatio non ſit de ipſo opere malo, ſed de modo ſubtili, quo v. g. furtum patratum eſt, non eſt peccatum, ſed ad ſummum eſt vana, & inutilis cogitatio, ac proinde nonniſi venialiter mala. Si autem delectatio habeat pro obiecto quod ſeu formale obiectum cogitatum, ideſt terminetur ad rem ipſam cogitatione perceptam, in hypotheſi quod res illa ſit moraliter mala, peccatum eſt mortale. Hinc colligitur, non omnem etiam cogitationem de re illicita eſſe culpabilem, ſed ſolum quando otioſa ſit, aut ex curioſitate procedat; quia cogitatio pertinet ad perfectionem intellectus: *Omnis ſcientia bona eſt*, ait Ariſtoteles l. 1. *De Anima*. Deus omnia obſcœna cognoſcit eſſe turpia ſine ullo præiudicio infinitæ ſuæ puritatis, & ſanctitatis: nam intellectus in hoc differt a voluntate, quod intellectus aſſimilet ſibi obiecta, & ea excludat ſi immunda ſint, voluntas vero obiectis aſſimiletur, & copuletur; unde ſi obiectum ſit turpe, neceſſe erit ipſam quoque ab eo fœdari.

Indicia vero ad dignoſcendum, num delectatio ſit de cogitatione, aut de obiecto turpi cogitato tametſi non facile ſit cognoſcere, habentur nihilominus quædam non obſcura ſigna, quibus hoc deprehenditur; & primum ex D. Thoma loco cit. art. 8. eſt attendere ad affectum, & intentionem operantis; nam ſi delectatio de cogitatione eſt ex bono motivo, evidens eſt indicium, delectationem eſſe præciſe de cogitatione. Si autem ſit ex affectu ad rem malam cogitatam, certum eſt delectationem eſſe de re prava. Et hoc frequenter contingit in his qui tali vitio dediti ſunt; *Ex abundantia cordis os loquitur*; & quos videmus paſſim de rebus turpibus confabulari, non leve indicium eſt, non de cogitatione, ſed de obiecto turpi habere delectationem. Alterum vero ſignum eſt videre, ex qua occaſione oritur delectatio; etenim ſi oriatur ob ſtudium, prædicationem &c. poteſt præſumi delectationem illam eſſe præciſe de cogitatione obiecti turpis: at ſi procedat quia aut vindictam aliquando de inimico ſumpſit, vel cum fœmina rem habuit, præſumendum eſt eſſe de re prava, & obiecto turpi. Ita Sylveſter, Caietanus, &c.

Supponendum 4. delectationem moroſam ab obiecto ſpecificari, ideſt diverſam ſpeciem ſortiri ab obiecti diverſitate. Et hæc ſuppoſitio eſt communis; quia omne reſpectivum ſpecificatur a termino & obiecto, quod reſpicit: unde cum delectatio, utpote moralis, ſit actus reſpectivus, ſpecificarà debet ab obiecto quod reſpicit, & ſic erit eiuſdem ſpeciei cum obiecto de quo delectatur, ac proinde ſi obiecto ſit peius, puta adulterium aut inceſtus, cogitatio quoque peior cenſenda eſt, ac in Sacramentali Confeſſione aperienda. Ita communiter Theologi omnes. Immo ab ipſis etiam circumſtantiis, ſi iſtæ ſint ex iis, quæ mutant ſpeciem, & ſe tenent ex parte obiecti, ſpecificatur moroſa delectatio, ac ideo qui delectatur de copula cum coniugata, duplex committit peccatum, fornicationis ſcilicet, & adulterii: nam ad hoc ut delectatio ſumat ſpeciem malitiæ a circumſtantiis perſonæ

ſonæ delectantis, non requiritur ut circumſtantiæ moveant ad illam, ſed ſatis eſt quod cognitæ non removeant appetitum a delectatione obiecti pravi: ita D. Antoninus, Navarrus, Azor. Sylveſt. aliique.

Nec valet obiicere cum D. Thoma hic q. 74. art. 4. nempe peccatum in ſenſualitate non poſſe eſſe mortale; nam S. D. docet peccatum non poſſe eſſe mortale ſine ſufficienti advertentia rationis, non vero quando habeatur ſufficiens rationis advertentia; diſerte enim probat Angelicus Doctor art. 8. delectationem ſenſualitatis eſſe lethalem, quando pro obiecto habeat actum moraliter malum: unde in art. 4. vult dumtaxat peccatum illud potius tribuendum eſſe rationi quam ſenſualitati; quod ut clarius inoteſcat, obſervandum eſt, quod dum aliquando appetitus rebellat, ratio indirecte ſolummodo, ac veluti negative concurrit rebellioni, prout videlicet negligenter illi reſiſtit: & tunc motus ille inordinatus tribuitur principaliter appetitui ſenſitivo, qui cum ſit politice tantum ſubditus, nonnumquam rebellat contra rationem quæ eſt ſuperior, propterea reus dicitur peccati tantum venialis; quia non ſubvertit ordinem ad ultimum finem, cum ut ſupponitur, ratio ſuperior motum illum inordinatum non approbet; licet ſegniter illi reſiſtendo prorſus non improbet. Si tamen accedat plenus rationis conſenſus, delectatio turpis, tametſi procedat ab appetitu ſenſitivo, peccatum eſt mortale; ita tamen ut in mente S. Thomæ illa turpis delectatio adſcribenda ſit rationi; eo quia ad ipſam ſpectat iudicare de ultimo fine, quem turpiter cenſet reponendum in bono commutabili. Et ut res clarius aperiatur.

Nota, quod licet ratio ſit una potentia, quæ alio nomine vocatur mens, ſeu intellectus, dividitur tamen in inferiorem & ſuperiorem, ſicut appetitus ſenſitivus in concupiſcibilem & iraſcibilem. Nomine autem rationis inferioris non aliud intelligi poteſt, niſi mens ipſa, ſeu ratio humana, prout conſiderat motiva humana, quæ inferiora ſunt reſpectu divinorum v. g. ſi quis examinet, ſeu perpendat in aliquo obiecto utilitatem temporalem, aut incommoda, gloriam, aut infamiam, delectationem, aut moleſtiam, talis conſideratio pertinet ad rationem inferiorem: ſi vero reſpiciat quæ ſunt ſuperioris ordinis, nempe quod obiectum ſit conforme, vel contrarium legi divinæ, ſpeculatio eſt rationis ſuperioris, dum ratio ſuperior ea dicitur, quæ conſiderat motiva divina. Ratio autem ſive ſuperior ſit, ſive inferior, profecto non eſt capax peccati, & hoc manifeſte conſtat, niſi dependenter a voluntate; eo quia ut iam ſæpe notavimus, non eſt peccatum niſi voluntarium, ac proinde ſequitur, ignorantiam, erroremque invincibilem excuſare a peccato. Unde ſi nulla prorſus ſit advertentia aut negligentia in ratione ſuperiori, cum inferior expendit temporalia commoda, quæ. e. g. ex morte alterius obventura ſint, puta amplam hæreditatem, & immunitatem a quibuſdam moleſtiis, unde appetitus ſenſitivus delectatur, nullum eſt peccatum. Sed ſi ratio ſuperior in allato exemplo negligenter ſe gerat, & ſaltem imperfecte percipiat huiuſmodi temporalia motiva, & delectationem inde conſequentem repugnare legi æternæ, eſt veniale peccatum. Quod ſi ulterius ſuperior ratio, vel approbet iudicium inferioris rationis, vel ſufficienter advertat, aut advertere poſſit, eſſe contrarium charitati, & divinæ legi; delectatio illa cum proveniat ex re lethaliter mala, peccatum eſt lethale, ut patet ex iam dictis de moroſa delectatione.

Dixi *aut advertere poſſit*; nam ut notat D. Thomas, & alias etiam dictum fuit, non eſt neceſſe, quod mens actu advertat de Lege æterna, alioquin qui peccant ex habitu vel ignorantia vincibili, excuſandi eſſent, cum habitus vitioſus in perditiſſimis hominibus, & ignorantia vincibilis ſæpe tollant attentionem ad legem divinam. Hinc nullatenus excuſari poſſunt qui in familiaribus colloquiis laudant vitæ ſuperfluitatem, ultionem de inimicis, ac de iis cogitando animum oblectant eo prætextu, quod a lege quæ iſta prohibet abſtrahant ac præſcindant. *Hæc dicere ſolent, dicta ſunt ſecundum hominem*. Immo contra naturam hominis eſt, ac proinde peccatum, amare quæ per ſe mala ſunt. Hactenus Habertus. Fuſius tamen dicetur de hac moroſa delectatione in Tractatu de Capitali peccato Luxuriæ.

§. XII.

De eo qui negative ſe habet ad inordinatos concupiſcentiæ motus, ideſt nec conſentit, nec diſſentit, licet advertat.

Qui ad inordinatos motus concupiſcentiæ dum probabile imminet periculum conſenſus in delectationem rei lethaliter malæ negative ſe habet, ideſt nec conſentit, nec diſſentit, quamvis illos advertat, peccat mor-

Digitized by Google

taliter, ut unanimes ſatentur Theologi omnes iuxta Azorium P. 1. l. 4. cap. 6. q. 5. Nam qui tunc expreſſe non reſiſtit, conſentire videtur. Immo ſecundum aliquos hic negativus conſenſus ſufficit ad mortale etiam ſecluſo tali periculo, niſi iuſta cauſſa excuſet. Quare nullum eſt peccatum non removere cauſſam iuſtam, & æquam, ideſt dare operam rei per ſe licitæ ob finem bonum in materia, quæ aliquid habet turpitudinis, pro honeſto uſu, puta Confeſſionum, vel medicinæ, vel inſtructionis, vel equitationis, ex quibus delectatio venerea ſequatur in appetitu ſenſitivo, modo abſit periculum conſenſus; nam ſi adeſſet, ab omnibus hiſce foret abſtinendum. Nec pariter peccaret, qui propter magnam in honeſto opere contentionem, & attentionem non reſiſteret, citra tamen periculum conſenſus, quia motus illi nec directe nec indirecte ſunt voluntarii, ſed omnino præter voluntatem ſuo operi unice intentam.

Dixi antea *cauſſam iuſtam, & æquam*: peccatum enim ſaltem veniale committeret, qui per curioſam lectionem, vel inutilem confabulationem daret occaſionem non neceſſariam huiuſmodi motibus, tametſi voluntas poſitive reſiſtat. Ita enim ſentiunt Bonacina, Sylvius, aliique, dummodo tamen non intendatur in illis actionibus curioſis, & inutilibus delectatio, ſed ei repugnetur, nec adſit grave periculum conſenſus, quale eſt in aſpectu obiecti valde obſcœni, quem Theologi communiter iudicant eſſe mortale, etiamſi ex ſola curioſitate procedat, eo quod aſpectus huiuſmodi ita fortiter ad libidinem delectationemque veneream provocent, ut coniiciant voluntatem in evidens periculum conſentiendi.

Quando delectatio venerea aut alterius rei mortaliter malæ ſufficienter advertitur, probabilius eſt eſſe peccatum mortale, negative ad eam ſe habere, etiam citra periculum poſitivi conſenſus: ſic D. Thomas hic art. 7. ad 2. Nam qui ita ſe haberet, ideſt non reprimeret delectationes venereas, quas ſufficienter advertit contrarias eſſe legi divinæ, defficeret in re gravi, quod eſt mortale, quando hoc fiat ſine rationabili cauſſa. Addit P. Antoine, actiones, etſi leviter malæ ſint & turpes, ut ſunt viſus, locutio, lectio rerum leviter obſcœnarum ex ſola curioſitate, comeſtio, vel potus aliquantulum excedens, ſtatim eſſe dimittendas, utpote quæ in nobis excitent pollutionem, aut veneream delectationem vehementem. Corduba vero, Vaſquez, aliique communiter, quos ſequitur Grandin, contendunt non peccare mortaliter eum qui talia opera ſuſcipit, tametſi inde prævideat ſequuturos motus ſeu delectationem veneream, dummodo non ſubiit periculum conſenſus, nec delectationem intendat, tum quia iſti motus difficillime vitati poſſunt etiam a viris timoratis; tum quia ſunt adhuc remoti; tum quia non ſunt adeo mali obiective, neque malitiam habent tam conſummatam.

Delectatio autem venerea ea eſt quæ ſentitur circa partes venereas ex commotione ſpirituum genitalium ſeu generationi inſervientium. Hic tamen ſic diſtinguunt Theologi motus pravos corporis: 1. vel vehementes ſunt, aut erunt, vel leviores. 2. præſentes, vel futuri 3. vel probabiliter futuri, vel potius incerti, & quaſi mere poſſibiles. Hiſce poſitis ſtatuunt, Sylvius præcipue, & Habertus. eum ſolum venialis peccati reum fieri, qui per actionem inutilem motibus levibus occaſionem præbet, ſive ii præſentes ſint, ſive certo futuri, dummodo tamen adſint reſtrictiones ſupra allatæ; ideſt, dummodo non intendat delectationem, & abſit periculum conſenſus. Statuunt pariter eum peccaturum mortaliter, qui non dimittit actionem etſi venialiter malam, ex qua pollutio, vel vehemens delectatio venerea ſequitur, aut certo ſequutura eſt extra ſomnum. Tandem opinantur eum, qui ponit actum, de quo dubitat an pollutio poſſit ex eo inde ſequi, v. g. qui veſcitur tali cibo dubitans, non autem probabiliter cognoſcens an effectum hunc talis actus habiturus ſit, peccare ſolum venialiter; immo nec venialiter ſi cauſam habeat huius actionis faciendæ. Unde qui ex eo quod ſic decumbit, advertit futurum ut ſequatur pollutio, ſi aliter non poteſt dormire, non tenetur aliter decumbere. Et hæ deciſiones non tam ſunt ab ipſis rei viſceribus, quam ex communi ſapientum iudicio.

Diverſi. tas motuum pravorum corporis.

§. XIII.

De eo qui delectaretur cogitatione actionis olim ipſi licitæ, nunc vero ipſi illicitæ.

Qui delectatur cogitatione actionis olim ſibi licitæ, & nunc ſibi illicitæ; ut Viduus, & Sponſus de opere coniugali præterito reſpectu unius, futuro reſpectu alterius, peccat mortaliter, quando opus coniugale apprehendatur ut præſens, & ea cogitatione actuali oblectetur; cum delectatio illa ſit

de

de obiecto lethaliter malo; nam opus coniugii in eo ſtatu in quo ſunt ſponſus & viduus ſub mortali ipſis eſt vetitum. Ad ſummum poſſent excuſari a mortali, ſaltem ſi ſine ſenſualitatis motu apprehenderent actum coniugalem præteritum vel futurum, approbantes unus quod illum exercuerit, alter quod illum exercebit; quia opus illud non probant, niſi quatenus fuit, vel erit ipſis licitum. Verum cum eiuſmodi cogitatio vix dari poſſit ſine venerea delectatione, nec promovenda eſt, nec ſi ex ſe excitetur, retinenda, ſed ſtatim abiicienda.

Ex his facile colligitur, quid de eo ſentiendum, qui cuperet delectari de re aliqua, ſi non eſſet mala. Etenim ſi ſic cogitando delectatur actu de re mortaliter mala, reus eſt mortalis peccati: ſi vero non delectetur, immunis eſt ſaltem a peccato mortali; quia non vult actu de re mala & illicita delectari. Sed cum vanæ ſint, & inutiles huiuſmodi cogitationes, non admittuntur ſaltem ſine veniali culpa.

§. XIV.

De eo qui cupit, rem aliquam per ſe malam, non eſſe malam.

Ad ſolutionem huius difficultatis diſtinguendum eſt inter ea, quæ mala ſunt ex ſe, & ea quæ mala ſunt quia vetita; nam vel res illa ex ſe, ſcilicet ex natura ſua eſt indifferens, ut eſus carnium in Quadrageſima, qui non eſt malus, niſi propter legem vetantem; vel per ſe eſt mala, ut fornicatio. Quæ mala ſunt quia prohibita, ex iuſta & rationabili cauſſa ſine peccato optari poſſunt, ut eſus carnium ſanitati neceſſarius; quia voluntas non fertur in obiectum illicitum, & legem illud prohibentem reveretur, cum propter illam ſe abſtineat a carnibus alioquin ſanitati neceſſariis. Sed mala ſecundi generis, nempe quæ per ſe mala ſunt, non poſſunt deſiderari, niſi ut mala; quia non ſunt hæc mala quia vetita, ſed potius vetita quia mala ſunt, & vitioſum eſt velle talia permitti. Peccat igitur qui vellet, fornicationem, vindictam &c. non prohiberi.

Item reus eſt mortalis peccati propter eamdem rationem qui ita affectus eſt, ut dicat: *ſi non eſſet infernus, fornicarer; ſi militiæ non renuntiaſſem, aut ad ſtatum clericalem non tranſiſſem, te occiderem*; quia licet non eſſet Infernus, nec qui ita loquitur Clericali ſtatui eſſet addictus, nihilominus fornicatio, & iniuſta occiſio eſſent lethaliter malæ, idcirco ſine gravi culpa patrari nequeunt.

Quamvis delectari liceat de malo opere, quod factum ſit ſine culpa, quia factum aut ex ignorantia invincibili, aut in amentia, & ſimiliter licitum ſit delectari de bono effectu, qui inde feliciter ſequutus eſt v. g. quod ſopitæ ſint lites, & pax inita ex caſnali homicidio &c. delectari tamen de ipſo actu homicidii inculpabilis eſt lethale peccatum. Et hoc patet tum ex ſententia Innocentii Papæ XI. qui hanc damnavit propoſitionem num. 15. *licitum eſt filio gaudere de parricidio parentis a ſe in ebrietate patrato, propter ingentes divitias inde ex hæreditate conſecutas.* Item quia obiectum huius delectationis eſt mortaliter malum, tametſi propter ignorantiam ei non imputetur, dum illud committit; tum quia illicitum eſt deſiderare quod eſt per ſe malum, propter bonum finem. Igitur nec licitum eſt de eo lætari propter finem ſimiliter bonum. Quod autem dicitur de delectatione in re mala, eadem de cauſſa ac ratione eſt dicendum de diſplicentia in re bona. Hinc qui libere triſtatur de bono proximi, de virtutis exercitio, vere peccat, quia vere bonum odit, ut malum amet.

§. XV.

De primo effectu Peccati, nempe de macula Animæ.

Inter effectus, qui a peccato producuntur quatuor præcipui recenſentur, & ſunt macula, iniuria, ſeu offenſa Dei; reatus pœnæ, & ipſa pœna. Præcipui effectus peccati.

Conveniunt omnes indubitanter, poſt actum peccati iam phyſice præteritum, hominem adhuc peccatorem remanere, & ideo ex commiſſo peccato aliquid in eò relinqui, per quod conſtituitur in eſſe peccatoris, & a quo peccator denominatur, donec per ipſius pœnitentiam remiſſionem conſequatur. Et id, a quo poſt tranſactum peccati actum peccatores denominamur, illud eſt, quod in divinis ſcripturis dicitur macula: ut Iſaiæ 4. *ſi abluerit Deus ſordes filiarum Sion* & Eccli. 31. *Qui inventus eſt ſine macula.* Hinc homo ex tali macula per peccatum contracta poſt modum dicitur *maculatus, pollutus, immundus, conqui natus, & abominabilis coram Deo.* Et hæc eſt macula, a qua ablui, & mundari expoſcebat coronatus Pſaltes Pſal. 50. *Amplius lava me ab iniquitate mea, & a peccato meo munda me.*

Hæc autem macula contrahitur per omne peccatum, & licet non ſit habitus peccati, ut dicemus, eſt tamen illud, quod Theologi vocant peccatum habituale, illud ſcilicet quod conſequitur ex actu inhoneſto, qui iam præteriit. Huiuſcemodi macula, ut ex D. Thoma q. 86. art. 1. ad 2. non inducitur præciſe per cognitionem; cum proprium ſit intellectus per cognitionem aſſimilare ſibi obiecta & eorum materialitatem, ac imperfectionem expurgare, adeo ut ex obiectis materialibus, & obſcœnis ſola veritas reſplendeat in intellectu, ac proinde eis non inficitur, immo perficitur; ſed inducitur hæc macula per amorem rerum inferiorum; quo voluntas animum noſtrum ad res illas ut in ſe ſunt inclinando, iiſdem eum aſſociat & coniungit, ac proinde ſi tales res turpes ſint, ipſum animum commaculant. Nam ſicuti veſtis tunc maculari dicitur, quando ſuum perdit nitorem, quem perdit per contactum alicuius rei impuræ, puta luti; ſic deperdit animus noſter ſuam pulchritudinem & ſplendorem creaturæ inhærendo per amorem, cui proprium eſt amantem rei amatæ aſſimilare, ac eum in ipſam commutare iuxta illud vulgare effatum, *amor amantem in amatum convertit*.

Macula inducitur per amorem rerum terrenarum.

Dixi, *animum noſtrum non commaculari præciſe per cognitionem*; quia aliquando per eam quoque occaſionaliter fœdatur; nam attentio ad turpia libidinem accendit, ad ſuperflua torporem gignit, ac negligentiam: unde recenſentur inter peccata cogitationis moroſæ, ſic dictæ per moram quæ in his producitur, ex qua exurgit delectatio in appetitu ſenſitivo.

Peccati macula profecto cenſeri nequit habitus relictus ex præcedenti actu peccaminoſo, cum unico actu inducatur macula, & habitus nonnili ex multis exurgat; & eo vel maxime, quod habitus malus ex parte remanet in homine iuſtificato, in quo nulla extat macula peccati. Non eſt item macula reatus, ſeu debitum ſubeundæ pœnæ, cum reatus ſit macula poſterior; etenim ideo peccator eſt reus pœnæ, quia peccati macula fœdatus eſt, & reatus ſeu debitum pœnæ temporalis remanet etiam poſt deletam maculam per iuſtificationem. Item macula non eſt actus malus præteritus, alias ſequeretur hominem eſſe peccatorem per ſolam extrinſecam denominationem petitam ab actu culpabili præterito, & idcirco remiſſionem peccatorum fieri per extrinſecam Dei condonationem, ſine interiori renovatione ſeu regeneratione ſpirituali per gratiam ſanctificantem, quod hæreticum eſt dicere. Pariter hæc macula non eſt ſola privatio gratiæ præciſe ſumpta, quia privatio gratiæ in ſe tantum conſiderata non habet rationem culpæ, ſed pœnæ iuſtiſſimæ a Deo illatæ, & quia in omnibus peccatoribus privatio gratiæ eſt una & eadem, & maculæ diverſæ ſunt iuxta diverſitatem peccatorum.

Gratiæ privatio licet præciſe in ſe non ſit macula a commiſſo peccato relicta, ea tamen gratiæ privatio eſt cum relatione & ordine ad actum malum præteritum, qui donec non ſit ſufficienter retractatus, cum moraliter remaneat in anima, eſt peccati macula; quia cum gratia ſtare nequeat cum peccato, quomodocumque ſive phyſice, ſive moraliter illa in nobis extet; & peccatum ſit averſio a Deo, & converſio ad creaturam ſecundum S. Dionyſium Carthuſianum *quia ſpreto incommutabili bono*, bonis mobilibus adhæremus, donec illud non retractando, in nobis ipſis moraliter, & habitualiter retinemus; hinc etiam privatio gratiæ quæ cauſatur ex habituali permanentia peccati, cenſetur voluntaria converſio habitualis ad creaturam, & voluntaria habitualis averſio a Deo, ſi actus fuerit lethaliter malus. Etenim ex eo quod actus præteritus malus non eſt retractatus, voluntas habitualiter adhæret obiecto illicito, ſeu malo, & privatur gratia ſantificante ac habitu charitatis, ſi actus fuit lethaliter malus, vel eius fervore, ſi dumtaxat venialiter. Unde S. Thomas 3. p. q. 87. art. 2. ad 3. concludit, ad abluendam maculam peccati mortalis requiri gratiæ ſantificantis infuſionem; ad tollendam vero maculam peccati venialis ſufficere motum charitatis.

Quare colligitur contra Stoicos, non omnia peccata eſſe æqualia, ſicut contra eoſdem oſtendit S. Auguſtinus Epiſt. 167. alias 29. quia cum peccans convertatur ad obiecta quando magis, quando minus turpia, plus etiam minuſve iuxta eorum conditionem maculatur. Cum enim malitia actus repetatur ab obiecto, licet peccata ratione averſionis a Deo, & privationis gratiæ, quæ eſt mors animæ, paria, ac æqualia ſint, ratione tamen converſionis ad creaturas inæqualia ſunt, ob inæqualitatem turpitudinis, quæ ineſt in ipſis Creaturis.

Porro hæc macula, quæ eſt privatio nitoris animæ, ſicut hic triplex eſt, unus ſcilicet, quo refulget anima ex lumine naturali, quod rationem dirigit; ſecundus ex lumine ſupernaturali fidei, & gratiæ; tertius ex acti-

actibus elicitis charitatis & virtutum inſuſarum; macula pariter quæ oritur animæ ex peccato generatim ſumpto, triplex eſt; prima quæ conſiſtit in privatione rectitudinis, & conformitatis ad rectam rationem, quæ rectitudo eſt naturalis pulchritudo, ac decor animæ. Secunda in privatione gratiæ ſanctificantis, quæ inducitur a lethali culpa, ob quam maculam homo denominatur & eſt vere malus, peccator, & Dei inimicus. Tertia quæ inducitur a peccato veniali, & conſiſtit in privatione fervoris, qui eſt decor, & pulchritudo reſplendens in homine ex actibus charitatis, aliarumque virtutum, ut Matth. 5. *Luceat lux veſtra coram hominibus*.

Unde manifeſtiſſime colligitur, tolli non poſſe maculam unius peccati mortalis ſine alia; cum homo nequeat eſſe ſimul privatus & ornatus gratia ſanctificante. Secus vero de venialis peccati macula dicendum eſt; quia quis poteſt abſolute ferveſcere circa unum obiectum, & non circa aliud. Idcirco macula peccati venialis revera non eſt macula, niſi ſecundum quid, cum revera macula ſit ea, quæ provenit a privatione gratiæ ſanctificantis. Hinc non obſtante tali macula, qua difficillime mundi ſunt iuſti, mundi appellantur & Sancti in Divinis ſcripturis; quia dum homines habent gratiam ſanctificantem propter nitorem ipſius, & virtutum omnia ornamenta, quæ gratiam comitantur, licet aliquantulum deficiant in charitatis fervore, ſimpliciter tamen ſunt mundi, & immaculati, etſi non perfecte ob leviores ſordes, idcirco maculati ſecundum quid.

§. XVI.

De ſecundo effectu peccati nempe de offenſa ſeu iniuria Dei.

Quid ſit offenſa Dei. Circa offenſam Dei, hæc aliud non eſt, niſi iniuſta, ac impia ſupremæ dignitatis, auctoritatis, & amicitiæ Dei violatio, ex eo procedens, quod peccator a Deo avertatur, & convertatur ad creaturas: ex quo fit, & conſequitur, quod homo labatur in iram & inimicitiam Dei, cui ut dicitur Sapient. 14. *Similiter odio ſunt Deo impius, & impietas eius*; privetur gratia habituali, ſeu ſanctificante, cum peccatum & gratia ſint incompoſſibilia, non ſecus ac lux & tenebræ.

Solet hic inquiri de tali offenſa, num malitiam habeat infinitam; pro cuius ſolutione: Nota 1. peccatum ſpectari poſſe vel ut malum hominis, quem ſpoliat recto ordine rationis, charitate & gratia, ac ipſius Dei poſſeſſione, vel ut eſt malum Dei.

Nota 2. peccati malitiam dupliciter dici poſſe infinitam, ſcilicet intrinſece ac implicite, ſeu in ſe & ratione ſui, & intrinſece, ſeu obiective, quatenus perſona quam lædit infinitæ ſit dignitatis & perfectionis.

Certum eſt autem apud omnes, peccatum, prout eſt malum hominis, non habere malitiam intrinſece infinitam, utpote quod privet hominem bono, quod ſi non in ſe, ſaltem prout participatum ab ipſo homine eſt ſimpliciter finitum, ſicut eſt participatio Dei, qua privatur peccator, quæ cum fiat ad modum recipientis, qui eſt finitus, ipſa quoque cenſeri debet finita.

Certum eſt pariter, peccatum, prout eſt iniuria & malum Dei, ſaltem obiective, & extrinſece eſſe infinitum. Ita Caiet. Medi. Alvarez, aliique contra Suarez, Vaſquez alioſve etiam ex Thomiſtis. Quare ſit.

Peccati malitia non eſt intrinſece infinita, non ſolum in genere entis, ſed etiam in genere iniuriæ Deo illatæ. Infinitum enim non agnoſcit aliud maius ſe in eo genere, in quo eſt infinitum. Etenim cum infinitum illud ſit, quo maius dari nequit, hinc infinitum nihil agnoſcit maius in eo genere, quod eſt infinitum, & nullum datur, nec concipi poteſt peccatum in genere malitiæ Deo iniurioſæ, quod ita ad ſummum gradum pervenerit, ut ulterius progredi nequeat. Clare igitur patet, quod malitia peccati non ſit infinita intrinſece, ſed finita, tum in ratione entis, tum in ratione iniuriæ Deo illatæ; quia omnis iniuria, quæ Deo per culpam infertur, creſcere poteſt in infinitum. Nemo enim eſt qui Deum oderit, quantum odiſſe poteſt, ſicut nemo eſt qui Deum amet, quantum amare poteſt; alias eadem eſſet omnis peccati ratio quantum ad infinitatem iniuriæ, ſicque peccata omnia ratione ſui æqualia eſſent in demerito, quod ſane dici nequit.

§. XVII.

De aliis effectibus peccati, ideſt de reatu pœnæ, & de ipſa pœna.

Alter peccati effectus eſt reatus pœnæ, qui eſt obligatio ſive debitum morale contractum ad pœnam a peccatore ob peccata propria ſubeundam. Unde, ut patet, reatus eſt quid medium inter pœnam & culpam, habens culpam pro radice, & pœnam pro termino. Hic autem reatus ſecundum dupli-

duplicem reſpectum quem habet, duplex eſt: unus qui dicitur reatus pœnæ prout talis obligatio ad pœnam dicit ordinem ad Deum, qui propter peccatum commiſſum decernit homini pœnam quæ commiſſo peccato correſpondeat; alter, qui dicitur reatus culpæ, quatenus eiuſmodi debitum ad pœnam reſpicit ipſum actuale peccatum præteritum, ut illud ex quo proxime tale debitum contrahitur, & immediate ipſum conſequitur. Dixi *ob proprium peccatum*, ex quo patet, pœnam, & pœnæ reatum inter ſe differre, & de hoc exemplum ſit Chriſtus Dominus, qui fuit quidem obnoxius pœnæ, non tamen fuit reus, ſeu reatum non habuit, quia non pro ſuis, ſed pro alienis peccatis paſſus eſt.

Circa vero pœnam ſcire oportet 1. pœnam malum eſſe, ſeu incommodum contrarium naturæ, vel voluntati ut culpa puniatur: malum ſiquidem eſt non reſpectu eius, qui punit, qui cum actum iuſtitiæ exerceat vindicativæ, hoc ei bonum eſt; ſed malum eſt reſpectu illius, qui punitionem ſubeundo patitur. 2. eſt contrarium voluntati, vel naturæ, & aliquando utrique ſimul, ut pœnæ, quas inviti patimur; aliquando naturæ non voluntati, ut mortificationes libenter ſuſceptæ, quas etiam dum probat voluntas, refugit natura: peccatum item, quod ſæpius eſt pœna alterius peccati, & dum voluntati placet, naturam vitiat.

Pœna quæ peccato rependitur duplex eſt; alia præſentis vitæ, ut morbi, bella &c. alia vitæ futuræ, quæ vel in Purgatorio luitur, vel in Inferno; ac proinde pœna peccatorum duplex eſt, alia temporalis, quam patiuntur qui patiuntur ad certum tempus, decedentes e vita in gratia, ſed cum aliquo reatu pœnæ luendæ; alia æterna, quam ſubeunt qui obſtinati in ſuis vitiis tranſeunt ex hoc mundo ad æternitatem. Hanc æternam pœnam auſus eſt negare Origenes, ut habetur in lib. 1. *Periar. Cap.* 6. facile tamen hic error confutatur ex manifeſtiſſimis Scripturæ teſtimoniis, & præcipue Iſaiæ 66. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur*; & ex Evangelio, ubi Chriſtus loquitur non ſolum de igne in Inferno ardente, quod ultro concedit Origenes, ſed etiam perpetuo ad cruciandum comburente. Ita enim eo loci de pœna, ad quam mittuntur reprobi: *& ibunt hi in ſupplicium æternum*, ſeu ut legit S. Auguſtinus *in combuſtionem æternam*. Utraque pœna ſive æterna ſit, ſive temporalis, duplex pariter eſt, alia nempe damni, quæ eſt privatio viſionis Dei, alia ſenſus, & eſt cruciatus ignis ac tormentorum, quæ corpus & animam affligunt: etenim quæ hominem cruciant, potiſſimum ſenſibus percipiuntur; inde pœna ſive ad animam, ſive ad corpus ſpectet, pœna ſenſus appellari ſolet. Non eadem tamen quoad durationem communis eſt mortali peccato, & veniali; ita ut in æternum puniendi ſint iuſti ac reprobi. Hinc dividitur peccati pœna in æternam & temporalem. Unde veniale peccatum non vindicatur æternis ſuppliciis, ſicuti mortale in Inferno, quod ante mortem per actum contritionis perfectæ, aut per ſacramentalem abſolutionem non fuit deletum, ſeu quoad culpam dimiſſum, ſive idem peccatum veniale remiſſum ſit quoad culpam ante mortem, ſive non; quia cum peccatum veniale non privet gratia ſanctificante, & habituali charitate, ac proinde non tollat vitam ſpiritualem, & meritum ad æternam hæreditatem, ſeu ad æternam gloriam, dignus remanet homo, ut eadem a Divina diſtributiva iuſtitia, ſub ratione mercedis & præmii ei reddatur, quamvis cum minori plenitudine, quam ſi mundus eſſet etiam a veniali.

XVIII.

De diviſione peccatorum.

Peccatum dividitur primo in *Originale* quod in ipſa origine ab Adamo contrahimus, & *perſonale* quod committitur per actum voluntatis propriæ realiter peccantis. Perſonale dividitur *in actuale* quod tranſit, & *habituale* quod remanet in anima per maculam ſive reatum. Actuale vero dividitur tum per varias ſpecies, quas ſub ſe continet, tum per varios modos, quibus committitur. Et ideo actuale aliud eſt *cordis*, quod completur interius, ut hæreſis; aliud *oris*, quod perficitur locutione, ut mendacium; aliud *operis*, quod opere conſummatur, ut furtum, homicidium, & tot alia facinora, & flagitia. Vel etiam dici poteſt, peccata cordis, oris, & operis eſſe varios eiuſdem actualis peccati gradus; ita ut per peccatum cordis ſignificetur voluntarium illius deſiderium, per peccatum oris externa illius manifeſtatio per locutionem; per peccatum operis exterior eiuſdem conſummatio. Peccatum ſive cordis, ſive oris, ſive operis ſubdividitur ratione obiecti, in peccatum contra Deum, contra proximum, contra nos ipſos; quæ tria cum ſint obiecta charitatis aliarumque virtutum, ſunt etiam obiecta pecca-

cato-

catorum, quæ charitati, & aliis virtutibus opponuntur. Dividitur pariter peccatum in peccatum ſimpliciter dictum, & in peccatum contra Spiritum Sanctum, inter quæ præcipue ſunt deſperatio, præſumptio, impœnitentia, obſtinatio, impugnatio veritatis agnitæ, & invidentia fraternæ gratiæ. Unde patet, peccata in Spiritum Sanctum eſſe peccata, quæ ex malitia procedunt, quibus repelluntur ac impugnantur ſpiritualia gratiæ dona, quæ cum ſint effectus amoris Dei erga homines, appropriantur Spiritui Sancto, utpote qui ratione ſuæ proceſſionis ſit amor Patris, & Filii.

Peccata in Spiritum Sanctum dicuntur irremiſſibilia, non quia, ut volebant falſo Novatiani, ſit peccatum aliquod, quod per Eccleſiæ claves remitti nequeat contra communem Eccleſiæ ſenſum; ſed dicuntur irremiſſibilia, non ſecus ac morbi corporales per ſe ſanabiles, qui tunc curari nequeunt, quando phreneticus omnino reſpuit ſalubria remedia; quia ut ex S. Auguſtino l. 1. de Sermone Domini in Monte *Qui ſic peccat, humilitatem deprecandi non ſubiit, nec ſpe veniæ, nec timore pœnæ movetur ad pœnitentiam; ſed vel de ſe præſumit, vel deſperatione dejicitur, non acquieſcit ſanis conſiliis, ſed obſtinato animo veritati reſiſtit, aut detrahit; non accenditur aliorum exemplis, ſed eorum gratiæ invidet*. Unde ſi minima peccata non remittuntur ſine pœnitentia, certo multo minus graviora. Peccata in Deum, in proximum, & in nos ipſos dividuntur ratione modi, quo committuntur in peccata *commiſſionis*, ideſt productionis alicuius actus contrarii regulis morum, ſcilicet præceptis negativis; & *omiſſionis*, videlicet ſuſpenſionis, ſeu deſficientiæ actus debiti ſive præſcripti a lege, ſive a præceptis affirmativis, & præcipientibus. Dividitur peccatum ratione obiecti ulterius in *carnale*, quod carnali voluptate conſummatur, ut gula, luxuria, &c. & in *ſpirituale*, quod completur actione ſpirituali, & interna, ut odium, invidia, ſuperbia. Item dividitur ratione cauſſæ intrinſecæ ad eum moventis, in peccatum *ignorantiæ*, quod ex hominis negligentia procedit, *infirmitatis*, quod ex paſſione ſive iræ, ſive ardentis concupiſcentiæ promanat, & *malitiæ*, quod ex plena voluntate, & libertate ſine ignorantia vel paſſione impellentibus committitur. Dividitur pariter in peccatum *proprium*, quod ab ipſo peccatore committitur, & in *alienum*, quod licet ab aliis committatur, nobis tamen imputatur ratione conſilii, ſuaſionis, iuſſionis, protectionis, adulationis, vel defectus fraternæ correctionis; ideſt peccata aliena ſunt ea, quæ ex aliorum inſtigatione, & impulſu: propria quæ ex ſolo motu proprio committuntur. Itidem peccata alia ſunt *Capitalia*, ut Superbia, Avaritia, &c. Alia quæ ex his naſcuntur. Dividitur tandem peccatum ratione effectus in *mortale*, quod animam perimit, gratia divina, & Charitate, per quas vivit, ipſam expoliando, & *veniale*, quod animam quidem vulnerat, ſed non ad mortem, cum ei non tollat Dei gratiam, & charitatem.

§. XIX.

De peccato Originali.

Quamvis ea quæ originale peccatum reſpiciunt, ſpectare videantur ad ſcholaſticos potius quam ad morales; quia tamen verſamur in re, quæ magni eſt momenti, ut conſtat ex teſtimonio D. Auguſtini l. 5. contra Iulianum cap. 2. ideo eſt neceſſaria peccati originalis notitia, tum quia qui illud negant ipſa fidei fundamenta nituntur avertere, tum quia per eundem S. Doctorem Epiſt. 157. alias 89. notitia peccati originalis, & fides Redemptionis humanæ per Chriſtum ſunt duo veluti cardines, circa quos verſatur Chriſtiana Religio. Hinc ne recedamus a tramite fere omnium Theologorum, qui ethicam Theologicam pertractarunt, operæ pretium duxi breviter quidem de illo hic agere, quia ex hoc etiam cognoſcere poſſumus, quæ & quam inſignia bona nobis contulerit Chriſtus Dominus, dum per opus plane admirandum ſuæ Redemptionis, nos a malo tam gravi miſericorditer liberavit.

Originale peccatum ſic dicitur, quia non propria voluntate, ſed origine contrahitur, nec illud faciunt homines ſingulares; ſed naſcendo illud recipiunt. Unde melius naturæ peccatum vocatur, quam perſonæ, non quia ſingulares perſonas non afficiat, ſed quia voluntate particulari cuiuslibet perſonæ non committitur, nec aliter ſingulares perſonæ illud habent, niſi ratione naturæ, quam trahunt ex Adamo. Circa vero peccatum originale, quæ præcipue examinanda occurrunt, ſunt: 1. eius exiſtentia. 2. eius natura. 3. quomodo traducatur in poſteros Adæ. 4. Qui excepti fuerint a tali labe. 5. quæ ſint illius pœnæ in præſenti, & futura vita. *Originale pec. catum quare ita di. catur.*

§. XX.

De exiſtentia peccati Originalis.

Ut in re tam difficili, & quæ tot habuit hoſtes, clariori, faciliorique modo quo fieri poteſt procedamus, antequam in rem deſcendamus, notandum 1. Adamum creatum fuiſſe in gratia iuſtificante, ut Epheſiorum 4. *Renovamini Spiritu mentis veſtræ, & induite novum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in iuſtitia, & Sanctitate veritatis.* Et hoc docet etiam Concilium Tridentinum Seſſ. 6. Cap. 7. ubi dicit Adamum per inobedientiam amiſiſſe ſibi, & nobis iuſtitiam, & Sanctitatem, quam a Deo acceperat.

Adde Adamum non ſolum creatum fuiſſe in iuſtitia, & Sanctitate, verum etiam in iuſtitia originali, quæ conſiſtebat in ipſa gratia ſanctificante, ſimul cum dono ſupernaturali, cuius vi intellectus & voluntas ſubiiciebantur Deo, & potentiæ obediebant rationi, corpus animæ. Azor. Vaſq. Valent. & alii.

Notandum 2. Adamum iuſtitiam originalem accepiſſe non ſolum pro ſe, verum etiam pro poſteris; cum Adamo tamquam capiti iuſtitia originalis fuerit communicata, ut eam in poſteros per generationem transfunderet, ut conſtat ex citato Tridentino; nam ſi iuſtitiam etiam pro nobis Adam non accepiſſet, non diceretur eam nobis perdidiſſe, ut obſervant Theologi. Hinc variis nominibus exponitur apud S. Auguſtinum peccatum originale. Vocatur enim *hæreditarium malum, alienum peccatum, debitum paterni chirographi.*

Varii errores contra peccatum Originale.

Varii irreplere errores contra peccatum originale, videlicet Pelagii, eiuſque diſcipulorum, Cœleſtii & Iuliani. Ii enim adſtruebant, Adamum peccando ſibi ſoli nocuiſſe, malum peccandi exemplum præbuiſſe; mortem, morbos, & concupiſcentiam non eſſe illius peccati effectus, ſed humanæ naturæ naturales effectus. Verum convicti catholicorum argumentis coacti ſunt poſtea confiteri, mortem corporis ex Adamo trahi. Priorem Pelagianorum errorem amplexi ſunt ſæculo 16. Anabaptiſtæ & Sociniani, & poſteriore Zuingliani. De Pelagianis refert S. Auguſtinus, quod dicebant, parvulos baptizari, ut regeneratione adoptati admittantur ad Regnum Dei, de bono in melius tranſlati, non ſecus ac ſi iſta renovatione ab aliquo malo obligationis veteris eſſent abſoluti. Nam etiam ſi non baptizarentur promittunt eis (extra Regnum quidem Dei) æternam, & beatam quamdam vitam.

Non abſimilis error fuit illorum, qui volebant, originale peccatum nihil aliud eſſe, quam ipſum Adami peccatum parvulis imputatum; unde conſequenter docebant, peccatum illud non eſſe parvulis internum, nec quemlibet illorum habere ſuum proprium, ſed unum eſſe omnibus commune, ſingulíſque imputatum: quæ ſententia prorſus repugnat Concilio Tridentino, a quo definitum fuit, originale peccatum ineſſe unicuique proprium, licet origine ſit unum, ideſt quamvis omnes illud trahant ab una eademque origine. Dixi hunc errorem non abſimilem ab antea recenſitis, cum revera ſolo nomine differat a ſecundo errore ſupra expoſito, & a Patribus Arauſicani Concilii proſcripto; cum ex hoc errore illud ſequatur, ideſt reatum pœnæ transfuſum fuiſſe in poſteros, non reatum culpæ. Utrumque errorem Pelagii, & eius diſcipulorum condemnavit quoad duas primas partes Concilium Milevitanum II. Can. 1. & 2. Quoad tertiam vero partem, nempe quoad certam illam beatitudinem, qua infantes decedentes ſine baptiſmo, licet a Sanctorum ſocietate, & Regno Dei excluſi forent, potiantur, acerrime, ſapienterque, tamquam imaginariam impugnavit S. Auguſtinus in tribus libris *de peccatorum meritis, & remiſſione*, præcipue ex verbis Apoſtoli Roman. 5. ubi ſimul implicite ſtatuitur, ac confirmatur peccati originalis exiſtentia: *ex uno* ait Apoſtolus, *omnes in condemnationem, & ex uno omnes in iuſtificationem vitæ*. Unde concludit S. D. *Nonne omnes condemnati? ergo omnes ſunt in peccato; cum nemo niſi propter peccatum condemnetur. Niſi ergo iuſtificentur, condemnationem, & iudicium vitare nequeunt.* Ita continuo in citatis tribus libris ratiocinatur S. D.

Licet præſens inſtitutum, cuius eſt principia ſolummodo moralia expendere, non permittat multum immorari in his, quæ ad dogmaticos ſcholaſticoſque pertinent, & iam ut fidei articulum hoc conſtitutum ſit a pluribus Conciliis, & præcipue a Tridentino ſeſſ. 5. toto Decreto de peccato originali; nihilominus tamen optimum cenſui aliqualiter exponere demonſtrationes, quas habet hæc veritas, & a Scriptura, & a Traditione, a quibus, quæ ad Fidem pertinent repetenda ſunt. Non pauca, clariſſimaque habet divina Scriptura de exiſtentia originalis peccati teſtimonia, inter quæ illud Pſal. 50. Ecce

Teſtimonia in divina ſcriptura de peccato originali.

Digitized by Google

Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, in quem locum ſic ſcribit S. Auguſtinus ennarrat. in Pſal. *Quid eſt quod ſe dicit in iniquitate, conceptum, niſi quia trahitur iniquitas ex Adamo*. Et Apoſt. ad Rom. eodem cap. 5. ita docet; *Per unum hominem peccatum in mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt*. Ex Iſaiæ 64. habemus iuxta verſionem 70. Interpretum, cum quibus ita vertunt & legunt veteres Patres; *Nemo mundus a ſorde, nec infans, cuius eſt unius diei vita ſuper terram*. Ex quo evidenter ſequitur, quod ſi nec infans, cuius eſt unius diei vita ſuper terram, mundus eſt a ſorde, ſeu a peccato, neceſſe eſt, ut admittatur quodam peccatum, quod nobis omnibus ab ipſa conceptione inhæret; cum infantes non ſint apti ad quodvis actuale peccatum; utpote qui nullius rationis uſus ſint capaces, ut humano modo, ideſt voluntarie, & libere agere valeant, ſicuti ad actuale peccatum neceſſario requiritur. Traditio pariter latiſſime, & manifeſte Catholicam comprobat de originali peccato veritatem. Etenim hoc ſemper tenuerunt Patres, tum qui ante, tum qui poſt Pelagium floruerunt, & præcipue tempore Pelagii, quo ſpatio non amplius quam novendecim annorum, ideſt ab anno 412. quo habitum fuit Concilium Generale Epheſinum ad 431. congregata fuere vigintiquatuor Concilia, in quibus ſtatutum fuit, *ut quicumque parvulos recenter ab uteris matrum baptizandos neget, aut dicat eos nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro expietur .... anathema ſit*. Hæc ſunt verba Concilii Carthaginenſis anni 418. & hoc poſtea confirmatum fuit a P. P. Trident. Concil. ſeſſ. 5. Can. 2.

Et inter Patres, qui de dogmate hoc ſcripſere, recenſentur S. Iuſtinus Martyr, qui floruit Sæculo II. & egit de originali peccato in Dialogo cum Triphone, S. Irenæus Scriptor eiuſdem ſæculi l. 3. *adverſus hæreſes* c. 20. S. Clemens Alexandrinus, Origenes, Patres ſæculi ſecundi: Tertullianus, qui floruit initio III. ſæculi teſtimonium præbet de hoc dogmate l. 3. *de Teſtimonio animæ* & l. *de Anima* cap. 40 S. Ioannes Chryſoſtomus in Epiſt. ad Olimpiam, quæ citatur a S. Auguſtino contra Pelagium, S. Auguſtinus præcipue Homilia 10. in Epiſt. ad Rom. & l. 3. *de peccatorum meritis*, ubi aſſerit, hanc eſſe communiſſimam Eccleſiæ traditionem. Et brevitatis, gratia alios omitto Patres, quos recenſent Bellarminus, & Natalis Alexander, aliique, qui rem hanc fuſe pertractant.

§. XXI.

In quo conſiſtat natura, ſeu eſſe formale Originalis peccati.

Rem plane difficilem diſcutiendam aggredimur, ut conſtat ex S. Auguſtino, qui l. *de moribus Eccleſiæ* c. 22. ait; *hoc peccato antiquo nihil eſt ad prædicandum notius, nihil ad intelligendum ſecretius*; unde tanta ex hoc naſcitur opinionum diverſitas circa eſſentiam peccati originalis: etenim ut notat Tertullianus, varietas opinionum venit ex ignorantia veritatis; & ut res clarior reddatur.

Supponendum 1. contra quoſdam, quos innuere videntur magiſter ſentent. l. 2. diſt. 30. ac Hugo Victorinus trac. 3. cap. 11. peccatum originale non eſſe denominationem mere externam, aut ſolam pœnæ obnoxietatem, ſine interiore mentis macula, quod prorſus coincidit cum errore iam ſupracitato de ſola peccati originalis imputatione, iam proſcripta implicite cum ſecundo errore Pelagianorum a Concilio Arauſicano. In hanc ſententiam propendit inter Recentiores Ambroſius Catharinus hic notatus a Salmanticenſibus n. 2. Si vera eſſet hæc opinio, vel potius error, funditus tolleretur peccatum originale, non ſecus ac Sanctis revera iuſtitiam adimunt qui docent, eam eſſe tantum ipſis externam, contra Apoſtolum a quo habetur, quod *peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors*. Unde ſi mors per Apoſtolum intravit in mundum per peccatum, peccatum eſt cauſa mortis, ac ideo ab ipſa diſtinguitur, & reponi nequit originale peccatum in pœnis, quibus obnoxii orimur; & hic error non minus repugnat Concilio Arauſicano II. Can. 2. quo docemur, peccatum, quod mors eſt animæ, per unum hominem in omne genus humanum pertranſiſſe, & Concilio Tridentino, quod ſeſſ. 5. Can. 5. definit, in baptiſmate tolli totum id, quod veram, & propriam rationem peccati habet; unde neceſſario ſupponit, peccatum originale eſſe veri nominis peccatum.

Supponendum 2. in peccato originali, ſicuti & in peccatis actualibus duo inſpici poſſe 1. actum illum, quo Adam ut caput morale generis humani Dei præceptum tranſgreſſus eſt per comeſtionem vetitam, quæ & ipſius erat, & eorum omnium, qui ab eo ſeminaliter propagandi erant. 2. labem, ſeu maculam, quæ Adæ tranſgreſſionem ſubſecuta eſt. Et de hac tota eſt præſens con-

Digitized by Google

controverſia, nempe circa id, in quo talis macula, quæ intrinſece contrahitur a poſteris Adæ, conſiſtat, ſeu in quo ſtet eſſentia, ſive eſſe formale originalis peccati. Supra hoc difficillimum punctum variæ tum Etherodoxorum, tum Catholicorum exortæ ſunt opiniones.

Matthias Illyricus in hoc ſuſcitavit Manichæorum inſaniam ſtatuendo peccatum originale non eſſe aliquod accidens, ſed ſubſtantiam malam a Dæmone creatam. Sed hic error facillime ex hoc exploditur, quod omnis ſubſtantia eſt a Deo, a quo omnia, quæ ſubſtantialem naturam habent, condita ſunt, ut Ioann. 1. *omnia per ipſum facta ſunt*; & impium eſſet opinari, Deum, qui infinite bonus eſt, & per ſui ipſius eſſe communicationem omnia creavit, ſubſtantiam non bonam potuiſſe creare. Quare de malo ait S. Auguſtinus l. 7. Confeſſi. Cap. 12. quod non eſt ſubſtantia; quia ſi ſubſtantia eſſet, bonum eſſet.

Alia etherodoxorum opinio eſt Proteſtantium, & eſt apud ipſos communis. Sentiunt ii, ac contendunt, originale peccatum eſſe concupiſcentiam, ſeu naturæ humanæ corruptionem, & quamdam pravitatem in omnes animæ partes diffuſam, ſeu propenſionem illam, qua trahimur ad peccandum. Et hæc ſunt verba Melanctonis relata a Bellarmino. Ita habet Calvinus l. 2. Inſtitut. Cap. 1. ſed ut melius pateat in quo ſitus ſit error adverſariorum.

Notandum, duplicem diſtingui concupiſcentiam, actualem videlicet, & habitualem. Actualis ſunt actus inordinati, & indeliberati, qui contra rationem, & legem Dei exurgunt. Habitualis vero eſt naturalis propenſio in proprium privatum bonum. Et hæc habitualis concupiſcentia tripliciter ſumi poteſt. Primo pro propenſione ad bonum ſenſibile, quatenus ſit conveniens naturæ rationali. Voluntas enim eſt inclinatio in bonum totius ſuppoſiti, quod cum ſit ſenſibile & rationale, naturaliter propendit in bonum honeſtum & ſenſibile, ut ex D. Thoma. 1. 2. q. 82. art. 3. ad 1. Secundo ſtrictius pro qualibet inordinatione virium animæ, & in hoc ſenſu concupiſcentia diffunditur in omnes naturæ potentias, in voluntatem ſcilicet, intellectum, & appetitum ſenſibile. Tertio ſtrictiſſime pro inordinatione membrorum corporis, vel ipſius animæ, qua vitioſe propenſa eſt ad voluptates carnis, quæ ex tactu percipiuntur. Porro in Adverſariorum ſenſu neque actualis concupiſcentia, neque habitualis primo modo accepta eſt formaliter peccatum originale. Non quidem actualis; quia hæc eſt quid conſequens ad peccatum originale, & eſt verus eius effectus. Neque habitualis primo modo ſpectata; quia ut talis eſt naturalis homini, competebatque Adamo in ſtatu ipſo innocentiæ. Igitur concupiſcentia 3. modo dumtaxat eſt formaliter peccatum originale iuxta Novatorum doctrinam.

Ex Catholicis vero alii opinantur, eſſentiam peccati originalis eſſe morbidam peccati qualitatem in corpore ſeu in carne, & in anima, inter quas ordo eſt, ut prior ſit cauſſa poſterioris, in quantum caro per peccatum vitiata vitium ſuum animæ quando ei unitur communicat. Alii, & plurimi, maxime Thomiſtarum, ſtatuunt peccatum originale quoad materiale in concupiſcentia habituali, quoad formale in defectu iuſtitiæ originalis, & in hanc ſententiam inclinare videtur D. Thomas. Alii tandem, & hæc eſt ſententia communior, ſtabiliunt eſſentiam originalis peccati quoad materiale in privatione iuſtitiæ originalis inadæquatæ ſumptæ, hoc eſt gratiæ ſanctificantis, formale vero dicunt eſſe ipſummet peccatum actuale quod in Adamo commiſimus, quodque moraliter in unoquoque permanet tamquam vera macula, donec baptiſmo vel perfecta converſione ad Deum fuerit deterſa.

Peccatum originale ut aiunt Theologi eſt in poſteris Adæ per modum habitus. Idem igitur ſentiendum eſt de peccato originali, ac de habituali. Unde ſi habituale peccatum ex dictis eſt privatio gratiæ ſanctificantis propter actum malum qui præceſſit; *homicidium*, inquit S. Auguſtinus, *tranſit actu*, *ſed manet reatu*, ideſt præſens eſt illius macula, a qua percuſſor denominatur homicida, nec deleri poteſt niſi per gratiæ ſanctificantis infuſionem; peccatum ſimiliter originale, cum ſit habituale, eſt privatio gratiæ ſanctificantis propter actualem prævaricationem cuius rea eſt Adami poſteritas, in quo omnes erant unus homo, quæque moraliter in his manet, qui baptiſmo renati non ſunt; & brevius dici poteſt ſecundum hanc ſententiam, peccatum originale eſſe *privationem iuſtitiæ originalis inadæquate ſumptæ*, *quatenus eſt habitualis averſio a Deo propter prævaricationem*, *quæ præceſſit in Adamo*.

Dixi notanter cum Haberto *prævaricationem iuſtitiæ originalis inadæquate ſumptæ*; quia tria complectitur iuſtitia originalis. Primum eſt perfecta ſubiectio voluntatis ad Deum per gratiam ſanctificantem. Secundum integra ſubordinatio virium inferiorum ad rationem.

nem. Tertium obedientia corporis ad animam, per quam corpus corruptibile animam non gravabat, nec ullis moleſtiis premebat. Primum autem eſt cauſſa ſecundi & tertii. Si privatio iuſtitiæ ſpectetur tertio modo, nemo dixerit eam eſſe formaliter originale peccatum, cum Chriſtus habuerit corpus materiale, & doloribus obnoxium. Si ſecundo modo, ſoli Hæretici aſſerunt eam eſſe formaliter peccatum originale. Unde ratio formalis peccati originalis eſt privatio iuſtitiæ originalis, ut in hac quarta ſententia ſtatuimus, & infra, aliis libratis ſententiis demonſtrabimus.

Peccatum originale non eſt ipſamet animæ ſubſtantia, nec in aliquo ſubſtantiali creato a Dæmone conſiſtit; quia Anima & omne aliud ſubſtantiale in homine creatum eſt a Deo, qui ſolus ſua omnipotentia creare poteſt, & implicat, Deum præcipue rem malam moraliter creare potuiſſe, ac proinde non potuit creare peccatum originale, quod eſt malum morale, utpote quod eſt Dei iniuria, & offenſa. Idcirco merito talis ſententia olim proſcripta fuit in Manichæis, qui volebant, malum eſſe aliquam ſubſtantiam naturæ noſtræ admixtam, ut teſtatur S. Auguſtinus. Tandem quia inde ſequeretur, peccatum originale non tolli per baptiſmum, cum per illud non tollatur forma ſubſtantialis.

Peccatum originale non eſt concupiſcentia habitualis, ideſt vitioſa propenſio in privatum bonum, & delectabilia; quia per baptiſmum tollitur peccatum originale, & quidquid rationem habet peccati, ut Roman. 8. *Nihil damnationis eſt iis, qui ſunt in Chriſto Ieſu*. Per baptiſmum autem non tollitur concupiſcentia, utpote quæ ſicuti iam experimur, etiam poſt baptiſmum remaneat. Præter quam quod concupiſcentia eſt pœna peccati originalis. Nec obſtat, quod concupiſcentia appelletur in Scripturis peccatum; nam ita appellatur, non quia ipſa ſit peccatum; ſed ita dicitur, quia eſt peccatum cauſſative, ideſt cauſſa peccati.

Originale peccatum non eſt ſolus reatus; quia reatus ſupponit maculam, & culpam. Igitur aſſignandum eſt aliquid aliud, in quo conſiſtat macula peccati originalis. Item non conſiſtit formaliter originale peccatum in extrinſeca denominatione petita a peccato actuali Adami, ut iam patet ex ipſa damnatione errorum Pelagianorum, cum quibus coincidit hæc ſententia. Etenim iniuſtitia ſeu peccatum quod trahimus ex Adamo, comparatur ab Apoſtolo iuſtitiæ quæ a Chriſto in nos derivat, quæ non eſt formaliter ipſa Chriſti iuſtitia, a qua extrinſece iuſti denominamur; ſed intrinſece nobis inhærens: igitur originale peccatum non eſt actuale Adæ peccatum, a quo parvuli peccatores denominantur. Inſuper ait Apoſtolus ad Rom. 5. *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors*, peccatum autem actuale Adami cum fuerit actus immanens, non intravit in mundum. Igitur præter peccatum actuale Adami datur aliquid intrinſecum ad poſteros eius tranſiens. Peccatum Adæ intravit in mundum, ait citato loco, ſicut per ipſum peccatum intravit mors. Unde ſi mors eſt in unoquoque, ſic & peccatum; ita ut ſicuti non dicitur homo mortalis mortalitate alterius, ſed propria, ita nec peccator peccato alterius, ſed proprio. Igitur formale peccati originalis non conſiſtit in extrinſeca denominatione petita a peccato actuali Adami. Morbida tandem qualitas, in qua ſtatuunt aliqui formale originalis peccati, fictitia eſt, ac prorſus impoſſibilis, cum hoc fieri nequeat, nec naturaliter ex actuali Adæ peccato ex eo quia nihil habeat ſpecialius Adæ inobedientia, quam aliæ prævaricationes, puta homicidia, furta, &c. ut hanc morbidam qualitatem produceret in corpore Adæ, traducibilem ad poſteros, quod minime in aliis criminibus contingit; nec ſupernaturaliter quidem, quia ſic a Deo produceretur, & exinde Deus auctor eſſet peccati, quod impium eſt dictu.

Ex dictis igitur ſequitur, non melius reponi poſſe rationem formalem originalis peccati, quam in privatione iuſtitiæ originalis, non prout hoc dicit privationem gratiæ ſanctificantis propter actualem prævaricationem Adæ, in quo omnes eramus, quod Habertus conſtituit ut materiale originalis peccati, ſed in habituali averſione a Deo, quæ intelligitur in privatione gratiæ ſanctificantis, quæ eſt privatio iuſtitiæ originalis primo modo ſpectatæ; ita ut privatio gratiæ ſanctificantis ſit materiale, habitualis averſio a Deo formale peccati originalis. Quod ut clarius innoteſcat, revocanda ſunt ad mentem quæ ab initio notavimus, ſcilicet Adamum in prima ſua inſtitutione donatum fuiſſe iuſtitia originali, per quam ſubdebatur ratio Deo, & vires inferiores rationi, animæ corpus; & hoc ipſi donatum fuiſſe non tantum ut ſingulari perſonæ, ſed ut capiti, & principio totius generis humani, ut ſcilicet ab eo per originem derivaretur in poſteros. Hoc donum primus homo peccando libera arbitrii deliberatione,

eo

eo modo, quo ei datum fuerat, amiſit, ſcilicet pro ſe, & pro omnibus ſuis poſteris. Defectus igitur huius doni totam eius poſteritatem conſequitur. Et ſic non ſecus ac ipſa humana natura, iſte quoque defectus in poſteros traducitur. Ita tradit etiam D. Thomas q. 4. *de malo* art. 1. Ex his igitur clare patet, rationem formalem originalis peccati, ut docet etiam D. Thomas loco cit. ſumi debere ex privatione iuſtitiæ originalis, quam debebat homo pro ſe, & ſuis poſteris conſervare, cum oppoſitorum cauſſæ ſint & rationes oppoſitæ. Quare ſi tota ordinatio iuſtitiæ originalis in hoc inerat, quod voluntas hominis erat Deo ſubiecta, quæ ſubiectio primo & principaliter erat per voluntatem, cuius eſt movere alias potentias in finem, ac proinde ex averſione habituali voluntatis a Deo conſecuta eſt inordinatio in omnibus aliis animæ viribus; privatio iuſtitiæ originalis, per quam voluntas ſubdebatur Deo, ideſt averſio habitualis voluntatis a Deo, eſt ratio formalis peccati originalis. Omnis autem alia virium animæ inordinatio in peccato originali ſe habet ſicut quidam materiale. Ita Petrocorenſis, Habertus, & alii.

Et huius ſententiæ veritas patet exemplo aliorum peccatorum: etenim quodvis aliud lethale peccatum eſſentialiter conſiſtit in averſione a Deo ultimo fine, quod eſt *Spreto incommutabili bono, bonis mobilibus adhærere* iuxta Carthuſianum, & tandiu homo eſt peccator, quandiu habitualiter eſt averſus a Deo, & hæc averſio procedit a privatione iuſtitiæ ſeu gratiæ ſanctificantis, per quam ſicut & per charitatem quæ cum tali gratia confertur, homo ad Deum habitualiter convertitur, ac ex peccatore fit iuſtus; cum per converſionem ad Deum tribuat Deo, quod vi ſuæ inſtitutionis ei debet, nempe ſubiectionem propriæ voluntatis, dum ad hunc finem Deus hominem condidit, & iuſtitiam originalem ei contulit: proprium enim eſt iuſtitiæ reddere alteri quod ei debetur. Igitur &c.

Verum dicet hic forſan aliquis ex D. Thoma 1. 2. q. 85. art. 5. Subtractio iuſtitiæ originalis habet rationem pœnæ ob peccatum. Igitur non poteſt eſſe ipſum peccatum. Reſpondetur cum Salmanticenſibus, ſubtractionem iſtam eſſe ſub diverſa ratione, ſeu reſpectu & peccatum, & pœnam. Si enim iuſtitia originalis conſideretur ut quodam bonum Dei, quo ſibi humanam voluntatem ſubiiciebat, ſic eius voluntaria privatio rationem habet peccati, eo quia fecat voluntatis averſionem a Deo. Si autem iuſtitia originalis conſideretur ut bonum hominis, quo maxime perficitur, ſic eius privatio rationem habet & nomen pœnæ.

§. XXII.

De Traductione Peccati Originalis in Poſteros.

Maior difficultas quæ circa negotium peccati originalis verſatur, eſt aſſignare quomodo originale peccatum ex Adamo tranſmittatur in poſteros, ſeu quomodo poſteris communicetur. Alias dictum iam fuit, & ita etiam ſentit S. Thomas, totam naturam humanam tamquam in ſuo capite, fonte, radice, ac principio fuiſſe in Adamo. Unde ſicut Adam recipiendo iuſtitiam originalem illam receperat non ut perſona particularis, ſed tamquam totius naturæ radix, & caput, ſic Adam peccando totam humanam naturam dono originalis iuſtitiæ expoliavit, ac ideo inviſam Deo reddidit. Hinc fit, peccatum originale transferri in poſteros via eadem, & modo, quo ſi Adam in obedientia perſtitiſſet, traducta fuiſſet iuſtitia. Quare ſicut iuſtitia originalis per naturalem generationem ab Adamo immiſſa fuiſſet in poſteros, ita per naturalem generationem originale peccatum tranſmittitur, quatenus per generationem communicatur natura originali iuſtitia expoliata, quam habere debuerant ſi Adam non peccaſſet, & originali iniuſtitia infecta, quia peccavit.

Et in hoc explicando elaborant, ac torquentur Doctorum ingenia, ſcilicet in ratione aſſignanda, cur naturalis generatio peccatum originale in homines traducat, præcipue cum certum ſit de fide, parentes etiam fideles, ac iuſtos, filios gignere labe originali infectos. Mirum enim videtur, mundatos a peccato, peccatum aliis communicare.

Dicunt aliqui citati a S. Bonaventura, originale peccatum ideo ex carnali propagatione communicari, quia hoc ipſo quod anima coniungitur corpori per libidinoſam generationem propagato, neceſſitatem contrahit concupiſcendi; & cum hæc concupiſcentia ſit dominans, donec fiat per gratiam, & charitatem interior innovatio, ideo in pueris naſcentibus peccatum eſt. Sed hic modus explicandi hanc non ſolvit difficultatem; quia ſi quis per miraculum ſine generatione naturali naſceretur, hic licet ſecundum communem Doctorum ſententiam non contraheret peccatum originale, nihilo-

Doctorum ſen. tent. de tranſmiſſione peccati originalis.

hilominus cum naturam humanam reciperet iuſtitia originali carentem, neceſſitatem contraheret concupiſcendi, ideſt reciperet naturam neceſſario concupiſcentem. Quare multo melius difficultatem ſolvere videntur, qui dicunt cum S. S. Thoma & Anſelmo, cauſſam propagationis peccati repetendam quidem a carnali generatione, non præciſe ut eſt libidinoſa, ſed quia communicat naturam humanam iuſtitia originali privatam, quæ ſecundum divinam inſtitutionem debebat in poſteros transferri, ſeu transmitti per viam generationis. Itaque hoc ipſo quod anima rationalis, in qua tamquam in ſubiecto immediato eſt originale peccatum, unitur corpori ſic generato, licet ipſa generata non ſit ab homine, ſeu procreata per generationem, ſed a Deo per creationem; incipit nihilominus pertinere ad humanum genus, & una cum illo corpore conſtituere Adami filium, a quo cum deberet per generationem recipere originalem iuſtitiam, reperitur e contra & originali iuſtitia privata, quam habere nequit, niſi per generationem ſpiritualem; & peccato Adæ ob originem, quam ſuum corpus trahit ab ipſo Adamo, viciata. En igitur quare peccatum incurrat, ideſt quia ex adiunctione ad corpus pertinet ad genus humanum, in Adamo tamquam in capite contentum, ac exinde labe ipſius peccati inficitur; ſicut ſi ille innocens perſtitiſſet, originalem iuſtitiam ex ipſo per participationem recepiſſet. Iuxta hunc modum explicandi nihil videtur diſſonum in ſuo ſenſu. Non enim aliud intendit S. Auguſtinus cum dicit, hominem contrahere culpam originalem, quia ex vetuſtate carnis concipitur. Nam per vetuſtatem non intelligit ardorem libidinis, ſed carnalem generationem iuſtitiæ originalis dono deſtitutam. Ita totum clariſſime breviterque explicat S. Anſelmus. *In Adam* (inquit) *erat natura, extra quem de illo nihil erat. Eſt nudata iuſtitia, quam habebat, & ea ſemper, niſi adiuta, careret hac ratione, quia natura ſubſiſtit in perſonis, & perſonæ non ſunt ſine natura: fecit natura perſonas infantium peccatrices. Sic ſpoliavit perſona naturam bono iuſtitiæ in Adam, & natura egens facta eſt, & omnes perſonas, quas ipſa de ſe procreat eadem egeſtate peccatrices, & iniuſtas fecit.*

Ex dictis igitur colligi poteſt. 1. Peccatum originale non traduci a proximis parentibus, ſed ab Adamo, quatenus ab ipſo deſcendimus per lineam virilem, & proximos parentes. Divinum enim Decretum in conſtituendo capite, in quo totum humanum genus contineretur, ut ſua obedientia originalem iuſtitiam eidem communicaret, reſpiciebat ſolum Adamum, non proximos parentes, immo nequidem Evam. Fuit Eva profecto initium noſtri originalis peccati ut Eccli. 25. *A muliere initium peccati*, ſed fuit initium, & cauſſa ipſius originalis peccati fundamentaliter tantum, & remote, quatenus fuit cauſſa peccati Adæ, a quo nos derivamus peccatum, quod adhuc contraxiſſemus peccante ſolo Adamo, ideſt etiam ſi Eva non peccaſſet: non contraxiſſemus vero ſola Eva peccante; quia Eva quoad traductionem iuſtitiæ originalis non erat conſtituta a Deo caput generis humani, ſed ſolus Adam; itaut ad communicationem tanti boni generi humano ſtatuta erat ſola Adami obedientia divino mandato. Unde

Sequitur 1. quod ſi Adam non peccaſſet, licet peccaſſet Eva, ſicut non contraxiſſent poſteri originalem labem ex peccato Evæ, ita nec per peccatum, quod aliquis ex poſteris Adæ commiſiſſet; quia ſolus Adam libera Dei voluntate, & Decreto conſtitutus fuerat caput ſuæ poſteritatis, & ipſi ſoli ut capiti commiſerat iuſtitiam originalem ſibi ſuiſque poſteris conſervandam, ac ad ipſos per ſeminalem generationem cum ipſa humana natura traducendam. Ita Bellarminus l. 4 cap. 12. Sylvius ibidem, Tournely.

Sequitur. 2. quod ſi ſola obedientia Adami Divino mandato non comedendi de fructu vetito ſtatuta erat a libero Dei conſilio, ut per eam traduceret Adam ad poſteros originalem iuſtitiam; ſic ſola inobedientia, ſeu violatio divini mandati fructum vetitum comedendo, non ſecus genus aliud peccati, quod Adam committere potuiſſet, fuit, & eſt cauſſa, quare originale peccatum ad poſteros traducatur; ita ut ſi Adam Divino obtemperaſſet præcepto, licet aliquod aliud peccatum commiſiſſet, originalem iuſtitiam, nec ſibi, nec ſuis poſteris amiſiſſet. Dicitur enim Genel. 2. *In quacumque die comederis ex eo, morieris.* Et Rom. 5. *per inobedientiam unius, peccatores conſtituti ſunt multi.*

Nota, originale peccatum non eſſe maius in uno, quam in alio homine, ut vult etiam D. Thomas. 1. 2. q. 82. art. 4. ſed in omnibus eſſe æquale, cum eamdem in omnibus dicat privationem iuſtitiæ originalis, eamdemque habeat cauſſam, nempe Adami peccantis voluntatem. Unde ſi vires inferiores iuſtitia originali deſtitutæ in quibuſdam

dam vehementius ferantur in bonum illicitum, hoc non provenit ex ratione peccati originalis, ſed ex diverſa corporum complexione.

§. XXIII.

De Subiecto peccati originalis.

Nota 1. Non eſſe hic ſermonem de ſubiecto proximo peccati originalis; parvi enim refert, an peccatum illud reſideat in anima, an in eius potentiis. Ex dictis facile inferri poteſt, peccatum originale reſidere in voluntate, etenim a nobis contrahitur, quia aliquo ſenſu fuit nobis voluntarium; ſed ſupervacaneum eſt in iis immorari, cum non agatur de tali ſubiecto, ſed de perſonis, quæ legi de peccato originali ſubiiciuntur.

Nota. 2. Deum poſſe privilegio ſpeciali eximere ab hac communi lege; quia quamvis ſtatutum ſit omnibus ſemel mori, & teſtetur Apoſt. Rom. 5. *mortem ab Adamo in omnes pertranſiſſe*; liberum tamen eſt Deo, ſtante illa lege quempiam a morte ſervare, ac proinde a peccato. At difficultas occurrit, num de facto aliquem hoc ſpeciali privilegio donaverit. Cum tamen temerarium ſit hoc aſſerere, niſi faveat Scriptura, Traditio, vel Eccleſiæ auctoritas; hinc falſo putant, contenduntque quidam Etherodoxi contra Catholicos, vel non communicari, vel ſaltem non imputari originale peccatum filiis fidelium, docentes, illos ante Baptiſmum Sanctos eſſe, & membra Eccleſiæ. Et ſicuti ut erronea reprobatur iſtorum ſententia; ita non ſunt improbandi Catholici, qui contra cæteros pie propugnant, Sanctam Virginem donatam fuiſſe ſpeciali privilegio, ut immunis eſſet a lege originalis peccati, ac proinde labem hanc non contraxiſſe. Et contra primos circa exemptionem a peccato originali, quam fingunt in filiis fidelium, clare patet ex communi Eccleſiæ conſenſu, quæ iuxta teſtimonium Scripturarum tenet de fide, omnes Adami poſteros, qui ſpeciali privilegio non ſint a Deo præſervati, ſive ab infidelibus; ſive a fidelibus naſcantur, omnes oriri cum peccati originalis infectione, ut teſtatur Pſalmiſta, qui tametſi ortus eſſet ex progenitoribus fidelibus, nihilominus fatetur ſe conceptum fuiſſe in peccato, ideſt in peccato Originali; ait enim Pſalmo 50. *ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea*. Et D. Paulus tum de eodem Davide, tum de ſe ipſo, licet ortus eſſet ex Hebræis, ideſt genitoribus fidelibus, ait, *quod eramus natura filii iræ, ſicut & cæteri*.

Et pro omnibus Patribus ſatis ſit afferre S. Auguſtinum, qui l. 2 *de peccato originali* ſic habet; *ſive reus infidelis, ſive abſolutus fidelis non generat abſolutos uterque, ſed reos. Quomodo non ſolum oleaſtri, ſed etiam oleæ ſemina non oleas generant, ſed oleaſtros*.

Circa vero Mariam Virginem, antequam eius exemptio ſtatuatur, cum ii etiam, qui immunem ab originali labe eam fortiter propugnant, inter ſe non prorſus conveniant in tali ſua exemptione explicanda; hinc nota 1. tribus modis dici poſſe aliquem in Adamo peccaſſe: 1. quatenus erat in lumbis Adæ ſecundum rationem ſeminalem, quando tranſgreſſus eſt legem. 2. quatenus in prima conceptione, prius quam anima rationalis infunderetur, vi generationis ſuæ fuit peccato obnoxius, utpote via ordinaria ſeminatus. 3. quatenus conceptione iam perfecta acceperit animam rationalem iuſtitia originali nudatam, & a Deo averſam.

Nota. 2. dupliciter poſſe conſiderari, peccatum originale contrahi, & quoad debitum, & quoad actum, & hoc poſtremum reddit hominem peccato originali ſubiectum, ac ideo etiam infectum, quod ſit, ſi poſt conceptionem perfectam, dum anima rationalis infunditur, ſupradicto ſpeciali privilegio Divina miſeratione non reſervetur. His poſitis ſciendum eſt, quod cum nihil hactenus expreſſe circa M. V. definierit Eccleſia; hinc diverſæ ſunt Scholarum ſententiæ. Prima eſt eorum, qui abſolute pronuntiant, Mariam Virginem in peccato originali conceptam fuiſſe. Ita ait Herminier poſt S. Anſelmum l. 2 cap. 16. S. Bernardus in Epiſt. ad Canonicos Lugdunenſes; S. Thomas & cum ipſo fere omnes Thomiſtæ. Secunda eſt eorum, qui Beatam Virginem ab omni labe ſemper immunem propugnant. Et hi in duas Claſſes dividuntur. Alii volunt eam non contraxiſſe, nec quoad debitum, nec quoad actum originalem maculam. Alii longe plures volunt contraxiſſe quoad debitum, ideſt quoad primum, & ſecundum modum, non vero quoad actum, nempe quoad tertium.

Sententia, quæ docet Beatam Virginem nec primo nec ſecundo modo, ideſt nequidem quoad debitum originalem culpam contraxiſſe, eo quia hæc lex data ſit Adamo, ac eius poſteris, excipiendo Beatam Virginem per futura Chriſti merita, a paucis ſuſtinetur, nec certam habet probabilitatem, utpoteque nulla fulciatur, nec Scripturæ, nec

nec Traditionis auctoritate, immo Sanctorum Patrum ſenſui opponatur, præcipue Irenæi, Hilarii, Auguſtini, Hieronymi, Fulgentii, Petri Damiani, quorum doctrinas hic affert Habertus. Quæ enim pendent a libero Dei conſilio, & voluntate, non humana ratione, ac quibuſdam convenientiis penſanda ſunt, & ſtatuenda, ſed ex illius auctoritate, cuius eſt explanare ea, quæ a Deo revelata ſunt, ſive in Scriptura, ſive in Traditione, quod ad ſolam ſpectat Eccleſiam, quæ licet multum faveat (ſine ulla tamen præciſa ſua definitione) huic Beatæ Virginis privilegio, non magis tamen propendit in unam partem, ſcilicet de eius exemptione ab originali macula quoad actum & quoad debitum, quam in aliam, nempe quoad actum tantum. Et equidem ſi Beata Virgo prædeſtinata eſt Sancta ante præviſum Adæ peccatum, per Chriſtum non fuit redempta; cum decretum Incarnationis Verbi præſupponat peccatum, ut cum D. Thoma iuxta innumera Divinæ Scripturæ oracula ſuſtinetur communius a Theologis. Quare communiorem probabilioremque cenſui hic ſequi ſententiam, qua ſtatuitur Beata Virgo immunis ab actu peccati originalis, non vero a debito, ideſt iuxta tertium modum, non vero iuxta primum, & ſecundum. Unde fit.

Beata Virgo penes pium Eccleſiæ ſenſum actum peccati originalis non contraxit: nam tametſi Eccleſia nihil circa hunc articulum hactenus expreſſe definierit, plurima tamen ſtatuit, ac docuit myſterio huic favorabilia, quibus Beatam Virginem immunem ab actu originalis peccati agnoſcere indicat, & præcipue dum commendat, & approbat doctrinam de Immaculata Beatæ Virginis Conceptione. Concilium Baſilienſe Seſſ. 36. anno 1439. ſtatuit, doctrinam aſſerentem Beatam Virginem nunquam actualiter ſubiectam originali peccato, & ſemper immunem fuiſſe ab omni originali, & actuali culpa, ſanctamque, & Immaculatam, tamquam piam & conſonam cultui Eccleſiaſtico, fidei Catholicæ, rectæque rationi, & Sacræ Scripturæ, ab omnibus Catholicis approbandam &c.

Decretum Concilii Baſilienſis circa immaculatam B. V. conceptionem.

Tria tamen advertenda ſunt circa hoc Decretum: primum eſt, quod Concilium non definit illam doctrinam eſſe de fide, ſed fidei conſonam piamque. Secundum eſt, quod hæc definitio non habet auctoritatem Concilii Œcumenici; nam tunc diviſi Epiſcopi partim Baſileæ remanſerunt, partim Florentiam convenerunt ad Eugenium IV. & Pontifex ipſe totis viribus Conſilio ſe oppoſuerat. Tertium eſt, definitionem illam nihilominus magni eſſe ponderis; tum quia in Baſilienſi Concilio aderant viri non pauci eruditione conſpicui; tum quia Academia Pariſienſis ſtatim doctrinam amplexa eſt ea in definitione contentam, & iuramento ſuos Alumnos adſtrinxit ad eam tuendam; tum quia eiuſmodi definitio, nedum reprobata non fuit a Summis Pontificibus, immo ſolemniter confirmata. Sixtus IV. ſua Conſtitutione edita anno 1483. prohibet ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, ne quis hæreſeos damnet aſſerentes, Beatæ Virginis Conceptionem fuiſſe Immaculatam, Pius V. Paulus V. & Gregorius XV. in ſuis Bullis ſilentium imponunt oppoſitæ ſententiæ, & noſtram dumtaxat permittunt publicæ propugnari, iuxta Decretum Baſilienſe. Alexander VII. nemine reclamante Ordinem approbavit inſtitutum in honorem Immaculatæ Conceptionis Beatæ Virginis, & quod maioris eſt momenti, Concilium Tridentinum Seſſ. 5. ſupra laudata ſancivit obſervandas eſſe Conſtitutiones Concilii Baſilienſis, & Sixti IV. quas & innovat. Nec obeſt dicere, Decretum Concilii Baſilienſis deſiderari in multis editionibus eiuſdem Concilii: nam reperitur in editione, quæ Romæ facta eſt ſtatim ac Concilium abſolutum fuit, & ita per totum terrarum orbem fuit promulgatum nullis reclamantibus, qui eidem Concilio inter fuerunt. Immo & ipſe Calvinus, ut genuinum Concilii fœtum impugnat in ſuo Antidoto circa Annum 1547.

Eccleſia celebrat ſolemne feſtum Conceptionis Mariæ Virginis; Græca quidem ante mille annos, Latina vero ante quingentos. Et licet Gregorius XV. in ſua Conſtitutione caveat, ne in Officio illius feſti voci Conceptionis aliquid addatur, ut eſſet adiectio Immaculatæ; negari tamen nequit, Feſtum illud maxime favere ſententiæ affirmanti, ut conſtat ex teſtimonio D. Bernardi, qui cum ſecundum communiorem ſuæ ætatis ſenſum non putaret conceſſum fuiſſe tale privilegium Sanctæ Virgini, improbavit Lugdunenſes Canonicos, qui contra antiquum morem Conceptionis Sanctæ Virginis feſtum iſtituerant; ea ductus ratione, quod non poſſit coli ſub diei feſti honore, niſi quod ſanctitate refulget, quam adhuc non viderat S. Bernardus in Conceptione Sanctæ Virginis, utpotequæ Concepta non erat de Spiritu Sancto, ſicut Chriſtus, quod ſolum cenſebat Sanctus Pater, præſervare conceptio-

ceptionem ab originali macula. *Quænam iam erit ratio feſtivæ Conceptionis? Quo pacto, inquam, aut Sanctus aſſeratur conceptus qui de Spiritu Sancto non eſt, ne dicam de peccato eſt, aut feſtus habebitur, qui minime Sanctus eſt? Libenter Glorioſa hoc honore carebit, quo vel peccatum honorari, vel falſa videtur adduci ſanctitas.* Unde ex Sancto Bernardo feſtum Conceptionis Virginis eſt publica profeſſio ſanctitatis Virginis in ſua Conceptione, ſcilicet in ſua Conceptione ſine macula originalis peccati; ac proinde patet, quod licet Eccleſia, & Summi Pontifices aperte non definierint articulum de Immaculata Virginis Conceptione, hac tamen feſti inſtitutione, ac communi celebratione in honorem Conceptionis Beatæ Virginis ampliſſime ſtatuitur, ac docetur, privilegium hoc Beatæ Virgini fuiſſe conceſſum. Alia ſunt, quæ adduci poſſent in confirmationem huius ſententiæ; ſed cum hoc funditus enucleare ſpectet ad ſcholaſticos, non ad morales, ſtudioſus ſi quid ulterius deſideret, ad eos recurrat, ubi copioſiores inveniet probationes, necnon ſolutiones eorum, quæ contra hanc ſententiam opponi poſſunt, & ſolent.

Cum vero ex dictis ad contrahendum originale peccatum neceſſe ſit, ut participetur humana natura Adami ex ſeminali via generationis, ſequitur 1. quod Chriſtus, qui conceptus eſt ex ſola Spiritus Sancti virtute ſine ulla ſeminali viri generatione, ſed ex puriſſimo Beatæ Virginis ſanguine, Spiritu Sancto cooperante, originalem maculam nec contraxit, nec contrahere potuit. Nam licet dicatur Rom. 1. *factus ex ſemine David*, nihil tamen aliud eſt, nec intelligi poteſt, niſi quod conceptus ſit ex muliere, quæ Davidis filia erat, ſeu deſcendens ex Davidis ſtirpe. 2. Quod Eva ſi ex Adæ coſta prodiiſſet poſt eius peccatum, non ideo orta eſſet a peccato infecta; nam ut ait Tridentina Synodus Seſſ. 6. c. 3. *homines niſi ex ſemine Adæ propagati naſcerentur, non naſcerentur iniuſti*. Etenim originale peccatum traduci nequit, niſi ab illius peccato, cui commiſſa fuit gratia in poſteros transferenda, nempe a peccato Adæ per naturalem communicationem ipſius humanæ naturæ nunc in Adamo, ſeu in ſua radice infectæ, quæ naturalis communicatio fieri non poteſt, niſi per ſeminalem viri generationem. Unde ſequitur pariter, quod generalem maculam non contraxiſſet, qui genitus, ſeu ſeminatus fuiſſet ante peccatum Adæ; quia per ſeminalem generationem, qua peccatum cum natura ipſa (quæcumque ſit) traducitur, humanam naturam nondum maculatam recepiſſet. Ita nunc non contraheret talem infectionem, qui de novo miraculoſe crearetur, aut ex humana Adami carne decerperetur, ſeu ab eo non deſcenderet per ſeminalem generationem.

§. XXIV.

De pœnis peccati originalis in hac vita.

Pœnæ, quæ a peccato originali humano generi advenerunt, duplicis ſunt generis, aliæ ſpectant corpus, aliæ animam; aliæ mortalem hanc vitam, aliæ futuram. Pœnæ corporeæ in hac vita ſunt mors, aliique morbi, ſcilicet miſeriæ & calamitates, quas hic patimur, & hoc eſt de fide, ut definitum fuit a Concilio Tridentino ſeſſ. 5. quod iam præiverat Concilium Arauſicanum II. Can. 2. Pœnæ vero animæ pariter in hac vita iuxta Gloſſam, quæ venerabili Bedæ tribuitur, hæc recenſentur, nempe hominem per peccatum ſpoliatum fuiſſe ſupernaturalibus donis, quæ complectebatur gratia originalis, ideſt gratia ſanctificante, & omnibus virtutibus, ſcientia, ſapientia, fide, prudentia, charitate, quibus perficiebatur eius intellectus & voluntas, obedientia partis inferioris ſuperiori, & membrorum corporis ad nutum voluntatis. Sed graves difficultates in tali propoſito verſantur inter Theologos, videlicet, num homo per peccatum originale vulneratus fuerit in naturalibus, ideſt in ſtatu puræ naturæ, præciſo originali peccato. Negant nonnulli contra communem Theologorum doctrinam, hominem vulneratum fuiſſe in naturalibus, contenduntque, eum naſci in eo ſtatu, in quo naſceretur, ſi conditus eſſet in ſtatu puræ naturæ, ſine ullo peccati originalis præiudicio, nec aliter vulneratam eſſe humanam naturam per originale peccatum, niſi per iuſtitiæ originalis privationem. Unde per ipſos natura humana non eſt facta debilior ab originali peccato ad bonum, nec appetitus inferior ad delectabile propenſior, quam fuiſſet in ſtatu puræ naturæ; cum hac ſola differentia, quod defectus ſequentes ex privatione iuſtitiæ originalis ſunt in hoc ſtatu pœna peccati, & in ſtatu naturæ puræ fuiſſent pura conditio naturalis. Contra quos ſit.

Duo genera pœnarum peccati originalis.

Homo per peccatum originale factus eſt infirmior ac debilior, quam ſi ortus fuiſſet in puro naturæ ſtatu, non ſolum quia ſpoliatus fuit gratuitis donis ſupernaturalibus, pri-

Digitized by Google

privatione iuſtitiæ originalis, ſed etiam quia vulneratus eſt in naturalibus potentiis animæ, & vitiatus in inferiori appetitu, qui factus eſt in delectabile bonum propenſior. Hæc eſt communior Theologorum ſententia, quam nimis comprobat S. Auguſtini auctoritas, qui clare mentem ſuam aperit l. *de natura & gratia. Cap. 19. Videte quæſo* (inquit) *quomodo neſciens* (Pelagius) *nitatur avertere medicinalium eloquiorum voces ſaluberrimas; ego dixi Domine miſerere mei, ſana Animam meam, quia peccavi tibi. Quid ſanatur, ſi nihil eſt vulneratum, nihil ſauciatum, nihil debilitatum ac vitiatum?* Quid clarius exoptari poteſt in re hac a Sancto Doctore? Cum S. Auguſtino concordat D. Thomas, tametſi hunc afferant tamquam patronum eorum ſententiæ adverſarii. Probat enim Doctor Angelicus P. 2. q. 85. art. 3. quatuor vulnera per peccatum naturæ humanæ fuiſſe inflicta, nempe ignorantiam in intellectu, malitiam in voluntate, infirmitatem in appetitu iraſcibili, & concupiſcentiam in concupiſcibili. Tametſi peccatum potuerit vulnerare, ac vitiare bonum naturæ, non poteſt tamen illud penitus extingoere, ut colligitur manifeſte a D. Thoma qui *q. 85. art. 2.* docet, inclinationem ad virtutem convenire homini, quatenus eſt rationalis. Per peccatum autem fieri non poteſt, quod non ſit rationalis, alias non eſſet amplius homo, ac proinde incapax eſſet committendi peccatum.

§. XXV.

De pœnis peccati Originalis in altera vita.

Parvuli decedentes ex hac vita ſine baptiſmate puniuntur pœna damni, ideſt privantur viſione Beata, & hoc eſt de fide, ut conſtat ex veterum Patrum definitione contra Pelagianos, & noviſſime ex definitione & doctrina Concilii Tridentini Seſſ. 5. Can. 4. quod antea docuerat, & definierat Concilium Florentinum Seſſ. ultima. Hoc autem confirmatur manifeſtiſſime teſtimoniis Divinarum Scripturarum, præcipue Ioann. 3. ubi Chriſtus ait: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei.* Quod autem Regnum Dei non ſit diſtinctum ab æterna vita, & Beata Dei viſione, ut ſomniarunt Pelagiani, patet ex contextu eiuſdem Capitis, ubi Chriſtus vocat æternam vitam, quod antea vocaverat Regnum Dei, *ut omnis* (inquit) *qui credit in illum non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Quia vero Pelagiani æternam vitam parvulis ſine baptiſmo decedentibus promittebant, etſi de qua vita intellexerint, clare mentem ſuam non explicaverint, veriſimilius tamen eſt, eos non intellexiſſe ſupernaturalem felicitatem, quæ conſiſtit in clara Dei viſione, ſed quamdam dumtaxat naturalem. Agnoſcebant enim parvulos non adoptari in filios Dei, niſi per Baptiſmum. Igitur, nec fruituros viſione intuitiva Dei, quæ eſt cœleſtis hæreditas ſolis filiis a cœleſti Patre parata ac promiſſa. Igitur promittebant vitam quamdam æternam extra Regnum Dei, ſecundum quid, ſeu naturalem. Et cum alii præter Pelagianos etiam ex Theologis Catholicis ita opinati ſint: hinc agitur de æterna naturali vita fruenda a parvulis decedentibus ex hac vita ſine baptiſmo poſt finem mundi, diſcutiendo, num vera ſit an fictitia.

Catharinus, & Pighius, qui comitem habuerunt in eorum opinione etiam Cardinalem Sfondratom, cenſebant, contendebantque, parvulos, qui ſine baptiſmate moriuntur, poſt generale Iudicium commoraturos ſupra faciem terræ tamquam in Tereſtri Paradiſo plenos ſapientia, virtutibuſque moralibus, ac identidem potituros Angelorum conſortio. Huiuſcemodi ſententia communiter reiicitur utpote accedens ad Hæreſim Pellagianorum. Contra quam ſit.

Naturalem hanc Beatitudinem purum eſſe commentum, conſtat ex communi Catholicorum ſenſu, quem expoſuit Concilium Tridentinum ubi pueros ſine Baptiſmo decedentes mox in infernum deducit. Et certe S. Auguſtinus libro *de Origine animæ*, Cap. 9. ſic docet: *Non baptizatis parvulis nemo promittat inter damnationem regnumque Cœlorum, quietis, vel felicitatis cuiuslibet atque ubilibet medium locum; hoc enim eſt Hæreſis Pelagiana.* Unde cadit adverſariorum etiam effugium de æterna felici vita a parvolis conſequenda poſt finale iudicium; quia iudicium univerſale non erit abſimile a particulari, cum illud futurum ſit huius confirmatio, ut communiter ſentit Eccleſia; ac proinde eadem in perpetuum futura ſors, quæ cuique ex particulari iudicio in exitu ex hac vita obvenit: *Poſt diem iudicii nullus* (ait Sanctus Anſelmus *de conceptu Virginis c. 22.*) *erit Angelus, aut homo, niſi aut in Regno Dei, aut in inferno.* Et Regnum Dei ut iam vidimus ex teſtimonio Scripturarum, & communi Eccleſiæ ſenſu, eſt idem cum æterna ſupernaturali vita, ac Beatitudine. Immo qua felicitate frui poſſent ſuper faciem terræ poſt univerſale iudicium, quando

Digitized by Google

do omnia elementa ſecundum graviſſimorum Doctorum ſententiam naturalem primævum ſuum ſitum ſint repetitura; ita ut aqua, quæ in mundi exordio terram totam ambiebat, ad priſtinum locum revertetur, a quo receſſerat, ſic iubente Deo, ut terra fieret tum hominibus, tum brutis commoda habitatio. Verum quam certum eſt & de fide, parvulos ſine baptiſmi expiatione cum originali peccato migrantes ex hac vita, in æternum privandos eſſe iuxta communem Eccleſiæ mentem, quavis felicitate, ſive ſupernaturali iuſtis a fide promiſſa, ſive naturali, quam plane ſomniando aliqui etiam ex Catholicis finxerunt cum Pelagianis; tam incertum eſt de pœna ſenſus, nempe an animæ parvulorum non baptizatorum hanc quoque cum pœna damni ſubire debeant in altera vita, cum hactenus definitum non ſit, an eædem patiantur in Inferno etiam pœnam ignis.

Dixi *in inferno*; quia cum nihil certi habeatur de loco, ubi poſt univerſale iudicium ſtare debeant cum ſuis corporibus, & Infernus locus ſit pro omnibus indiſcriminatim qui migrant ex hac vita cum mortali culpa, ſive actuali, ſeu perſonali, ſive originali; hinc opinio communior eſt, quod Infernus ſit perpetuus locus etiam parvulorum non baptizatorum animabus, quidquid dixerint quidam Theologi, hos parvulos permanſuros eſſe in locis quibuſdam ſubterraneis, quæ vocant *Limbum*, ad quem locum dicunt illos mitti in eorum morte; cum nulla hæc opinio fulciatur auctoritate. Immo oppoſita verior videtur, cum in cæteris locis non poſſit tale peccatum in illis parvulis puniri: non quidem in Purgatorio; quia ibi non puniuntur, niſi qui in gratia decedunt, ut illo igne reliquiis peccatorum purgatis in Cœlum aſcendant; neque etiam in Limbo antiquorum Patrum, quia iſte locus deſtinatus erat præciſe pro detinendis Sanctis poſt omnia peccata plene purgata, donec per adventum Chriſti ad felicem ſuam Patriam per ipſum Chriſtum perducerentur. Unde cum hæc ſint receptacula, quæ ex Scriptura, & Sanctis Patribus nobis conſtat adeſſe, alia fingere omnino voluntarium eſt, & captioſum.

In tali incertitudine huiuſce pœnæ ſenſus in parvulis non baptizatis ortæ ſunt oppoſitæ Theologorum ſententiæ, quarum una ſtat pro affirmativa, & inter præcipuos patronos habet S. Fulgentium libro *de Incarnatione & gratia*: immo l. *de Fide ad Petrum* eam ut fidei dogma proponit, & hanc ſententiam ſuſtinet velut acceptam a Divo Auguſtino, quem trahit in ſuum ſenſum, ita eius doctrinam explicando. Stat altera pro parte negativa, & hæc ſententia probabilior videtur; utpote magis fidei, ac pietati conſona, necnon inter Theologos non ſolum mediorum, & ultimorum temporum, ſed inter illuſtriores etiam antiquorum communior: hinc in tali ſenſu rem hanc hic exponere cenſui; nempe parvulos ſine baptiſmo ex hac vita migrantes non torqueri pœna ſenſus, ideſt ignis Inferni, licet eidem loco propter originale peccatum ſint damnati. Doctrinam hanc traditam recipimus a S. Gregorio Nazianzeno, cuius auctoritas ſemper maximi ponderis fuit in Eccleſia, teſte ipſo S. Auguſtino. Statuit igitur hic celeberrimus antiquæ Eccleſiæ Theologus tria hominum genera, qui baptiſmi Sacramentum non recipiunt. Quidam illud non recipiunt, quia non multum venerantur, ſed illius ſuſceptionem in moras protrahunt; partim ob ignaviam, partim ob inexplebilem peccandi libidinem. Alii tandem recipere non poſſunt propter infantiam, vel propter inopinatum, & violentum aliquem caſum. De his ultimis ſic concludit: *Poſtremi nec Cœleſti gloria, nec ſuppliciis a iuſto iudicio afficientur, utpotequi, licet ſignati non fuerint, improbitate tamen careant, atque hanc iacturam paſſi potius fuerint, quem fecerint.* Ita ſane hunc Doctorem intellexit Nicetus eius Scholiaſtes; hic enim ita ait loquendo de triplici hominum gradu, qui ſuppliciis æternis excruciantur: *Medium eorum qui nec Cœleſtis Regni voluptates ſentiunt, nec pœnis ullis torquentur, in quo & parvuli, qui baptiſmo perfuſi non ſunt, conſtituuntur* Sic ſenſit etiam S. Gregorius Niſſenus, Innocentius III. qui ſententiam hanc communem ſupponit Cap. *Maiores de Baptiſmo*. Sic D. Thomas q. 5. *de Malo art.* 2. *In peccato originali*, ait, *non eſt converſio ad commutabile bonum, ſed ſola averſio ab incommutabili bono, vel aliquid averſioni reſpondens*, ſcilicet deſtitutio animæ a iuſtitia originali, & ideo peccato originali non debetur pœna ſenſus, ſed ſolum pœna damni, ſeu carentia Viſionis beatæ &c.

Si vero inquiratur, quare privatio viſionis intuitivæ Dei vocetur ſimpliciter a Theologis pœna damni; Reſpondetur, quia eſt ſummi boni privatio. Sicuti enim Deus dicitur ſimpliciter ipſum bonum, non autem hoc vel illud bonum; ſed quidquid concipi poteſt nomine boni: ſic privatio Dei non eſt peculiare damnum,

ut

Digitized by Google

ut pœna ſenſus ; ſed eſt ipſum damnum complectens quidquid nomine damni ſignificatur.

Inquiri hic etiam ſolet, an ii parvuli mortui ſine baptiſmate, in altera vita, in qua intuitiva Dei viſione ob originale peccatum privantur, ſaltem triſtitiam aliquam ob carentiam talis viſionis patiantur. S. Thomas in 2. diſtin. 83. q. 2. art. 1. ſic denegat Beatitudinem parvulis mortuis ſine baptiſmate, ut velit eos immunes eſſe ab omni triſtitia; *Nihil omnino dolebunt*, inquit, *de carentia viſionis Beatificæ*. Verum ſine ulla iniuria tanti Doctoris, cuius doctrinam cæteroquin ſummopere veneror, mihi videntur melius ſentire plures eius diſcipuli, qui adhærentes S. Auguſtino, in hac parte recedunt a tanto Magiſtro, qui adhuc iunior hæc ſcripſit, & niſi morte præventus, hoc etiam, ſicut fecit de aliis multis, retractaſſet. Sit igitur.

Parvuli aliquam patiuntur triſtitiam ob amiſſam beatitudinem, ſeu intuitivam Dei viſionem; ſic ſentit S. Auguſtinus l. 6. contra Iulianum cap. 4. ubi ſic habet: *Si hoc eis* (ideſt parvulis) *non erit malum, non ergo amabunt regnum Dei... Si autem amabunt, & tantum amabunt, quantum innocentes amare debent Regnum eius, a quo ad eius imaginem creantur, nihil ne mali de hac ſeparatione patientur?* Et Serm. 294. Cap. 6. *Nam & qui exulant, vivunt, in doloribus corporis non ſunt, non carceris tenebris affliguntur, hæc illis ſola pœna, non eſſe in Patria* &c.

Quod vero nonnulli patroni contrariæ ſententiæ gratis docent, Deum denegare ſuum concurſum, ne parvuli ex hac damnatione triſtentur, hoc eſt manifeſtiſſimum abſurdum. Si enim eos permittit ob ſolum peccatum originale cruciatus corporis in hac vita ſuſtinere, a fortiori credendum eſt eos in altera vita dolere ob amiſſam Beatitudinem.

Et multo minus veriſimile eſt, parvulos ſine baptiſmo decedentes ignorare ſe excludi propter originale peccatum ab æterna Beatitudine, cum ratio naturalis dictet, eum, qui punitur, conſcium eſſe debere peccati, propter quod pœna eſt ipſi debita, alioquin iniuſta hæc ei videretur: quare parvuli ſtatim ac decedunt ex hac vita Divino ſubiacent iudicio, & interim reſervantur ad iudicium univerſale, quando Supremus Iudex publice ſententiam proferet ſuper peccatores omnes, ſive puſilli ſint, & ſolo originali peccato rei, ſive non ſolum originalis, ſed actualis etiam peccati ſontes. Sic Habertus.

CAPUT II.

De Peccatis Perſonalibus.

§. I.

De Peccato Commiſſionis, & Omiſſionis, in genere.

A Notitia ſeu cognitione naturæ peccati Commiſſionis & Omiſſionis ita pendet ſolutio difficultatum, quæ in hoc negotio occurrunt, ut ſit plane impoſſibile, ſi hæc ignoretur, noſtrum intentum habere. Hinc operæ pretium eſt, ut eorum quiditatem pariter exponamus.

Verum quoad ea, quæ ſpectant ad rationem peccati commiſſionis, iam factum eſt ſatis muneri noſtro, dum expenderemus in quo eſſentia, ſeu formale peccati conſiſtat, num ſcilicet in poſitivo, an in privativo, ideſt num peccatum conſiſtat in ſola carentia rectitudinis, an in aliquo alio. Unde ſupereſt, ut quæ ad rationem pertinent peccati omiſſionis expendamus. In primis vero ſupponendum, peccatum omiſſionis eſſe tranſgreſſionem præcepti affirmativi, quo aliquod opus bonum præcipitur, eo ferme pacto, quo e contra peccatum commiſſionis eſt tranſgreſſio præcepti negativi, quo interdicitur, ne aliquod malum opus fiat. Sic non audire Sacrum, non ieiunare, ſunt peccata omiſſionis, furari autem, mœchari, ſunt peccata commiſſionis, quibus violantur hæc præcepta, *non furtum facies*, *non mœchaberis*. Hinc adæquata eſt diviſio peccati in peccatum commiſſionis, & omiſſionis, quando iuxta D. Auguſtinum duobus modis conſtat eſſe peccatum; *Si aut fiant illa quæ prohibentur, aut illa non fiant quæ iubentur*. Peccatum omiſſionis vocatur a SS. Patribus *delictum* iuxta illud Levit. 7. *Sicut pro peccato offertur hoſtia, ita & pro delicto*. Hinc S. Auguſtinus; *fortaſſis*, inquit, *peccatum eſt perpetrativum mali; delictum autem deſertio boni*. De omiſſionis autem peccato expendetur. 1. num dari queat omiſſio culpabilis ſine omni voluntatis actu, ſeu, ut aiunt, omiſſio pure libera. 2. an actus, qui eſt cauſſa omiſſionis culpabilis, habeat malitiam ab ipſa omiſſionis malitia diſtinctam. 3. an qui voluntarie ponit cauſſam omiſſionis, peccet non ſolum quando hanc cauſſam ponit, ſed etiam quando de facto omittit.

Quoad illud autem quod primo inquiritur, num

Digitized by Google

num ſcilicet dari queat omiſſio culpabilis ſine quovis actu voluntatis, ideſt, quæ mera ſit libera omiſſio, reſolutionem habemus a D. Thoma q. 71. art. 5. nempe, quod licet verum ſit, nullam eſſe poſſe omiſſionem vere voluntariam in genere moris ſine aliquo voluntatis exercitio, ſine quo ſuſpenſa manet voluntas in actu primo, ideſt in poteſtate volendi, ac proinde nihil tunc facit in genere moris, niſi tranſeat ad actum ſecundum, ſeu potentia ad actum volendi; nihilominus docet S. Doctor quod neceſſe non ſit ad hocut omiſſio ſit culpabilis, dari actum voluntatis, qui ſit cauſſa omiſſionis, ideſt qui directe & expreſſe feratur in ipſam omiſſionem, ſeu qui omiſſionem ſtatuat; neceſſe tamen eſſe quod interveniat aliquis actus, qui ſaltem det occaſionem illi omiſſioni, & cum omiſſione ſit incompoſſibilis. Exemplum rem clarius explicabit; non ſemper v. g. vult aliquis expreſſe, vel Miſſam omittere, vel aliquod aliud opus quod facere tenetur; ſed ut ſit culpabilis talis omiſſio, neceſſe eſt ut ſaltem velit aliquid aliud incompatibile cum adimpletione operis debiti; ſicut quando quis vult venationi, vel ludo vacare, aut ſcriptioni, &c. cum audiendum eſſet ſacrum.

Nec valet dicere, fieri poſſe, ut Sacerdos ſciens & advertens omittat recitationem Horarum, & alter auditionem ſacri die feſto; & tamen neuter velit hanc omiſſionem. Item cum voluntas utpote libera omnem prorſus actum ſuſpendere valeat, talis omiſſio eſſet culpabilis & ſine omni quovis actu, idcirco peccabit & Sacerdos omittens Horarum recitationem, & alter auditionem Sacri, licet voluntas maneat in actu primo, ideſt ſuſpenſa ab omni actu; quia erga nullum ſuam exercet libertatem. Nam reſpondetur, falſum eſſe, quod ſive Sacerdos quoad omiſſionem Horarum, ſive alter quoad omiſſionem auditionis Sacri, ſcienter, & advertenter in talem omiſſionem incurrant ſine ullo omnino actu; etenim ille qui vult poſitive omiſſionem Horarum, vel auditionis Sacri, vult poſitive ſuſpendere actum neceſſarium ad Horarum recitationem & Sacri auditionem. Uterque enim vult talem actum ſuſpendere, nam licet menti ipſi ſuggerenti huius debiti impreſſionem non dicat unus; *nolo Horas recitare*, alter *Sacrum audire*, hoc tamen virtualiter dicunt, *nolo huic debito ſatisfacere*, unus ſcilicet recitare horas, alter Sacrum audire, quæ virtualis nolitio nolitioni ita æquivalet actuali, ut idem ſit ac ſi actualiter diceret ſe nolle actiones illas debitas exequi. Immo ſi quis unum interrogaret quare horas non recitet, alterum quare Sacrum non audiat, ideſt quare tales actus ſuſpendant, non aliud plane reſpondebunt niſi, *quia ſic volo*. Quocirca voluntas eorum non remanet in actu primo, ideſt ab omni actu prorſus ſuſpenſa; ſed libertatem ſuam exerit, non quidem tranſeundo ad actum recitationis Horarum, ſeu auditionis Sacri, ſed tranſeundo ad actum volendi ſuſpenſionem cuiuſcunque actus, unde recitatio Horarum ſequatur, & Sacri auditio.

Quoad ſecundum vero, ideſt num actus, qui eſt cauſſa, vel occaſio omiſſionis culpabilis, habeat malitiam eiuſdem ſpeciei cum omiſſione, an vero diſtinctam: Reſpondetur actum illum ex ſe bonum vel indifferentem, puta ſtudii &c. qui eſt cauſſa vel occaſio omiſſionis actus præcepti, ſe habere ad omiſſionem v. g. recitationis Horarum Canonicarum, auditionis Sacri die feſto, & ſic de aliis caſibus, vel antecedenter vel concomitanter. Antecedenter ſe habet, quando eſt cauſſa, vel occaſio omittendi Officium &c. ſine qua non omitteretur. Concomitanter, quando non eſt ratio omittendi, ſed cum quis v. g. iam formato propoſito omittendi vel horas vel Sacrum propter aliquod aliud motivum, ne interim tempus omnino otioſe conſummetur, vult ſtudio vacare. Si illo ſecundo modo ſe habeat, conſtat non eſſe peccatum; ſed laudabiliter fieri poſſe, potius quam otioſe tempus perdere, licet omittendo Officium, vel Sacri auditionem peccet. Si autem antecedenter ſe habeat, valde probabilius eſt eſſe peccatum; ſicque in tali occaſione peccare Clericum omittendo Officium, alterum Sacrum, ſed utrumque peccare etiam ſtudendo; quia ut iam ſæpe ex D. Thoma dictum eſt, non ſufficit quod aliquid ſit in ſe bonum, ſed requiritur ulterius, quod ſub ratione boni exercendum ſumatur: ideſt non ſufficit ut fiat aliqua actio, quæ ſecundum ſe bona eſt, niſi etiam bene fiat. Conſtat autem, ſtudium, quamvis ſecundum ſe bonum ſit, in hac occaſione non ſumi, ideſt non exerceri ſub ratione boni, nec bene fieri. Nemo enim dicere poteſt, bonum ſumi ſub ratione boni, cum ſumitur ſub conditione, quæ eſt cauſſa mali. Studioſitatis virtus, (& ſic aliæ) ſuum habet medium inter extrema defectus, & exceſſus: Bonus eſt amor ſtudii ſecundum prudentiam regulatus, ſed vitioſus eſt quando tranſit in exceſſum, & quando recti ordinis circumſtantias non ſervat.

Digitized by Google

vat. Sic in aliis caſibus dicendum eſt. Ita D. Thomas q. 2. *de malo*, art. 1. ad 7. Unde etiam hoc ipſum, quod eſt laudare Deum ore, poteſt male fieri, ſi hoc quis faciat, quando non debet, nempe quando alia facere tenetur.

Actus vero per ſe boni, vel indifferentes quicumque ſint, qui ſunt cauſſa, vel occaſio omiſſionis actus præcepti, non aliam habent malitiam, quam eam, quæ eſt propria omiſſionis. Nam tota malitia actionis cæteroquin bonæ, puta ſtudii, quæ mala evadit, quia male fit, idest quando vetita eſt a divina lege, eadem eſt cum malitia omiſſionis Miſſæ. Alioquin qui Miſſam omitteret amore ſtudii, magis peccaret, quam qui eamdem omitteret nihil prorſus faciendo, quod ridiculum eſt. Unde in tali opinione nunquam omitti poſſet Miſſa ſine duplici peccato, quorum unum eſset ipſa omiſſio Miſsæ, aliud quod eſt cauſſa vel occaſio ipſius Miſsæ omiſſionis, quod falſum eſt, & praxi repugnat fidelium, qui nunquam explicant in Confeſſione, nec a Confeſsario etiam prudenti exquiritur, quare Miſsam omiſerint.

Quoad 3. tandem, nempe num voluntarie ponens cauſſam omiſſionis peccet, non ſolum quando apponit cauſſam hanc, ſed etiam quando de facto actum præceptum omittit; antequam reſolvatur, pro faciliori intelligentia.

Supponendum 1. ponentem voluntarie actum ex quo prævidet præceptum probabiliter, vel probabilius non adimplendum, v. g. ſe dantem ſomno, ubi Sacrum eſt audiendum, vel recitandæ ſunt horæ Canonicæ, peccare graviter, etiam ſi poſtea rebus ſubito mutatis, Sacrum audiat, horas legat &c. quia licet non peccaverit contra legem *effectu*, peccavit tamen *affectu*, quatenus voluntarie ſe periculo expoſuit non adimplendi præceptum.

Supponendum 2. peccatum omiſſionis conſummari, ubi de facto contingit omiſſio, ſi tunc omittens ſit ſui compos, & eſt communis. An vero tunc etiam conſummetur, ſi omittens ſit rationis expers propter ſomnum puta, ebrietatem &c. vel factus ſit impotens propter contractam infirmitatem, vel propter aliquid aliud: Hic ſtat difficultas, pro cuius ſolutione ſit.

Sententia communior eſt inter Thomiſtas, iuxta eorum Magiſtrum Angelicum Doctorem, ut habetur ex Caietano, Medina, Soto, Lemos, Gonet, Contenſono, quibus ſe adiunxere Suarez, Valentia, aliive, omiſſionem, quæ iam in cauſſa culpabili ſupponitur, eſse culpabilem etiam in ſe, quando urget præceptum, tametſi tunc contingat hominem, præ ſomno, & ebrietate &c. non eſſe amplius compotem ſui, vel ex cauſſa, quam poſuit factus ſit impotens, ut Clericus qui initio itineris proiecit Breviarium in mare, unde horas Canonicas recitare nequit, vel qui ob intemperantiam, aut vanas defatigationes venationis puta, ludi &c. infirmitatem contraxit incompoſſibilem cum ieiunio; nam ut aliquid ſit in ſe formaliter peccatum, ſatis eſt, quod indirecte & in cauſſa ſua liberum ſit; alias qui in ebrietate clericum occideret, non eſset excommunicatus, contra quod ſentit Gloſsa in cap. 6. *de ſent. excommunic.* Paludanus, Sylveſ. aliique quamplures. Unde cum omiſſio Sacri contingens in ſomno vel ebrietate libera ſit in cauſſa, ſequitur, quod non ſolum culpabilis ſit in cauſſa, ſed etiam in ſe, & ideo in ſe imputabilis. Nam licet ob defectum uſus rationis, vel ob impedimentum culpæ huiuſmodi omiſſionum non ſint imputabiles in ſe ratione ſui ſolius; ſunt tamen imputabiles in ſe dependenter a cauſſa. Nec officit id, quod ut abſurdum Patroni contrariæ ſententiæ obiiciunt, ſcilicet quod ſi talis omiſſio in ſomno ſit peccatum, erit peccatum actuale, verum cum ad peccatum actuale libertas actualis requiratur, quæ nequaquam eſse poteſt in tali omiſſione, in qua non poteſt haberi actuale voluntatis exercitium, ſicut actualis libertas exigit; Igitur talis omiſſio nec eſt, nec eſse poteſt actuale peccatum. Nam reſpondetur, ad peccatum actuale requiri quidem libertatem actualem, non tamen ſemper neceſsario in ſe, cum ſatis ſit, ut etiam in ſola cauſſa actualiter habeatur, ut contingit in præſenti caſu, in quo licet omiſſio in ſomno &c. actu & in ſe libera non ſit, cum iam libertatis poteſtati non ſubiaceat, eſt tamen libera, & voluntaria in cauſsa, quæ quidem voluntarietas refunditur in effectum; unde non cauſſa ſolum, ſed etiam effectus ſunt in Confeſſione aperiendi.

Ex his ſequitur igitur pro praxi 1. quod qui non tantum periculo ſe commiſit omittendi, ſed etiam re ipſa omiſit, id ab eo in Confeſſione eſt exprimendum, quia peccatum omiſſionis ipſa actuali omiſſione conſummatur. 2. quod qui vino & impudicitiis multum indulgendo, ita infirmitatibus ſe gravavit, ut factus ſit impotens ad obſervanda ieiunia ab Eccleſia præſcripta, & Sacerdos, qui initio itineris Breviarium in mare pro-

proiecit, donec utrumque facti ſincere pœniteat, peccare unum non ieiunando, quotieſcumque urget præceptum; alterum Horas Canonicas non recitando. Nam iuxta hanc communiorem ſententiam, omiſſiones illæ ſunt imputabiles non tantum quoad affectum ut volunt adverſarii, ſed etiam quoad effectum.

Alia inquiri hic ſolent a Theologis 1. num omiſſio, non ſecus ac commiſſio pariat habitum. 2. an peccatum commiſſionis, & omiſſionis differant ſpecie. 3. an peccatum commiſſionis ſit gravius peccato omiſſionis.

Reſolvitur quoad primum pro parte affirmativa; quia ex dictis nulla eſt omiſſio ſine actu: unde cum ex repetitis actibus fiat habitus, hinc ut ipſa docet experientia, ille qui ſæpius ludendi affectu omittit Sacrum, comparat facilitatem non ſolum ludendi, ſed etiam omittendi Miſſam. Reſolvitur quoad ſecundum, peccatum commiſſionis ſpecie differre a peccato omiſſionis, non ſolum phyſice, ſed etiam moraliter. Nam odium Dei v. g. eſt alterius ſpeciei ab omiſſione charitatis, ac proinde ei, qui Deum odio habuit, non ſatis eſt, ſi dicat in Confeſſione, ſe contra charitatem peccaſſe: charitas enim aliter per odium Dei, aliter per omiſſionem amoris violatur. Si tamen peccatum commiſſionis ſit peccati omiſſionis fundamentum, utrumque erit eiuſdem ſpeciei, ut patet in eo, qui furatur, & non reſtituit, quia iniuriam hic facit, & eam non reparat.

Reſolvitur quoad tertium, peccatum commiſſionis gravius eſſe peccato omiſſionis; quia gravius eſt ad obiectum contrarium v. g. ad odium Dei abire, quam obiecto debito non adhærere, puta omittendo actum amoris Dei; ſicut gravius peccat miles, qui tranſit ad partes hoſtium, quam qui ſimpliciter a Caſtris recedit.

§. II.

De iis quæ ſive in commiſſione, ſive in omiſſione actionem cæteroquin malam excuſant a peccato.

Peccatum cum ſit actio humana, qua homo divinam legem tranſgreditur ſcienter, ac deliberate ſeu humano modo, cum conſilio videlicet, & electione, ac proinde ſit actio eſſentialiter libera & voluntaria vel in ſe, vel in alio, generaliter excuſat a peccato quidquid voluntarium tollit, & liberum, cuiuſmodi ſunt ignorantia, quæ ſcientiam tollendo tollit voluntarium, & impotentia phyſica quæ tollit liberum, ac ideo utraque electionem: ſicut etiam metus, & paſſio antecedens, quando uterque uſum tollit rationis. Quod autem tollit, minuit vel auget liberum, aut voluntarium, cæteris paribus tollit, auget, ac minuit peccatum; ſicuti iam agendo de Actibus humanis notavimus.

Metus tamen ſive levis ſit, ſive gravis, numquam excuſat hominem ſui compotem a peccato in tranſgreſſione legis naturalis, in his ſcilicet, quæ ſunt intrinſece mala; quia metus quamtumvis gravis numquam ita obruit rationem, ut non relinquat locum libero conſenſui, & quæ intrinſece ex ſe mala ſunt, in quovis periculo non deſinunt eſſe mala, ac vetita. Igitur metus tametſi gravis in his, quæ ſunt per ſe mala, non excuſat a culpa. Nullum quidem peccatum tametſi veniale facere licet ad vitandum quodvis aliud malum: quia quodvis peccatum etiam veniale utpote offenſa Dei ſupremi Domini, ac entis in omni perfectione infiniti, eſt malum multo gravius quovis alio malo, quod non ſit peccatum. Inſuper peccatum omne quatenus peccatum eſt, ſemper eſt illicitum; unde cum natura ſeu eſſentia rerum ſit immutabilis, hinc ob nullum bonum vel malum pœnale peccatum reddi poteſt licitum; idcirco nequidem ad propriam vitam tuendam licitum eſt mentiri.

Verum quidem eſt, quod metus ſi revera ſit gravis minuit culpam; quia minuit voluntarium; ſed quia hoc prorſus non tollit, ſic nec ita culpam attenuare poteſt metus, ut eam de mortali in venialem traducat in materia gravi, quia relinquit conſenſui ſufficientem libertatem ad mortale. Etenim metus non impedit, ne actus procedat, ac eliciatur a voluntate cum cognitione etiam perfecta; itaut quod fit ex metu, fit cum electione, & ſine ulla phyſica neceſſitate, ut poſſit etiam non fieri.

In his vero quæ non ſunt mala niſi ſola contraria legi poſitivæ humanæ quæ non obligat cum gravi incommodo, metus ſi gravis ſit, ſeu metus prudens gravis damni excuſat a peccato, cum Lex humana ordinarie non obliget cum gravi detrimento, niſi Charitas, vel bonum commune id exigat, vel vitatio ſcandali, contemptus religionis, ſeu legitimæ poteſtatis.

§. III.

De peccato mortali, & veniali.

Hanc diſtinctionem peccati mortalis, & venialis, quam ex divinarum Scripturarum do-

doctrina, ac Sanctorum Patrum traditione inter ſuas veritates Catholica tenet Eccleſia, non ſolum impugnarunt Novatores Lutherus, & Calvinus, ſed contra eamdem errarunt ex Ortodoxis etiam Gerſon Academiæ Pariſienſis Cancellarius, & Michael Baius Lovanieſis Theologus. Docuerunt enim primi & acriter ſuſtinent eorum diſcipuli, & aſſeclæ, omnia peccata ex natura ſua eſſe mortalia, quæ quidem in prædeſtinatis tametſi graviſſima, ac ideo morte digna, fiunt venialia, ex eo quod propter eorum fiduciam in Deum de ſua prædeſtinatione ipſis non imputantur; in reprobis vero omnia etiam minima eſſe mortalia.

Cohærenter huic errori ſenſit Gerſon, dum contra communem Theologorum ſententiam docuit lib. *de vita Spirit.* lect. 1. peccata venialia ex natura ſua mereri damnationem æternam; ita ut quod tanta pœna non puniantur tribuendum ſit divinæ miſericordiæ.

Propius vero opinatus eſt cum Novatoribus Michael Baius, ut habetur in illa ſua propoſitione, quam cum aliis, quas non ſane olentes ſcripſerat, damnarunt Summi Pontifices Pius V. Gregorius XIII. & Urbanus VIII. & eſt huius tenoris. ***Nullum eſt peccatum natura ſua veniale, ſed omne peccatum meretur mortem æternam.*** Contra hos igitur certiſſimum eſt apud Catholicos, & in hoc conveniunt Theologi omnes ut in fidei dogmate, inter peccata actualia quæ ab hominibus committuntur, alia mortalia eſſe, alia venialia. Nomine vero peccati mortalis illud proprie intelligitur quod a D. Auguſtino definitur. *Dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei ſimpliciter*, ac ideo ob talem divinæ legis tranſgreſſionem tanta eſt iniuria quam peccator Deo infert, & ſic mortale peccatum Deum offendit, ut inducat in animam peccatoris privationem gratiæ ſanctificantis, divinæ dilectionis, ac amicitiæ, ac proinde moritur vitæ ſupernaturalis gratiæ, ut ſi in hac privatione finaliter decedat peccator ex hac vita, puniatur etiam æterna damnatione, quæ eſt ſecunda mors animæ iuxta illud Sap. 16. *Homo per malitiam occidit animam ſuam*; & Rom. 6. *Stipendia peccati mors*: qua de cauſſa peccatum hoc dicitur mortale. Hinc ſicuti illud definit Toletus cap. 1. *Mortale eſt receſſus a regula divina voluntarius, Dei gratia peccantem privans, & æternæ morti adiudicans.*

Econtra vero peccatum veniale communiter illud dicitur, quod vel ex defectu voluntarii, ac plenæ deliberationis, vel ex defectu materiæ eſt ita leve, ut licet Deum offendat, non tamen ita graviter offendit, ut vel amicitiam cum Deo tollat ac diſſolvat, vel ſpiritualem gratiæ vitam, aut æternæ pœnæ reatum inducat, ſed ſolum temporalis. Dicitur autem veniale a venia, eo quod facilius veniam conſequatur, & aliquo modo venia dignum ſit. Etenim licet veniale quoque ſit *dictum, factum, concupitum contra legem Dei*; ſolummodo tamen hoc eſt ſecundum quid, non ſimpliciter ſicut mortale, ac ideo dicitur a multis potius *præter*, quam *contra* legem Dei; cum non extinguat Charitatem, quæ ad Deum, ad eiuſque legem dirigit. Dicitur *non ſimpliciter*; quia etſi dicere velimus etiam veniale contra potius, quam præter Dei legem, non eſt tamen contra legem Dei ſimpliciter talem, hoc eſt, quæ ſimpliciter eſt neceſſaria ad tendendum in ultimum finem, illumque conſequendum, ſecuti eſt lex, contra quam plene, & directe tendit mortale. Hinc ait Sayrus, peccatum veniale poſſe definiri: *peccatum, ſeu actus humanus voluntarius inordinatus, qui gratia peccantem non privat, nec aliquem reum pœna æterna conſtituit, ſed ſolum temporali.*

Ex peccato mortali, & veniali actuali oritur peccatum habituale tam mortale, quam veniale. Peccatum vero mortale habituale eſt privatio voluntaria gratiæ. Peccatum habituale veniale eſt privatio fervoris charitatis: unde patet, in quo utriuſque eſſentia conſiſtat.

Supponendum eſt igitur potius quam probandum, cum hoc de fide univerſalis teneat Eccleſia, de facto dari huiuſcemodi inter ſe diſtincta peccata, mortale ſcilicet, & veniale, ut apertiſſime patet ex divinarum Scripturarum teſtimoniis, & ex ipſa ratione. Nam de mortali habetur Rom. 1. *qui talia agunt digni ſunt morte* & alibi *qui talia agunt regnum Dei non poſſidebunt*. Privatio autem Regni Dei, mors animæ, ſunt effectus peccati mortalis. Mortale idcirco fuit peccatum Adæ iuxta illud, quod ei dictum fuit, ſi de fructu vetito comederet: *In quacumque hora comederis, morte morieris*; quod SS. Ambroſius, & Auguſtinus aliive communiter intellexerunt de morte non corporis, cum ſtatim mortui non ſint, ex quo comederunt, ut notat S. Eucherius; ſed de morte animæ. Mortale fuit pariter peccatum Davidis & S. Petri, ut teſtatur S. Auguſtinus, qui de peccato Petri in Tract. 66. in Ioannem ait: *mortuus eſt negando, & revixit plorando.* De veniali vero, ſcili-

cet de eo quod non privat iuſtitia nec æterna vita, quia leviter Deum offendit, habetur Prov. 24. quod *ſepties in die cadit iuſtus*; non cadit igitur mortaliter, cum in eodem lapſu iuſtus remaneat, qui talis non remaneret, ſi in mortale laberetur. Et de his peccatis dicitur Matth. 7 ubi ob eorum levitatem comparantur feſtucæ reſpectu mortalium, quæ trabi aſſimilantur *quid vides feſtucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides?* Et equidem ſi peccatum eſt tranſgreſſio divinæ legis, ut iam vidimus in peccati natura explicanda, ubi definitur peccatum cum S. Auguſtino *dictum, factum concupitum contra legem Dei*; cum hæc tranſgreſſio poſſit eſſe gravis, & levis, ſic diverſum eſt peccatum quod contrahitur ex tranſgreſſione gravi ab eo, quod incurritur ex levi. Primum eſt quod dicitur mortale; quia cum ſit gravis offenſa Dei, privat eius amicitia, gratia ſanctificante, & vita æterna, quibus vivit anima; ita ut ſicut corpus ſeiunctum ab anima moritur; ſic anima ſeiuncta a gratia ſantificante, & reatu æternæ pœnæ gravata per grave peccatum, ſe habet ut mortua. Peccatum vero e contra quod contrahitur ob levem divinæ legis tranſgreſſionem, dicitur veniale, utpote quod nonniſi leviter Deum offendens, non privat amicitia Dei, gratia ſanctificante, nec æternam, ſed temporalem tantummodo pœnam meretur, ac proinde non excludit a beatitudine Cœleſti; ſed ſolummodo eius conſecutionem retardat; nec charitatem extinguit, ſed tantummodo eius fervorem minuit. Sic P. Antoine.

§. IV.

De differentia peccati mortalis a veniali.

Peccati mortalis & venialis convenientia & diſconvenientia. Nota, peccatum mortale, & veniale in nonnullis convenire, in pluribus tamen differre. Conveniunt primo quia non ſolum peccatum mortale, ſed etiam veniale eſt actus moraliter malus, Deo diſplicens, ipſumque offendens, ac proinde dignus ſupplicio ſibi correſpondente. Conveniunt 2. pariter, quia neutrum eligi poteſt ad promovendam honeſtatem alterius finis, ut conſtat ex illo Rom. 3. *Non ſunt facienda mala, ut eveniant bona*. 3. Conveniunt, quia utrumque peccatum eſt actus humanus moraliter malus, ac ideo requirens voluntariam, & ſufficientem libertatem. Utrumque peccatum a ſola rationali creatura, non autem a Deo, vel a brutis elici poteſt. Sunt & alia nonnulla, in quibus conveniunt, quæ brevitatis gratia hic omittuntur.

Sed ad evitandum omnem errorem in aſſignanda eorumdem peccatorum differentia, obſervandum, eam repeti non poſſe 1. ex parte ſolius ſubiecti ut ſomniarunt Novatores, qui volunt peccata leviora eſſe reprobis mortalia, graviora vero nonniſi levia prædeſtinatis; quia Adam cum fructum vetitum comedit, David quando ſe adulterio fœdavit, mortaliter, ideſt graviter peccarunt, licet eſſent prædeſtinati. 2. Eam repeti non poſſe ex parte ſolius divinæ voluntatis, quæ unum peccatum imputet ad pœnam mortis, & aliud non, ita ut nulla offenſa Dei ſit venialis, ut male docet Gerſon Tract. *de vita ſpiritual.* Lect. I. & cum eo Almainus; quia hæc opinio vel nulla eſt, vel eſt affinis opinioni Pſeudoreformatorum iam confutatæ; & quia ſi gravitas peccati a ſola Dei voluntate repetatur, non poſſemus peccatum mortale a veniali diſcernere, ac ſemper eſſemus incerti, an Deus hoc vel illud peccatum venia dignum iudicaret. Tandem quia Sancti PP. cum de levitate peccati loquuntur, non recurrunt ad Dei voluntatem; ſed vel ad defectum conſenſus, vel ad materiæ levitatem, & ſimilia. 3. Neque pariter repeti valet ex eo quod mortale ſit contra præceptum, veniale vero contra conſilium; quia peccatum eſt violatio alicuius obligationis, & legis; ubi enim non eſt lex, nec peccatum eſſe poteſt, quod dici nequit de conſilio, utpote quod præciſe ut tale nec obligationem adducit, nec habet vim legis, ſed proponitur ut aliquid libere amplectendum, ac proinde non peccat, qui agit contra conſilium. 4. Nec etiam repeti poteſt ex eo quod mortale ſit contra legem, veniale vero præter legem; quia peccatum omne etiam veniale adverſatur rationi, ac ideo legi æternæ, unde mendacium etiam leve prohibetur hoc præcepto, *nolli mentiri*. Omne mendacium dixit quidem pluries S. Thomas veniale eſſe præter legem; ſed hoc dixit quia peccatum veniale non eſt ita contra legem, ut finem legis evertat; non enim rumpit charitatem, quæ eſt plenitudo legis; non cenſuit igitur S. Thomas, peccatum veniale nulla lege interdici; nec tandem repeti ex eo, quod mortale verſetur circa ultimum finem, veniale vero circa ea, quæ ſunt ad finem, ut adulterium, homicidium, & ſimilia; immo & quædam venialia verſantur circa finem, ut motus parum deliberati infidelitatis, vel diffidentiæ de Deo, &c. Peccatum igitur mortale, & veniale ex natura rei differunt.

Ve-

Verum ad pleniorem huius rei elucidationem, peccatum in triplici ſenſu dici poteſt veniale iuxta S. Thomam 1. 2. q. 88. art. 2. primo ab eventu; quia per pœnitentiam veniam conſequitur, & in hoc ſenſu etiam mortale dici poteſt veniale. 2. dicitur veniale; quia non habet in ſe, unde veniam non conſequatur, vel in toto, vel in parte. *In parte* quidem quando habet in ſe aliquid diminuens culpam, ut cum fit ex infirmitate, vel ignorantia, & hoc dicitur veniale ex cauſſa. Sic e contra peccata in Spiritum Sanctum, ſcilicet ex plena cognitione, & obſtinatione commiſſa, venialia non ſunt; quia non habent in ſe cauſſam obtinendæ veniæ, ut alibi S. D. 3. *In toto* veniale dicitur ex eo quod non tollit ordinem in ultimum finem, ideſt non avertit a charitate Dei, & ſic non meretur pœnam æternam, ſed temporalem; & in hoc tertio ſenſu peccata quæ vere, ac proprie venialia dicuntur, ab aliis peccatis differunt, quæ dicuntur mortalia.

Tripliciter autem peccatum aliquod poteſt eſſe veniale in tertio dicto ſenſu. 1. ex genere ſuo; quia quantumcumque creſcat circa propriam materiam & obiectum, non poteſt ex illo habere, unde fiat mortale, niſi ad aliam ſpeciem tranſeat, ideſt niſi gravitas ab extrinſeco mendicetur. Talia ſunt iocoſa mendacia, verbum otioſum, & ſimilia, quæ ſi nullam aliam habeant admixtam ſpeciem malitiæ, venialia ſemper remanent. Ex oppoſito tamen mortale ex genere ſuo eſt illud, quod intra ſuam ſpeciem manendo, & independenter ab alio, eſt quid grave. Peccatum veniale eſt 2. ex levitate materiæ, quæ ſi magna eſſet, peccatum mortale fieret; tale eſt furtum rei exiguæ. 3. in materia de ſe notabili, veniale eſſe poteſt ex defectu plenæ advertentiæ. Quare deduci poſſunt tres regulæ. 1. ex parte præcepti graviter vel leviter obligantis. 2. ex quantitate materiæ 3. ex perfectione, vel imperfectione deliberationis. Pro clariori tamen ac faciliori rei intelligentia.

Nota 1. gravem levemque præcepti obligationem colligendam eſſe ex Scriptura, ſi in ea contineatur. Unde ſi dicat peccatum aliquod eſſe abominabile, execrandum, horribile, dignum morte, excludens a Regno Dei; ſi dicat *væ illud facienti*; concludendum eſt, inhibitum eſſe graviter; quando vero mitius loquitur, colligitur eſſe tantum veniale, ut cum dicit Apoſtolus de ſtultiloquiis, *ea ad rem non pertinere*. Si autem obligationis quantitas non contineatur in Scriptura, aut in aliqua lege poſitiva, recurrendum eſt ad iudicium naturale, ſeu ad dictamen conſcientiæ: unde ſi ratio dictet, aliqua graviter adverſari honeſtati, eſſe multum aut Deo aut proximo iniurioſa, & nociva, pro mortalibus habenda ſunt; ſin minus pro venialibus, ad quod non parum conferre poteſt tum conſenſus Patrum, tum iudicium Doctorum, & timoratorum. Si quis igitur rem graviter vetitam fecerit, aut graviter præceptam omiſerit cum ſufficienti deliberatione, & advertentia, cenſendum eſt graviter peccaſſe; ſin minus leviter. Item ſi illud quod præcipitur, vel inhibetur ſit materia gravis, illud facere vel omittere eſt peccatum mortale; ſi materia levis, tantum veniale; quia cenſendus eſt Legislator nonniſi iuxta materiæ gravitatem voluiſſe obligare. Unde quando Scriptura damnat quædam peccata tamquam mortalia, non intendit propterea, non poſſe fieri venialia defectu ſufficientis materiæ. Nemo enim dicet furtum quod ex genere ſuo eſt mortale, remanere mortale, ſi ſit tantum paucorum ſolidorum.

Nota 2. materiæ levitatem non eſſe iudicandam ex comparatione ad materiam totalem: fieri enim poteſt, ut aliquid ſit centeſima pars materiæ totalis, & adhuc ſit in ſe materia gravis, ut patet in nummo aureo, qui licet ſit tantum centeſima pars centum aureorum, qui ne quidem ſunt materia totalis furti, cum hæc poſſit eſſe mille aureorum, & plurium etiam; tamen eſt materia furti mortalis. Quare materiæ levitas iudicanda eſt ex eo, quod non conducat ad finem legis gravem: Si enim ad talem finem conducat, ſive interim ſit pars tertia, aut quarta, ſive centeſima &c. reſpectu materiæ totalis, cenſetur materia gravis, & ſufficiens ad mortale. Hinc laborans per tres horas in die feſto peccat mortaliter, ſicut qui omittit nocturnum matutini; nam licet tres horæ ſint pars octava diei, & nocturnus tertia pars matutini, ſunt tamen ſecundum ſe ad finem legis materia notabilis. E contra vero laborans per quadrantem, aut omittens Pſalmum parvæ horæ; quia ſunt ad finem legis materia levis, peccat ſolum venialiter.

Quando autem materia graviter vel leviter ſe habeat ad finem legis, colligendum eſt 1. ex communi Doctorum conſenſu, qui ſæpe plus valet in moralibus, quam ipſa ratio: nemo enim dicet ſola ſpectata ratione, modo eodem verba parvulæ horæ quæ

quar-

quarta parte quadrantis abſolvitur, ſicut & pauca verba in Canone Miſſæ ad finem legis notabiliter conducere, niſi id communis Eccleſiæ & Doctorum ſenſus decernat. 2. ex eo quod multum vel parum advertetur fini legis neceſſario. 3. ex certis circumſtantiis; ſic furtum acus poteſt notabiliter conducere ad finem legis non furandi, ſi eius ablatione grave proximo damnum inferatur.

Nota 3. parvitatem materiæ non dari in iis peccatis, quæ directe contra Deum committuntur v. g. in odio, aut contemptu Dei, in blaſphemia, ſimonia, periurio aſſertorio, ſuperſtitione, infidelitate, deſperatione; cum in illis peccatis, non obſtante quacunque materia apparenter parva, reperiatur integra ratio, ac veluti tota quantitas irreverentiæ & deformitatis; nam quidquid in Deo oderis & contempſeris indigne verbo, aut facto tractaveris, irreverenter in infinitam eius bonitatem te geres. Item quamcumque minimam propoſitionem a Deo revelatam negaveris, aut ipſum in teſtem rei minimæ falſæ adduxeris, mendacii ipſum capacem efficis; quamcumque tandem ſimoniam committas, æſtimas practice rem temporalem, puta pecuniam, dignum eſſe rei ſpiritualis pretium, & ita magnam rei ſpirituali iniuriam infers.

Datur vero in aliquibus peccatis materiæ parvitas v. g. in illis, quæ ſunt contra charitatem aut iuſtitiam proximo debitam, & iuſtitiæ humanæ affinia, ſicut etiam in quibuſdam contra Religionem; quia in illis nec eſt, nec reperitur moraliter integra offenſionis ratio, ut patet in furto unius nummi, in violatione voti de una *Ave Maria*, & ſimilibus. Si plurium autem peccatorum leves ſeu parvæ materiæ moraliter inter ſe coaleſcant, ſive ſecundum ſe ipſas, ſive ſecundum effectum ab ipſis productum, materiam gravem conſtituunt; quia licet materia ultimi peccati ſecundum ſe levis ſit, ratione tamen moralis collectionis cum præcedentibus magna cenſetur una cum aliis, & notabilis. Quod ſi plures materiæ leves non habeant inter ſe connexionem, unde vel ratione ſui, vel ratione effectus non coaleſcant in unum grave, (quia nequeunt plura unum in genere moris efficere, niſi in genere moris connectantur) nequeunt unum grave conſtituere. Unde Clericus, vel Beneficiatus, qui ſingulis diebus unum vel alterum verſiculum in Horarum recitatione omitteret, artifex qui tantiſper ſingulis feſtis operi ſervili vacaret &c. quia hæc, & ſimilia præcepta reſpiciunt ſingulos dies in particulari, ac unoquoque expirante expirat obligatio, ac proinde materia peccati unius diei non coniungitur cum materia peccati alterius diei; hinc ſingulæ materiæ remanent leves & parvæ, ac proinde inſufficientes ad mortale; ex oppoſito vero ſemper plura pauca in materia iuſtitiæ quandocumque quis furetur, coaleſcunt in unum; quia ſemper committuntur contra idem præceptum, quod ſucceſſive ſine ulla interruptione ligat, ne unquam damnum etiam leve alteri inferatur; idcirco hæc plura pauca pervenire poſſunt ad materiam gravem.

Nota 4. quod tam peccatum mortale, quam veniale dividuntur in peccatum, quod eſt tale per ſe, & ex genere ſuo, & in peccatum, quod eſt tale per accidens. Peccatum mortale per ſe, ſeu ex genere ſuo eſt illud, quod cum ex ſe graviter opponatur charitati Dei, & proximi, quam deſtruit, habet malitiam ex obiecto ita per ſe gravem, ut manendo intra propriam ſpeciem ſine interventu malitiæ alterius generis, ſcilicet abſque eo quod tranſeat ad aliam ſpeciem peccati, fieri poteſt, & de facto eſt mortale. Omnia enim peccata, quæ graviter adverſantur Deo, & proximo, ex genere ſuo ſunt gravia, & talia dicuntur, quæ ſunt contra fidem, ſpem, charitatem, & iuſtitiam. Peccatum vero veniale ex genere ſuo illud eſt, quod cum ex ſe, ſeu ex natura ſui non opponatur ſaltem graviter charitati Dei, & proximi, dum manet intra propriam ſpeciem, ideſt illi non ſuperveniat malitia alterius rationis, numquam poteſt eſſe mortale, ut ſimplex mendacium, verbum iocoſum, & ſimilia. Peccatum vero mortale, aut veniale per accidens eſt, quando ex aliqua ſibi adiuncta circumſtantia peccatum mortale fit veniale, & veniale fit mortale. Hiſce prænotatis ſit.

Peccatum ex genere ſuo mortale per accidens poteſt tranſire in veniale, ideſt in peccatum tale, quod licet ex obiecto grave eſſe poſſit, de facto tamen ob alicuius circumſtantiæ interventum grave non ſit, & hoc ex triplici capite fieri poteſt: ſicut enim ad mortale requiritur perfecta advertentia, plena deliberatio & conſenſus, materia gravis; ita deficiente quolibet ex iis, deficit in peccato malitia mortalis: eſt communis Doctorum cum S. Thoma 1. 2. q. 88. art. 6. & ratio eſt, quia cum gradus malitiæ mortalis attendatur ſecundum gradum cognitionis, ſeu ad-

ver-

vertentiæ, & liberi, & ſecundum gradum violationis legis, alteruter ex duobus prioribus ſi deficiat, vel leviter lex offendatur, malitia peccati ita imminuitur, ut non ſufficiat ad mortale. Hinc defectu cognitionis ac advertentiæ excuſari ſolent. 1. Infantes ſeptennio minores; quia tunc præſumuntur ſufficientem rationis uſum non habuiſſe. 2. Semiſtulri, Semidormientes, item qui dubitant an ſufficienter a ſomno excitati eſſent, an egerint in phreneſi &c. quia qui ex plena advertentia agunt, ſatis ſciunt ſe a ſomno excitatos fuiſſe; ita Sylvius; niſi forte mora temporis oblivionem induxerit. Hinc ſæpe dictum eſt, motus primo primos, qui præter omnem mentis advertentiam inſurgunt, nec ullatenus a voluntate pendent, non eſſe ſecundum ſe culpabiles; motus vero ſecundo primos, qui aliquam, ſed imperfectam habent advertentiam, ſufficere quidem ad venialem culpam, non autem ad mortalem; motus denique ſecundo ſecundos, quales ſunt in vigilante, & plene ſui compote non excuſari a mortali, quando tamen materia ſit gravis. Ade, quod ad mortale non requiratur illa advertentiæ ſpecies, quam aliqui vocant perfectiſſimam, qua non tantum res, ſed etiam effectus, motiva, media perſpicue deteguntur, & diu ponderantur; nam ſi hæc advertentia eſſet neceſſaria, pauci ex iis præcipue qui rudes ſunt, aut agunt ex paſſione, vel præcipitanter, mortaliter peccarent; ſed perfecta requiritur, & ſufficit advertentia, quam alibi deſcripſimus. Ex defectu pariter pleni conſenſus excuſantur a mortali ii omnes, qui excuſantur defectu advertentiæ, cum advertentia ſit principium ac regula conſenſus. Signa vero & indicia imperfecti conſenſus iam antea ſunt expoſita. Defectu tandem ſufficientis materiæ quædam peccata excuſantur a mortali, quædam non; quod ut intelligatur.

Notandum, peccatum mortale duplicis eſſe generis: aliud eſt mortale ex toto genere ſuo, aliud eſt mortale ex genere ſuo, ſed non toto. Prius eſt illud, cuius materia quoad omnes eius partes ita gravis eſt, ut nulla ex iis ſine gravi deordinatione auferri & violari queat. Peccata huiuſce generis poſſunt quidem eſſe venialia ex imperfectione advertentiæ, & conſenſus, nunquam vero ex levitate, ſeu parvitate materiæ; & inter peccata huiuſcemodi conditionis recenſentur ea primum, quæ ſunt immediate contra Deum, ut odium Dei, blaſphemia, periurium, etiam in re levi, contemptus directus ſupremi Numinis, infidelitas, peccata contra ſpem Theologicam, magia, ſuperſtitio expreſſum habens pactum cum Dæmone, ſimonia, fractio Sigilli Confeſſionis. 2. Peccata quædam contra proximum, ut homicidium iniuſtum, abſciſſio iniqua membri, duellum intentatum. 3. Denique peccata quædam contra nos, ut ebrietas, delectatio venerea extra coniugium, pollutio, aliæque culpæ venereæ. Hæc omnia ob materiæ parvitatem nunquam excuſantur a mortali; quia in iis omnibus ſemper occurrit gravis irreverentia contra Deum, proximum, aut ſeipſum. Unde proſcripta fuit ab Innocentio XI. ſequens propoſitio, quæ numero eſt 24. *Vocare Deum in teſtem, mendacii levis non eſt tanta irreverentia, propter quam velit, aut poſſit damnare hominem*. Item hæc alia ab Alexandro VII. numero 40. *Eſt probabilis opinio, quæ dicit eſſe tantum veniale oſculum habitum ob delectationem carnalem, & ſenſibilem, quæ ex oſculo oritur, ſecluſo periculo conſenſus ulterioris, & pollutionis*.

Peccatum vero mortale ex genere ſuo, ſed non toto eſt illud, cuius materia gravis non eſt, niſi ſit in certa quadam quantitate, & peccata huiuſmodi poſſunt ob materiæ parvitatem fieri venialia. Sed ad hoc ut prudenter iudicetur, quænam materia ſit gravis, quænam levis, hæc non abſolute tantum eſt conſideranda, ſed cum omnibus circumſtantiis, & maxime cum relatione ad finem præcepti, vel cum connexione, quam ſive ſecundum ſe ipſam, ſive ſecundum effectum ab ipſa productum habet cum materia præcedenti eiuſdem rationis. Hæc enim relatio, ſicut & connexio, aliquando materiam ex levi gravem efficiunt; quia licet materia ultimi peccati ſit ſecundum ſe levis, ratione tamen connexionis moralis cum præcedentibus cenſetur una cum aliis magna & notabilis. Hinc 1. Adam comedendo fructum vetitum mortaliter peccavit; quia licet comeſtio in ſe eſſet aliquid leviſſimum, erat tamen graviſſimum in intentione Legiſlatoris, qui creaturæ ſuæ ſubiectionem hoc obedientiæ actu ſignificari volebat. Similiter peccat mortaliter & ille, qui aureum furatur proximo licet diviti, & qui dum vovit dare viginti argenteos eleemoſynam pauperibus, dat ſolummodo quindecim; quia uterque graviter tranſgreditur legis, ac voti intentionem, eo quod una intendit, ne proximus lædatur, altera, quod votum elicitum impleatur in paupere, iuxta ſtatutam menſuram eum ſublevando. Neu ter vero operatione oppoſita communiter loquendo

do peccaret, ſi vel furaretur denarium, vel aliquid tantum aſſis dare omitteret pauperibus. Hinc 2. graviter peccat, qui die ieiunii pauca ſæpius comedit, qui in die feſto ſæpe per modica intervalla temporis elaborat &c. qui ſingulis alternisve menſis diebus aſſem, vel unciam furatur &c. quia illa paucula moraliter connectuntur, atque tandem in unam ſummam totalem coaleſcunt, quæ cum gravis ſit, gravis peccati materia eſſe debet. Hinc 3. e contra ſolummodo venialiter peccat, qui ſingulis feſtis per horæ quadrantem laborat, qui aliquibus diebus ieiunii, puta etiam per totam quadrageſimam quotidie paucula comedit &c. quia præcepta non laborandi diebus feſtis, ieiunandi in quadrageſima, afficiunt ſingulos dies in particulari, & una cum die expirant. Unde qui hodie peccat, tranſgreditur præceptum, quod hodie viget, non quod heri obligabat. Idemque dicito ob eamdem rationem de ſingulis huiuſce generis præceptorum tranſgreſſionibus.

Peccatum itidem ex genere ſuo veniale fieri poteſt mortale per accidens; & ad hoc ſatis eſt, ut actioni de ſe venialiter malæ aut etiam indifferenti addatur circumſtantia mortaliter mala, quæ tamen debet eſſe ex his, quæ ſpeciem mutant, nempe gravem deformitatem alterius generis afferendo. Et hoc non difficiliter fieri poteſt, & identidem, immo tota die hoc contingit in ſex caſibus: primo ſi ex erronea conſcientia, aut dubia credatur vel dubitetur id eſſe mortale, quod eſt tantum veniale, ut ſi quis dum iocoſe mentitur apprehendat in eo gravem malitiam, vel dubitet, an ſit gravis: error enim, quo creditur eſſe mortale quod non eſt mortale, ex conſcientia ligat ad peccatum mortale, ut ex S. Thoma Quodlib. q. 7. art. 15. & qui operatur cum conſcientia dubia, voluntarie ſe exponit periculo peccandi. 2. ratione finis; & hoc dupliciter contingere poteſt, vel quia actione leviter peccaminoſa quis ſibi proponat finem mortaliter malum, ſeu illam efficiat ob finem mortaliter malum; puta ſi quis eleganter ſe ornet, ut alliciat aliquem ad carnalem concupiſcentiam, cum media imbibant malitiam finis ad quem referuntur; vel quia in obiecto illius actionis conſtituat ſuum ultimum finem, ſive directe & formaliter, ut cum is ex errore intellectus exiſtimat tale obiectum eſſe ſuum ultimum finem, & ut ad talem defert honorem, vel indirecte, virtualiter, & interpretative, hoc eſt quod taliter obiectum illud diligat, ut ob illud non recuſet committere peccatum mortale, ideſt peccans ita ſit affectus, ut id quod facit faceret etiam ſi ſciret illud eſſe peccatum mortale. Hoc enim contingit quando v. g. avarus eſt ita affectus ad pecuniam, mulier ad ſe ornandum, ut neuter dubitaret oblata occaſione potius committere peccatum mortale, quam unum carere pecunia, non indulgere alteram vanitati; & tunc eſt quando dicitur veniale fieri mortale ratione pravæ diſpoſitionis. Cæterum notandum, ad hoc ſatis non eſſe, quod committens veniale feratur nimis intenſo affectu in obiectum eius; ſed tunc illud evenit, quando quis ex affectu committit peccatum ex genere ſuo veniale, ut vellet illud committere etiam tranſgrediendo præceptum obligans ſub mortali. Et ſic intelligitur affectus ille qui ita inordinate afficiatur ad fabulas, ludum, verba otioſa, & huiuſmodi, ut malit die feſto Sacrum amittere, quam illis privari. 3. ratione gravis ſcandali, quod quis prævidit, aut prævidere potuerit & debuerit ex ſuo peccato ſecuturum, ut ſi ex tali peccato, ideſt ex veniali irriſione alterius, ut prævilum fuit, præbeatur ei occaſio blaſphemandi, vel gravis iræ, aut ſi quis verba iocoſa proferat præcognoſcens alios excitandos ad verba inhoneſta. 4. ratione formalis contemptus regulæ, mandati, legis ſui Superioris, vel ipſius Superioris & Legislatoris; quia hoc cedit in dedecus poteſtatis Legiſlatoris Divini & humani; qui enim Superiores ſpernit, ipſum Deum ſpernit; idemque ſentiendum de contemptu conſiliis Divinis. Hic tamen notandum cum Angelico D. 2. 2. q. 136. art. 9. & aliis communiter, quod tunc aliquis tranſgreditur præceptum ex contemptu, quando voluntas eius renuit ſubiici ordinationi legis vel regulæ ſui ordinis, & ex hoc procedit ad faciendum aliquod contra legem ſeu regulam; ideſt contemptus formalis tunc fit, quando contemptus præcepti eſt cauſa illius peccati committendi: atque ideo quis præceptum violat, quia ipſi, aut Superiori præcipienti ſubiicere ſe non vult. Quare contemptus formaliter & directe cadit contra legem ac Legiſlatoris ſuperioritatem, & exinde peccatum ex veniali redditur mortale. 5. ratione periculi proxime incidendi in mortale, quod quiſque ſub mortali vitare tenetur; & tunc quis tali periculo cenſetur ſe exponere, quando ſine ſufficienti cautela, aut neceſſitate aliquid facit, per quod in peccatum mortale labitur, vel in proximum periculum peccandi mortaliter; ut quando quis otioſe colloqui-

loquitur cum fœmina, dum ſatis expertus eſt, ex his colloquiis ſe ſæpe in peccatum mortale incidiſſe. Sic enim ex hoc convincitur velle committere peccatum mortale. Idemque dicito de illo, cui ludus de felicitus proxima eſt occaſio peierandi, aut blaſphemandi. 6. ratione multiplicationis materiæ, quæ tandem coaleſcit in unum totum ſufficiens ad mortale peccatum, ut patet in furto, ſicut iam paulo ante diximus.

Quæritur hic ab aliquibus, num peccata venialia fiant ex conſuetudine mortalia. Et Panormitanus cum aliis celeberrimis Canoniſtis exponens verba iſta quæ Gratianus refert cap. 1. Diſt. 25. ex S. Auguſtino; *nullum peccatum eſt adeo veniale, quod non fiat criminale dum placet*; exiſtimavit, peccata venialia ex conſuetudine fieri mortalia. Interpretatur enim verba *dum placet* ideſt dum in conſuetudinem vertitur: idcirco, concludit Panormitanus, Religioſos mortaliter peccare etiam in levioribus obſervantiæ ſuæ defectibus, ſi illos in conſuetudinem trahant. Licet ſententiæ huic ſavere videatur S. Auguſtinus dicens Serm. 41. de Sanctis, *iracundiam ſi longo tempore teneatur, & ebrietatem ſi aſſidua ſit, in numero mortalium peccatorum eſſe computanda*: reſpondet tamen S. Thomas, quem communiter ſequuntur Theologi, quod nec diuturnitas, nec frequentia, vel aſſiduitas actus trahunt illum ad novam ſpeciem deformitatis, & conſequenter non reddunt illum de peccato veniali mortale, niſi ex multiplicatione, vel diuturnitate ſuperveniat aliquid, quod ſpeciem mutet, puta propter contemptum, inobedientiam, vel aliquid aliud. Hæc regula tenenda eſt pro peccatis, quæ ex genere ſuo ſunt venialia. Quod ſi agatur de peccatis, quæ ex genere ſuo ſunt mortalia, & fiunt venialia per accidens, ideſt ex imperfectione actus, puta defectu ſufficientis advertentiæ, & deliberationis, alia regula ſtatuenda eſt. Peccata ſiquidem ex defectu ſolum deliberationis venialia, frequentia & aſſiduitate tranſeunt in mortalia; quia ut inquit S. Doct. redeunt ad naturam ſui generis per rationis conſenſum. Nam quomodo dici poterit, aliquem actum ex indeliberatione fieri, cum diu durat, vel cum frequenter & aſſidue committitur? & ſic explicat S. Doct. D. Auguſtini mentem circa iracundiam, quæ cum fertur in magnum proximi nocumentum, eſt mortalis culpa, ſi diu duret; quia tunc non poteſt excuſari per defectum deliberationis; cum tamen in primo motu potuerit eſſe ſolum venialis. Item ebrietas, quæ prima vice potuit per infirmitatem vel ignorantiam excuſari, ne eſſet mortale peccatum; quia vel ignorabatur virtus vini, vel non erat adhuc comperta complexionis infirmitas, ex aſſiduitate iudicatur abſque ullo prætextu mortale peccatum; quia tunc redit ad naturam ſui generis, ſecundum quod eſt mortale. Non enim locum habet amplius excuſatio, quando habeatur experientia virtutis vini, & proprii cerebri infirmitatis. Unde regula illa, quod tamquam S. Auguſtini affert Gratianus, non eſt intelligenda de omni eo quod placet, alias omnia venialia eſſent mortalia, cum quodlibet veniale placeat, utpote quod ſit voluntarium; ſed intelligenda eſt, de eo quod placet in venialibus non ex genere ſuo, ſed ex indeliberatione, ideſt per accidens, vel de eo quod ita placet ſicut ait S. Auguſtinus, ut in illo finem noſtrum conſtituamus, parati potius Dei gratiam amittere, quam illius boni voluntatem deſerere. Ita interpretatur D. Auguſtinum Fagnanus in Cap. *a Crapula de vita, & boneſt. Cleric.*

§. V.

De differentia eſſentiali peccati Mortalis, & Venialis.

Peccatum mortale & veniale, ſive talia ſint ex genere ſuo, ſive per accidens, certum eſt, ut conſtat etiam ex dictis, in eorum malitia, ſpecie, ſeu eſſentialiter inter ſe differre; ita ut malitia peccatis mortalis ſit eſſentialiter diverſa a malitia peccati venialis, ut tenet de fide Eccleſia Catholica contra Novatores, qui iuxta inſanam Stoicorum Philoſophiam nullam in peccatis, agnoſcunt intrinſecam differentiam, ſed omnia peccata dicunt eſſe mortalia; nec ſecus peccata iuſtorum venialia, niſi quia illis per Divinam miſericordiam non imputantur. Hunc errorem perpetua evertit, ac deſtruit humana traditio, qua conſtat levia quædam quotidiana peccata nec iuſtitiam, nec ſanctitatem deſtruxiſſe, nec æternam meruiſſe damnationem. Hæc levia, & quotidiana peccata non incompatibilia cum iuſtitia & ſanctitate agnoverunt etiam in viris Sanctis Patres Milevitanæ Synodi II. Can. 7. 8. anno 416. & anathemate eos damnarunt, qui auſi fuerint viros Sanctos ab his levibus, & quotidianis peccatis excuſare. Non omnia igitur peccata ſunt eiuſdem rationis, ſed dantur quædam peccata levia ſeu venialia compatibilia cum Divina Charitate & iuſti-

iuſtitia, & ſanctitate, quæ idcirco differunt a mortalibus, non quia a Divina miſericordia non imputentur eis, qui illa committunt, ſed quia ex intrinſeca eorum natura non ſunt mortalia. Hanc Milevitani Concilii definitionem confirmavit, ac innovavit etiam Concilium Tridentinum Seſſ. 6. Cap. 11. & Can. 23. Hoc quoque probat perpetua Eccleſiæ praxis, qua videmus, levia quædam & quotidiana peccata ab aliis gravioribus fuiſſe diſtincta, nec ſicut illa graviora peccata pœnitentiæ rigoribus fuiſſe addicta, ſed leviori quadam ſatisfactione purgata, humili nempe pectoris tunſione, orationis Dominicæ recitatione, ieiuniis, eleemoſynis, aliiſque piis operibus. Hanc praxim indicat inter alios S. Auguſtinus homil. 50. inter quinquaginta. Dicit enim de illis peccatis, quod letbali vulnere non feriunt animum, ſicut homicidium & adulterium, idcirco non dicenda ſunt mortalia ſicut homicidium, & adulterium: & equidem malitia peccati mortalis differt ſpecie, & eſſentialiter a veniali, quia illa ſola opponitur ultimo fini, & deſtruit charitatem. Peccatum ſiquidem mortale eſt Dei contemptus ſaltem virtualis, & interpretativus; quia peccatum mortale eſt prædilectio, ſeu prælatio Creaturæ præ Deo, & averſio a Deo, tamquam a fine ultimo, atque adhæſio Creaturæ, tamquam fini ultimo. Inſuper ſicuti mortaliter peccans graviter legem Dei violat, ita ius Divinum graviter violat cum gravi illius iniuria. Unde cenſetur contemnere ipſius maieſtatem, amicitiam, dominium & auctoritatem, ut Iſaiæ 1. de iis ipſe Deus conqueritur, *ipſi ſpreverunt me*; Immo cum mortaliter peccans faciat peccando ob aliquod creatum bonum id, quod privat amicitia & poſſeſſione, Dei eligit frui potius creatura quam Deo, quod eſt altiſſime Deum contemnere. Nullum autem horum omnino fit a culpa veniali, utpote quæ eſt ſolum levis divinæ legis tranſgreſſio, ac ideo levis ipſius offenſio, idcirco non eſt digna privatione gratiæ & amicitiæ Dei. Quamobrem peccatum mortale in duobus eſſentialiter conſiſtit, & in iis ratio, ſeu natura ſolius peccati mortalis concipitur; nempe in averſione a Deo, & in converſione ad Creaturam: peccatum vero veniale in ſola converſione ad Creaturam, ſalvo tamen ordine ad Deum, ut ad ultimum finem. Etenim ſi ratio principii eſſentialiter conſtitutivi importat, ut ſit illud primum, quod in re qualibet intelligitur, & ex quo cætera fluunt, profecto eſſentiale conſtitutivum ſolius peccati mortalis eſt, & dici debet averſio a Deo, & converſio ad Creaturam tamquam ultimum finem; utpotequod revera ſit illud primum, quod in ſolo peccato mortali, & nullatenus in veniali intelligitur, & ex illo tamquam ex radice cætera mala, ut ipſi propria, procedunt, ac fluunt. Nam mortalis culpa ea eſt 1. quæ tamquam cauſſa parit in peccatore averſionem a Deo, ſolvit Dei amicitiam, deſtruitque in ipſo peccatore charitatem, quæ eſt ipſa unio cum Deo, a quo averſio illa ſeparat. Deinde Charitas cuncta ad Deum ordinat: econtra vero ex averſione ſequitur amor ſui, per quem peccator omnia ad ſe convertit. 2. averſio a Deo inducit mortem animæ, a qua peccatum mortale dicitur; *Sicut enim expirat corpus* ait D. Auguſtinus Serm. 61. alias 5. de Verbis Domini *cum animam amittit; ita expirat anima, cum Deum amittit*. 3. illa averſio, quatenus hominem privat Deo, malum incurrit quodammodo infinitum, tantum enim æſtimatur malum, quantum eſt oppoſitum bonum, quo privamur. 4. ex averſione a Deo ſequitur inordinatio per ſe irreparabilis; quia deſtruit principium vitæ, quod eſt charitas, ac proinde ordinem ad ultimum finem, ut ex S. Thoma 1. 2. q. 72. art. 5. Quinto ex averſione a Deo oritur infinita Dei offenſa; cum peccator per illam auferat Deo (ſaltem quoad affectum) rationem ultimi finis, ut eam viliſſimæ conferat Creaturæ, in qua ſaltem implicite conſtituit ſuum ultimum finem; *Qui pro fine habet aliud, illud eſt Deus ſuus*, ait D. Thomas lect. 3. in Cap. 3. Epiſt. ad Philip. Sexto cum ex averſione a Deo offenſa exurgat infinita, ex eadem ſequitur reatus quoque pœnæ infinitæ; etenim ſecundum iuſtitiæ leges pœna reſpondet offenſæ. Quare levia peccata ex hoc venialia ſunt, & nequaquam mortalia, quia non avertunt peccatorem a Deo, & Charitatem non deſtruunt; cum enim peccatum veniale ſit converſio ad bonum commutabile & inordinatus affectus ad creaturam, ſed ſalvo ſemper ordine ad Deum ultimum finem, opponitur tantum gratiæ actuali, quæ eſt motio ſupernaturalis in Deum. Unde malum, quod ſequitur ex peccato veniali, non eſt niſi privare hominem non habituali charitate, ſed actuali ipſius motione, quæ non eſt bonum infinitum, licet ſit ſuperioris ordinis, & plus timenda ſit eius iactura, quam cuiuſcumque rei naturalis.

Dixi *ſalvo ordine ad Deum, ut ultimum finem*; quia homo per peccatum veniale non aver-

Digitized by Google

avertitur ſimpliciter a Deo, neque ſuum ultimum finem in Creatura conſtituit; paratus quippe eſt illa quæ inordinate diligit & in quibus venialiter peccat, potius dimitere quam a Deo ſeparari. Hinc ex veniali non ſequitur reatus pœnæ æternæ, ſed tantum temporalis.

§. VI.

De affectionibus peccati Venialis, ſcilicet an ex multis venialibus fieri poſſit unum mortale, an veniale diſponat ad mortale, an veniale cauſſet maculam?

Quoad primum, ideſt num multa peccata venialia conſtituere poſſint unum mortale; certum eſt ex D. Thoma 1. 2. q. 88. art. 4. in corpore, & ex communi Doctorum, loquendo de ipſis malitiis venialibus formaliter ſumpeis, quantumvis illæ multiplicentur, ideſt quantumvis venialia peccata numero augeantur, nunquam hæc conſtituere unum peccatum mortale; quia licet per talem multiplicationem ſeu continuationem poſſint plures materiæ leves, puta parva furta conſtituere materiam gravem, & ſufficientem, ut ultimus actus furti, etſi levis, per connotationem præcedentium fiat gravis; plures tamen malitiæ veniales in ſe formaliter ſumptæ nequeunt uniri tamquam partes integrantes ad conſtituendum unum peccatum mortale; utpotequæ augeant malitiam ſolum extenſive, non intenſive. Unde hic attendenda eſt regula, quam generaliter tradit Vaſquez, nempe quod quotieſcumque materia, & obiectum ultimi peccati venialis moraliter continuari poteſt cum materia præcedentium, ultimum peccatum, in quo notabiliter materia completur, eſt mortale, quod alioquin eſſet veniale; hoc tamen fieri nequit, niſi obiectum ſeu materia ſit eiuſdem ſpeciei. Hinc qui multa vota emiſit pro eodem die cum propoſito recitandi pro ſingulis votis unam Orationem Angelicam, vel tradendi aliquam exiguam eleemoſynam, mortaliter peccaret, ſi uno die tantam quantitatem omittat, quæ notabilis cenſeatur; quia in his pluribus omiſſionibus licet ſigillatim levibus, violat eamdem virtutem, idemque præceptum religionis, ad quod ſpectant, ac proinde cum ſint eiuſdem rationis, ſeu ſpeciei, fit, ut omnes in unum coaleſcant; & ita ſimul ſumptæ fiant materia gravis tranſgreſſionis talis præcepti, & ſic ſufficiens materia peccati mortalis. Quando vero materia præcedentium peccatorum venialium non poteſt moraliter continuari cum materia ſequentium venialium, ultimum peccatum non eſt mortale; quia ſingulæ materiæ parvæ & diviſæ remanent abſque morali coniunctione, ac proinde ultimum peccatum retinet qualitatem peccati venialis. Inſuper per mortale peccatum homo privatur gratia, fit inimicus Deo, a quo avertitur tamquam ab ultimo fine; nihil autem horum habet veniale, ut ait Concilium Tridentinum Seſſ. 14. Cap. 5. ergo quantumvis multiplicentur, nunquam pertingere poſſunt ad malitiam peccati mortalis, nec ex ulla eorum multiplicatione fit ut ſint materia neceſſaria Confeſſionis; quod generaliter, & indeffinito dici non poſſet, ſi ex multis venialibus aliquando coaleſceret unum mortale. Sic Salmat. Tournely &c. Peccatum enim mortale & veniale diverſi ſunt generis, & ordinis; mortale quidem ordinis ſuperioris, veniale inferioris. Entia vero inferioris ordinis ſola ſui multiplicatione nunquam tranſeunt ad ordinem ſuperiorem, accidentia v. g. ad ſubſtantiam, corpus ad ordinem ſpiritus. Hinc ait D. Thomas, quod omnia peccata venialia totius mundi non poſſunt habere tantum de reatu, quantum unum mortale. Et ut notat Sylvius, hoc patet, & ex parte durationis pœnæ; nam mortale habet reatum pœnæ eternæ, & veniale ſolum temporalis; & ex parte pœnæ damni; mortale enim meretur privationem viſionis Beatæ, non autem veniale.

Quoad ſecundum vero, ſcilicet de venialium diſpoſitione ad mortale, certum pariter eſt, quod venialia, & per ſe, & per accidens diſponunt ad mortale; Ita S. Thomas 1. 2. q. 88. art. 4. ubi ait, quod multa venialia diſpoſitive cauſant mortale. Hoc patet ex Divina Scriptura, præcipue ex illo Eccleſ. 19. *qui ſpernit modica paulatim decidet*. quam ſententiam ſic interpretantur SS. Patres, nempe quod qui venialia negligit, paulatim fertur ad gravia ſeu mortalia, & in hoc ſenſu intelligendus eſt D. Auguſtinus, ubi explicat grave ex his ſpirituale damnum ſequi; nempe quod ſi non emendentur, diſponunt ac ducunt ad ſpiritualem animæ ruinam. Peccata enim venialia, notat Sylvius, minuunt fervorem charitatis, obicem ponunt Divinis illuſtrationibus, aliiſque actualibus gratiæ adminiculis, per quæ homo roborari poſſet contra ingruentes mortalium peccatorum tentationes, & hoc faciunt per ſe. Hinc addunt Theologi, merito timere debere, ne ſint extra ſtatum gratiæ, qui nihil, vel parum curant pecca-

ta

ta ſua venialia emendare, ab iiſque ſe abſtinere; quia voluntarie ſe exponunt in proximum mortalis peccati periculum, iuxta illud Eccleſiaſt. 27. *ſi non in timore Domini tenueris te inſtanter, cito ſubvertetur domus tua*. In hoc autem timore Domini inſtanter non ſe tenent, qui parum ſolliciti ſunt de continua eius offenſione. Et Apocal. 3. dicitur *quia tepidus es... incipiam te evomere ex ore meo*; ideſt ut explicat Dionyſius Carthuſianus; *quia es piger, acedioſus, & negligens, incipiam te evomere, ideſt mea ſententia reprobare*. Unde D. Hieronymus in cap. 52. Iſaiæ, *Tepidi* (inquit) *& dormientes pleni ſunt furoris Domini*. Huiuſcemodi autem cenſendi ſunt, qui peccata venialia nihili æſtimantes, nec minimam habent ſollicitudinem, ut hæc effugiant. Tales equidem ſunt Sacerdotes, qui Sanctum Miſſæ Sacrificium ſine ullo fervore celebrant, ut vix ullam præmittant præparationem ad tam excelſam, tremendamque actionem, hancque ſine ulla devotione animi, & nonniſi ex uſu, indecore, & præcipitanter peragunt; qui recitant Divinum officium fere ſemper in quadam quaſi continua diſtractione, utpotequi nullatenus curant attentionem in principio diſponere, & colligere; immo eam potius quærunt, oculos in tota pene officii recitatione quoquoverſum circumferentes; tot Religioſi, tum Iuvenes, tum provecti, qui nullum penitus ſtudium impendunt, ut in viam perfectionis quam profeſſi ſunt, progrediantur; immo longius quotidie recedunt molli & laxa eorum vita, quam miſere tranſigunt in otio, in vanis inutilibuſque colloquiis, in facetiis, curioſitatibus, in Sæculi etiam deliciis & oblectamentis, ut ne vix quidem cerni in ipſis queat vita minus quam ordinaria Chriſtiana, nedum Religioſa, quæ inceſſanter, ſicut ſolemniter vovendo profeſſi ſunt, proficere debet in Sanctitate; tot Chriſtiani Adoleſcentes, ne dicam viri; immo etiam Eccleſiaſtici, nonniſi mollitiem, otium, teporem redolentes, qui omni fere pietate ac devotione expertes, ita longe ſunt a retribuendo Sacris fidei Myſteriis vera Religionis officia, quin potius ſæpe ſæpius gravibus violant irreverentiis; cum non vereantur ſacris etiam Templorum locis debitum devotionis cultum denegare, quinimmo venerabili quoque altaris Sacrificio, licet Sacratiſſimum ſit noſtræ Religionis ac Redemptionis Monumentum, non minus immodeſte interſunt, ac ſi prophanis ſpectaculis adeſſent, ſedendo, vagando oculis huc illucque, identidem garriendo, & quandoque aliquid etiam iocoſi ſi non obſcœni ibi cum inſuſſurrent, vix Sacratam Victimam adorantes uno flexo genu, cum per manus Sacerdotis fidelium obſequiis elevatur. Quomodo hæc omnia, ſi tamen ſemper ſiſtant inter venialia, non erunt proximæ diſpoſitiones ad graves Chriſtianæ Moralis tranſgreſſiones, ideſt ad gravia peccata?

Quoad tertium tandem, ſcilicet an peccata venialia cauſent maculam, dicendum, venialia non cauſare maculam ſimpliciter, ſed ſecundum quid. Non cauſant maculam ſimpliciter, quia hæc importat privationem nitoris, qui oritur ex charitate, & gratia, quibus non privant venialia, cum iuſti tametſi peccent venialiter, adhuc iuſti dicantur. Cauſant vero maculam ſecundum quid, quæ eſt quævis deficientia rectitudinis in actu malo non retractato, quam ſolam importare poteſt, & de facto importat peccatum veniale. Idcirco iuſti cum conſequuntur huiuſce generis peccatorum remiſſionem, dicuntur ablui & mundari, quod dici nequit niſi de macula, qua afficiuntur.

§. VII.

De poſſibilitate vitandi omnia peccata Venialia.

Certum eſt de fide, neminem quantumvis iuſtum, ſine ſpeciali divinæ gratiæ privilegio vitare poſſe per totam vitam omnia ſimul peccata venialia, ut deffiniere Tridentini Concilii Patres Seſs. 6. Can. 23. his verbis; *Si quis dixerit, hominem ſemel iuſtificatum poſſe in tota vita, peccata omnia etiam venialia vitare, niſi ex ſpeciali Dei Privilegio, quemadmodum de Beata Virgine tenet Eccleſia; anathema ſit*. Gratiæ igitur communes, & ordinariæ, quas habent Sancti, non ſufficiunt ad illam integram puritatem obtinendam, niſi eis ſpeciale privilegium concedatur. Hinc ait ſapiens, quod *ſepties in die peccant, iuſti* quod intelligi nequit, niſi de venialibus, cum iuſti nomen convenire nequeat reo de mortali. Miſerrimam peccandi neceſſitatem expoſuit S. Auguſtinus. L. *de perfec. iuſti*. c. 4. docens, quod homo creatus fuerat in tanta rectitudine, ut eſſet quodammodo impeccabilis, ſicut erat immortalis, non ita ut non poteſt peccare, vel non poſſet mori; ſed ita ut poſſet non peccare omnino, & poſſet non mori. Verum cum ex libertate peccaſſet, ſubſecuta eſt pœnalis vitioſitas; ex libertate fecit neceſſitatem. Neceſſitatis huius rationem affert S. D. ibidem

Digitized by Google

dem ex impoſſibilitate intelligendi quod volumus, & perficiendi quod intelligimus, & volumus. Et hoc ob naturæ corruptionem, quam ſola Beatitudo totaliter extinguet. Impoſſibilitatem vitandi omnia ſimul peccata venialia, infert S. Thomas a frequentibus repentinis, innumeris, & continuis concupiſcentiæ aliarumque paſſionum motibus, ad quos omnes ſimul reprimendos non ſufficit rationis quantumvis perfectæ vigilantia. Dum enim, inquit S. D. 1. 2. q. 74. art. 3. ad 2. ab uno obiecto tentationis cogitationem ſuam homo divertit, repentinus motus ex alia parte inſurgit : dum luxuriæ motum reprimit, inſurgit motus vanitatis.

Nec inde ſequitur, hominem non eſſe liberum in vitandis peccatis venialibus ; quia licet non poſſit omnia ea ſimul vitare copulative, ſeu coniunctive, ita ut in unum aut in alterum non cadat ; poteſt tamen ſingula diſtributive in particulari vitare ; quia ſingulos concupiſcentiæ motus in particulari reprimere poteſt, quod ſufficit ad libertatem. Sic reſpondet Doctor Angelicus. Privilegium ſpeciale vitandi omnia peccata venialia certum eſt, inter omnes alios Sanctos conceſſum fuiſſe B. V. cum ita deffinierit Concilium Tridentinum cit. ſeſs. 6. can. 23. & ita declaravit olim etiam S. Auguſtinus Lib. *de Natura & Gratia* c. 36. & in ultimo ſuo Opere *de bono perſeverantiæ* videtur S. D. referre ſententiam hanc ad Eccleſiæ doctrinam.

Dixi *inter omnes alios Sanctos*, quia certe ſemper omnes homines quantumvis Sancti agniti fuere in Eccleſia levi peccato alicui obnoxii: ſic tradit cit. S. Auguſtinus ut Eccleſiæ doctrinam. Sic locuti ſunt Patres Concilii Milevitani in ſua epiſtola ad Innocentium Papam I. Quod in ſuo Concilio probaverant ex multis ſcripturæ locis, præcipue ex illo Pſal. 142. *Non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens*, & ex verbis Salomonis 3. Reg. 8. *Non eſt homo qui non peccet*; & tandem ex verbi Iacobi Apoſtoli : *In multis offendimus omnes*. Quare ſine ullo certe fundamento, ait Petrocorenſis hic, audent aliqui Sanctos aliquos eximios ab omni etiam veniali peccato exemptos prædicare ; non enim ex noſtra devotione mentienda eſt Sanctorum puritas, ſed ex Divina diſpoſitione per Eccleſiæ traditionem manifeſtata. Nulla profecto Sanctis hominibus laus confertur, ſi illam Divina auctoritas non recipiat. Cæterum non eſt incredibile ſecundum quorundam Theologorum ſententiam, Sanctos quoſdam eximios omnia peccata venialia vitaſſe, quæ pleno, & deliberato conſenſu fiunt, quæque ſunt ex genere ſuo venialia. Probabile pariter eſt, aliquos Sanctos omnia peccata venialia ex ſubreptione, & indeliberatione provenientia, in certa quadam materia vitaſſe, non tamen in omni. Unde credibile eſt, S. Ioannem Baptiſtam tanta vigilantia linguam ſuam cuſtodiſſe, ut nequidem veniale aliquod linguæ peccatum unquam commiſerit, ſicut etiam S. Ioſeph unquam nequidem venialiter contra Virginitatem peccaſſe. Forte plena puritas in una materia non excedit humanæ rationis per gratiam adiutæ vigilantiam; ſed in nulla unquam deficere materia non patitur humana infirmitas ſine ſpecialiſſimo divinæ gratiæ privilegio : quod alicui conceſſum ex proprio mero ſuo placito adſtruere, & aſſerere contra doctrinam Patrum non ſapit ſoliditatem perfecti Theologi : ita Petrocorenſis.

Quanto tempore perſeverare poſſit homo iuſtus ſine ullo veniali peccato, non conveniunt Theologi in hoc plane perdifficili negotio definiendo. Alii enim diem unum aſſignant; alii trium aut quatuor horarum ſpatium. Et equidem nemo in re hac quod certum ſit ſtatuere poteſt, præcipue cum in omnibus diebus, ac momentis non eadem ſit vigilantia. Quod conſtat, hoc unum eſt, Sanctos, qui duobus, vel tribus diebus in extaſi permanſerunt, per illud temporis ſpatium ſine ullo peccato fuiſſe. Igitur tenenda eſt regula auctoris quarumdam Homiliarum in Apocalypſim, quæ S. Auguſtino tribuitur, quod nec laici, nec Sacerdotes eſſe debeant una die ſine pœnitentia : quia ſicut nullus eſt dies, in quo homo poſſit eſſe ſine peccato, ita nullo die eſſe debet ſine ſatisfactionis remedio. Hæc eſt regula, quam tradunt omnes Sancti Patres, ideſt quod pro quotidianis peccatis quotidianam perſolvamus ſatisfactionem.

§. VIII.

De capacitate peccandi mortaliter in puero, eo ipſo quod ſit capax peccandi venialiter.

Verſatur quæſtio inter Theologos, num puer ex eo iſtanti, quo ſit capax peccandi venialiter, fiat ſimul capax peccandi mortaliter; & contra communem Thomiſtarum ſuſtinent quamplurimi, quod capacitas, quam initio uſus rationis acquirit puer ad ve-

veniale, non ſatis ſit ad contrahendum etiam mortale, ut inter alios propugnat P. Henno. Et ratio videtur maxime favere huic ſententiæ; nam certe uſus rationis non in inſtanti, ſed ſucceſſive per gradus paulatim acquiritur; alias dicendum eſſet, quod in primo inſtanti uſus rationis habilis deberet eſſe puer ad concipiendum, ſeu intelligendum ea omnia, quæ nonniſi per ætatis progreſſum, quo perfectiorem identidem rationis uſum adipiſcimur, percipere valet; quod univerſaliter loquendo minime fieri manifeſte demonſtrat ipſa experientia. Quis enim vidit unquam puerum in priori uſu rationis, ſcilicet in imbecilli ſua ætate tanta mentis acie pollere, ut ſcientias, aliaque perciperet, ſicut fit in adoleſcentia, & virilitate? Cum rationis diſcretio a priori ætate de die in diem augeri ſenſibiliter deprehendatur. Igitur univerſaliter, & ordinarie loquendo ratio in ſuo primo fulgore, nonniſi imperfecte eluceſcere incipit. Unde cum imperfectus uſus rationis aptum non reddat agentem, niſi ad veniale, & ad mortale perfectus requiratur, clare ſequitur, dari poſſe puerum, qui per aliquod temporis intervallum capax ſit ad ſolum veniale peccatum contrahendum, minime vero ad mortale. Quod vero rationis uſus ordinarie incipiat a gradu imperfecto, patet ex experientia. Nam ſi ratio, poſtquam cœpit eluceſcere, de gradu perfecto ad perfectiorem identidem progreditur, & eo ſemper magis ipſius uſus augetur uſque ad perfectam ætatem, & explicatur; uſus rationis in priori ſua radiatione plane nonniſi imperfecte eluceſcit, & ab hoc gradu imperfecto tranſit ad perfectum.

Inſuper pueri in priori crepuſculo rationis uſus comparari poſſunt ebriis, & dormientibus, qui in prioribus momentis ſuæ evigilantiæ a ſomno, vel ebrietate, non reſumunt plenum rationis uſum ſufficientem ad mortale, ſed imperfectum tantummodo, qui tamen ſatis eſt ad veniale. Et ita ſentit etiam D. Thomas, qui in 4. diſt. 9. q. 1. art. 4. de expergefacto a ſomno ait, quod in evigilatione a ſomno complacere ſibi in pollutione eſt veniale peccatum, ſi ſit ex ſubreptione; mortale ſi ſit cum conſenſu, & libertate.

Dices 1. qui poteſt cognoſcere materiam peccati venialis, a fortiori cognoſcere poteſt materiam mortalis: ſed puer, quia capax eſt peccandi venialiter, cognoſcit materiam peccati venialis: igitur multo magis cognoſcet etiam materiam mortalis; cum notior ſit materia mortalium, quam materia venialium. Etenim notius eſt, quod occidere ſit malum, quam ex ioco mentiri; Et ſic &c. Reſpondetur, puerum cognoſcere poſſe materiam peccati venialis, non tamen niſi valde imperfecte, ut vix ſufficiat ad peccandum, minime vero perfecte ſecundum rationem totam ſuæ malitiæ. Dixi *niſi valde imperfecte*; quia ut iam patet, fieri etiam poteſt, quod puer capax peccandi venialiter, nullo modo cognoſcere queat malitiam peccati venialis ex genere ſuo, defectu uſus rationis ad id ſufficientis: quocirca male ſupponitur in obiectione, quod capax peccandi venialiter, debeat poſſe cognoſcere materiam peccati venialis ex ſuo genere; quia ſufficit ad hoc, quod poſſit cognoſcere materiam peccati mortalis imperfecte, & ſic venialiter peccare defectu advertentiæ ſufficientis ad malitiam.

Dices 2. capax venialiter peccandi, poteſt mereri: igitur & peccare mortaliter; quia ad merendum requiritur iudicium perfectum, quo intendatur honeſtas ipſa per ſe. Antecedens ex eo probatur, quod capax peccati venialis, ſit etiam capax Confeſſionis; ideoque & attritionis, quæ eſt actus meritorius. Reſpondetur diſtinguendo, nempe mereri poteſt tam perfecte, quam ſi plenum rationis uſum haberet, negatur; minus perfecte, conceditur. Negatur vero, quod ad taliter merendum, ideſt minus perfecte, requiratur iudicium plenum, & perfectum, ac ideo negatur conſequentia, ſcilicet, quod ſi poſſit mereri minus perfecte, poſſit etiam peccare mortaliter; quia revera ad peccandum mortaliter iudicium plenum requiritur, & perfectum. Reiicitur pariter ut falſum, univerſaliter loquendo, quod in confirmatione adducitur, nempe capacem peccati venialis, eſſe quoque capacem Confeſſionis; cum poſſit quis aliqualiter apprehendere malitiam peccati, & tamen non ſufficienter apprehendere omnia requiſita ad validam Confeſſionem.

Repones tandem: ſi talis poteſt aliquid mereri, poteſt mereri Cœlum; igitur & infernum. Reſpondetur; quod Deus magis pronus eſt ad præmiandum, quam ad puniendum, & miſericordia eius ſuperexaltat iudicium.

§. IX.

De peccato ut pœna alterius Peccati, & de punitione quæ datur aliquibus ob aliorum peccata.

Inquiritur inter Theologos, num dari

queat

queat peccatum, quod ſit pœna præcedentis peccati, ſcilicet num Deus punire queat peccatorem peccato in pœnam peccati præcedentis. Si hoc ſpectetur in eo ſenſu, quod velit Deus hominem labi in peccatum ſecundum propter primum, certe in hoc ſenſu lapſus in peccatum ſubſequens nequit eſſe pœna peccati antecedentis: poteſt tamen eſſe per accidens, in quantum Deus ratione prioris peccati ſubtrahit homini gratiam efficacem, qua ſubtracta facile ruit in aliud peccatum. Et quoad primum maniſeſtiſſime patet, alias Deus auctor eſſet & cauſſa peccati, quod omnino eius repugnat ſanctitati. Præterquamquod culpa nequit eſſe pœna, cum illa in actione, hæc in paſſione conſiſtat; illa voluntaria, hæc involuntaria eſt; idcirco non poteſt Deus velle peccatum tamquam pœnam. Quoad ſecundum vero probatur ex illo Rom. 1. (quia nempe male uſi fuerant donis gratiæ & naturæ peccando) *tradidit illos Deus in reprobum ſenſum*; videlicet illos ſine gratiis efficacibus aut proxime ſufficientibus ad nova evitanda peccata dereliquit. Et in hoc ſenſu Deus dicitur etiam in Scripturis, & apud Patres, peccatores excæcare, in deſideria cordis tradere.

Ad aliam vero quæſtionem, quæ agitari ſolet, num Deus punitionem proprie dictam inferat alicui propter aliena peccata; Reſpondetur cum divina Scriptura præcipue Ieremiæ 31. Deum neminem pœnis pro alienis peccatis proprie afficere; *In diebus illis* (ait Propheta) *non dicent ultra: patres comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obſtupuerunt. Sed unuſquiſque in iniquitate ſua morietur*. Et Ezechielis 18. *Filius non portabit iniquitatem Patris, & Pater non portabit iniquitatem filii*. Et ad Galatas 6. *unuſquiſque onus ſuum portabit*. Et ratio ipſa clare hoc demoſtrat. Cum enim pœna non detur niſi propter culpam, iuſtum idcirco eſt, ut qui culpam commiſit, ſubeat etiam pœoam, non vero alter pro eo. Nec ullatenus obſtant huic veritati varii Scripturarum textus, qui contrarium docere videntur. Habetur enim Deuteron. 5. *Deus æmulator reddens iniquitatem patrum ſuper filio in tertiam, & quartam generationem*. Item multa millia hominum perierunt propter peccatum Davidis. Itidem multi parvuli innocentes ſimul cum parentibus reis interfecti ſunt, ut patet in Madianitis, Sodomitis, Cananæis. &c. Reſpondetur ad illud Deuteronomii, verbis prædictis immediate addi, *his qui oderunt me*; idcirco ibi ſermo eſt de filiis non iuſtis; ſed de his qui propriis ſceleribus iniquitates patrum compleverunt, eos in vitiis ſequendo. Unde gravius Deus eorum peccata punit, non quidem quod ipſi filii ob illorum crimina gravius puniri mereantur, ſed gravius punit, quam ea puniviſſet, ſi illorum parentes non peccaſſent. Ad alterum vero, nempe ad exempla eorum, qui morte pœnas luerunt innocentes cum ſuis maioribus; Reſpondetur, mortem innocentum reſpectu ipſorum proprie non fuiſſe pœnam, ſed reſpectu Parentum, Principum &c. quia cum filius ſit aliquid patris, ſubditus aliquid Principis, afflicto filio, aut ſubdito, cenſetur puniri parens, aut Princeps, licet reſpectu innocentum afflictio illa ſit vel ad augenda eorum merita, vel medicina præſervativa viventium, ne ii pariter innocentiam amittant. Unde non tam filii puniuntur, quam parentes in filiis; licet poſſint & filii dici aliquo ſenſu puniri propter peccatum originale, ratione cuius mors nobis eſt debita. Quod ſi filii & ſubditi ſint ipſi quoque aliunde rei, tunc pro peccatis propriis puniuntur. Dicuntur tamen puniri propter maiorum peccata; quia niſi peccata filiorum, ſeu ſubditorum acceſſiſſent, non fuiſſent ad huc puniti; illis ſiquidem non accedentibus non fuiſſet adhuc impleta menſura, ante cuius completionem non decreverat Deus Rempublicam, Imperium, aut Familiam perire.

§. X.

De diſtinctione ſpecifica Peccatorum.

Patet iam ex ipſo titulo rei agendæ, non eſſe ſermonem de ſpecifica diſtinctione phyſica peccatorum, ideſt de illa, qua peccata ſecundum ſuum eſſe materiale ab invicem diſtinguuntur, quæ ab obiectis deſumitur, eo quia actus per diverſitatem diſtinguuntur; ſed hic agitur de diſtinctione ſpecifica morali, cum hic agatur de diſtinctione ſpecifica peccatorum in ordine ad Sacramentalem Confeſſionem, in qua iuxta Tridentinum ſeſſ. 14. Cap. 5. & Can. 7. & Theologos omnes, tenetur quiſque Fidelis peccata ſua explicare, non ſolum quoad numerum, ſed etiam quoad ſpeciem, & circumſtantias, præcipue quoad ſpecies peccati rationem mutantes, ad quod nullatenus refert cognitio unitatis, vel diſtinctionis phyſicæ peccatorum. Peccata enim quæ ſunt eiuſdem, vel diverſæ ſpeciei phyſicæ, non tales ſunt moraliter, & e contra, ut vide-

re eſt in furto, quod phyſice eſt eiuſdem ſpeciei, ſive factum ſit in loco Sacro, ſive prophano; non itidem moraliter, ſed ſpeciei diverſæ, cum moraliter unum ſit ſimpliciter furtum, alterum vero etiam ſacrilegium: ſed antequam diſcutiatur a quo fonte deducatur ſpecifica peccatorum diſtinctio, operæ pretium eſt, ut aliqua prænotentur. Unde

Nota 1. cum P. Antoine & aliis communiter, ſpeciem moralem peccati eſſe ſpecialem malitiam, per quam unum peccatum ab alio eſſentialiter differt, ac diſtinguitur. Malitia autem actus eſt eius deformitas, ac oppoſitio cum natura rationali, & lege Divina. Quare illa peccata ſpecie differunt, quæ habent diſconvenientiam, & oppoſitionem cum natura rationali, & lege Divina, notabiliter inter ſe diverſam.

Nota 2. nomine obiecti hic intelligi totum id, in quod verſatur voluntas per actum malum, & tendit; ex hoc enim malitia in ipſum actum reffundi poteſt. Hinc voluntatis obiectum complectitur tum obiectum materiale, illud nempe quod vult, tum formale, ſeu id propter quod vult, & circumſtantias, in quibus vult, & fit actus. Ex his autem omnibus ac ſingulis accidere poteſt aliqua notabilis malitiæ diverſitas.

Nota 3. præcepta inter ſe diſtingui non tantum ratione principii, ſeu quia a diverſo Legislatore ſunt edita, puta a Deo & ab homine, a Superiore Eccleſiaſtico, & a Sæculari, ſeu Civili; ſed etiam ratione diverſi obiecti, ſeu iuxta diverſitatem virtutum, quas præcipiunt, aut vitiorum, quæ prohibent. Hinc aliud eſt ſpecie præceptum, quo Eccleſia præcipit auditionem Miſſæ, aliud quo imponit ieiunii obſervantiam; habent enim hæc duo præcepta obiectum ſpecifice diverſum, ideſt diverſam proponunt virtutem obſervandam, nempe in auditione Miſſæ Religionis, in ieiunio virtutem Temperantiæ. Et hæc diverſitas præceptorum reddit præceptum formaliter multiplex, ideſt efficit, ut præcepta ſint ſpecie diſtincta, ac proinde peccata quoque ipſis oppoſita, ſpecie diverſa, & diſtincta; cum ex oppoſito diverſitas præceptorum, quæ oritur ex ſola diverſitate præcipientium, non ſit niſi multiplicitas, ſeu diſtinctio, & diverſitas materialis, quæ non diverſificat peccata, ſeu ſpecie ea non diſtinguit. Immo cum dentur virtutes, quæ habent officia, ſeu actus ſpecie diverſos, quibus eadem virtus in diverſa tendit obiecta; hinc dari poſſunt præcepta ſpecie diverſa etiam circa eandem virtutem, ac proinde præcepta diſtingui poſſunt, & ex parte rei prohibitæ, & ex parte motivi prohibendi, & huiuſcemodi præceptorum multiplicitas parit ſpecificam peccatorum diſtinctionem, utpotequæ deſumatur ex diverſis ſpecie virtutibus, quibus peccata opponuntur, vel ex diverſis eiuſdem virtutis debitis rectitudinibus, quibus oppoſita privant peccata. Nam ad moralem ſpecificam diſtinctionem peccatorum ſufficit, ut vel diverſis ſpecie virtutibus opponantur, ut furtum, & mollities, quorum prius opponitur virtuti iuſtitiæ, alterum virtuti caſtitatis, vel diverſis, eiuſdem virtutis honeſtatibus, ac rectitudinibus, ut v. g. Sodomia, Mollities, & Beſtialitas, quæ opponuntur eidem virtuti Caſtitatis, & eidem ipſimet rationali naturæ. Quia tamen ipſi opponuntur ſecundum diverſas honeſtates, & rectitudines, propterea ſpecie diſtinguuntur, non ſolum in ratione entis, ſed etiam in genere moris. Unde merito ab Alex. VII. damnata fuit ſequens propoſitio n. 24. *Mollities, Sodomia, & Beſtialitas ſunt peccata eiuſdem ſpeciei infimæ, ideoque ſufficit dicere in Confeſſione, ſe procuraſſe pollutionem.*

Diſtinctio ſpecifica peccatorum deſumi nequit ab oppoſitione notabiliter legi æternæ diverſa; nam diſtinctio ſpecifica rerum non deſumitur a maiori, vel minori earum perfectione, ſed a perfectione diverſæ naturæ, ſeu rationis. Sic homo non diſtinguitur ſpecie a brutis ob rationem maioris vel minoris animalitatis, quæ ſit in uno, quam in alio, ſed ob perfectionem rationalitatis, quæ eſt in homine, & qua bruta carent. Idem dicito de aliis omnibus, quæ in rerum natura ſpecie diſtincta ſunt & diverſa, ſive ſubſtantiæ ſint, ſive qualitates; cum calor ut octo non differat ſpecie a calore ut quatuor. Et equidem ſi in phyſicis magis & minus non conſtituunt diverſam rerum ſpeciem, nec in moralibus quidem id fiet. Et hoc pene omnes agnoſcunt Theologi, in quorum ſententia, magis & minus intenſum vel remiſſum minuunt, vel aggravant peccatum intra eandem ſpeciem, ſed illud ad aliam ſpeciem non transferunt. Nulla enim eſt ratio, cur magis & minus conſtituant in moralibus illam ſpeciei diverſitatem, quam non conſtituunt phyſicam in phyſicis; idcirco univerſaliter receptum eſt in ſcholis illud tam tritum axioma; *Magis & minus non mutat ſpeciem.* Et revera ſi ad ſpecificam diſtinctionem diverſitatemque peccatorum ſufficeret oppoſitio notabiliter diverſa cum lege, circumſtantia quælibet notabiliter aggravans mutaret ſpeciem, quod etiam ex D. Thoma falſum eſt, dum

Digitized by Google

dum ſecundum S. Doctorem tollere alienum in magna, vel parva quantitate non diverſificat ſpeciem peccati, & tamen poteſt aggravare vel minuere peccatum.

Similiter diſtinctio ſpecifica peccatorum non deſumitur ex diverſitate legum, ſeu præceptorum, ſi præcepta circa eamdem numero materiam, & ſub eodem motivo verſentur, ac proinde ſolum inter ſe diſtinguantur ex parte præcipientium; puta quia unum præceptum ſit Divinum, & alterum humanum, licet Legislatores fines haberent ab invicem diverſos, ut ex S. Thoma hic q. 76. art. 5. quia diverſitas præcipientium facit quidem ex ſe multiplices eſſe præcipientes, & præcepta multa, non formaliter, ſicut ad ſpecificam diverſitatem peccatorum requiritur, ſed multa ſolum materialiter, quod ſatis non eſt, ut dicta peccata ſpecifice diſtinguat; etiamſi quiſque præcipientium diverſum in ſuo præcepto finem intenderet; quia dum in eorum præceptis eadem eſſet numero materia ſub eodem motivo, ſolum intenderent diverſum finem extrinſecum, non vero diverſum finem intrinſecum, ſeu operis, cuius diverſitas, non vero extrinſeci, diſtinctam conſtituit peccatorum ſpeciem: Finis enim intrinſecus operis, ſeu legum prohibentium furtum eſt vitatio damni proximi, ſeu bonorum proximi conſervatio. Hinc cum in hoc fine conveniant leges omnes furtum vetantes, Divina, naturalis, & humana, leges illæ non diſtinguuntur, niſi materialiter; cum idem habeant motivum, non vero formaliter, & ſic non cauſſant diſtinctionem ſpecificam in furto, quam quidem conſtituerent, ſi ob diverſum motivum, quod habuiſſent Legislatores in ſua lege furtum vetante, eorum leges formaliter ab invicem diſtinguerentur. Hinc committens furtum, tametſi a diverſis legibus vetitum, unum tantum ſpecie peccatum committit, ut omnes iam fatentur; ſicut etiam unum tantum eſt ſpecie peccatum uſura, ſimonia, violatio ieiunii in circumſtantia duplicis obligationis, puta in vigilia S. Matthæi incidente in die Temporum; licet illæ prohibitæ ſint iure naturali; & Divino, & illud duplici impoſitum ſit præcepto, quorum unum præcipit ieiunium in vigilia S. Matthæi, & alterum in quatuor anni Temporibus. Verum pro clariori intelligentia.

Nota cum Salmaticenſibus hic n. 8. duplicem finem aſſignare communiter Doctores, intrinſecum videlicet, ſeu operis, & extrinſecum, ſeu operantis. Finis extrinſecus eſt ratio motiva, quæ abſolute movet Legislatorem ad legem condendam; finis intrinſecus eſt res ipſa præcepta, ut præcepta, quæ aliquando præcipitur nude ſumpta ſecundum ſe, aliquando prout inſeritur alteri fini. Sic finis extrinſecus prohibens homicidium eſt pax Reipublicæ, ſecuritas ſubditorum, & hæc eſt illud quod movet Principem ad homicidium vetandum. Finis vero intrinſecus ipſius præcepti non eſt pax Reipublicæ, ſed iniuſtitia, quæ fit proximo ſecundum ſe. Quod ſi fiat in loco Sacro, non ſolum erit finis intrinſecus præcepti Eccleſiaſtici vetantis ipſum homicidium, ut iniuſtum, ſed prout ſubeſt fini Religionis, videlicet quatenus eſt ſacrilegium; quia ut tale vetitum eſt a lege Eccleſiaſtica. Quando vero præcepta diſtinguuntur vel ex parte rei prohibitæ aut præceptæ, vel ex parte motivi præcipiendi vel prohibendi; ideſt quando aliquid præcipiunt vel prohibent ſub diverſis motivis formalibus, nempe ad diverſas virtutes, aut rectitudines ſpectantibus, tunc ex multiplicatione præceptorum colligi poteſt ab extrinſeco diverſitas, ſeu diſtinctio ſpecifica peccatorum, ideſt peccata diſtincta eſſe ſpecie, & diverſa; quia præcepta, quæ differunt ex parte rei præceptæ, vel motivi intrinſeci præcipiendi, aut prohibendi, cum habeant diverſum, & diſtinctum obiectum, formaliter, ſeu ſpecifice inter ſe diſtinguuntur. Igitur peccata quoque illis oppoſita diverſa ſunt ſpecie, ac diſtincta. Et hoc ex ipſa ratione ſeu natura peccati manifeſte comprobatur. Peccatum ut peccatum eſt privatio rectitudinis rationali naturæ debitæ, ſeu privatio debitæ conformitatis cum lege ſeu præcepto, cui peccatum per ipſius tranſgreſſionem opponitur; omne enim peccatum eſt alicuius legis violatio, ſeu tranſgreſſio; *non cognovi peccatum*, ait Apoſtolus, *niſi per legem*. Igitur cum ex tali tranſgreſſione ſeu oppoſitione actus cum lege oriatur in ipſo actu privatio rectitudinis, ideſt peccatum; ubi tranſgreſſio, ac oppoſitio verſantur contra præcepta ſpecie diverſa, tranſgreſſio quoque, & oppoſitio ſunt ſpecie diverſæ, & ideo habentur diverſæ ſpecifice rectitudinis privationes, & ſic diverſa ſpecie peccata, ſive unicus ſit actus, ſive ſint plures. Unde Carthuſianus, qui die Veneris carnem comederet, duplex ſpecie peccatum committeret, non ſecus ac ille qui ex Confeſſarii præcepto teneretur illa die a carnibus ſe abſtinere; quod cum proportione valet in aliis quoque obligationibus; quia tam Carthuſianus, quam pœnitens tenentur ex duplici motivo intrinſece ſpecie diverſo ad talem car-

nium abſtinentiam; Carthuſianus nempe ex voto, pœnitens ex Confeſſarii præcepto, & uterque motivo etiam abſtinentiæ ratione præcepti Eccleſiaſtici.

Porro peccatum legem ſpecifice diverſam tranſgreditur, ſeu oppoſitionem ſpecifice diverſam habet cum lege, quando actio mala adverſatur 1. diverſis virtutibus 2. diverſis eiuſdem virtutis officiis. 3. eidem virtuti contrario modo; denique eidem virtuti diverſo modo, licet non contrario. Hinc ex parte primæ oppoſitionis infidelitas, deſperatio, odium Dei, ſuperſtitio ſunt peccata ſpecie diverſa; quia diverſis adverſantur virtutibus, fidei nempe, Spei, Charitatis, & Religionis. Ex parte ſecundæ Idololatriæ ſuperſtitioſus cultus, blaſphemia & ſacrilegium ſpecie differunt, quia diverſas offendunt eiuſdem virtutis Religionis functiones: nam vetat Religio, ne alius, niſi verus Deus colatur, contra quod facit Idololatria, & ne Deus illegitimo cultu honoretur, contra quod facit ſuperſtitio. Ex parte tertiæ prodigalitas, & avaritia, præſumptio, & deſperatio diverſæ ſunt naturæ; quia licet uni ſoli opponantur virtuti, liberalitatis ſcilicet, vel ſpei, ab ea tamen duobus modis contrariis, ac proinde ſpecie diverſis recedunt, per exceſſum nempe, & defectum. Ex parte quartæ oppoſitionis furtum, rapina, detractio, homicidium ſpecie differunt; quia eamdem iuſtitiæ virtutem diverſimode impugnant; alia enim eſt ratio exercendi iuſtitiam ſervando bona alterius; alia ſervando famam, aut vitam, ob ſpeciales, quæ circa hoc occurrunt difficultates. Igitur alia quoque eſt ratio eamdem iuſtitiam violandi nocendo bonis, alia nocendo famæ aut vitæ.

Dictum fuit in prima probatione, *colligi poſſe ab extrinſeco diverſitatem ſpecificam peccatorum*; quia ſuppoſita etiam lege formaliter diverſa, adhuc peccata illa, ut iam patet, ex ſubſequenti probatione deducta ab ipſa peccati natura, etiam intrinſece ſpecie diverſa ſunt, & diſtincta, penes diverſas illas virtutes aut rectitudines, ex quarum motivo aliquod præceptum eſt vel vetitum, & quarum peccata illa ſunt privationes. Unde ex diverſitate præceptorum ſpecifica diſtinctio peccatorum colligitur ab extrinſeco, & ex diverſitate virtutum, ſeu rectitudinum quibus privant peccata, deducitur diverſitas intrinſeca, ſeu intrinſeca eorumdem peccatorum ſpecie diſtinctio.

Verum diſtinctio ſpecifica peccatorum non deſumitur tantum ex præceptis moraliter ſpecie diverſis, quæ peccatum violat, ex diverſis rectitudinis privationibus, quæ in præceptorum violatione contrahuntur; ſed ex obiecto inſuper, fine, & circumſtantiis, quæ ſpecialem habent diſconvenientiam cum natura rationali, & divina lege, ideſt quæ moraliter ſunt ſpecie diverſa. Et quoad obiectum iuxta ſententiam D. Thomæ 1. 2. q. 73. a. 1. aliorumque, obiecta ſpecie moraliter diverſa ſunt illud, a quo primo & per ſe peccata ſpecificantur, ſeu ſpecie diſtinguuntur, ita ut deordinatio privativa, ſeu rectitudinis privatio, non concurrit niſi ſecundario, & etiam per accidens. Et quoad primam partem patet ex eo, quod peccatum ſit actus voluntatis, ſeu actus voluntarius malus, qui ſpecificatur ab obiecto, in quod tendit, idcirco peccatum, quod eſt actus ipſe voluntarius malus, ſpecificatur per ordinem ad obiectum. Quoad ſecundam vero partem, hæc conſtat ex ipſo D. Thoma, & ex ratione privationis, quæ in quovis ordine ſemper eſt malum. Nemo autem, ut notat Dionyſius Carthuſianus Capite *de Divinis nominibus*, operatur intendens malum, quia cum voluntas humana habeat pro obiecto ſolum bonum, etiam in obiectum malum non tendit niſi ſub ratione boni in eo genere, in quo tale bonum exoptat. Nullus igitur peccat intendens ſeu habens pro fine privationem ordinationis ad legem. Igitur talis privatio non per ſe primo, ſed ſecundario per ſe concurrit ad ſpecificationem peccati. Fertur tamen peccans in obiectum etiam ut malum moraliter, ideſt in aliquod diſconveniens naturæ rationali & legi ſaltem interpretative, & hoc ipſo quod actus fertur ſolum etiam interpretative in malum morale, ſeu in aliquod diſconveniens naturæ rationali, & Divinæ legi, ipſe actus malus fit. Unde ſi obiecta habeant malitiam ſpecie diverſam, etiam actus voluntatis qui in ipſa obiecta feruntur, habebunt malitiam ſpecie diverſam, & erunt peccata ſpecie diſtincta.

Sicuti vero actus voluntatis, ex eo quia voluntas feratur in aliquod obiectum moraliter malum, & in ſua malitia ab alio obiecto diverſum, habet talis actus diſconvenientiam cum natura rationali, & lege Divina, ideſt privationem debitæ rectitudinis, ideoque moralem malitiam, quæ eſt etiam ab alia ſpecie diſtincta; ita huiuſcemodi diſconvenientiam ac moralem malitiam contrahet, ac habebit actus voluntatis, quando licet velit aliquid licitum, vult illud tamen vel ob finem malum, vel in circumſtantia mala, ſeu diſconvenienti; quia talis vio-

violatio diſconvenit naturæ rationali, & a Deo vetita eſt. Ergo ſpecialem malitiam habet actus voluntatis, dum vult obiectum ſpecialiter malum, vel aliquod de ſe licitum ob finem ſpecialiter malum, vel in circumſtantia ſpecialiter mala. Et hoc patet etiam inductione. Nam 1. actus quo quis vult furari ſumit a furto malitiam in ſpecie iniuſtitiæ, quæ conſiſtit in re alterius rapienda, quod eſt obiectum furti: 2. actus quo quis vult labore tametſi licito lucrari ad ſe inebriandum, contrahit malitiam intemperantiæ ab hoc fine: 3. celebratio Miſſæ in loco vetito, ſeu indecenti habet malitiam irreligioſitatis ex loci circumſtantia, propter quam dedecet talis celebratio, & prohibetur. 4. poteſt etiam dari voluntatis actus, quo quis velit ſimul aliquid mali ob finem malum, & in circumſtantia mala, & in hoc caſu ſumit ab his tribus malitiam in triplici ſpecie peccati, ſi hæ ſint diverſæ malitiæ, cum tunc habeat triplicem diſconvenientiam, & oppoſitionem cum natura rationali, & lege Divina notabiliter inter ſe diverſam. Talis eſſet actus, quo quis vellet furari in Templo, ut fornicaretur; haberet enim hic actus triplicem malitiam ſpecie diverſam, nempe iniuſtitiæ, ſacrilegii, & fornicationis.

Iam antea notavimus, ſpeciem peccati ſæpe mutari etiam per ſolas circumſtantias. Unde cum iam antea expoſuerimus quæ ſpectant ad finis naturam & diſtinctionem præcipue intrinſeci, & extrinſeci, operæ pretium eſt, ut ea quoque quæ ad circumſtantias pertinent aliquantulum ſaltem elucidemus, & ſpecialiter explanando quomodo dignoſci poſſit an circumſtantia ſpeciem mutet, nec ne: verum ne quid pro clariori, ac faciliori intelligentia deficiat.

Notandum primo, circumſtantias morales eſſe quaſdam conditiones, ſeu quædam accidentia actus humani, ſeu moralis, quæ cum ſint extra eſſentiam eiuſdem actus moralis, illum quodammodo comitantur, circumſtant, & afficiunt moraliter, vel in ſe ipſo, vel ratione principii, effectus, aut cauſſæ, quod tunc fit, quando circumſtantia importat rationem convenientiæ, aut diſconvenientiæ ad actum moralem. Unde quod quis furetur argentum aut aureum eiuſdem valoris, quod mentiatur ſedens, ambulans, vel ſtans non eſt circumſtantia moralis, ſed tantum phyſica, non diſtinguens, vel aggravans peccati malitiam.

Notandum 2. circumſtantias eſſe ſeptem, ut refert D. Thomas 1. 2. q. 7. art. 3. & illo Tullii verſiculo comprehenduntur. *Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando*. *Quis* denotat perſonam operantis, quoad eius conditionem, ſeu ſtatum, nempe ſi ſit Religioſus, aut Laicus, Sacerdos, vel Uxoratus. *Quid* denotat circumſtantiam materiæ, ſeu obiecti, qualitatem, aut quantitatem accidentariam, puta ſi perſona læſa ſit Superior, Pater, vel Sacerdos, ſi ſit furtum magnum, vel parvum. *Ubi* ſignificat circumſtantiam loci, ſi Sacer ſit, aut prophanus, ſi in publico cum ſcandalo, aut privatim actio mala commiſſa fuerit. *Quibus auxiliis* ſignificat inſtrumentum, & media, aliaque id genus accidentia, quibus quis uſus eſt ad operandum, puta ſi ope dæmonis, aut maleficiis, veneno, inſtrumento vetito, aut periculoſo uſus ſit ad occidendum hominem, aut excitandum, ſeu inſpirandum amorem ſui; an Miſſam celebraverit ſine Calice conſecrato, aut aliquo ornamento non benedicto; an alios iuſſu ſuo, aut conſilio furti ſui ſocios effecerit. *Cur* ſignificat finem non intrinſecum operis, quoniam ex opere ſatis intelligitur, ſed intrinſecum operantis. Dico *intrinſecum ex parte operantis*; quia eſt finis ab eo intentus, qui finis operi eſt extrinſecus v. g. quod Eleemoſyna collata ſit ob vanam gloriam, quod quis furatus ſit ad fornicandum &c. *Quomodo* deſignat modum accidentalem actus, puta quod actus factus ſit intenſe, vel remiſſe; ſponte vel coacte; ſcienter, aut ex ignorantia; motu primo, vel ſecundo; plena, vel ſemiplena deliberatione; contra, vel ſecundum conſcientiæ dictamen; oculte, vel cum ſcandalo &c. *Quando* indicat accidentariam temporis conditionem, puta an quis carnem manducaverit die ieiunii; die feſto, ac tempore divini officii tabernas frequentaverit, &c. an odium breve fuerit, an diuturnum. Circumſtantiæ non ſunt plures quam ſeptem, nec pauciores, ut advertit D. Thomas loco citato; quia cum circumſtantiæ ſint accidens quodam attingens actum extra propriam ſubſtantiam, tot erunt circumſtantiæ, quot fuerint modi actum moraliter attingendi, qui cum ſint tantummodo ſeptem, non plus quam ſeptem erunt etiam circumſtantiæ. Nam actus, ut ſupra iam notatum fuit, tripliciter attingi poteſt, vel ſecundum ſe, vel ratione cauſſæ, vel ratione effectus. Si actus primo modo attingatur, ideſt ratione ſui, aut erit per modum menſuræ, ſicut tempus, & locus, vel per modum qualitatis actus, ſicut modus agendi, & ſic reluc-

tant tres circumſtantiæ, *quomodo*, *ubi*, *quando*. Si ſecundo modo ſeu ratione cauſſæ, vel ratione cauſſæ efficientis principalis, & hæc eſt circumſtantia *quis*, aut ex parte cauſſæ inſtrumentalis, & hæc eſt circumſtantia, *quibus auxiliis*, aut ex parte cauſſæ finalis, & hæc eſt circumſtantia *cur*. Si denique tertio modo, hoc eſt ex parte effectus, erit circumſtantia *quid*. Cum igitur excogitari nequeat alius modus circumſtandi, & afficiendi moraliter actum, non pluſquam ſeptem eſſe poſſunt morales circumſtantiæ.

Notandum 3. circumſtantias dupliciter efficere poſſe actum moraliter pravum, ſeu duplex eſſe circumſtantiarum genus. Aliæ ſunt quæ mutant ſpeciem moralem peccati, aliæ quæ minuunt, aut aggravant peccatum intra eamdem ſpeciem. Circumſtantiæ mutantes ſpeciem moralem peccati, & ideo in Confeſſione aperiendæ ſunt illæ, quæ actioni morali pravæ addunt malitiam mortalem, ſpecie diſtinctam a malitia, vel a ſubſtantia actus præcise, & ſolitarie ſumpti, ſeu transferunt actum peccaminoſum ad aliam ſpeciem, ideſt ad ſpeciem diverſam ab illa, quam habet ex proprio obiecto; ut ſi quis furetur in loco Sacro, tunc ſpecies peccati furti percepta ex proprio obiecto, ideſt ex ſubreptione rei alienæ invito Domino, ratione circumſtantiæ loci Sacri transfertur in ſpeciem Sacrilegii. Dixi *addunt malitiam mortalem ſpecie diſtinctam a malitia, vel ſubſtantia actus*; quia circumſtantia mutans ſpeciem aliquando addit malitiam malitiæ, ut patet in furto rei Sacræ; dum tali peccato malitiæ furti addit malitiam etiam Sacrilegii. Aliquando vero addit malitiam actui obiective bono, ut fieret in Eleemoſyna, quæ daretur puellæ ad eius honeſtatem ſubvertendam; & in tali caſu dicitur variare ſpeciem actus primario, ideſt dando actui primam ſpeciem peccati; cum vitiet, ac pravum reddat actum, qui ex ſe erat bonus; & tunc circumſtantiæ non tam habent rationem circumſtantiæ, quam obiecti, quod ab actu in genere moris directe reſpicitur.

Circumſtantiæ vero notabiliter peccatum aggravantes illæ ſunt, quæ malitiam mortalem in eadem ſpecie plurimum adaugent, faciendo nempe, ut unicum peccatum pluribus, vel ſaltem duobus mortalibus æqui valeat, ſive ratione quantitatis materiæ, ut ſi quis tres aureos furetur; ſive ratione durationis, ut ſi quis delectationi moroſæ per plures horas indulgeat; ſive ratione intentionis, ut ſi quis inimico ſuo æternam optet damnationem. Circumſtantiæ minuentes, ſi proprie ſumantur ſunt illæ, quæ aliquid adimunt de gravitate peccati in ſua ſpecie relicti, ut ſi quis ex metu mortis fidem neget. Eædem vero circumſtantiæ improprie ſumptæ illæ ſunt, quæ ita peccati gravitatem imminuunt, ut mutent ſpeciem illius, ſive peccatum de mortali faciendo veniale; ut ſi quis in homicidio invaſoris leviter excedat moderamen inculpatæ tutelæ.

Peccata diſtinguuntur ſpecifice ex circumſtantiis, quæ ſpecialem deordinationem habent ad rectam rationem; nam diſtinctio ſpecifica peccatorum deſumitur, ut vidimus, a diverſo motivo, ſeu a diverſa deordinatione, ſive receſſu a recta ratione. Igitur quando additur diverſum motivum diſtinctaque deordinatio a recta ratione ob circumſtantiam de novo advenientem, ut ſæpe contingit, erit diverſa ſpecies peccati, ut quando quis fornicatur cum uxorata, vel cum habente votum caſtitatis &c. Unde circumſtantia *quis*, ſeu perſonæ mutat ſpeciem peccati in triplici caſu 1. in quacumque materia, cum perſona ſpeciali vinculo, voti, puta, iuramenti, promiſſioniſve obligatur ad rem aliquam, quæ aliunde, vel ipſi ſoli, vel omnibus aliis præcepta erat. Et id patet in eo, qui ex voto privato obligatur ad ieiunandum, quando vel alii fideles ad ieiunandum obligantur, vel ipſe iam ex Confeſſarii præcepto obligatus erat, & ieiunium omittit. 2. In materia charitatis erga proximum, ſi perſona ſit publica, ſeu ad aliquid ex officio teneatur. Unde Parochus, qui Sacramenta non adminiſtrat, Magiſtratus, Locorumque Gubernatores, qui bonis ſalutique civium non conſulunt, non ſolum charitatem, ſed iuſtitiam etiam violant. 3. In materia caſtitatis, ſi perſona multis titulis ad hanc virtutem teneatur, ut initiati Sacris Ordinibus, qui coniugii, vel conſanguinitatis legibus ligantur. Immo neminem non latet, peccatum ſæpius notabiliter aggravari ex conditione perſonæ, cum gravius peccet Sacerdos, & Religioſus ſe inebriando, quam laicus. Secundo circumſtantia *quid*, ſive obiecti ſpeciem mutat, cum obiectum ſive omnibus, ſive aliquibus ratione ſpecifice diverſa eſt vetitum. Hinc Religioſam aut conſanguineam ducere tentans in uxorem, crimen diverſum a fornicatione committit. Sic dicendum de furto rei Sacræ, de percuſſione Clerici, de commercio cum coniugata, aut etiam iuxta multos cum ſimplici deſponſata,

nec-

necnon de parricidio, uxoricidio &c. Tertio cum ex poſitione actus circa aliquod obiectum, ſequitur, aut ſequi poteſt poſitio alterius actus circa aliud obiectum diverſa ratione prohibitum. Unde duo ſpecie peccata committit. 1. Qui furatur, & furando ſe exponit manifeſto periculo vitæ. 2. Qui venatur contra ius alterius, ſegeteſque conculcat. 3. Qui tempus deperdens in colloquiis inutilibus exponit ſe, vel alium proximo peccandi periculo. 4. Qui ſua actione dat proximo ſcandalum, occaſionemque ſpiritualis ruinæ. Circumſtantiæ parvæ, vel magnæ quantitatis, aut intenſionis, poſſunt notabiliter aggravare, aut minuere peccatum, ut patet in furto, & odio; niſi tamen mutent peccatum de veniali in mortale, non mutant ſpeciem.

Circumſtantia *ubi* mutat ſpeciem peccati 1. In furto etiam rei non Sacræ in loco Sacro. Sacrilegium enim committitur, auferendo Sacrum de Sacro, Sacrum de non Sacro, non Sacrum de Sacro, quæ ultima verba *non Sacrum de Sacro*, cum ſint in favorem Eccleſiæ, ample ſunt intelligenda, id eſt extendenda ad ea, quæ Eccleſiæ in cuſtodiam, pignus, aut depoſitum commiſſa ſunt, præſertim cum in fine eiuſdem Capitis inter Sacrilegos numerentur ii, qui Monaſteria & Eccleſias infringunt, & depoſita, vel alia quælibet inde extrahunt. 2. in homicidio & pollutione voluntaria etiam occulta, quæ ne in loco Sacro fiant, lege humana vetitum eſt cap. 5. *de Conſecra. Eccle.* & cap. 20. *de conſecra. diſt.* 20. Quod verum eſt etiam de tactibus impudicis, oſculis, verbis, & aſpectibus, tametſi fiant ſine pollutionis periculo; quia hæc peccata graviter reverentiæ Sacrorum locorum opponuntur. Immo cenſent aliqui violari debitam Templis reverentiam, etiam ob copulam coniugalem, quæ tempore belli a coniugibus ibidem abſconditis haberetur. Sic Navarrus apud *Ethicam amoris*, cum in tali caſu coniuges ſe habere debeant, ſicut ſi alteruter eſſet infirmitate gravatus; unde alter, qui eſt ſanus, opus eſſet ut ſe contineret.

Gravior tamen difficultas eſt, an omnia prorſus peccata præter expoſita, in Eccleſia commiſſa, contrahant ſpecialem malitiam ratione loci Sacri. Communior ſententia partem ſuſtinet negativam; quia, inquiunt, illa ſola crimina ſpeciali Eccleſiæ præcepto in iis locis ſunt vetita. Verum hæc regula non ita univerſaliter eſt ſumenda, ut nulla omnino alia peccata, præter ſupradicta, contrahant labem Sacrilegii; quia certe gravis eſſet irreverentia ac proinde Sacrilegium ſi in Eccleſiam tamquam in ſtabulum inducerentur iumenta, equi, &c. ſi ibidem Sacrificia Idolis quis offerret, mercatum prophanum, nundinas, Comœdias prophanas haberet, & ſic dicito de innumeris aliis peccatis, quæ magnopere reverentiæ Sacrorum locorum adverſantur, ſicut furtum, homicidium, &c. Ius enim naturale, quo prohibentur Sacris locis irreverentiæ, nullam habet irreverentiæ diſtinctionem; nam ſenſus Communis iudicare videtur magis eſſe impium, ut ubi peccatorum venia poſtulanda eſt, ibi deprehendantur peccata committi, ut loquitur Gregorius X. Et hæc opinio tutior eſt, & ſaltem æque probabilis ac oppoſita. An vero nomine loci Sacri intelligantur etiam Clauſtra, ſeu habitatio regularium diſputatur, & negat Lugo diſt. 20. de Euchariſt. ſect. 2.

Circa circumſtantiam *quando* ſeu temporis, duplex eſt Theologorum opinio. Prima, quam paſſim tenent Recentiores, negat circumſtantiam temporis Sacri neceſſario explicandam eſſe in peccato mortali, niſi forte in quibuſdam caſibus, ut ſi quis committat peccatum enorme feria ſexta Paraſceves, aut ea ipſa die, qua Euchariſtiam ſumpſit. Item ſi quis die feſto Idola coleret, Dæmonem invocaret &c. Secunda cenſet crimen quodcumque novam malitiæ ſpeciem contrahere, ex eo quod ſcienter committatur die Dominico, aliove, qui feſtus ſit; quia, aiunt huiuſce ſententiæ Patroni, ſi die feſto vetitum eſt omne opus ſervile, ne homo impediatur a rebus Divinis; cum a Divino opere, & ſervitio non ſolum æque, ſed immo magis impediatur homo per peccatum; igitur non ſolum æque, ſed magis etiam violatur dies feſtus per peccatum, quam per opus corporale ſervile. Igitur magis, concludunt ipſi, agit contra præceptum qui peccat die feſto, quam qui aliud opus corporale per ſe licitum facit; & hanc ſententiam prædicant ipſius auctores, ut probabiliorem. Ita ſentiunt Merbelius *in ſumma Chriſtiana*, part. 1. q. 75. Natalis Alexander lib. 4. c. 5. art. 6. Regula 5. cum Nicolao de Lyra, Alenſi, S. Bonaventura &c.

Et quidem ut reflectit Tourneleius, colligens ligna die feſto per duas, tres, aut quatuor horas cenſetur reus lethalis culpæ, & æternæ gehennæ: quomodo reus non erit eiuſdem culpæ & pœnæ, qui die feſto per tres, aut quatuor horas indulget vino, luxuriæ, detractioni, ludiſve plenis furore, & blaſphe-

Digitized by Google

ſphemiis? Hæc ſane, ſubiungit icitatus Auctor, ſuperant fidem. Huiuſcemodi momentis innixi ſic opinantur patroni huiuſce ſententiæ, cum ex oppoſito nonniſi frivolis levibuſque rationibus, nulliuſve momenti ſuam protegant, qui contrarium ſentiunt, quæ cum nullius ſint ponderis, brevitatis gratia hic omittere cenſui, concludendo cum de Lugo, circumſtantiam temporis dare peccato malitiam ſpecialem Sacrilegii, ſaltem levem.

Circumſtantia, *quibus auxiliis*, raro & nonniſi in quibuſdam caſibus mutat ſpeciem peccati; ut 1. ſi quis uſus ſit inſtrumento ſpecialiter & graviter vetito, aut cuius uſus ſpeciale habeat cum aliqua virtute repugnantiam, puta ſi quis cum Oleo Sancto, vel aqua Benedicta aliquod facinus perpetraverit. 2. Si quis aliorum opera, aut quæſierit, aut adhibuerit ad malum finem; nam alium ad peccatum inducere, peccatum eſt Scandali, ſpecie diverſum a peccato, quod a ſe ipſo in eadem materia fieret, ut notat de Lugo. Unde qui perſuaſionibus & precibus rem veneream extorqueat a puella ad crimen non parata, hanc circumſtantiam confiteri debet, ait *Ethica amoris* 3. Si quis ope Dæmonis expreſſe vel tacite invocati aliquid conſequi voluerit; hæc enim cum Dæmone ſocietas novum eſt crimen.

Ab his aliqui accepta occaſione, & præcipue Tourneleius ſolent inquirere, quid ſentiendum de virga bifurcata, quam divinatoriam vocant, cuius ope homines quidam abditos in terra Theſauros, latentem pecuniam, metalla, aquarum fontes in terræ viſceribus abſconditos, tranſpoſitos agrorum limites, fures & præſertim homicidas inquirunt, deteguntque. Hæc famoſa virga inventa fuit a quodam divite ruſtico in Pago S. Verani in Delphinatu, cuius ruſtici nomen Iacobus Hymar, occaſione cuiuſdam homicidii apud Lugdunum patrati anno 1692. qui beneficio talis virgæ occiſorem paulo poſt in carcerem coniectum, inter alios duodecim, qui cum ipſo detinebantur in carcere, diſcrevit. Re circa huiuſce virgæ virtutem evulgata, variæ ſuper eiuſdem virgæ virtutem inter diſputandum ortæ ſunt Doctorum virorum opiniones. Alii conati ſunt rem phyſice explicare, ut D. D. Chavim, & Garnier profeſſores Medici, quorum opinio approbata fuit a quibuſdam Pariſienſibus Theologis. Alii vero uſum virgæ ex omni parte ut malum reprobarunt; quia crediderunt concurrere implicitum pactum cum Dæmone. Ita P. Malebranche & P. Lebrun cum aliis aliquibus. Alii tandem licet crederent, vi talis virgæ, aquas & metalla detegi poſſe, eius tamen uſum ob circumſtantias vitioſum eſſe cenſuerunt, & hæc opinio in praxi ait Tournely, tenenda eſt: nam ſi naturaliter, & phyſice id fieret, abſque eo quod nullatenus interior hominis intentio virgæ converſioni conferret, hoc deberet contingere in cuiuſcumque manibus. Quare cum virga in manibus aliquorum qui antequam moveretur virga enixe a Deo petierunt, ut detineret virgæ motus, ſi forte eſſet aliquid mali, & pactum cum Dæmone; poſt precationem a motu ceſſaverit, & hoc plura huiuſmodi comprobant exempla adducta a Patre Lebrun, ſequitur manifeſte, quod iſtius virgæ uſus ſit vitioſus, ut pactum ſaltem tacitum concurrat cum Dæmone; quia hæc virga quæ a converſione ceſſaverat in manibus eorum, qui ita precati fuere, denuo in manibus eorumdem moveri cœpit, cum abſolute eam moveri optarunt, abſtrahendo „ bonum ne id eſſet, an malum: & eo vel maxime, quod lapis deſignatus ad conſtituendum agri limitem nihil habet phyſici, quod non habeat alter lapis. Unde ſi virga non movetur circa unum, naturaliter circa alterum non movetur; quod enim phyſice agit, in iiſdem circumſtantiis ſemper agit; igitur virgæ converſio ab intentione pendet, adeoque ſemper ſuperſtitioſe; ſeu concurrente virtute Dæmonis movetur.

Circumſtantia *cur*, ſeu finis triplici modo contingere poteſt: etenim 1. aliquando fit, ut actio de ſe bona ad finem moraliter malum referatur; ut ſi quis ſtipem tribuat pauperi, ut eum ad furtum inducat, tunc certe circumſtantia finis mutat ſpeciem; quia actum ex bono facit malum moraliter. Et in tali caſu, cum tota malitia ſit a fine, finis non tam eſt circumſtantia, quam ipſum totum obiectum tribuens primam peccati malitiam. 2. Quando tam obiectum, quam finis, propter quem fit actio, habent mortalem malitiam. Ea vero vel eſt diverſæ ſpeciei, ut ſi quis Furetur ad ſe inebriandum, vel eſt eiuſdem ſpeciei, ut ſi quis uni furetur ſcalam, ut ipſa utatur ad furandum alteri pecuniam; utraque tamen in Confeſſione aperienda eſt; cum prima, id eſt furtum ob ebrietatem, mutet ſpeciem, altera aggravet in ſpecie. 3. Tandem quando finis ex ſe non eſt moraliter malus, actio vero, quæ propter eum fit, ſive omiſſio, eſt moraliter mala; ut ſi quis omittat vel Divinum Officium, vel Sacrum audire die feſto,

Digitized by Google

ſeſto, ut ſtudiis vacare poſſit; tunc probabilius cenſetur etiam a rigidioribus finem non eſſe in Confeſſione explicandum; quia ubi unum non eſt malum, niſi ob aliud, ibi unicum eſt malum; ita ut qui furatur ut det eleemoſynam, vel ſua debita ſolvat, unum tantum committit peccatum. Sic Henricus a S. Ignatio, de Lugo, aliique. Item non eſt probabile, gravius peccare, qui Miſſam omittit, ut vacet ſtudiis, quam qui eam omittit ex mera negligentia, qui iam nonniſi unius peccati eſt reus.

Circumſtantia *quomodo*, ideſt modi, ſæpe peccatum intra eamdem ſpeciem minuit, vel aggravat. Gravius profectò peccat, qui cum plena, quam qui cum ſemiplena peccat advertentia, aut qui ex malitia ac ſcienter, quam qui ex ignorantia, paſſione, metu, aut precibus: Et hæc peccata ſunt eiuſdem ſpeciei, quia magis & minus non mutant ſpeciem, niſi cum peccatum ex veniali faciunt mortale. Non raro tamen evenit, ut circumſtantia modi ſpeciem mutet ſic: 1. modus violentiæ iniurioſæ conſtituit rapinam in furto, ſtuprum in fornicatione. 2. Modus detrahendi coram ipſa perſona, cui detrahitur, addit detractioni malitiam contumeliæ. 3. Modus peccandi ex contemptu formali; ex odio, invidia, inobedientia, addit peccato propriam contemptus, odii, & ſimilium malitiam. Secus ſi hæc expreſſe, & ſpecialiter non intendantur; quia alioquin non erunt niſi generales circumſtantiæ, quæ cuilibet peccato accedunt, cum contemptus v. g. Divinæ legis, ingratitudo, aliaque huiuſce generis in omni peccato reperiantur.

Difficultas verſatur inter D. D. an geſtans Sanctorum Reliquias collo appenſas, ſi peccet, teneatur modum hunc explicare in Confeſſione. De Lugo non eximit a gravi culpa contra Religionem, qui Euchariſtiam portans actum venereum exerceret; ſed Tourneleius rem extendit etiam ad peccata detractionis, contumeliæ, aliorumve huiuſce generis. Cæteroquin circa Reliquias Sanctorum ferentem, non credit hic auctor, eo ſolo tam reum fieri dum peccat, ut talem circumſtantiam teneatur aperire in Confeſſione; alioquin ſatius eſſet ab hoc pietatis actu abſtinere, cum nemo ſit, qui non cadat, ſaltem venialiter, & qui conſequenter levia hæc peccata non adaugeret. Num autem explicare teneatur pœnitens, ſe reſtitiſſe Divinis inſpirationibus, dubitari poteſt. Circa quod dicendum, circumſtantiam inſpirationis vehementis, quæ neglecta fuerit, debere aperiri; quia talis negligentia peccatum notabiliter adauget.

Verſatur inſuper controverſia inter D. D. an modus durationis, ſeu diuturnitatis actus ſit explicandus in Confeſſione, & circa hoc, ſi contingat peccata propter durationem mortaliter multiplicari quoad numerum, volunt Salmanticenſes durationem exprimendam eſſe; ſecus vero ſi peccata exinde non multiplicentur. Cenſent alii exprimendam eſſe durationem, ſi notabilis ſit, tametſi peccata per eam non multiplicentur, quod rarum eſt. Nequit tamen definiri, quæ duratio notabilis ſit, ut in Confeſſione ſit explicanda. Circa circumſtantiam *quando* vide quæ ſupra diximus in hoc eodem paragrapho.

§. XI.

De diſtinctione numerica Peccatorum.

Res nobis tractanda nunc obiicitur valde utilis, immo & maxime neceſſaria ad digne Sacramentum Pœnitentiæ ſuſcipiendum miniſtrandumque, ſed perdifficilis explicatu, quia cum debeat pœnitens Sacerdoti aperire in Sacramentali Confeſſione non ſolum peccatorum ſpecies, ſed numerum quoque & circumſtantias, ut definit Concilium Tridentinum Seſſ. 14. Can. 7. ubi ait, neceſſarium eſſe iure Divino confiteri omnia, & ſingula peccata mortalia; & ſi ita non fecerit pœnitens, teneatur Confeſſarius eumdem de illis interrogare iuxta regulam præſcriptam ab Eccleſia in ſuo Rituali Romano in Rubrica *de Pœnitentiæ Sacramento*; quis non videt, quæ quantæque non leves difficultates in tali propoſito diſſolvendæ occurrant, ac proinde in negotio non minus valde extenſo, quam obſcuritatibus involuto, quam arduum ſit, ſine animarum diſcrimine, nempe ſecundum rei veritatem ſe extricare? Nihilominus celebriorum Theologorum ductu, meliori modo, quo ingenii noſtri exilitas permiſerit, ne id quoque quod tam neceſſarium eſt hic deſideretur, breviter quidem explanare curabimus, ut ſi pœnitens imperitia, vel negligentia in hoc negotio deficiat, ſcientia, ac ſollicitudo Confeſſarii ſupplere valeat.

Numerica peccatorum multiplicatio, ut ex dictis patet, hic attenditur in ordine ad Sacramentalem Confeſſionem, ideſt in ordine ad eorum numericam manifeſtationem, quæ facienda eſt in Confeſſione, ut ad eius integritatem omnino requiritur. Ideo hic agitur de morali, non phyſica peccatorum diſtinctione, cum ex phyſica peccatorum multiplicatione non ſemper ſequatur eorum-

dem

dem multiplicatio, ſeu diſtinctio moralis; nam quandoque multi actus peccaminoſi phyſice non conſtituunt niſi unum numero peccatum moraliter, ut contingit in eo qui cogitans ſuum occidere inimicum, ea intentione quærit equum, præparat arma, ſe itineri accingit, hoſti ponit inſidias, ipſumque tandem occidit. Hic multos quidem peragit actus illicitos phyſice diſtinctos, qui tamen non ſunt niſi unum tantummodo moraliter peccatum, ac proinde homicida unum tantummodo peccatum committit. Quocirca inter ea, quæ præcipue in tali re diſcutienda occurrunt, ut ſuæ ſtabiliantur regulæ, hæc duo examinanda erunt, nempe, quando ex multis actibus phyſicis unum vel multiplex peccatum exurgit, & quando actus phyſice unus plures numero malitias, ſeu peccata complectitur; ita ut in priori ſtudium, ſeu exercitatio verſabitur circa multos actus relative ad unum obiectum, in poſteriori vero circa unum actum relative ad plura obiecta.

Theologi in perquirendis fontibus, ex quibus deduci poſſit numerica peccatorum diſtinctio, deprehenderunt peccata generatim numero multiplicari, ideſt numero ad invicem diſtingui intra eamdem ſpeciem dupliciter, & pro numero diverſorum obiectorum totalium, quæ non ſolum phyſice & materialiter, ſed formaliter etiam, ac moraliter inter ſe ſunt diſtincta, & per moralem actuum interruptionem. Dixi *moralem*; quia ſicut in Confeſſionibus directe attenditur actus moralis, & non phyſicus, ita attendenda eſt multiplicatio ſeu diſtinctio numerica, non phyſica, ſed moralis, ad quam non ſufficit quæcumque actuum interruptio, ut in phyſica eorum multiplicatione, ſeu diſtinctione; ſed ea, qua plures actus non cenſentur una moraliter actio, utpote qui plures habent numero malitias. Dixi *inter eamdem ſpeciem*; quia certum eſt, quod peccata quæ ſpecie inter ſe diſtinguuntur, numero etiam diſtincta ſunt; cum in iis quæ eſſentialiter differunt, unum non ſit aliud: ubi porro unum non eſt aliud, ibi numerus multiplicatur. Tota igitur difficultas eſt de peccatis eiuſdem ſpeciei, quando ſcilicet peccata hæc licet penes ſpeciem, ſeu naturam indiſtincta, penes numerum diſtinguuntur, & hæc difficultas ex eo potiſſimum oritur, quod in uno actu plura quandoque peccata concurrere videantur, quandoque vero in multis actibus nonniſi unum peccatum inveniri.

Nota, peccata alia fieri per actus abſolutos independentes, & inter ſe nullum ordinem dicentes, ut cum quis blaſphemat, & furatur; Furtum enim, & blaſphemia nullum habent ordinem ad invicem; vel cum quis mane & veſpere cibo ſe ingurgitat; nam una intemperantia non habet dependentiam, aut relationem cum alia: alia autem fieri per actus ſubordinatos, ac adinvicem dependentes, quatenus ad unum tertium coordinantur, ut in caſu ſupradicto de illo, qui animo occidendi ſuum inimicum, peragit omnia ea, quæ ducunt ad homicidii executionem; omnes enim illi actus ſunt ad invicem dependentes, & ad unum ordinati, nimirum ad hoſtis occiſionem. Hiſce præmiſſis ſit.

Peccata ſecundum multiplicationem numericam obiectorum totalium integrorum, ac numero diſtinctorum numero multiplicantur ſeu diſtinguuntur, ſive per unicum actum internum, aut externum, ſive per plures illa exequantur. Dixi *multiplicari numero peccata, ſecundum numericam multiplicationem obiectorum totalium numero diſtinctorum*; quia ſi obiecta non ſint integra, & totalia, ſed ſingula veluti partes alterius, ſeu ſingula ordinata ad conſtituendum cum alio aliquod totum, nequeunt multiplicare peccata. Addidi *numero diſtinctorum*; quia ſi ſpecie diſtinguantur, tunc, ut antea iam notavimus, multiplicabunt peccata, non ſolum ſpecie, ſed etiam numero. Dixi tandem *ſive per unicum actum internum aut externum, ſive per plures exequantur*, quia non ſolum actus phyſice plures numero, & diſtincti, quorum ſinguli verſantur circa unum obiectum totale, ſunt numero plura, & diſtincta peccata; ſed unus etiam phyſice actus verſans circa plura obiecta totalia, ideſt quæ non ſe habent per modum unius, licet ſint eiuſdem rationis, ſit formaliter plura numero peccata; nam tunc ſaltem æquivalenter, & virtualiter malitia huius actus in genere moris eſt numero multiplex, & diſtincta ratione huiuſcemodi diſtinctorum obiectorum, quorum ſingula habent ſuam individuam malitiam moraliter ab invicem diſtinctam. Idcirco tunc in actu voluntatis phyſice uno verſantis circa illa diſtincta obiecta, ſaltem æquivalenter, & virtualiter malitia in genere moris multiplex eſt, ac numero diſtincta. Etenim cum tota malitia obiecti actuſque externi communicetur actui voluntatis in idem obiectum tendentis, utpoteque volita ſit ſaltem indirecte, & interpretative; actus etiam unus voluntatis tendens in plura obiecta ſingula per ſe totalia,

idest

Digitized by Google

ideſt quæ non ſe habent per modum unius obiecti, participat ſingulas eorum malitias, moraliter inter ſe diſtinctas, ac proinde licet unus ſit, virtualiter, & æquivalenter ſit multiplex actus in genere moris. Et equidem ſi peccata diſtinguuntur ſpecie ex obiectis, quia ordinantur ad illa quatenus ſunt ſpecie diverſa; cum ordinentur ad illa obiecta etiam ut ſunt numero diverſa, ab eorundem obiectorum numerica diſtinctione ipſa quoque peccata numero diſtinguuntur. Et ſic tametſi metaphyſice non eſſet niſi unum numero peccatum, moraliter tamen, & humano modo, ſeu in prudenti hominum æſtimatione ſunt plura numero peccata, ideſt in prudentum iudicio cenſentur plura numero peccata in Sacramentali Confeſſione aperienda.

Hinc non ſolum qui per quatuor actus phyſice diſtinctos quatuor occidit homines, quatuor numero committit homicidia in Confeſſione aperienda; ſed ille quoque, qui volens unico actu quatuor homines occidere, & re ipſa unica ſclopeti exploſione occidit, actu illo phyſice uno, ſed æquivalenter multiplici, quatuor moraliter committit peccata in Confeſſione ſub tali numero explicanda. Item qui unico actu plures oves, aut boves plurium dominorum furatur, quamvis ex eodem grege, tot peccata numero diſtincta committit, quot ſunt domini; cum per illam actionem iura multorum realiter & numerice diſtincta lædat. Si vero eſſent unius Domini, & eadem nocte, pluribus etiam vicibus furatus eſſet, tunc unicum peccatum committeret; quia furta non diſcontinuantur, & alias ſunt partes unius furti totalis; cum nonniſi unum ius lædatur. Similiter qui unice actu ſtatuit non ieiunare tota quadrageſima, aut per totum menſem non recitare Officium divinum, tot peccata committit, quot ſunt ieiunia Quadrageſimæ, & dies menſis; quia illa obiecta ſunt totalia & numero diſtincta. Pariter blaſphemans contra duodecim Apoſtolos, detrahens de una familia, aut Collegio, vel mortem contra eos parans, duodecim crimina patrat, quidquid in contrarium ſentiat Bonacina cum Navarro, aliiſve cenſentibus, unum Collegium vel familiam in iure unam reputari perſonam. Nam licet plures perſonæ eiuſdem familiæ vel Collegii ex iuris fictione habeantur veluti una tantum perſona, in eſſe tamen moris ſunt revera plures. Unde in foro Pœnitentiæ non computandæ ſunt per modum unius. Si enim quis occidiſſet ſex alicuius familiæ, iuxta communem æſtimationem cenſeretur commiſiſſe ſex homicidia, non minus ac ſi ſex interfeciſſet, ſingulos ex diverſa familia. Immo ſi ex interfectis perſonis eiuſdem familiæ recenſeretur pater occiſoris, eiuſdem uxor, Sacerdotes & Laici, certe occiſor reus eſſet parricidii propter Patrem, Uxoricidii propter ſponſam, Sacrilegii propter Clericos: quomodo ergo dici poterit non eſſe reum duodecim peccatorum blaſphemiæ qui hanc protulit contra duodecim Apoſtolos? Et ita dicito de eo, qui de aliqua familia, vel Collegio detraxit, nempe reum eſſe tot numero culparum, quot ſunt perſonæ familiæ vel Collegii; cum ſinguli ſint non ſolum phyſice, ſed etiam moraliter plura obiecta totalia, & ſinguli proprium, ac diſtinctum ius habeant ad eorum famam. Et revera licet ipſi adverſarii non concedant hunc committere duodecim peccata per blaſphemiam in duodecim Apoſtolos, fatentur tamen hanc circumſtantiam aperiendam eſſe in Confeſſione, quia per ipſos huiuſce blaſphemiæ peccatum licet unum ſit, duodecim tamen peccatis eſt æquivalens. Itidem Sacerdos in malo ſtatu, ſeu cum conſcientia lethalis peccati Sacramenta adminiſtrans tot committit peccata, quot abſolvit pœnitentes, vel baptizat infantes, aliave adminiſtrat Sacramenta; quia adminiſtratio uni facta non minus diſtincta eſt moraliter a miniſtratione alteri ſucceſſive facta, ac occiſio unius ab occiſione alterius ſucceſſive uno impetu iræ executa.

Difficultas tamen non levis verſatur inter Theologos circa adminiſtrationem Euchariſtiæ pluribus factam eadem occaſione. Iudicant aliqui, tunc eſſe adminiſtrationem unius, & eiuſdem convivii, ac proinde unam moraliter actionem, idcirco unum tantum volunt peccatum committi. Alii vero contrarium ſentientes ſuſtinent, tot peccata committi, quot ſunt perſonæ, quibus ſacra Communio miniſtratur. Pro utraque parte ſuæ militant rationes, & potiores pro prima, quam pro ſecunda ſententia. Sed de hoc melius ſuo loco.

An vero Sacerdos celebrans cum conſcientia lethalis, ob plures diſtinctas actiones quæ occurrunt in celebratione, ut ſunt Conſecratio & Sumptio utriuſque ſpeciei, tot committat peccata, quot ſunt hæ actiones, diſputant Auctores, & communius ſentiunt, unum tantum committere peccatum, quia hæ actiones licet multæ phyſice, moraliter pro una tantum reputantur; quia una ex his actio exurgit, unumque myſterium.

Quando vero actus phyſice diſtincti ſunt, & ad actum principalem ordinantur, & ex eius intentione fiunt, tunc unum numero peccatum conſtituunt cum actu principali, quia moraliter ſpectantur ut eius diſpoſitio & inchoatio. Quare qui intentione fornicandi alienam mulierem ſollicitat, impudicis aſpectibus contemplatur, oſculatur, tangit, & conſummata copula de eadem gaudet, ei ſufficit ſi actum fornicationis exprimat; cum cætera ex uſu totius Eccleſiæ ſatis colligantur per regulam a communiter accidentibus. Ita cum aliis Henricus a S. Ignatio. Si vero actus præambuli non fierent ex intentione actus principalis, ſed ob eorum propriam delectationem, ſeparatim a principali actu confiteri deberet pœnitens. Ita Communiter. An vero tactus huiuſmodi, ſimiliave, quæ immediate ſequuntur copulam, ſint peccata ab ea moraliter diſtincta, & ut talia in Confeſſione exponenda, non conveniunt Theologi. Sentiunt quidem omnes, ſi ordinati ſint ad novam copulam, vel pollutionem, eſſe novum peccatum a priori principali diſtinctum, ſive pollutio aut copula ſequatur, ſive non; ſecus vero volunt quamplurimi eſſe ea nonniſi primæ copulæ vel pollutionis appendices, & complementa. Tutior tamen eſt contraria opinio, quam præcipue tuentur Suarez, Sylvius, aliique; cum hæc crimina minime ſint partes copulæ, vel pollutionis præcedentis, quæ iam conſummata eſt, nec magis cenſendæ ſunt eius appendices, quam nova ſequens copula, vel pollutio, ad quam ex natura ſua excitant, & diſponunt. Sentiunt quidem Navarrus, Vaſquez, Henricus, & Sylvius, quod is qui uno quodam impetu venereo, una carnalis delectationis intentione, ſe, vel alium decies cum aliqua interruptione tangit, unum moraliter peccatum conſtituit, quia cenſetur una moraliter actio, ſicut cenſetur una moraliter comeſtio eius, qui plura ſucceſſive fercula manducat. Idemque dicito de eo, qui uno rixæ impetu pluries ſucceſſive percutit, vel plura in eumdem dicit convitia eiuſdem rationis, puta eum furem vocando. Si quis vero alium contumeliis ſpecie diverſis continenter afficiat, v. g. eum furis, adulteri, hæretici, aliiſve huiuſce generis notis impetendo, tunc diverſa erunt ſpecie & numero peccata; quia diverſæ ſunt ſpecie læſiones, cum læſus in honore propter furtum, adulterii purus cenſeri poſſit. Probabile tamen eſt, ut dicunt aliqui, eum, qui plures in alium protulit iniurias, quibus nulla iam ab adſtantibus fides habetur, eo quod cognoſcant falſo illa eidem imputari, & procedere ab animo ira exardeſcente, evomente quidquid ei venit in mentem, ut in garrulis mulierculis contingit, probabile dixi, hunc nonniſi unius peccati eſſe reum; quia totus huiuſcemodi iniuriarum finis & effectus, eſt iræ & furori ſatisfacere: & qui ita agunt non nocent alterius honori; immo reddunt ſemetipſos communis obiectum ludibrii. Hæc tamen ex circumſtantiis iudicanda ſunt. Cæterum qui uno actu, vel pluribus ſucceſſive domum multis conſtans cubiculis comburit, vel eam furtim ſuis mobilibus expoliat, vel pecuniam, veſtes, &c. furatur viatori, unum tantum committit peccatum; quia hæc obiecta ſe habent per modum unius; nihilominus exponenda eſt in Confeſſione quantitas damni, aut rei furatæ, ſive quia illa ſe habet veluti circumſtantia notabiliter aggravans, ſive quia pertinet ad ipſam actus ſubſtantiam.

Advertendum tandem, quod cum peccata numero multiplicentur multiplicatione obiectorum totalium, licet plura ſint præcepta præcipientia actionem, vel omiſſionem vetantia, ſi præcepta ſint inter ſe ſubordinata, & connexa, ac idem reſpiciant obiectum propter idem motivum, tunc traſgreſſio horum præceptorum eſt unum numero peccatum, quia tunc hæc præcepta unam eandemque numero obligationem imponunt. Unde eorum violatio unicam numero habet malitiam. Sic uſura, licet quadruplici iure ſit vetita, naturali ſcilicet, Divino, civili, & Canonico; violatio eiuſdem voti multoties renovati, aut ieiunii quatuor Temporum, & Quadrageſimæ, quod duplici præcepto indicitur, ſingula ſunt unum tantum peccatum. Gravius tamen cenſendum eſt committi peccatum, quando obligatio violatur pluribus licet eiuſdem ſpeciei titulis impoſita: quia ſinguli tituli obligationem imponunt, qui cum plures ſint, illam augent, ideoque violationem aggravant. Quare gravius peccat omittens Breviarium Religioſus Ordine Sacro inſignitus, quam non inſignitus. Quando vero præcepta ſunt diſparata, hoc eſt non ſubordinata inter ſe, nec connexa, neque per ſe præſcribunt eamdem numero actionem, vel non omiſſionem, ſed completam, perfectam, & ab altera obligatione ſeparabilem, ut ieiunium quod præcipitur in vigilia S. Matthæi, quæ incidat in feria quarta quatuor temporum, vel &c. volunt aliqui quod violatio ieiunii in illa vigilia ſic incidentis cum die ieiunii qua-

Digitized by Google

tuor Temporum ſint duo numero diſtincta peccata in Confeſſione explicanda; quia duo violarentur diſparata ac ſeparabilia præcepta, ac proinde duæ obligationes ab invicem diſtinctæ. Verum communius ac probabilius contendunt alii, quod unum tantum per hanc violationem, licet duplicis obligationis, eſſet peccatum; gravius quidem, ac in Confeſſione aperiendum; quia licet eſſet violatio præceptorum, & obligationum diſparatorum, nonniſi unum tamen eorum eſſet obiectum, una ratio formalis, unus finis. Peccata enim non multiplicantur numero, ſeu non diſtinguuntur ex diverſis præciſe præceptis, licet diſparatis, niſi talia præcepta prohibeant diverſa obiecta numero diſtincta, vel quando prohibent eandem rem ſub diverſa ratione formali numero diſtincta. Exemplum prioris eſt, quando quis unico ictu plures occidit homines, quorum occiſio vetita eſt in particulari, quatenus quælibet perſona numerice ab alia diſtincta eſt. Exemplum ſecundi eſt in adulterio. Qui enim rem habet cum adultera, præter peccatum ſimplicis fornicationis committit aliud peccatum numero diſtinctum contra iuſtitiam: quia nimirum idem adulterium vetitum eſt ſub diverſa ratione formali numero diſtincta, nempe propter iniuſtitiam, quam infert marito alterius, quam adulterio polluit, & iniuſtitiam, quam infert propriæ uxori. Unde duo iura numero formaliter diſtincta violat adulter. Et ſic in plurimis aliis caſibus, qui brevitatis gratia hic omittuntur.

Peccata inſuper numero multiplicantur, ſeu diſtinguuntur per moralem eorumdem actuum interruptionem, quando ſcilicet nec virtualiter, nec interpretative, nempe nec formaliter in ſe, neque virtualiter in aliquo effectu actus manere ſeu continuare cenſeatur; quia cum peccatum ſit actus humanus malus moraliter, hinc quot ſunt actus voluntatis mali moraliter interrupti, & diſtincti, tot ſunt actus humani mali moraliter, & ideo tot diſtincta numero peccata. Nam moralis interruptio efficit, ut actus non ſint inter ſe moraliter connexi, eo ferme pacto quo ex oppoſito moralis continuatio facit quod actiones, licet phyſice multiplices, ſint una moralis actio.

Actus autem humani moraliter interrumpuntur, ac ceſſant, vel per contrariam voluntatem, & propoſitum, ideſt per voluntariam actus retractationem, (ſeu prior voluntas per contrariam voluntatem, ſeu propoſitum revocatur) vel per voluntariam, & liberam actus ceſſationem, ideſt cum voluntas libere ceſſat ab actu, ut ſe alio convertat; vel per ceſſationem etiam involuntariam, & naturalem, nempe quando involuntarie, & quaſi naturaliter ceſſat ab actu, ſive per ſomnum, ſive per diſtractionem ad alia.

Verum ut planius hæc percipiantur, advertendum ex antea iam dictis, necnon ex D. Thomæ doctrina 1. 2. q. 72. peccatum dividi in peccatum cordis, oris, & operis. Peccata cordis dicuntur ea, quæ non habent pro obiecto opus aliquod externum, ſed in ipſo corde omnino complentur, & conſummantur, ut peccatum odii Dei, & proximi, hæreſis, iræ, invidiæ, avaritiæ, iudicii temerarii &c. Peccata oris ea dicuntur, quæ in ore prorſus conſummantur, cuiuſmodi ſunt mendacia, periurium, blaſphemiæ, falſa teſtimonia, detractiones, convitia &c. Peccata tandem operis illa ſunt, quæ in ipſo opere externo perficiuntur, qualia ſunt homicidium, adulterium, idololatria, fornicatio, furtum, aliave, quæ externe, nempe per corporis facultates exterius conſummantur. Hæc autem omnia peccata, ſive cordis, ſive oris, ſive operis, iam ſupponimus interrumpi poſſe per actum voluntatis contrarium, quo primam intentionem retractamus, vel voluntarie, & libere ab actu ceſſamus. Idcirco ſola difficultas remanet circa tertium modum, quo ſupra diximus iudicari poſſe actus interrumpi per involuntariam, & naturalem ceſſationem actus, ſeu per temporis diſcontinuationem.

Et quoad peccata cordis, hoc eſt conſummata perfecte in intellectu & voluntate; interrumpuntur moraliter, & quot ſunt actus voluntatis, tot peccata multiplicantur numero, non ſolum per expreſſam retractationem, ſed eo ipſo etiam quod actus voluntatis multiplicantur, ſeu innovantur, cum non poſſint actus multiplicari ſeu innovari, quin ſimul etiam interrumpantur ſeu unus actus ab alio disiungatur. Et ratio eſt, quia huiuſcemodi peccata, poſtquam committuntur, nullo modo manent, ſeu perſeverant, nec formaliter, nec virtualiter; unde ſtatim ac perficiuntur per actus intellectus, & voluntatis, eſſe deſinunt etiamſi non retractentur, & ſolum remanet peccatum habituale. Peccatum vero quod in ſe non manet ſeu non perſeverat nec formaliter, nec virtualiter, nequit cum alio continuare, ſed moraliter interrumpitur, & ſic tot ſunt peccata, quot actus intellectus, aut voluntatis tempore aliquo interiecti. Unde ſequitur, quod

quod quando aliquis elicit actum odii Dei, vel proximi, invidiæ, iudicii temerarii, hæreſis, ambitionis &c. peccat; & ſi immediate poſt repetit eoſdem actus circa idem obiectum, tot multiplicat numero peccata, quot elicit actus. Ita docere videntur D. Thomas in 2. diſt. 42. q. 1. art. 1. Armilla, Azorius, Salmanticenſes, aliique, quidquid in contrarium dicat Canus in prælec. *de pœnit.* part. 5.

Quod ſi actus voluntatis verſentur circa peccata quæ exterius conſummantur, ut ſunt peccata oris, & operis, ut ſi quis intenderet occidere, aut furari, tunc tales actus diſcontinuantur quando peccatum exterius conſummatur; vel quando voluntas per contrarium actum ſe retractat, ideſt abiicit intentionem, quam efformaverat furandi; vel voluntarie ceſſat ab actibus ordinatis ad furandum, ſive incœpti ſint, ſive nondum aliquem arripuerit, & denuo iteret vel intentionem, vel actus ad furtum conducentes: nam quoad primum illi actus voluntatis eatenus ſunt peccata, quatenus ordinantur ad obiectum pravum; idcirco ſi obiectum pravum, ſeu peccatum conſummatur, conſummatur quoque ac perficitur eorumdem actuum malitia. Unde ſi quis animum habeat furandi, ſtatimque executioni id demandet, ſi poſtea repetat idem propoſitum, duo committit peccata; quia primum propoſitum interruptum fuit per exterioris operis conſummationem. Quoad alterum vero ratio eſt, quia voluntas hoc ipſo quod libere dimiſſa fuit, non fuit moraliter continuata, alias dimiſſa, & non dimiſſa fuiſſet. Hinc qui viſa muliere eam male concupiſcit, & poſtea a tali pravo deſiderio ſe divertit, ut alia cogitet, ſtatimque ad priorem revertitur delectationem, duo committit peccata; quia prior voluntas nec formaliter, neque virtualiter perſeverat.

Multiplicatur tandem malitia etiam per involuntariam & naturalem ceſſationem, puta per ſomnum etiam brevem, per diſtractionem, & in advertentiam naturalem, faltem ſi hæc ſatis ſit longa, ut iuxta prudens iudicium prior actio ceſſaſſe, & altera incœpiſſe cenſeatur. Ita ſentiunt non pauci, hac ducti ratione, quod actus, qui nihil habent in quo uniantur, nec in ſe, nec in ullo effectu ſuo continuantur. Actus denique qui ſecum invicem connexi non ſunt, non poſſunt moraliter cenſeri unus idemque actus. Unde cum hoc fiat, ubi eſt interruptio ſive voluntaria, ſive naturalis, iam actus interrupti nihil habent, in quo uniantur, ſicuti econtra habent diſtincti actus conducentes ad occiſionem hoſtis, qui licet per non breve intervallum temporis executioni mandentur, conſummenturque, & inter ipſos mora aliqua intercedat, & diſtractio, ut ſi inter unum actum, & alium occiſor legerit, confabulatus ſit, de aliis rebus cogitaverit, ſæpiuſque occidendi voluntatem innovaverit, unum tamen moraliter peccatum committit, eo vero gravius, quo pluries homicidii ſtatuti voluntatem innovaverit; tum quia prior voluntas in illa actuum externorum ſerie perſeverat, & continuatur, tum quia aliqua interruptio phyſica unitati morali non nocet, ut patet in prandio, quod unum cenſetur, licet per colloquium aliquod, aut epiſtolæ lectionem interrumpatur.

§. XII.

De inæqualitate, & connexione Peccatorum.

Stoici olim, & cum ipſis poſtea Iovinianus ſtatuebant peccata omnia indiſcriminatim eſſe paria in ſua malitia, ideſt omnia in gravitate æqualia. Hinc docebant, convicium & homicidium, adulterium & otioſum ſermonem uno ſupplicio punienda, ut pſis exprobravit D. Hieroymus lib. 2. *contra Iovinianum cap.* 17. Priuſquam tamen aliquid circa hoc exponatur.

Nota 1. duplicem diſtinguere Theologos peccati gravitatem, unam eſſentialem, ſeu ſpecificam, & eſt illa, quæ convenit cuilibet peccato ex ſua propria ſpecie; alteram accidentalem, quæ advenit actui iam in ſua ſpecie ſeu eſſentiali ratione conſtituto. Ad hanc ſecundum gravitatem reducitur primo, quod actus fiat cum maiori intenſione. 2. cum maiori extenſione, ſive ad tempus, ut cum actus diutius durat, ſive ad qualitatem obiecti, ut furtum mille aureorum. 3. cum perfectiori voluntario, & libero. Hic tamen non agitur de gravitate hac accidentali, ſed de eſſentiali.

Nota 2. peccata conſiderari poſſe, vel prout ſolo numero inter ſe ſunt diſtincta; vel prout ſunt tale ſpecie peccatum a peccato alterius ſpeciei diſtinctum, ſeu differens. Hiſce notatis ſit.

Peccata, quæ ſolo numero ſunt diſtincta, per ſe loquendo, parem habent gravitatem; quia ſolo numero diſtincta non differunt eſſentia, idcirco nec gravitate eſſentiali. Hinc omnes fornicationes, furta, homicidia, omiſſiones omnes audiendi Sacrum, con- *Peccata ſolo numero diſtincta parem habent gravitatem.*

con-

confitendi ſemel in anno in Paſchate, & ſic de ſingulis peccatis, quæ numero tantum diſtinguuntur, ut celebrationes Sacri a Sacerdotibus non ieiunis, ſunt æqualia, Aliud tamen dicendum circa modum celebrandi; nam certe gravius peccat, qui celebrat in loco prophano, ſine lumine, ſine vaſibus ſacris, quam qui ſine ſola capſula; quia hic interveniunt plura præcepta formalia, vel ſaltem virtualia.

Dices: furtum unius aſſis, & furtum quinquaginta aureorum ſolo numero differunt, cum idem habeant obiectum, nempe rem alienam. Igitur peccata ſunt inæqualis gravitatis, etiam prout numero diſtinguuntur. Reſpondetur peccata in caſu allato numero diſtincta inter ſe differre tum quoad ſpeciem phyſicam, tum quoad ſpeciem moralem (nam unum eſt mortale, aliud vero veniale). Unde ſumus extra quæſtionem, cum hæc ſit de peccatis ſolo numero differentibus, non vero ſpecie, ſicut ſunt in caſu furti unius aſſis, & quinquaginta aureorum.

Peccata ſpecie moraliter diſtincta non ſunt eiuſdem gravitatis; ſed alia aliis graviora contra Stoicos, & Iovinianum, qui ut ſupra notavimus, volebant, peccata omnia eſſe eiuſdem malitiæ, fundati in hoc, quod omne peccatum privat rectitudine rationis, in qua non datur magis & minus. Veritas noſtræ ſententiæ quæ eſt Catholica, patet ex ipſa Scriptura, præcipue Matthæi 5. ubi Chriſtus Dominus advertit, quod *qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio. Qui autem dixerit fratri ſuo, raca, reus erit Concilio. Qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ*, & ibidem cap. 12. *quicumque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei*. Et 1. Ioan. 5. fit mentio peccati quod eſt ad mortem, & quod non eſt ad mortem. Et Chriſtus Dominus Ioann. 19. expreſſe ait; *qui me tradidit tibi, maius peccatum habet*.

Et hæc veritas manifeſtiſſime patet ex ipſa etiam ratione. Etenim ſi peccata alia ſunt mortalia, alia venialia, & inter mortalia, quædam plus, quædam minus rectæ rationi repugnantia, non ſecus ac virtutes, quarum aliæ ſunt aliis nobiliores, ut Theologicæ; profecto peccata alia aliis debent eſſe graviora. Quis non dicet magis repugnare rectæ rationi rationalemque naturam dedecere vitam homini eripere, quam unum nummum; plus beſtialitatem & ſodomiam committere, quam ſimplicem fornicationem. Inſuper ſi inter virtutes, aliæ dantur aliis nobiliores v. g. Charitas, Temperantia, &c. clare ſequitur, quod etiam peccata, quæ ſunt virtutibus oppoſita, peiora ſint, quæ militant contra virtutem nobiliorem, quam ea, quæ virtuti minus nobili adverſantur. Unde peius eſt odiſſe Deum, quam occidere hominem, quia illud charitati, hoc iuſtitiæ repugnat. Verum hæc non eſt unica regula, unde deſumenda ſit peccatorum inæqualitas; immo gravis difficultas eſt ſtatuere, & aſſignare unde illa præciſe deſumatur, nec ulla poteſt generaliter aſſignari. Hinc aliquando petitur ex oppoſitione ad nobiliorem virtutem, aliquando ex intentione Legiſlatoris volentis aliqua præcepta magis quam alia obligare; aliquando in peccatis eidem virtuti oppoſitis, ex eo quod unum primario repugnet virtuti, aliud ſecundario. Sic maius peccatum eſt avaritia, quam prodigalitas; quia primario inclinat liberalitas ad dandum, ſecundario autem ad non excedendum in donatione. Sic &c. In exponendis tribus fontibus, ex quibus deduci queat inæqualitas malitiæ peccatorum; dixi quod aliquando ut hæc deprehendatur, vix aliquid certi ex aſſignatis deduci poſſit pro praxi, cum aliquando dentur peccata nobilioribus virtutibus oppoſita, non tamen ideo graviora. Nam furtum gravius eſt peccatum, quam non auditio Miſſæ in die feſto, tametſi illud opponatur iuſtitiæ, hæc Religioni. Item gravius eſt Deum blaſphemare, quam Deum non amare adveniente diligendi præcepto, & tamen primum opponitur tantum Religioni, ſecundum vero charitati. Quare ad dignoſcendam maiorem vel minorem peccatorum malitiam attendendum eſt prudens dictamen rationis, communeque Doctorum iudicium, conſiderata peccatorum malitia, quæ quandoque maior, quandoque minor cognoſcitur ex ipſiſmet terminis, cum de ſe pateat, gravius eſſe Deum, quam hominem iniuria afficere. Cæterum pro praxi non debet Confeſſarius eſſe nimium anxius circa peccata maiora, vel minora cognoſcenda, dummodo cognoſcat eſſe mortalia, ac illorum inæqualitatem ſaltem gravem, & manifeſtam, ac ſpecificam, & numericam eorum diſtinctionem.

Dices cum Stoicis, & Ioviniano. Peccatum eſt privatio rectitudinis, quarum una non eſt alia maior, ſicuti mors unius quæ eſt privatio vitæ non eſt maior morte alterius. Reſpondetur, falſum eſſe in peccato nihil aliud attendendum eſſe, quam ſolam præciſe privationem, ut iam patet ex dictis

ctis. Licet enim privatio per ſe & ratione ſui non ſit alia maior, alia minor, poteſt tamen eſſe minor & maior ratione perfectionis, qua privat, quæ non conſiſtit in indiviſibili. Et hoc patet in tenebris, quæ iam ſunt figura peccati, quæ licet dicantur privatio lucis, aliæ tamen aliis denſiores ſunt, ac maiores Porro perfectio, qua privat peccatum non conſiſtit in indiviſibili ſicut vita; hinc licet mors alia morte maior non ſit, peccatum maius alio eſſe poteſt. Et hoc patet exemplis naturalibus; quia licet mors alia morte maior non ſit, maior tamen eſt, ſeu maioris perfectionis cæcitas quam ſurditas.

Quæri hic ſolet, num omnia peccata ſint ſimul connexa; & negative reſpondetur; tum quia ſi connexa eſſent, qui reus eſt mendacii, reus eſſet etiam adulterii, quod quis non videt, quam ridiculum ſit; tum quia quædam ſunt peccata, quæ ita ſibi oppoſita ſunt, ut ſimul cohærere nequeant, ut avaritia & prodigalitas. Verum quidem eſt quod dicit S. Iacobus cap. 2. *Quicumque totam legem ſervaverit, & offendit in uno, factus eſt omnium reus;* ſed hoc intelligitur non quod traſgreſſio unius præcepti ſit formalis etiam aliorum omnium præceptorum tranſgreſſio; ſed ſenſus eſt, quod qui unum præceptum tranſgreditur, ideſt mortaliter peccat in uno, incurrit damnationis pœnam non ſecus ac ſi omnia tranſgreſſus fuiſſet; vel quod charitatem lædat, quæ eſt tota lex, & Prophetæ.

Quæritur item, an peccatum ita opponatur virtuti, ut cum ea conſiſtere nequeat: & huic reſpondetur, peccatum veniale conſiſtere poſſe cum charitate, ac proinde cum aliis virtutibus infuſis, ac cum charitate connexis; non vero peccatum mortale; quia fieri nequit, ut idem ſimul ſit amicus Dei, & inimicus. Aliæ vero virtutes, quæ cum charitate connexionem non habent, ſubſiſtere valent, & ſubſiſtunt cum mortali peccato, idcirco fides per infidelitatem, ſpes per deſperationem amittuntur, non per alia peccata, ut docet Tridentinum Concilium Seſſ. 6. can. 28. his verbis. *Si quis dixerit, amiſſa per peccatum gratia, fidem ſimul ſemper amitti, aut fidem quæ remanet non eſſe veram fidem, licet non ſit viva, aut eum, qui fidem ſine charitate habet non eſſe Chriſtianum; anathema ſit.* Hinc damnata remanet, Queſnelii propoſitio 58. *Nec Deus eſt, nec Religio, ubi non eſt charitas.* De virtutibus acquiſitis nulla eſſe poteſt difficultas, quod non maneant cum peccato; quia cum eæ per plures actus acquirantur, ſic raro per unum peccatum amittuntur. Unde vir temperans ſi ſemel in intemperantiam mortalem labatur, non ſtatim omnem temperantiæ habitum deperdet.

§. XIII.

De peccatis mere internis.

Peccata mere interna ea intelliguntur, quæ conſiſtunt in ſolis actibus internis ſine ullo opere, & ſigno externo. Peccat vero homo interne deliberate aſſentiendo vel internæ delectationi, vel deſiderio rei vetitæ, ideſt vel mere ſibi complacendo de obiecto, ſeu opere malo apprehenſo quatenus deliberate placet, ſine intentione, & deſiderio illud exequendi, aut perficiendi; vel deſiderando obiectum aut opus pravum; vel efficaciter intendendo, & deliberando illud aſſequi, vel perficere, & hæc dicitur intentio efficax; aut inefficaciter illud deſiderando. Et hæc inefficacia, vel oritur, ex impotentia illud aſſequendi, aut perficiendi, & cum tali inefficacia ſtare poteſt deſiderium vehemens; vel oritur ex irreſolutione voluntatis nondum determinatæ illud aſſequendi, & perficiendi, & tunc revera intentio, & deſiderium eſt inefficax. Idcirco duplex eſſe poteſt voluntatis aſſenſus; unus formalis, & expreſſus, dum v.g. quis deliberate vult conſequi obiectum, vel perficere opus vetitum mente conceptum, puta fornicationem; alter virtualis implicitus, & interpretativus, dum v. g. qui vult cauſſam, vult etiam effectum cum eadem connexum; puta dum quis vult occidere hominem, qui eſt pater familias, vult ſimul damna omnia, quæ inde ſequuntur.

Voluntas circa inordinatos motus paſſionum triplici modo ſe gerere ſolet: 1. iiſdem cum plena advertentia aſſentiendo, aut voluntatis delectatione, vel deſiderio, & tunc peccat graviter, vel leviter iuxta conditionem rei, circa quam eſt delectatio, & deſiderium. 2. motus illos reiiciendo, & quantum poteſt reprimendo, & tunc, nedum non peccat, ſed virtuoſe operatur. 3. negative ſe habendo, ideſt nec eos reiiciendo per aliquem actum, nec admittendo, ideſt dum nullum actum nec contra ipſos, nec ſecundum ipſos advertenter elicit; & tunc ſaltem venialiter peccat. Quinimmo ſi dum cum tali indifferentia ſe gerit adſit periculum conſenſus, vel ob debilitatem animi ſæpe lapſum experti, vel ex pravis conſuetudinibus contractis, vel ex qualitate motuum, qui ex ſe

val-

valde ſint periculoſi, ut motus vehementes, & prolixi libidinis, aut vindictæ, &c. communis eſt peccare mortaliter; quia in tali caſu tenetur voluntas actu poſitivo etiam repetito illis motibus obſiſtere, eoſdemque reiicere; alias cenſeretur conſenſum interpretativum præſtare: cum quiſque teneatur grave, & proximum peccandi periculum a ſe removere eo meliori modo, quo fieri poteſt, ut in caſu motus hoſce deteſtando, reiiciendo, opem Dei implorando, ut ita roborata voluntas non ſuccumbat: ita S. Thomas q. 15. *de Verit.* n. 4. Quinimmo ſecundum aliquos probabilius peccare videtur voluntas, ſi etiam ſecluſo probabili periculo conſenſus velit in hiſce inordinatis motibus, qui ſint circa obiectum mortale, negative ſe habere. Ita cum pluribus D. Thomas 1. 2. q. 74. n. 6. quia interpretative videtur iiſdem motibus aſſentiri, qui non elicit actum illis oppoſitum dum poteſt & tenetur: Poteſt enim in caſu & facillime ut antea diximus eis obſiſtere deteſtatione, & Divini auxilii invocatione, & etiam debet; quia in motu vehementi Luxuriæ, Invidiæ, Vindictæ eſt inſeparabile periculum grave conſenſus; idcirco non poteſt quis deliberate negative in his ſe gerere, & indifferenter, quin deliberate velit, & amet peccandi periculum; quod fieri nequit ſine gravi peccato, quando periculum habeat obiectum graviter malum. Cum autem contra internos motus pravos voluntas ſe munivit deteſtatione, & auxilii Divini, invocatione &c. ita ut prudenter abſit periculum, quod aſſentiamur delectationi ex illis inſurgenti, non tenemur ſub mortali exteriori conatu illos reprimere, niſi forte experiamur trahi ad aſſenſum; ſed ſufficit, ut perſiſtamus in illorum reiectione, & deteſtatione. Ita Caietanus, S. Bonaventura in 2. *Senten. diſt.* 24. *in* 2. *part. diſtin. art.* 2. *q.* 2. quia inordinatio, & malitia illorum motuum, quando nullo modo eſt volita, nec ullum adeſt periculum conſenſus, eſt ad ſummum venialis; nihil enim poteſt eſſe malum mortale, niſi volitum; cum actus trahant omnem ſuam malitiam a voluntate. Laudabile tamen eſt, ut etiam exterius cohibeantur huiuſcemodi motus, ut ſcilicet eorum occaſiones removeantur, quando ſine magno incommodo id præſtari queat, ut ſuſpicio omnis tollatur interpretativi conſenſus, ac omnis etiam venialis culpa, quantum fieri poteſt repellatur, quæ ſine tali cautela, quando facilis ſit, incurri ſolent.

Motus autem huiuſcemodi inordinati, qui interius exſurgere ſolent ex aliqua occaſione, aliquando permitti poſſunt abſque culpa, dummodo voluntas conſtanter obſiſtat, nec ullum adſit periculum conſenſus, ob motivum aliquod neceſſarium, aut honeſtum, aut etiam utile licitum, ideſt audiendi Confeſſiones, ſtudendi, aſſiſtendi infirmo, aut etiam eidem medendi. Quare inferendum clariſſime occurrit, ſuſpicionem occulti interpretativi conſenſus incurrere illos, qui prædictis inordinatis motibus cauſſam præbent, & ſæpe etiam prævisam, lectionibus, cantilenis ſi non aperte turpibus ſaltem non prorſus honeſtis, verbis nimium mollibus in tractando cum perſonis diverſi ſexus, curioſis aſpectibus, non ſolum faciei, & pectoris mulierum, præcipue ſi aliqua polleant venuſtate, ſed etiam obiectorum turpium verba, locutioneſque audiendo, ac legendo obſcœnas & vehementer excitantes. Certe quando, præcipue legendo, audiendo, aſpiciendo, aut loquendo quis verſatur circa obiecta obſcœna, & quæ fortiter commovent, non effugit lethalem culpam.

Licet tamen motus inordinati paſſionum aliquando immunes eſſe poſſint a culpa, ſaltem mortali, non ita tamen ſentiunt Doctores de deſideriis inefficacibus operis, ſeu obiecti mali, qui cum velint præcepto illo *non concupiſces* vetitum eſſe quodlibet deſiderium rei, vel actionis malæ etiam inefficax, hinc ſtatuunt, ſemper illicitum eſſe, & ſecundum conditionem materiæ, ideſt levis, vel gravis, malitiam habere vel venialem vel mortalem eiuſdem ſpeciei, cuius eſt res, vel actio, circa quas talia verſantur deſideria; quia turpe eſt & inhoneſtum, velle, & deſiderare quoquomodo aliquid turpe, & illicitum; quia omnis affectus proſequens aliquod malum, ſemper diſconvenit naturæ rationali & legi divinæ, tale obiectum prohibenti; ita tamen ut ſi malum ſit leve, leviter diſconveniat, & venialiter illud voluntas proſequatur; ſi grave graviter diſconveniat, & graviter delinquat voluntas, quæ in illud fertur, etiam ſi per deſiderium inefficax; quia ad mortale non requiritur efficax conſenſus in opus. Hinc deſiderium etiam inefficax occidendi, fornicandi &c. eſt lethale peccatum iniuſtitiæ & luxuriæ. Deſiderium vero nocendi proximo leviter, eſt veniale; quia omnis actus internus ſumit malitiam, & ſpeciem ab actu externo, ſicuti ab obiecto. Deſiderium conditionatum rei vetitæ per ſe loquendo non eſt mortale, ſi conditio appoſita totam vel ſaltem gravem operis malitiam

iam tollat. Ira communiter; quia talis affectus non eſt graviter inordinatus, neque ſecundum ſe, neque ex obiecto a quo per conditionem gravis malitia excluditur. Si tamen inducat in probabilem periculum conſenſus abſoluti, erit mortale ratione talis periculi, quia mortale eſt ſe exponere probabili periculo peccandi lethaliter. Immo ſecluſo etiam tali periculo, huiuſmodi deſideria non vacant ſaltem culpa veniali ratione inutilitatis, aut inordinati affectus &c. Si conditio autem non tollat malitiam, tale deſiderium, vel delectatio in re gravi, eſt culpa mortalis, in re levi venialis, & hoc fit quando tale deſiderium verſatur circa obiectum, vel actum per ſe malum, & naturali iure vetitum: & communior eſt, ac probabilior; quia cum hæc ſint intrinſece mala; & ex natura ſua nequeant, dum ita conſiſtunt, malitia expoliari; idcirco cum impoſſibile ſit, ea non eſſe mala, affectus tendens circa ea, licet conditionatus, cum ſit de conditione impoſſibili, ſemper eſt malus iuxta regulam iuris *conditio impoſſibilis reputatur non poſita*. Quando vero obiectum, & actio deſiderata ſub conditione, non ſunt intrinſece mala, ſed mala tantum, quia prohibita, tunc ea cupere ſub conditione expoliante, ideſt *ſi non eſſent vetita*, peccatum non eſt mortale; quia deſideratur in ſenſu diviſo a prohibitione, quæ removetur per conditionem, ſub qua ſolummodo res, vel actio vetira deſideratur, ideſt ſolummodo ſi non eſſet vetita; cum a ſola prohibitione res illa, vel actio lethaliter malæ reddantur. Quare qui dicit *peccarem ſi non eſſet peccatum* peccat mortaliter; non vero qui dicit; *die Veneris comederem carnes, niſi eſſet dies vetita*.

Mortem ſerio, & deliberate ſibi optare ex ira, impatientia, aut aliquo alio motivo, eſt mortale. Ita communiter, quia tale deſiderium opponitur iuſtitiæ reſpectu Dei, qui ſolus vitæ noſtræ eſt Dominus, & hanc ad ſolum uſum nobis conceſſit. Quare ſicut iniuſtum eſt contra Deum vitam ſibi eripere, ita mortem ſerio ſibi optare. Delinquitur etiam graviter per talem inordinatum affectum contra charitatem, quam quiſque ſibi debet. Si vero quis ſibi mortem exoptaret ob honeſtam triſtitiam excitatam ex aliquo graviſſimo malo, vel præſente, vel moraliter nobis imminente, & cum animi ſubmiſſione divinæ diſpoſitioni, ideſt ſi ita Deo placeat, videtur non eſſe peccatum, ſaltem mortale; cum habeamus huiuſmodi exempla in Moyſe, Elia, & Matathia, qui Dominum obſecrarunt, ut eos tolleret ab hac vita.

Nemo ſine culpa vel mortali, vel veniali, pro ratione materiæ, actus ſcilicet vel præcepti, aut conſilii triſtari poteſt de opere bono, nullam involvens corporalem difficultatem, aut laborem, ut de actibus virtutum Theologalium, aut etiam moralium ſecundum ſe, & obiective ſumptorum: quia nullum afferri poteſt motivum excuſans a peccato huiuſce irrarionabilis triſtitiæ, niſi averſio a bono, ut bonum eſt. Si vero executio operis boni afferret incommoda, labores, pœnalitateſque &c. & triſtitia exſurgeret ex his, non ex bono opere, dummodo talis triſtitia nos non retrahat a bono opere perficiendo, tunc peccatum erit veniale.

Delectatio appetitus ſenſitivi de obiecto graviter malo, etiam ſub conditione, ſub qua eſt licitum v. g. delectatio de copula cum muliere ſi eſſet uxor, eſt mortalis; quia delectatio de obiecto intrinſece malo, ſecundum multos perinde mala eſt, poſita quacumque conditione, non ſecus ac ſi illa ſublata eſſet; cum conditio non tollat malitiam delectationis, niſi tollat rationem, quæ delectat, ſeu ipſam delectabilitatem.

Delectatio peccaminoſa eſt ſimplex & voluntaria de obiecto, vel actu malo cogitato complacentia, abſque intentione efficaci illud aſſequendi, vel hunc exequendi; nam ſi interveniat hæc intentio, *deſiderium* vocatur. Huiuſmodi delectatio dici ſolet moroſa, non ex mora temporis, ſed quia ratio deliberans circa eam verſatur, nec eam repellit, *tenens libenter, quæ ſtatim reſpui debuerant*. Sic D. Thomas 1. 2. q. 74. a. 6. ad 3. Delectatio igitur etiam momento durans, ſi deliberate ſit volita, & ſit de re, vel actu mortali, mortalis eſt. Hic tamen notandum cum citato S. D. a. 8. aliud eſſe delectari de obiecto, vel actu malo, & tunc obiectum & actus eſt materia delectationis, & hæc delectatio incurrit peccatum; & aliud delectari de cogitatione ſeu cognitione obiecti, & actus mali; & tunc ipſa cogitatio, ſeu cognitio obiecti, vel actus mali, eſt materia delectationis, non vero obiectum, vel actus malus; & hæc delectatio, ſecluſo periculo conſenſus in obiectum, non eſt peccatum, cum cognitio, & cogitatio rei malæ non ſit ſecundum ſe mala; nam Deus ipſe omnia mala etiam turpia cognoſcit. Immo hæc cognitio, & ſuper hanc cogitatio aliquando neceſſariâ eſt, vel utilis Confeſſario, aut Medico ad fungendum ſuo officio.

Quid ſit delectatio peccaminoſa.

Dele-

Digitized by Google

Delectatio vero peccaminoſa, ideſt obiecti vel actus mali, ſpeciem ſumit a tali obiecto. Ita communiter. Hinc mera complacentia de actu ſeu obiecto mortali contra iuſtitiam v. g. de furto, vel homicidio, a ſe, vel ab alio commiſſo, eſt peccatum mortale contra iuſtitiam, minus tamen grave, quam efficax conſenſus in tale opus; quia conſenſus efficax habet longe plus determinationis. Delectatio vero de obiecto, vel actu veniali, venialis eſt. Non eſt tamen mortale gaudere præciſe de obiecto ex ſe non malo, ſed ſolo poſitivo iure prohibito, v. g. de cogitato eſu carnium die Veneris, non ut tali die poſito, aut ponendo; quia nec obiectum tale eſt de ſe illicitum, nec actus ipſe delectationis mere internæ eſt ab Eccleſia vetitus. Eſt tamen hæc delectatio venialis; eo quia includat aliquem intemperantiæ affectum. Sed de his iam ſatis dictum eſt agendo de delectatione moroſa.

§. XIV.

De peccatis contra Spiritum Sanctum.

Cum inter lethalia peccata interna recenſeatur graviſſimum genus criminum, quæ a Theologis dicuntur in Spiritum Sanctum, operæ pretium duxi de his quoque breviter quidem aliqua circa eorum naturam hic ſubiicere. Peccatum in Spiritum Sanctum illud dicitur, quo oblata Dei gratia, quæ Spiritui Sancto fonti bonorum omnium peculiariter tribui ſolet, contemptui ex malitia abiicitur. De eo ait Chriſtus Dominus, ut habetur Marci 3. *Amen dico vobis, quoniam omnia dimittentur filiis hominum peccata, & blaſphemiæ, quibus blaſphemaverint. Qui autem blaſphemaverit in Spiritum Sanctum, non habet remiſſionem in æternum, ſed reus erit æterni iudicii.* Peccatum porro in Spiritum Sanctum Patres antiqui varie intellexerunt, & expoſuere. Quidam intellexere blaſphemiam proprie dictam, qua quis Divinæ bonitatis opera, quæ Spiritui Sancto peculiari quadam ratione tribuuntur, ex deſtinata malitia Diabolo impie tribuit, ad inſtar Phariſæorum, qui Divina opera facta a Chriſto auſi ſunt tribuere principi Dæmoniorum. Sic explicant SS. Athanaſius, Hilarius, Chryſoſtomus, Hieronymus, Ambroſius. Alii peccatum in Spiritum Sanctum, impœnitentiam uſque in finem intellexere, ut S. Auguſtinus, eo quod iſtud dumtaxat peccatum non remittatur unquam, cætera vero pœnitentibus condonentur. Alii peccatum in Spiritum Sanctum eſſe dicunt omne ſcelus, quod ex diſtincta malitia perpetratur: Id enim ſingulari quadam ratione Divinæ adverſatur bonitati; quia per contemptum abiiciuntur ac removentur oblata miſerentis Dei munera, quæ peccati electionem impediunt, ut S. Thomas 2. 2. q. 14. a. 1.

Quæ ſecundum Patres ſint peccata in Spiritum Sanctum.

Quidquid tamen ſit, peccata in Spiritum Sanctum ſex a Theologis vulgo recenſentur; ſcilicet præſumptio de miſericordia Dei, vel de impunitate peccati, deſperatio, agnitæ veritatis impugnatio, fraternæ charitatis invidentia, obſtinatio, impœnitentia.

Primum igitur peccatum eſt præſumptio de miſericordia Dei, vel impunitate peccati; ſcilicet peccant in Spiritum Sanctum, qui fiducia Divinæ miſericordiæ audaciores fiunt omni abiecta ratione iuſtitiæ, & Divini timoris; divitias bonitatis Dei, & patientiæ & longanimitatis contemnunt, ignorantes, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam illos adducit; ſola fide in Chriſtum ſibi blandientes æternam ſibi felicitatem promittunt, quamvis in peccatorum ſordibus computreſcant; cum metu ac tremore ſalutem ſuam operari, & per bona opera certam facere nullatenus curant.

Secundo in Spiritum Sanctum lethaliter delinquunt, qui ſpem omnem abiiciunt vel impetrandæ a Deo veniæ, vel æternæ ſalutis conſequendæ, ad inſtar Caini dicentis: *Maior eſt iniquitas mea, quam ut veniam merear*, & Iudæ proditoris, qui deſperatione ſalutis concuſſus vitam laqueo ſibi infeliciter arripuit. Hi a Deo, (cui proprium eſt miſereri, & parcere, cuius miſerationum non eſt numerus, qui peccatorem, quoties ex animo ingemuerit, & ad ipſum ſincere converſus fuerit, ut amantiſſimus, ac clementiſſimus Pater recipit) a Chriſti Sanguine pro omnibus fuſo, a Divinis promiſſionibus oculos mentis avertentes, alienati a vita Dei, ob eorum cordis cæcitatem ſemetipſos deſperantes in omne vitiorum genus effundunt.

Tertio peccant graviter in Spiritum Sanctum, qui non ex ignorantia, ſed ex malitia ſtudioſe veritatem fidei & Chriſtianæ Religionis oppugnant; Magiſtri mendaces, qui introducunt perditionis ſectas, cuiuſmodi fuere Elimas magus, quem Sanctus Paulus plenus Spiritu Sancto, ut filium Diaboli, omnis iuſtitiæ hoſtem, plenum omni dolo, & falſitate graviter obiurgavit. Huiuſce malitiæ fuere Cerinthus, Ebion, Arius, Macedonius, Neſtorius, Euthiches, & recentioribus temporibus Viclephus, Luthe-

rus, Calvinus, cæterique huiuſce peſtiferæ zizaniæ diſſeminatores. Rei pariter ſunt blaſphemiæ in Spiritum Sanctum: *Qui contra Sacros Canones non neceſſitate compulſi, ſed libenter, aliquid, aut proterve agunt, aut loqui præſumunt, aut facere volentibus ſponte conſentiunt. Talis enim præſumptio manifeſte unum genus eſt blaſphemantium Spiritum Sanctum; quia contra eum agit, cuius nutu, & gratia Sacri Canones conditi ſunt.* Sic habetur in Can. *Violatores* qui adſcribitur Damaſo Papæ cauſſa 25. q. 1.

Quarto rei ſunt criminis in Spiritum Sanctum, qui invident fraternæ gratiæ, graviterque triſtantur de ſplendore, vel augmento virtutum, donorumque Dei, quibus proximus fulget. Huiuſcemodi illi erant ex Iudæis ad Chriſtianam Religionem Apoſtolorum prædicatione converſi, qui naſcentem Evangelii gratiam omnino Gentibus invidebant. Huiuſcemodi Alexander Ærrarius, qui multa malo intulit Apoſtolo Paulo, & Sermonibus illius valde reſtitit. Quod autem hæc fraternæ charitatis invidentia peccatum ſit ad mortem, de quo S. Joannes ait: *eſt peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut roget quis*, cenſet S. Auguſtinus lib. 1. *de Serm. Domin. In Monte* Cap. 22. Profecto hoc peccatum eſt ad mortem, cuius rei ab orationibus Eccleſiæ excluduntur, ſi in hac improbitate e vivis decedant, ut explicat cit. Doct. lib. 1. *Retract.* Cap. 19. ubi ſic habetur, *peccatum autem non ad mortem, ſi quiſquam non amorem a fratre alienaverit, ſed officia fraternitatis debita per aliquam infirmitatem animi non exhibuerit. Quapropter & Dominus in Cruce ait: Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt.*

Peccant quinto in Spiritum Sanctum, qui animo plane obfirmato perſeverant in peccatis, nec ullis admonitionibus, ſuaſionibus, adhortationibus, increpationibus, & ne quidem Divinis flagellis, a pravo inſtituto patiuntur ſe removeri, aut deflecti; cuiuſmodi fuit & Pharao, cuius cor obduratum erat, & in malitia obſtinatum, ne populum dimitteret, licet toties monitus a Moyſe & graviſſimis flagellis ſubinde attritus; & Iudæi, quorum invictam pertinaciam Protomartyr Stephanus hiſce verbis perſtringebat; *Dura cervice, & incircumciſis cordibus, & auribus, vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis.* Tales ſunt & omnes ii, qui obdurati in ſuis criminibus, & obſtinati, ſi non ore, corde profecto dicunt: *Recede a nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus:* & ii qui peccata ſua non ſolum non plangunt, & confitentur, ſed defendunt, & impudenter in illis gloriantur: qui potentes ſunt in iniquitate, & cum in profundum peccatorum venerint contemnentes, ſecundum duritiam ſuam, & impœnitens cor *theſaurizant ſibi iram in die iræ, & revelationis iuſti iudicii Dei.*

Peccant tandem in Spiritum Sanctum, qui nullum finem, modumque peccatorum ſuorum ponunt, ac ulterius habent in animo, numquam pœnitentiam agendi. Horum ſicut vita, ſic & mors peſſima eſt, qui extinguentes in ſe ipſis Spiritum Dei, & fallacia peccati obdurati, niſi ore, factis tamen ita ſe iactare videntur: *Percuſſimus fœdus cum morte, & cum Inferno fecimus pactum.* Peccatum iſtorum proprie eſt ad mortem; nam permanens illa impœnitentis cordis duritia, illud proprie peccatum eſt, quod non habet remiſſionem, neque in hoc ſæculo, neque in futuro; quia pœnitentia impetrat in hoc ſæculo remiſſionem, quæ valeat in futuro. Verum iſta impœnitentia vel cor impœnitens, quandiu quiſque in hac carne vivit, non poteſt iudicari. De nullo enim deſperadum eſt, quando patientia Dei ad pœnitentiam adducit. Et ita ſentit etiam S. Auguſtinus Serm. 71. alias 40. *de Verbis Domini* cap. 13. Hæc Natalis ab Alexandro.

§. XV.

De remediis Peccatorum & primum de remedio peccati mortalis.

Peccatum Originale deletur in infantibus per ſolum baptiſma iure ſuſceptum Cap. *Maiores* 3. *De Baptiſmo* cap. *Firmiſſime* 2. & cap. *nulla præter* 142. Diſt. 4. *de Conſecrat.* ubi, *Nulla præter Baptiſmum ſalus promittitur infantibus* &c. Et ita Concilium Florentinum in Decreto Eugenii IV. *Primum omnium*; necnon Concilium Tridentinum Seſs. 5. can. 5. Seſs. 6. cap. 14. & Seſſ. 14. cap. 8. In adultis autem peccatum originale deletur per Baptiſmum in re, ſive in voto. Immo in adultis per Baptiſmum delentur inſuper peccata omnia perſonalia ante ipſum commiſſa, non ſolum quoad culpam, ſed etiam quoad pœnam. Sic expreſſe Concilium Florentinum in cit. Decreto Eugenii IV. cap. cit. *Primum omnium. Huius Sacramenti effectus ibi eſt remiſſio omnis culpæ originalis, & actualis, omnis quoque pœnæ, quæ pro culpa debetur* &c. Idemque deffinivit Concilium Tridentinum ſeſſ. 5. can. 5. ubi docet, per baptiſmum homines renaſci Deo innocentes, immaculatos, puros, inno-

noxios, Deo dilectos, hæredes Dei, & cohæredes Chriſti; ita ut nihil prorſus eos ab ingreſſu Cœli removeat. Et expreſſius Seſſ. 6. Cap. 14. Ubi dicit, in Sacramento Pœnitentiæ non ſemper totam pœnam remitti, ut in baptiſmo; unde in Seſſ. 14. cap. 8. in hoc conſtituit diſcrimen inter iuſtificationem, quæ fit per Baptiſmum, & eam quæ fit per Sacramentum pœnitentiæ.

Peccatum mortale actuale poſt baptiſmum commiſſum non remittitur niſi per Sacramentum pœnitentiæ in re, vel in voto, ideſt per Sacramentum pœnitentiæ vere, & realiter ſuſceptum, aut per contritionem cum voto, ſeu propoſito tale Sacramentum ſuſcipiendi. Ita præter varia Scripturæ teſtimonia expreſſe Concilium Tridentinum Seſs. 14. cap. 1. 2. & 4. & ibidem can. 1. 2. & 3. Unum autem peccatum mortale in hac providentia remitti non poteſt ſine alio, & hoc expreſſe deducitur ex Scriptura, quæ nonniſi pro integra pœnitentia integram peccatorum remiſſionem pollicetur, ut præcipue Ezechi. 18. *Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt, omnium iniquitatum eius, quas operatus eſt, non recordabor*. Unde ſi pœnitens de uno ſolo peccato complacentiam haberet, iam eſſet prorſus indignus, & incapax remiſſionis aliorum, iuxta illud Iacobi 2. *Quicumque totam legem ſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus*. Et hoc explicavit Concilium Tridentinum de Pœnitentia Seſs. 14. ubi iuſtificationem declarat per modum vivificationis, & liberationis a morte, iuxta modum loquendi Divinæ Scripturæ. Hæc non habetur niſi per integram omnium mortalium peccatorum remiſſionem; quia per quodlibet peccatum relictum in anima, homo non eſſet iuſtus, ſed impius, non vivificatus, ſed adhuc mortuus ſpiritualiter; tandem non eſſet in ſtatu ſalutis, ſed damnationis.

Non remittitur peccatum veniale ſine peccati mortalis remiſſione.

Neque de facto unquam remittitur peccatum veniale, ſine peccati mortalis remiſſione; & eſt communis Catholicorum cum S. Thoma p. 3. q. 87. a. 4. quia nullum etiam veniale peccatum de facto remittitur ſine infuſione gratiæ ſanctificantis, quæ omnino ſtare nequit cum peccato mortali. Igitur ſi hoc non deleatur, nec deletur veniale. Præterquamquod abſurdum eſt manifeſtum, quod Deus reconcilietur in re levi ei, a quo remanet graviter offenſus, & cum quo gravem adhuc habet inimicitiam, qualis eſt peccator, dum manet in peccato mortali. Poteſt quidem e contrà remitti mortale peccatum ſine veniali quia poteſt haberi dolor de mortali, & non de veniali; immo etiamſi adſit complacentia de veniali, quod iam non impedit infuſionem gratiæ ſanctificantis. Et eſt communis.

Remedia Peccati Venialis.

Peccatum veniale poſt baptiſmum commiſſum duobus modis univerſim remittitur, & ex opere operantis, & ex opere operato per Sacramenta, & aliquatenus per Sacramentalia. Remittitur veniale ex opere operantis per contritionem, & quidem omnium, quorum diſplicentiam continet, ſeu de quibus ſaltem in genere habetur contritio; ita communiter. Nam ſi contritio perfecta vim habet, & ſufficit ad tollenda peccata mortalia, multo magis procul dubio ſatis erit ad venialia delenda. Item in homine iuſto putant aliqui non pauci deleri venialia etiam per attritionem de iiſdem conceptam. Ita Suarez, Maſtrius, Reiffenſtuel, alīive plures, contra Vaſquez, alioſve Recentiores, requirentes in homine iuſto ad venialium remiſſionem contritionem formalem, vel ſaltem virtualem. Et ratio priorum eſt; quia ex oppoſita ſententia Vaſqueſii, aliorumve ſequeretur, quod magis, vel æque rigoroſa ſatisfactio exigeretur pro peccato levi, ſeu veniali, ac prò gravi ſeu mortali, quod non convenit iuſtitiæ. Unde cum contritio formalis ſeu virtualis exigatur extra confeſſinem pro mortali, non neceſſario exigi cenſenda eſt talis ſatisfactio pro venialis remiſſione, ac proinde in homine iuſto, minus, ideſt attritio ſufficiet; cum multo minus ſit offenſa venialis, quam mortalis: ex opere pariter operantis venialia delentur (intellige ſemper in homine iuſto) ideſt per opera omnia meritoria propter Deum peracta in ordine ad conſequendam venialium remiſſionem, ſeu ſaltem in ordine ad omnium ſuorum peccatorum deletionem, ut ſic a Deo ad talem finem acceptentur. Ita præcipue Scotus, Maſtrius, cum tota eorum ſchola. Et ita hoc ſtatuunt ex illa Chriſti promiſſione Lucæ 6. *dimittite, & dimittemini*, quæ promiſſio habetur ſimiliter de actibus aliarum virtutum & præſertim miſericordiæ ſæpe ſæpius in Divina Scriptura, & ex Concilio Tridentino, quod ſeſs. 14. Cap. 5. docet, peccata venialia multis aliis remediis expiari poſſe, quia docent cum S. Auguſtino alii SS. PP. & DD. remiſſionem venialium nos conſequi poſſe a Deo per orationem Dominicam, aliaſve preces ad Deum fuſas in ſe continentes pecca-

torum veniæ petitionem, necnon per omne bonorum opus factum, & Deo ad talem finem oblatum. Delentur ſimiliter peccata venialia in homine iuſto per actum formalem amoris Dei ſuper omnia, quo Deus præfertur omnibus omnino rebus ei diſplicitis tam levibus, quam gravibus. Iuſtus enim eo ipſo quod amoris actu ſe Deo abſolute, ac penitus ſubiicit volens ipſi in actionibus omnibus placere, ac obtemperare, implicite ſaltem, & virtualiter, deteſtatur peccata omnia, non mortalia ſolum, ſed etiam venialia, prout omnia Deo diſplicent, ac proinde talis actus perfecti amoris ſemper ad omnia ſe extendit, atque omnia delet ſecundum culpæ reatum. Ita communiter.

Ex opere operato venialia peccata remittuntur. Ex opere vero operato venialia peccata remittuntur per Sacramenta omnia novæ legis cum debita diſpoſitione ſuſcepta, dummodo tamen nullus formalis, vel virtualis ad ea urgeat affectus; ſic S. Thomas p. 3. q. 87. a. 3. & eſt communis Sanctorum Patrum & Doctorum quia omnia Sacramenta novæ legis inſtituta ſunt ad ſanctificandas animas noſtras ex opere operato, eaſque perfecte diſponendas ad eternæ ſalutis conſecutionem, ac ideo ad tollenda impedimenta omnia, quæ talem conſecutionem quoquomodo impedire valeant. Quocirca cum peccata venialia a conſecutione retardent cœleſtis gloriæ, deleri debent per Sacramenta digne ſuſcepta.

Inſuper venialia remittuntur ſecundum reliquos ex opere operato per ſacramentalia, remote tamen, & mediate, quatenus nempe per preces Eccleſiæ iunctas rebus Sacramentalibus pientiſſimus movetur Deus (etſi non infallibiliter) ac in nobis excitat pios illos motus, quibus annexa eſt venialium remiſſio, partim ex opere operantis, quatenus homo iis Sacramentalibus pie utitur in remedium ac remiſſionem ſuorum peccatorum, cum piis motibus diſplicentiæ peccatorum, converſionis in Deum, amoris, adorationis, & huiuſmodi. Et ita videtur ſentire S. Thomas p. 3. q. 87. a. 3. & eſt communior Doctorum teſte Reiffenſtuel.

Unde Sacramentalia ita dicantur, & quæ, ac quot ſint. Sacramentalia vero ſic dicuntur, vel ex eo quia ſoleant adhiberi ad Sacramentorum confectionem, vel miniſtrationem, ut Crucis efformatio, Benedictiones, Orationes Eccleſiæ, vel ex eo quia aliqualiter ſequantur, & imitentur Sacramentorum virtutem, ut aſperſio aquæ luſtralis, uſus rerum benedictarum ab Eccleſia, Confeſſio generalis, Pectoris percuſſio, aliave huiuſmodi, quæ ſequenti verſiculo continentur.

Orans, Tinctus, Edens, Confeſſus, Dans, Benedicens.

Orans denotat quotidianam Chriſtiani populi orationem, & præſertim Dominicalem *Pater noſter* &c. de qua dicitur cap. 3. *de quotidianis, de Pœnitentia*, diſt. 3. *Quotidiana oratio fidelium ſatisfacit: eorum eſt enim dicere: Pater noſter qui es in Cœlis &c. Delet omnino hæc oratio minima & quotidiana peccata*. Huc reducitur *Tunſio pectoris*. *Tinctus* ſignificat aſperſionem aquæ benedictæ, de qua cap. *Aquam de Conſecrat. diſt.* 3. Huc reducitur unctio cæremonialis in Regem, & ſimiles unctiones. Item impoſitio cineris benedicti, quæ fit feria 4. Cinerum. *Edens* hic ſignificat, ut intelligunt aliqui, dignam ſacræ Euchariſtiæ, immo cuiuslibet Sacramenti ſuſceptionem. Verum hoc non tam videtur ſpectare ad Sacramentalia, quam ad ipſa Sacramenta. Unde alii per ly *edens* intelligunt devotam panis benedicti manducationem, & huiuſmodi. In vocabulo *Confeſſus* intelligitur communiter Confeſſio Generalis, quæ in hunc finem ab Eccleſia inſtituta eſt, ut dicatur in principio Miſſæ atque ſub Prima, & Completorio; ideſt, *Confiteor Deo Omnipotenti* &c. *Dans* denotat eleemoſynæ elargitionem iuxta illud Tobiæ 4. *Eleemoſyna ab omni peccato liberat*, & Danielis 4. *peccata tua eleemoſynis redime*, & alibi. Huc reducuntur cætera miſericordiæ opera tum ſpiritualia, tum corporalia. Verbo *Benedicens* innuitur benedictio Epiſcopi, vel Abbatis conſecrati alios benedicentis, ut explicat Bonacina citando plures alios, & tenet Gloſſa in Procemio Sexti *Decretalium*, verſu *benedictionem*, ubi ſic; *per benedictionem Prælati devote ſuſceptam venialia remittuntur*.

CAPUT III.

De Peccatis, ſeu Vitiis Capitalibus.

Quæ & quot ſint peccata Capitalia, & quare vocentur Capitalia? PRæter expoſitas peccatorum diviſiones ſolemnis eſt diviſio mortalis peccati in vitia capitalia, quæ ſunt ſcaturigines, & principia cæterorum, & ſeptem numero recenſentur, nempe Superbia, Avaritia, Gula, Luxuria, Ira, Invidia, Acedia. Dicuntur autem Capitalia, quoniam ab his peccata alia originem ſuam trahunt & quia inſtar capitis, quod influit in membra, ipſa in alia peccata malitiam influunt. Ex his ſiquidem capitalibus vitiis alia peccata oriuntur ſecundum rationem cauſſæ finalis; licet nonnulla ex aliis cauſ-

tis

ſis interdum oriantur. De hac diviſione capitalium vitiorum habetur præcipue in D. Gregorio lib. 30. *moralium*, cap. 17. & in S. Thoma 1. 2. *q.* 84. *art.* 5. S. tamen Gregorius cum deprehenderit ſuperbiam in peccatis omnibus, & vitiis dominari, ac primævam eſſe radicem, à qua ea omnia initium ducunt, in partitione vitiorum Capitalium extra eorum numerum illam ponit, & vanam Gloriam agnovit, ac ſtatuit capitalium vitiorum Principem: *Radix quippe*, ait S. Pontifex, *cuncti mali Superbia, de qua Scriptura atteſtante dicitur, initium omnis peccati eſt Superbia*. Septem principalia vitia de hac virulenta radice proferuntur, ſcilicet Inanis Gloria, Invidia, Ira, Triſtitia ſive Acedia, Avaritia, ventris ingluvies, Luxuria. Ex his ſeptem capitalibus vitiis duo carnalia ſunt, Gulla nempe, ſeu ventris ingluvies, & Luxuria; alia quinque ſpiritualia.

§. I.

De Superbia ſeu Inani Gloria.

Tametſi Superbia, ſi ſpectetur quoad generalem ſuum influxum, quem exercet in cætera peccata, non vitium capitale, ſed vitiorum Regina cenſenda ſit, ut dicitur a D. Gregorio lib. ſupracit. ſi ſpectetur tamen quatenus ſpeciale peccatum, a quo alia multa peccatorum genera derivantur; recte Caſſianus lib. 5. *de Inſtitut. Renuntiantium* cap. 1. & Theologi omnes communiter. eam inter capitalia vitia, ac peccata connumerant; immo primarium eorumdem ſtatuunt.

Primum vitium Capitalium Superbia multipli. ex ratione. Primum equidem, atque graviſſimum peccatorum omnium capitalium eſt Superbia, tum ratione averſionis a Deo, quæ per ſe ad Superbiam, ad alia autem peccata ex conſequenti pertinet; tum quia cætera vitia, & peccata ex ea oriri poſſunt; tum denique quia per Superbiam & Angeli, qui tali crimine facti ſunt Dæmones, & homo, ceciderunt.

Definitio Superbiæ. Superbia ſecundum S. Augustinum lib. 14. *de civit. Dei*, cap. 13. & D. Thomam 2. 2. q. 62. a. 2 *Eſt inordinatus appetitus, ſeu amor propriæ excellentiæ ſuper alios, ſeu perverſæ celſitudinis appetitus. Perverſa autem celſitudo eſt* (ait S. Auguſtinus loc. cit.) *deſerto eo, cui debet animus inhærere principio, ſibi quodammodo fieri, atque eſſe principium. Hoc fit cum ſibi nimis placet, ſibi vero ita placet, cum ab illo bono immutabili deficit, quod ei magis placere debuit, quam ipſe ſibi*: igitur affectus propriæ excellentiæ quem inſpirat Superbia, relationem dicit ad alios, quibus ſuperexcellere, & præeſſe peroptat Superbus. Hinc allatæ definitioni, quæ excerpta eſt ex D. Auguſtino, additum fuit *ſuper alios*, cum hoc ſit pravum ingenium, quod excitat Superbia, ut ex nomine ipſo Superbiæ deducitur. Etenim *ſuperbire* ſic dicitur a *ſuper* & *ire*; quia videlicet Superbus *ſuper* alios, & *ſuper* ſuam menſuram *ire* vult, iuxta allatam definitionem a Divo Auguſtino acceptam, ubi Superbia dicitur *perverſæ celſitudinis appetitus*. Nomine appetitus intelligitur etiam amor deſiderium, & complacentia, licet, ut antea notavimus cum S. Gregorio, ſit quodam ſenſu generale peccatum, prout nempe ex ea vitio omnia, ac peccata oriri poſſunt, ſive per ſe, quatenus ad finem Superbiæ, ideſt ad propriam excellentiam ordinantur, ſive indirecte, & quaſi per. accidens, nempe removendo prohibitionem, prout Superbus Divinam legem contemnit, qua prohibetur ne peccet, ut Ieremiæ 2. *Confregiſti iugum, rupiſti vincula, dixiſti: non ſerviam*. Ratione tamen obiecti, propriæ ſcilicet excellentiæ, cuius pravus eſt appetitus, eſt ſpeciale peccatum. Unde S Auguſtinus lib. *de natu. & gratia* cap. 29. ait; *Multum diſcretum eſſe a cæteris peccatis peccatum Superbiæ. Multa namque peccata per Superbiam committuntur; ſed non omnia ſuperbe fiunt, quæ perperam fiunt. Certe a neſcientibus, certe ab infirmis, certe plerumque a gementibus, & flentibus*; ideſt ut explicat S. Thomas, *non ſemper ex contemptu divini præcepti; ſed quandoque ex ignorantia, quandoque, ex infirmitate*.

Actus ſuperbiæ ſunt 1. immoderata ſui æſtimatio, qua quis ſeipſum æſtimat ſupra id quod, eſt, & afficitur erga ſeipſum tamquam erga aliquid excellentius quam revera ſit. 2. Statuere ultimum ſuum finem in propria excellentia; ac virtutem, ſcientiam, aliave quæ excellentiam reſpiciunt appetere, non propter Deum ſaltem ultimate, nec ad eius gloriam ordinate, ſed unice, & ultimate propter propriam ſatisfactionem, & excellentiam. 3. Velle multum reputari apud alios, honore & laude ab iis affici, dolere, iraſci, ſi non faciant 4. Nimis pertinaciter proprio adhærere iudicio 5. Alios, & aliena parvi æſtimare, ſe, & ſua plurimi facere, vel appetere videri ſingulariter habere, quæ poſſidentur. 6. Si cenſeas tenere bona, quæ non habes, vel multo plus quam habeas, aut in eo excellentiam ſtatuas, ubi non adeſt, & exinde te extollas, ſi æſtimes Actus Superbiæ. bona

bona tua quaſi ex te ipſo habeas, & minime a Dei providentia 7. Si credas quæ poſſides recepiſſe quidem a Deo, ſed credas ea recepiſſe tamquam debita tuis meritis, vel ea non referas ad ipſius Dei gloriam. Ad ſuperbiam tamen (ut notat. S. Thomas) non opus eſt, ut quis credat revera ſe bona a ſeipſo habere, vel ſuis meritis abſque Dei liberalitate aſſecuta, (nam hoc eſſet hæreticum) ſed ſatis eſt, quod conſideratis propris bonis ſine relatione ad Deum, taliter ſe gerat, & animo ſe extollat, ac ſi non a Dei liberalitate obtinuiſſet. 8. Negare debitam ſubiectionem propriis Superioribus, non ſecus ac ſi ſe ipſis ſubiicere eſſet indignum. Nolle etiam ſe Deo ſubmittere, eiuſque mandatis, hoc reputans velut contrarium propriæ dignitati, & velle vivere pro ſibitu ſuo, quaſi Deo non indigeat, aut ei ſubiectionem non debeat.

Superbia vitium oppoſi. rum humilitati.

Superbia vitium eſt quod opponitur humilitati, quæ hominem Deo ſubiicit, & in iſtius ſubiectionis defectu poſitum eſt, quatenus homo ſe extollit ſupra regulam, vel menſuram a Deo conſtitutam. Unde peccatum eſt ex genere ſuo mortale, licet non in toto genere ſuo, quia etiam in Superbiæ vitio admittitur parvitas, ſeu levitas materiæ. Eſt mortale peccatum, immo & graviſſimum, quia, ut ait S. Thomas cit. loc. ex vi ſuæ naturæ avertit hominem a ſubiectione debita Deo, & proximo, ac proinde graviter, lædit iuſtitiam, & charitatem, ac adverſatur Dei honori, maieſtati, & excellentiæ. Superbia eſt etiam radix omnis peccati, Eccli. 10. *Initium omnis peccati eſt Superbia*. Hinc Superbia tunc erit perfecta, & ſemper mortalis culpa, 1. quando pro Superbia homo ſubiici repugnat Deo, vel Superioribus, eorumque præceptis etiam in re minima. 2. quando bona quæ habet non recognoſcit a Deo, ſed a ſe ipſo æſtimat habere, vel debita eſſe propriis meritis, vel ſolis ſuis viribus acquiſita; quando doleat quod illa habeat a Deo. 3. quando ponat finem ultimum in propria excellentia, aut conſtituat propriam excellentiam in rebus graviter malis, aut ex illis eam quærat. Superbia eſt peccatum mortale omnium graviſſimum, & maximum, non quidem ratione converſionis ad bonum creatum (quia celſitudo quam inordinate appetit Superbus non habet maximam repugnantiam cum bono virtutis) ſed ratione averſionis a Deo. Unde ait S. Thomas. 2. 2. q. 162. a. 6. *Quia in aliis peccatis homo avertitur a Deo, vel propter ignorantiam, vel propter infirmitatem, ſeu propter deſiderium alterius boni; ſed Superbia habet averſionem a Deo ex hoc ipſo, quod non vult Deo, & eius regulæ ſubiici*.

Verum ſicut in aliis quæ ſuo genere ſunt peccata mortalia, (docet idem S. Thomas) puta in fornicatione, & adulterio, ſunt aliqui motus, qui propter eorum imperfectionem ſunt peccata venialia; ita etiam contingit in Superbia, ut aliquando ſit imperfecta, & proinde aliqui eius motus ſint peccata venialia; ideſt quando eis ratio non niſi imperfecte aſſentitur, quando ſervatur debita ſubiectio Deo, &, quibus tenemur: Tunc enim ſe extollere plus iuſto & velle haberi in honore, & æſtimatione &c. eſt tantum veniale, quia non eſt gravis inordinatio, nec graviter repugnat charitati: Non eſſet tamen veniale, ſi iactantia redundaret in gravem contemptum proximi, ant in notabile eiuſdem damnum, vel quis ex Superbia ſe complaceret in alicuius proximi abiectione, ſicut evenire poteſt, dum quis ſe peritum iactaret in tali, vel tali arte, ſcientia &c. cum revera talis non ſit, unde & aliis profeſſoribus damnum adſtruitur, & ipſo iactatore utentibus periculum obvenit; puta ſi quis ſe iactaret valde peritus in Medicina, Chirurghia, &c. & inde infirmi decipiantur cum gravi eorum damno, & periculo, tunc enim peccatum Superbiæ eſſet grave, ut ex eodem D. Thoma ibidem art. 4. Superbia eſt vitiorum omnium periculoſiſſimum; quia invadit virtutes omnes, & ex bonis operibus data occaſione oritur. Item quia iuſtis maxime inſidiatur, ut eos deiiciat. Tandem quia ultima in anima hominis eradicatur, & deſtruitur. Quod ſuperbia inundet virtutes omnes, docet S. Gregorius. lib. 34. *Moralium* cap. 18. *Alia vitia*, (inquit) *eas ſolummodo virtutes deſtruunt, quibus ipſa deſtruuntur, ut videlicet Ira patientiam, Gula abſtinentiam, Libido continentiam expugnant: Superbia autem nequaquam unius virtutis extinctione contenta eſt, contra cuncta animæ membra ſe erigit, & quaſi generalis, ac peſtifer morbus corpus omne corrumpit; ut quidquid illa invadente agitur, etiam ſi eſſe virtus oſtenditur, non per hoc Deo, ſed ſolæ vanegloriæ ſerviatur*. Iuſtis vero maxime ſuperbia inſidiatur, ut eos deiiciat. Hoc agnoſcit David Pſal. 35. ubi Deum in hunc modum exorat; *Non veniat mihi per ſuperbiæ, & manus peccatoris non moveat me*: Quem locum explicans S. Auguſtinus ait: *Si enim venerit per Superbiæ movet manus peccatoris. Quæ eſt manus peccatoris? Male ſuadentis*

tis operatio. Factus es Superbus? Cito te corrumpit qui male ſuadet. Iuſti igitur perpetuo vigilare debent, ne obrepat eos ſuperbia.

De Remediis ſuperbiæ.

Quæ & quot ſint Remedia Superbiæ.

Remedia ſuperbiæ eadem ſunt, quæ adminicula humilitatis, & præcipue petere identidem a Deo humilitatem; ſæpe ſuum nihilum conſiderare, proprias imperfectiones, ſcilicet effrenatam ſuam propenſionem ad malum, pravas ſuas cupiditates, ſua peccata, vitia, miſerias tum Corporis, tum Animæ, infirmitatem, impotentiam ad quemlibet actum ſalutariter bonum ſine actuali Dei gratia; item infinitam Dei excellentiam, ad quam omnia ſunt inſtar nihili. Omnia bona, quæ poſſidemus eſſe a Deo; merita noſtra eſſe illius dona: ex illorum conſideratione cohibere ſui complacentiam, ſe ipſum ſpernere, & ex ſui contemptu ſuſcipere libenti animo, & ſuſtinere pro Chriſto humiliationes, & quaslibet afflictationes, velut ſibi debitas propter peccata: meditari pœnas ſuperbiæ, & humilitatis præmia, Matthæi 23. *qui ſe exaltaverit, humiliabitur, & qui ſe humiliaverit, exaltabitur*. Itidem & maxime Chriſti exemplum, qui ſemetipſum humiliavit factus obediens uſque ad mortem Crucis, quem imitari debemus, ut advertit S. Leo Serm. 5. *de Nativ.* fruſtra enim appellamur Chriſtiani, ſi imitatores non ſimus Chriſti, qui ideo ſe viam dixit eſſe, ut converſatio Magiſtri forma eſſet diſcipuli; & illam humilitatem eligeret ſervus, quam ſectatus eſt Dominus: omnia pariter bona. ac opera ſua ſæpiſſime referre ad gloriam Dei, & frequenter ſe exercere in actibus internæ ac externæ humilitatis, necnon opera atque miniſteria vilia & abjecta obire, infimum locum eligere, viſitare Hoſpitalia, & ægrotis inſervire. Huiuſcemodi exercitiis humilitatis eradicabitur e corde omnis ſpiritus Superbiæ, cum humilitas ſit compendium omnium Religionis Chriſtianæ præceptorum, ſicut docet S. Auguſtinus epiſt. 118. alias 56. ad Dioſcorum, & S. Leo, a quo Serm. 7. *de Epiphan.* dicitur humilitas *tota Chriſtianæ ſapientiæ diſciplina*. Officia autem præcipua humilitatis Chriſtianæ duo ſunt, Deo ſe ſubiicere, & infra cæteros homines ſe deprimere, ut de primo habet S. Thomas 2. 2. q. 166. a. 11. & de altero loquitur Apoſtolus ad Philip. 2.

Tres præcipuæ filiæ ſeu germina ſuperbiæ.

De Filiabus Superbiæ, hoc eſt de vitiis, quæ a ſuperbia tamquam radice gignuntur.

Huius Superbiæ Vitii tres tamquam eius ſurculi & filiæ recenſentur a Theologis, nempe præſumptio, ambitio, vanagloria; nam hæc tria vitia tamquam a radice a ſuperbia exurgunt.

Quid ſit præſumptio.

Præſumptio eſt inordinatus appetitus propriæ excellentiæ, & tunc apparet, quando aggredimur aliquid proprias vires excedens. Mortalis eſt præſumptio ratione gravis iniuriæ Dei, vel gravis damni proprii, vel proximi; aut periculi talis damni; puta ſi præſumas iuriſdictionem eccleſiaſticam, poteſtatem ordinis ſacri, officium Confeſſoris, Medici, Advocati &c. ſine debita diſpoſitione & officiorum peritia.

Item cum uſurpatur dignitas, vel poteſtas, vel officium ſæculare, aut Eccleſiaſticum: ut ſi audias Confeſſiones, aut iudices, aut exerceas actum Ordinis ſine legitima poteſtate. Itidem ſi inanis gloriæ ſtudio, ut ſcilicet nomen tibi facias, ac hominum admirationem tibi concilies, nova excogitare præſumis; ut ſi aliquid excogitares, & aſſereres contra fidem & bonos mores. Similiter ſi ſine cauſſa & auctoritate Epiſcoporum, ac in primis ſummi Pontificis, præſumeres inducere novitatem magni momenti in Ritibus, & Diſciplina Eccleſiaſtica, ut colligitur ex S. Bernardo Epiſt. 174. *contra Eccleſiæ ritum præſumpta novitas mater temeritatis, ſoror ſuperſtitionis, filia levitatis.* Tandem præſumptio eſt velle inducere novitatem, qua antiquæ conſuetudines charitati Dei, & proximi non repugnantes, ſine iuſta cauſſa, ſine ſpe maioris boni immutentur, & evertuntur, ut ex S. Auguſtino epiſt. 54. alias 118. ad Ianuarium cap. 5. Præſumptio aliquando poteſt eſſe etiam venialis ſi contingat aliquid præſumi ſine præiudicio divini honoris & cultus, & proximi detrimento.

Quid ſit Ambitio.

Ambitio eſt inordinatus appetitus honoris, vel dignitatis, aut potentiæ non debitæ; ideſt inordinata cupiditas propriæ excellentiæ ad dignitates, honores, auctoritatemque propria merita excedentes. Eſt autem inordinatus appetitus 1. ſi appetas honorem, quem non mereris, vel maiorem, quam merearis, vel ob rem, ſcilicet ob doctrinam, nobilitatem, virtutem, qua cares: Item ſi aſpires ad officium, quo es indignus, puta ſi ambires beneficium vel officium, quo es indignus; ſi appetas honorem propter ſe, non illum referendo ad Dei Gloriam, vel proximi utilitatem; ſi honorem appetas nimio affectu, vel ex re illicita v. g. duello. Ambitio per ſe eſt veniale peccatum, & fit mortale per accidens,

vel

Digitized by Google

vel ratione materiæ, ex qua honor inordinate appetitur, vel ratione medii mortalis, per quod honor quæritur, vel ratione gravis damni, quod proximo infertur, vel periculi peccati gravis, vel finis mortalis ad quem refertur, vel ratione affectus graviter inordinati. ut ſi quis pararus ſit peccare mortaliter ad honorem, vel dignitatem obtinendam, vel tuendam. Cæteroquin ſi honor moderate appetatur ob honeſtum finem, nullum erit peccatum, immo actus virtutis Magnanimitatis.

Quid ſit vanagloria. Vanagloria eſt inordinatus appetitus propriæ excellentiæ, quoad manifeſtationem eiuſdem, ſive vera ſit, ſive ficta, ad captandam humanam laudem, & gloriam. Quare appetitus excellentiæ movet ad inanem gloriam, & ſic ortum habet a Superbia, tamquam infelix illius ſoboles. Eſt autem vanagloria per ſe ſeu ex genere ſuo peccatum tantum veniale, ſicut docet D. Thomas 2. 2. q. 132. a. 3. eo quod hoc vitium ex genere ſuo, & ſecundum ſe ſpectatum nec Deo, nec proximo gravem inferat iniuriam, ac proinde ſæpe non repugnat graviter charitati, nec gravem continet inordinationem; fit tamen ſæpe mortale per accidens, eodem modo, quo dictum eſt de Ambitione, vel ratione materiæ, ut ſi gloriatio, vel laus quæratur ex re mortaliter mala v. g. ex fornicatione, ex gravi vindicta; quia approbatio operis pravi habet cum illo eamdem ſpeciem peccati; vel ratione notabilis damni proximo illati, ut ſi quis prorumpat in gravem illius contumeliam, cuiuſmodi fuit iactantia Phariſæi, qui Lucæ 18. ſe extollebat cum alterius deiectione. Dicebat enim: *non ſum ſicut cæteri homines raptores, iniuſti, adulteri, vel ut etiam hic Publicanus*. Item ſi in gloria humana ponatur finis ultimus, omnia ad illum referendo. Cæterum debitum honorem, gloriam, laudem, favorem hominum, non propter ſe, ſed propter honorem Dei, vel bonum proximi acceptare, aut moderate expetere, non eſt peccatum, ſed actus charitatis, ut ait S. Thomas. 2. 2. q. 132. art. 1.

Quamvis vanagloria ſit filia Superbiæ, tamen a S. Thoma poſt S. Gregorium, ut antea notavimus, numeratur inter vitia capitalia, eo quod alia ſeptem ex ea immediare oriantur, nimirum inobedientia, iactantia, hypocriſis, contentio, pertinacia, diſcordia, & inventio novitatum; vitia enim, quæ ad finem alicuius vitii capitalis ordinantur, dicuntur eius filiæ (ait S. Thomas 2. 2. q. 132. a. 5.) Finis autem inanis gloriæ eſt manifeſtatio propriæ excellentiæ, ad quem poteſt homo tendere dupliciter. Uno modo directe, ſive per verba, & ſic eſt *iactantia*, ſive per facta, quæ ſi ſint vera, & pariant aliquam admirationem, eſt *præſumptio novitatum*, quæ homines ſolent magis admirari; ſi falſa ſint, eſt *hypocriſis*. Alio modo nititur aliquis manifeſtare ſuam excellentiam indirecte, oſtendendo ſe non eſſe alio minorem; idque quadrupliciter. Primo quidem quantum ad intellectum & eſt *pertinacia*, per quam homo nimis innititur ſuæ ſententiæ nolens cedere ſententiæ meliori. Secundo quantum ad voluntatem, & eſt *diſcordia*, dum non vult a propria voluntate diſcedere, ut aliis concordet. Tertio quantum ad locutionem, & eſt *contentio*, cum aliquis verbis clamoroſe contra alium litigat. Quarto quantum ad factum, & eſt *inobedientia*, dum ſcilicet aliquis non vult exequi Superioris præceptum.

Quid ſit iactantia. *Iactantia* ea eſt, qua quis verbis inordinate ſe exaltat, vel de ſe prædicando id quod gloriam parit, vel falſo putat parere poſſe, vel gloriatur de peccato. Quandoque eſt peccatum veniale, quando ſcilicet aliquis de ſe talia iactat, quæ neque ſint contra Deum, neque contra proximum, & præcipue ſi ſit de rebus bonis, puta ieiunio, oratione &c. Per accidens vero fit mortalis, ut ſi quid dicatur contra gloriam Dei, iuxta illud Ezech. 28. *Elevatum eſt cor tuum, & dixiſti: Deus ego ſum*. Item ratione gravis ſcandali, damni, contumeliæ, & contemptus proximi; ſi ex fine malo, aut gloriatio ſit de opere graviter malo, ut de fornicatione, duello, &c. quia includit approbationem actus mali, unde eamdem cum illo habet ſpeciem malitiæ: nam ſicut laudare opus mortale, ut vindictam, furtum, &c. ita de his gloriari, eſt mortale; cum opponantur eidem virtuti, quæ tale opus vetat; etenim quævis virtus non ſolum obligat ad actum, quem directe præcipit, ſed etiam indirecte obligat & vetat, ne ipſa contemnatur aut irreverenter tractetur; ut contingit, quando quis gloriatur de eius violatione, vel quando eius violatio laudatur in alio.

Quid ſit præſumptio. De præſumptione generatim ſufficienter antea iam actum eſt, loquendo de filiabus ſuperbiæ. Unde hic ſolum circa eam agere occurrit, prout eſt novitatum quæ falſa ſunt, ſub quo reſpectu eſt hypocriſis.

Quid Hypocriſis. *Hypocriſis* eſt ſimulatio virtutis, qua quis per aliqua bona opera, quæ facit præciſe ut videantur, fingit ſe virtutem habere, quam non habet, vel maiorem quam habeat, un-

de

de ſemper eſt peccatum ſaltem veniale mendacii, cum ſit mendacium facti. Eſt tamen mortale, ſi ipſam comitetur, ideſt concurrat contemptus virtutis, vel iniuria Dei, vel damnum grave proximi, puta quod quis falſam doctrinam diſſeminet, ut decipiat proximum in re gravi, vel ut adipiſcatur beneficium eccleſiaſticum, aut quodvis officium etiam ſæculare, quo indignus eſt. Item ſi ſimuletur ſanctitas ob finem graviter repugnantem charitati Dei, aut proximi. Si autem abſit contemptus virtutis, & damnum proximi, vel honoris Dei, nec finis intentus repugnet graviter charitati, hypocriſis peccatum erit tantummodo veniale; ſicut docet S. Thomas q. 3. a. 4.

Quid pertinacia. *Pertinacia* eſt obſtinata perſeverantia, qua quis nimis tenaciter adhæret propriæ ſententiæ contra veritatem cognitam, vel ſufficienter propoſitam. Mortalis eſt, ſi ſit contra veritatem magni momenti, (præcipue ſi veritas illa pertineat ad fidem, vel ad bonos mores) pietatem, pacem, bonum grave proximi; cum in tali caſu materia ſit gravis.

Contentio & diſcordia pertinent ad præſumptionem, & de iis agitur in tractatu de Charitate, ubi exponuntur vitia, quæ huic virtuti adverſantur.

Quid Inobedientia. *Inobedientia* eſt ea, qua quis reluctat præcepta Superioris exequi, ut antea notavimus; quæ ſi formalis ſit, & ſpecialis, eſt peccatum, quo præceptum Superioris ex contemptu violatur. Ex communi ſemper eſt mortalis, etiam in re minima; quia talis contemptus ipſum Dei contemptum continet, iuxta illud Lucæ 10. *Qui vos ſpernit, me ſpernit*. Quod ſi præceptum violetur, non ex contemptu, ſed ob aliam rationem, puta delectationem, utilitatem, difficultatem, inobedientia tunc eſt generalis, & ſpectat ad aliam ſpeciem peccati, ut conſtat ex D. Thoma; & ſecundum obligationem præcepti quod violatur ſub mortali vel veniali, mortalis eſt, vel venialis, & etiam quatenus motivum graviter vel leviter malum eſt; cum actus participet malitiam finis, utpote per eum voliti.

Vanegloriæ remedia ſunt eadem, quæ ſuperbiæ, quibus adde actus oppoſitos vitiis, quæ ab illa oriuntur.

§. II.

De avaritia.

Definitio Avaritiæ. Avaritia eſt *inordinatus appetitus rerum temporalium, ideſt divitiarum, ut pecuniæ, ſive rerum pecuniæ æquivalentium*, puta prædiorum, domorum, pecudum, aliorumque pretio æſtimabilium. Dicitur 1. *inordinatus appetitus*; nam ſi ipſe ſit ordinatus, ut fuit in Abraham, Iacob, & in multis aliis pecunias poſſeſſioneſque copioſas ob debitum finem habentibus, nullum erit peccatum iuxta illud, *divitiæ ſi affluant, nolite cor apponere*. Dicitur. 2. *Divitiarum, pecuniæ &c.* quia circa haſce tamquam obiectum ſuum verſatur avaritia: nam ſi ſermo ſit de immoderata cupiditate habendi facultates, mundanam extollentiam, aut aliud eiuſmodi bonum creatum, non erit proprie avaritia, quatenus hæc eſt ſpeciale vitium. Avaritia mortalis eſt, quando in divitiis finis ultimus ſtatuitur, quando immoderate appetuntur, inordinate acquiruntur, augentur & conſervantur mediis graviter illicitis, & Deo, ac proximo iniurioſis; quando quis paratus eſt peccare mortaliter, aut ita peccat, iniuſte aliena ſurripiendo, retinendo, debitas eleemoſynas omittendo. Excuſat tamen a mortali levitas, ſeu parvitas materiæ, & actus imperfectio. Prout vero Avaritia opponitur liberalitati, quatenus nempe debito modo pecunia non expenditur, & diſtribuitur, puta nimis parce alendo familiam, dolendo de expenſis neceſſariis, & decentibus, eſt peccatum ex genere ſuo veniale; niſi tamen in tantum creſcat affectus divitiarum, ut præferatur charitati Dei, aut proximi, volens quis potius tranſgredi præceptum obligans ſub mortali, quam expendere ſuas pecunias, dando v. g. eleemoſynam pauperi in extrema neceſſitate conſtituto, ſatisfacere creditori &c. Sic cum aliis S. Thomas 2. 2. q. 118. a. 4.

Avaritia eſt vitium capitale. Avaritiæ vitium recte inter vitia capitalia recenſetur, quia ex ipſa tamquam a fonte, & radice alia multa ſcaturiunt mala, velut eius rivuli, ac ſurculi, qui eius filiæ vocantur. 1. Timoth. 6. *Radix enim omnium malorum eſt cupiditas*, & Coloſſ. 3. *Avaritia*, appellatur, *ſimulacrorum ſervitus*.

Filiæ Avaritiæ.

De Filiabus Avaritiæ. Filiæ avaritiæ ex S. Gregorio ſunt hæ 1. Obduratio cordis contra miſericordiam, non compatiendo indigentiis egenorum ac pauperum, ſubſidia eis denegando, eos obiurgando, dure a ſe reiiciendo, debita rigoroſe repetendo a debitore quando non eſt aptus ſolvendo &c. Mortalis eſt, quoties ex ea præceptum eleemoſynæ vel fraternæ charitatis graviter violatur. 2. Inquietudo cordis, nempe inordinata, & anxia mentis ap-

plu-

Digitized by Google

plicatio ad coacervandas, conſervandaſque divitias, cum inani timore, ne non acquirantur, aut ne amittantur. Lethalis eſt, quoties retrahat a ſpiritualibus, vel aliis officiis, ad quæ graviter obligamur, ut ab auditione Miſſæ, &c. vel afferat divinæ providentiæ diffidentiam. 3. Violentia, quando per vim iniuſtam res aliena uſurpatur. Hæc in materia gravi eſt mortalis. 4. Fallacia, ſeu dolus, qui eſt alterius deceptio, ſive verbis, ſive factis; & Fraus, quæ eſt callida proximi deceptio per ſola facta, vel ex ratione materiæ, ſi vitioſa ſit, vel ſaltem non ſit qualis æſtimatur, vel ratione pretii. Utraque ex genere ſuo eſt mortalis contra iuſtitiam, & ſæpe ad invicem confunduntur. 5. Perfidia, qua violatur fides in promiſſis, pactis, & rebus creditis. Mortalis eſt in re gravi contra iuſtitiam, & eo magis ſi promiſſa, & pacta etiam iuramento ſint firmata, in quo caſu iuramentum dicitur periurium. 6. Proditio, quæ eſt deceptio contra fidem datam, aut debitam in damnum alicuius, manifeſtatione rei alicuius vel perſonæ: ex genere ſuo hæc mortalis eſt contra charitatem, & iuſtitiam. Tripliciter autem hoc contingere poteſt. 1. circa perſonas, quomodo Iudas Chriſtum prodidit: 2. circa res, vel mobiles, ut ſi quis manifeſtet pecuniam, veſtes, &c. cuiuſpiam abſconditas prædoni; vel immobiles, ut ſi miles pateſaciat hoſti modum capiendi arcem: 3. circa ſecretum, vel ſibi commiſſum revelando, & hoc eſt contra fidelitatem, & iuſtitiam, cum promiſſum ſilentii ſit pactum oneroſum, & eſt quidem mortale, ſi prævideri potuit ex hoc ſecuturum damnum notabile aliorum; vel alienas litteras aperiendo, & legendo. Et ſi hoc ultimum fiat, ut ſcias ſecreta alterius, eſt curioſitas, quæ ſi ſit in re gravi, per ſe eſt mortalis; quia, ut docent Doctores, aperire doloſe alienas litteras, & legere cum alterius damno, & iniuria, eſt crimen falſitatis. Dixi *per ſe eſſe mortale*; quia per accidens veniale eſſe poteſt; ut ſi aperiens putet in littera rem non eſſe magni momenti; ſi legas litteras laceratas, & in publicum a Domino proiectas, in quo caſu notant aliqui Doctores, debitum eſſe ex charitate non manifeſtare ſecretum in hiſce litteris contentum, ſi damnum alicuius inde ſequi poſſit. Immo dicunt, revelantem ſecretum etiam iuſte acquiſitum, peccare contra iuſtitiam, ſi cognoſcat audientes uſuros eſſe ea notitia ad damnum iniuſte inferendum. Poſſunt aliquando aperiri, & legi alterius litteræ ſine ullo peccato; ut ſi aperiens probabiliter ſciat ſcriptas eſſe in ſui iniuſtum damnum, vel iniuriam, quam intendit avertere; quia quiſque poteſt ſibi conſulere. Hoc facere poſſunt Principes tempore belli; præcipue ſi litteræ veniant ex hoſtium locis; ſicut etiam eorum miniſtri, quando iudicent hoc neceſſarium eſſe ad publicum bonum; ſimiliter eas aperire licet, ſi habeatur expreſſus conſenſus illius, a quo, vel ad quem mittuntur, vel ſaltem tacitus, vel confidendo ipſos hoc habituros ratum. Item Superior Religioſus poteſt ſine ulla culpa aperire litteras ſubditorum, dummodo tamen non veniant a Superioribus Maioribus, vel ab iiſdem ad ipſos mittantur. Itidem non eſt peccatum, ſi aperiantur quia neceſſe ſit, & expediat ad iniuriam alteri imminentem avertendam, dummodo non plus legatur quam oporteat ad eum finem. Qui furtive ſcripta alterius ſecreta ipſo invito legit, peccat tum curioſitatis, etſi hoc faciat ex ſolo fine diſcendi, tum iniuſtitiæ, quia quiſque ius habet ſecreti in ſuis ſcriptis, quæ aliis non vult eſſe communia: & tale peccatum poteſt etiam eſſe mortale, ſi fiat cum notabili damno, vel alter valde cupiat eſſe ſecreta, & graviſſime male ſit laturus quod ab alio detegantur.

Proditio tripliciter contingere poteſt.

Quando aperiri poſſint, & legi alienæ litteræ, ſine culpa.

Quicumque ſecretum violat ſine iuſta cauſa cum alterius damno, aut litteras iniuſte aperit alterius, ex quo is damnum patiatur, tenetur ad reſtitutionem.

Remedia Avaritiæ.

Avaritiæ remedia præcipua ſunt oratio, bonorum Cœleſtium meditatio, necnon vanitatis ac periculi bonorum terreſtrium, paupertatis Chriſti, mortis &c. frequens & larga eleemoſynarum largitio, reſignatio in bonorum temporalium iactura &c.

§. III.

De Gula.

Gula eſt *inordinatus appetitus, vel uſus cibi, vel potus, quatenus delectationem affert, ideſt pro ut opponitur abſtinentiæ & ſobrietati*. Ex S. Gregorio committitur huiuſcemodi intemperantia quinque modis in ſequenti verſiculo contentis.

Definitio Gulæ.

Præpropere, laute, nimis, ardenter, ſtudioſe.

Præpropere, comedendo tempore ieiunii ante debitum tempus, ideſt ante horam hiſce diebus ſtatutam. *Laute*, quando quis cibos exquiſitiores, ac delicatiores, quam conve-

veniant proprio ſtatui, vult comedere. *Nimis*, quando quis plus iuſto comedit idest in maiori quantitate. *Ardenter*, quando modo voraci quis comedit. *Studioſe*, quando quis quærit cibos nimis accurate, & exquiſite conditos, & præparatos.

Quod pertinet ad qualitatem cibi, & potus, hæc debet eſſe accommodata ſtatui, conditioni, facultati, infirmitati, neceſſitati perſonarum, & loco, ac tempori. De quantitate vero cibi & potus non poteſt dari una certa regula omnibus ſecundum eamdem menſuram, ait S. Antoninus par. 2. Tit. 6. cap. 1. ſed plus & minus exigitur ſecundum varietatem complexionum, & laborum. Unus etiam & idem plus indiget uno tempore quam alio, ſecundum diſpoſitionem ſui corporis. In hac re certum eſt, quemlibet debere comedere & bibere, quod tantummodo credit prudenter ſibi opus eſſe ad ſuſtentationem, & executionem eorum, quæ a ſe agenda ſunt; alias ſi cibum vel potum ſumat abundantiorem eo, quem ſibi dictat conſcientia opportunum, tunc peccat, ait laudatus S. Antoninus ibidem, etiamſi cibi & potus ſint viliſſimi.

Quando peccatum Gulæ ſit mortale. Peccatum Gulæ pluribus in caſibus poteſt eſſe mortale. 1. ratione affectus graviter inordinati, quo quis in cibi vel potus oblectationibus ſuum ultimum finem conſtituit, licet tantum interpretative, ſcilicet ſit paratus ut his indulgeat, peccare mortaliter, ex quo haſce voluptates Deo præfert. 2. Quando quis nihil aliud quærit, niſi voluptates edendi, & bibendi, & ad id omnes ſuas refert cogitationes, & curas; quia hic ponit vitæ finem in delectatione cibi vel potus. 3. Si quis bibat & comedat ad ſolam voluptatem uſque ad vomitum, vel emovat etiam, poſtquam multum comedit, & bibit, ut iterum ob ſolam voluptatem comedat, & bibat; quia, etiam ſecluſo ſcandalo & ebrietate, uterque modus continet gravem inordinationem, ac periculum lædendi ſanitatem, quod naturæ rationali multum diſconvenit. 4. Ratione gravis nocumenti, quod quis ob Gulam ſibi infert, familiæ ſuæ, aut creditoribus, ſanitatem corporis graviter lædendo, ex quo impotens redditur ad ſolvenda debita, filios, vel filias in ſtatu convenienti collocandas; ad inopes in ſuis graviſſimis egeſtatibus ſubveniendos; aut inæptus fit ad functiones aliquas, ad quas ſub mortali tenetur. 5. Si quis extra neceſſitatem extremam carne aut ſanguine humano veſcatur. Ita communiter; quia hoc eſt contra honorem debitum defunctis, ac contra rectum naturæ inſtinctum, quod Gentes etiam non penitus barbaræ abhorruere. Hoc tamen non eſt illicitum, ſi ſumatur pro medicamento, vel in extrema fame. 6. Ratione gravis ſcandali, vel periculi peccandi. Extra hoſce caſus peccatum Gulæ eſt tantum veniale, ut docet D. Thomas 2. 2. q. 148. a. 2.

Gula, cum opponatur, ut antea notavimus, temperantiæ, & ſobrietati, hinc dividitur in comeſtionem, & ebrietatem, tanquam in duas ſpecies, quarum illa in inordinato appetitu, ſeu exceſſu ciborum, hæc vero in exceſſu potus committitur; & cum de prima iam egimus, nunc de altera, ſeu de ebrietate ſermo habetur. Diviſio Gulæ in comeſtionem, & ebrietatem.

Ebrietas eſt exceſſus in potu uſque ad violentam rationis privationem eiuſque poteſtatis proximæ, & ex communi eſt culpa mortalis; quia eſt gravis inordinatio, & deſformitas, violenter, & voluntarie ſibi adimere poteſtatem proximam utendi ratione, & ſua munia tum ſpiritualia, tum corporalia exercendi, & ita ſe ſtoliditati brutorum abiicere, ac Dei imaginem, quam quiſque gerit, deturpare. Quid ebrietas.

Quare licet alii excuſent a mortali eum, qui ſe inebriaret ex conſulto Medicorum, quando alias ſanitas recuperari non poſſet, vel ſi attentato enſe cogeretur ſe inebriare; alii tamen, & ſanius ſuſtinent cum S. Auguſtino ſerm. 232. & cum S. Antonino par. 2. Tit. 6. c. 3. nequidem in his caſibus talem deſformitatem a mortali culpa vacare; quia talis deſformitas ſemper diſconvenit naturæ rationali, quovis modo intenta ſit, vel procurata. Solum excuſaretur a culpa, ſi putaret tali potatione abundanti ſe non incurſurum ebrietatem. Etenim tametſi ebrietas conſiſtat in exceſſu vini voluptatis cauſſa ſumpti; tamen etiamſi voluptas non intendatur, quando recenſiti effectus ſemper ſequuntur, & temperantia violatur, ſi in tali exceſſiva potatione prævideantur, non habetur exemptio a gravi culpa. Et Sancti PP. ſine ulla exceptione ſemper damnant exceſſum vini. Nihil excuſat ab ebrietate.

Ut autem ebrietas ſit mortalis, ſufficit, quod ſit voluntaria indirecte, & interpretative. Hinc peccat mortaliter, qui licet nolit ſe inebriare, tamen tantum vini bibit, quantum poteſt, non attendens, an ſequatur privatio rationis, nec ne. Item qui ſuſpicans, vel potens advertere periculum ſe inebriandi, bibere proſequitur; quia uterque ſe exponit periculo ſe inebriandi. Similiter qui ex amicitia, vel urbanitate alium invi- Quid ut ebrietas ſit mortalis.

invitat ad hauſtus, quibus probabiliter prævideat illum inebriandum, quia excitat, & cooperatur ad graviter malum. Quod eſt etiam dicendum de iis, qui excitant, & cogunt alios, aut ſe invicem obligant ad plures hauſtus; quia alios & ſe ipſos coniiciunt in periculum proximum ebrietatis. Idem dicito de his, qui ebriis, velebrietati proximis vinum ſubminiſtrant; & de his qui non impediunt dum commode impedire poſſunt, ne alius ſe inebriet.

Advertendum 1. quod ſi ebrietas eſt peccatum valde grave reſpectu omnium, profecto multo gravius erit in certo perſonarum genere, videlicet in mulieribus ob periculum turpitudinis, & luxuriæ, tum in ſe, tum in aliis. In iis qui ex officio alios regere debent, ut ſunt Patres familias, magiſtratus, &c. in Clericis, maxime inſignitis Sacro Ordine, & præcipue quando curam habent animarum, ſive ob grave ſcandalum, quod populo obiiciunt, ſive quia ebrietas eſt fomes ac nutrix libidinis, ſive ob damnum, quod animabus ſuæ curæ commiſſis afferri poteſt, eo quia reddi queant impotentes, maxime quando urgeat, ut ſuo munere fungantur; idcirco in multis Conciliis hiſce vetitum fuit ſub graviſſimis pœnis tale vitium.

Advertendum 2. quod ebrietas perfecta cognoſcitur 1. quando quis neſcit diſcernere inter licitum & illicitum, vel ſatis non eſt ad ſua munia exequenda. 2. quando quis non recordatur poſtridie quid dixerit, vel egerit. 3. ſi ea operatus ſit, quæ numquam integra mente facere ſolet, ideſt turpia protulerit, cum ſit pudicus, ſi fuerit, blaſphemaverit, vel familiam perturbaverit, cum alias benignus ſit & modeſtus. Mala in ebrietate ſi prævisa non ſint, nec prævideri potuerint & debuerint, non ſunt peccata mortalia, bene quidem, ſi fuerint prævisa, & potuerint, ac debuerint prævideri. Immo addunt aliqui, ut P. Antoine, quod ſi quis prævidit, aut tenebatur, & poterat prævidere mala probabiliter ſecutura in ſua ebrietate, mortaliter peccat, licet non ſequantur; quia hoc eſt per accidens defectu obiecti: cum cæteroquin ſe expoſuerit probabili periculo peccandi. Et hoc peccatum eſt eiuſdem ſpeciei cum illo, cuius probabile periculum adire voluit; quia ſaltem indirecte, & interpretative eſt volitum. Sic D. Thomas 2. 2. q. 77. a. 7.

Filiæ Gulæ.

Filiæ quæ gignuntur ex Gula, ſunt ex parte animæ; 1. Hebetudo mentis, ſeu ſtupiditas orta ex crapula; & hæc eſt mortalis, ſi tanta ſit, ut ſias ineptus ad intelligenda & præſtanda eà, quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem, aut ad quæ graviter obligatus es. 2. Inepta lætitia, quæ movet ad cantiones obſcœnas, actus turpes, ſaltus, vel choreas inhoneſtas &c. Hæc gravis culpa eſt, quando ſit inductiva ad conſenſum, vel actionem, vel delectationem mortalem, aut aliquid, ex quo ſcandalum oriri poſſit. 3. Loquacitas ſeu multiloquium, in quo habebitur ſtultitia, nec peccato vacabit, ut Prov. 10. *in multiloquio non deerit peccatum*. 4. Scurrilitas, quæ differt ab inepta ſtultitia, & multiloquio, eo quod illa ſit in appetitu, iſtud in verbis. Hæc vero, ideſt ſcurrilitas in verbis, & geſtibus, ſemper dicit aliquam inhoneſtatem, licet per ſe, & ſecluſo ſcandalo, venialem. Mortalis tamen evadere poteſt, ſi aliquid fiat cauſſa delectationis venereæ vel in ſe vel in aliis; cum ſcurrilitas ordinarie excitet ad turpia, indecora dicenda, aut agenda, ut riſus circumſtantium moveatur. Recenſentur Filiæ Gulæ.

De remediis Gulæ.

Remedia Gulæ ſunt ſequentia, conſiderare incommoda, ac damna, quæ Gulæ vitium parere ſolet: videlicet intellectum obnubilare, mentem deiicere, bona deſideria extinguere, animum aggravare, ineptum reddere hominem ad ſua officia, & ſpiritualia exercitia, impedimenta apponere divinæ gratiæ, & ſpiritualibus gaudiis, vitam reddere breviorem, parere graves morbos, & multa peccata; viam vitiis aperire, & intercludere virtutibus. Item conſiderare 1. cibi, ac potus inanem delectationem, quæ cito tranſit, & mala orta ex Gula manent: 2. occaſiones fugere: 3. ſequi in omnibus temperantiam, nihil plus edendo, & bibendo, quam neceſſitati conveniat, ſemper ſibi negare aliquod modicum in menſa, quod adhuc licite ſummi poſſet, & præſertim quod magis placeat palato. Varia Gulæ remedia.

§. IV.

De Luxuriæ peccato.

Luxuria *eſt inordinata cupiditas venereorum, ſeu voluptatis venereæ*. Hæc quoties adſit perfecta deliberatio, eſt mortale peccatum, non ſolum ex genere ſuo, ſed etiam ex toto genere ſuo, cum in tali vitio non admittatur parvitas, ſeu levitas materiæ. Nam quæcumque venerea delectatio delibe- Definitio Luxuriæ.

rata admittatur, graviter pugnat contra rectam rationem, utpotequæ ſit initium, ſeu inchoatio actus conſummati, quæ graviter illicita eſt. Sic communiter DD. Cum enim uſus rei venereæ ex natura ſua ſit inſtitutus, ac neceſſarius ad conſervationem humani generis, hinc cenſetur res gravis: Idcirco gravis inordinatio eſt in re hac & abuſus tum deſiderii, tum actus conſummati; unde mortalis, ac inter vitia intemperantiæ maxime exprobrabile. Hinc merito Luxuria recenſetur inter vitia capitalia, utpotequæ tanquam radix multa alia vitia germinet, ac pariat, dum propter vehementiam delectationis venereæ, & propter connaturalitatem huiuſmodi concupiſcentiæ, procedit homo ex eius appetitu ad multa vitia ac mala perpetranda, ut iam nimis ipſa comprobat experientia.

Diviſio Luxuriæ in varia genera, ſeu ſpecies.

Luxuria dividitur in perfectam, ſeu conſummatam, quæ conſiſtit in voluntaria ſeminis effuſione, ſive per copulam carnalem, ſive per mollitiem; & in non conſummatam, ſeu imperfectam, nempe ſine ſeminis effuſione. Unde conſummata pariter duplici eſt generis: alia naturalis, quæ in voluntaria ſeminis effuſione ordinem ſervat, conditioneſque a natura requiſitas, ut actus ad hominis generationem inſerviat: alia innaturalis, ſive contra naturam, in qua tales conditiones non ſervantur. Luxuria naturaliter conſummata ſex habet ſpecies; nempe ſimplicem fornicationem, ſtuprum, raptum, adulterium, inceſtum & ſacrilegium; quarum quinque ultimæ ſpecialem, & notabiliter gravem, ac ab aliis diverſam habent deformitatem Luxuriæ ſuperadditam.

Quid ſit fornicatio, & a quo hoc nomen.

Fornicatio ita dicitur a fornicibus, ſeu locis obſcuris, ubi ſe olim proſtrabant Romæ meretrices. Fornicatio ſimplex ſtricte eſt peccatum Luxuriæ, *quo ſolutus cum ſoluta per carnalem commixtionem peccat*, vel ut alii, *eſt naturalis concubitus ſoluti cum ſoluta iam deflorata*. Dicitur 1. *concubitus naturalis* ad excluſionem peccati contra naturam, ſeu factum in vaſe, quod ad hunc effectum natura non ordinavit. Dicitur 2. *ſoluti cum ſoluta*, ideſt viri, & fœminæ qui ſint prorſus liberi a quovis ligamine ſeu Matrimonii, ſeu voti ſolemnis, ſeu Ordinis ſacri, conſanguinitatis, aut affinitatis, & ideo ſint habiles ad contrahendum inter ſe matrimonium. Dicitur 3. *iam deflorata*; quia congreſſus cum Virgine reducitur ad ſtuprum.

Diviſio fornicationis.

Fornicatio dividitur in ſimplicem, & continuatam, ſeu concubinatum. Simplex eſt ea, quæ tranſitorie exercetur cum una, aut pluribus; continuata ſeu concubinaria ea eſt, quæ ſæpe ſæpius exercetur cum eadem; & dicitur concubinatus. Unde definitur *continuata fornicatio cum eadem perſona*; ita ut hæc addat fornicationi habitum, & perſeverantiam, ſive concubina ſeu fornicator retineatur domi apud ſe, ſive alibi conveniatur. Quælibet fornicatio vetita eſt iure tum naturali, tum divino, ideoque grave eſt peccatum.

Fornicatio vetita eſt iure Divino.

Iure quidem divino vetita eſt omnis fornicatio, ac proinde eſt culpa gravis, & hoc patet ex pluribus Divinæ Scripturæ teſtimoniis; ex præcipue ex 1. Corinth. 6. *Neque fornicarii, neque adulteri, neque molles regnum Dei poſſidebunt*. Quare merito in Concil. Viennenſi damnati fuere Beguardi, & Beguinæ, qui ut conſtat ex Clement. 3. *de hæreticis*, acriter contendebant, actum carnalem, cum ad hoc natura inclinet, peccatum non eſſe; maxime cum exercens tentatur.

Fornicatio vetita iure naturali.

Ius quoque naturale fornicationem graviter vetat, cum talis illegitimus concubitus bonis omnibus adverſetur. Nam duplicem finem intendit natura e legitimo concubitu, nempe bonum ipſius prolis, & Reipublicæ, ad quod ſinguli Cives ſuo quiſque modo & ordinate conferre debent. Utrique opponitur fornicatio: repugnat enim bono prolis, ideſt ipſius educationi, &, quando occurrat, eius defenſioni; cum ipſa quotidiana demonſtret experientia, quod ex fornicario complexu vel nulla, vel imperfecta illa habentur; unde ex mille ſpuriis vix unus a parentibus bene informatur. Repugnat fornicatio communi bono Reipublicæ, cum de ſe ſcandala, querelas, ignorantiam, pravamque civium inſtitutionem in Rempublicam invehat, quæ omnia communitatem ſumme contaminant. Unde appoſitæ proſcripſit Innocentius XI. Caramuelis propoſitionem numero 48. *Tam clarum videtur, fornicationem ſecundum ſe nullam involvere malitiam, & ſolum eſſe malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi diſſonum videatur*. Neque quidquam officit explicatio Gloſſæ ſuper illud Deuter. 25. *Non erit meretrix* &c. dicentis *ad meretrices prohibet accedere, quarum eſt venalis turpitudo*; eo quia, ſicut notat S. Thomas, ly *venalis* ſit mendum: *Non debet dici venalis, ſed venalis turpitudo, quod eſt proprium meretricum*.

Fornicatio continuata ſeu concubinaria eſt gravior ſimplici; quia annexum habet continuum ſaltem virtualiter peccandi propoſi-

poſitum. Unde monet Sylvius, quod tametſi concubinatus non excedat limites ſimplicis fornicationis, regulariter tamen exprimi debeat in Confeſſione, nec ſolum quoties quis fornicationis crimen commiſerit, aliaſve turpitudines, verum etiam quanto tempore concubinatum tenuerit, cum hoc contingere nequierit ſine gravi aliorum ſcandalo, nec ſatis aperiat ſtatum ſuum, in quo gravibus cogitationibus millies conſenſerit. Immo addit idem Sylvius, concubinarium abſolvendum non eſſe, niſi concubinam dimiſerit, cum nullus prætextus a tali obligatione illum excuſare poſſit, ut docet Alexander VII. qui damnavit propoſitionem n. 41. quæ contrariam ſententiam continebat; *Non eſt obligandus concubinarius ad eiiciendam concubinam, ſi hæc nimis utilis eſſet ad oblectamentum concubinarii vulgo regalo, dum deficiente illa nimis ægre ageret vitam; & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficile inveniretur.* Et ita agendum eſſe docet idem Sylvius, cum iis etiam, qui concubinarii æſtimantur, licet revera non ſint; ideſt niſi eas dimiſerint, quæ pro concubinis habentur, vel ſufficienter oſtenderint iis, qui ſcandalum paſſi ſunt, illas mulieres non eſſe concubinas, ſeu fornicarias; cum tollere debeant occaſionem ſcandali, ſi velint eſſe vere pœnitentes. Et hæc præter citatum Alexandrum Papam VII. conſtituit etiam Innocentius XI. in proſcriptione propoſitionum n. 61. 62. quarum ſecunda ita habet: *Proxima occaſio peccandi non eſt fugienda, quando cauſſa aliqua utilis, aut honeſta non fugiendi occurrit.*

Obiici hic ſolet contra hanc ſententiam de intrinſeca malitia fornicationis; & præcipue, hanc vetitam non eſſe in veteri lege; immo permiſſam antiquis Patriarchis, qui concubinas habuiſſe leguntur, ac inſuper a Deo Oſeæ præceptam, quam profecto non permiſiſſet Deus, & multo minus præcepiſſet, ſi eſſet intrinſece mala. Reſpondetur vero ad 1. dici non poſſe non fuiſſe vetitam fornicationem in veteri lege, cum vetitus ſit hoc præcepto una cum adulterio omnis alius illicitus congreſſus cum muliere, ut Deuter. 23. ubi habetur meretricii prohibitio: *Non erit meretrix de filiabus Iſrael, nec ſcortator de filiis Iſrael.* Quæ vero vocantur Patriarcharum concubinæ, erant veræ uxores, & ita vocantur, quod ductæ eſſent ſine ſolemnitate, & indotatæ, & quia ius habebant ad concubitum, minime vero ad familiam gubernandam. Oſeæ vero iuſſit quidem Deus, ut duceret uxorem, quæ antea fuerat fornicaria, non autem quod ei fornicarie copularetur.

Num vero dari poſſit ignorantia invincibilis de fornicatione; hoc dum expenderet Sylvius ſtetit pro parte affirmativa, cum aliis pluribus reſpectu illarum gentium, quæ agreſtes ſunt rerum moralium, & imperitæ, ac Magiſtris deſtitutæ, a quibus inſtruantur: negat tamen dari poſſe talem ignorantiam invincibilem inter Chriſtianos, niſi homo effingatur ingenii inops, ſurdus & mutus a nativitate, & qui ab his, quibuſcum vixerit, nedum dehortatus ſit ab hoc malo, ſed ad id potius impulſus.

De Fornicatione inter deſponſatos, cum Infideli, &c.

Circumſtantia ex qua fit, ut actio graviter contraria ſit iuſtitiæ, ut eſſet fornicatio cum deſponſata neceſſario in ſacramentali Confeſſione aperienda eſt. Nam ſponſa magnam iniuriam facit ſponſo, cui totam ſe promiſit, dum permittit ſe ab alio impudice cognoſci. Idemque dicito de ſponſo, qui cum alia ſe carnaliter commiſceat, quidquid in contrarium dicat Sanchez; quia ſponſam, eamque invitam privat de re notabili, iure ſcilicet, quod habet ad corpus integrum; idcirco hoc in confeſſione eſt aperiendum; quia licet non ſit vere, & proprie adulterium, eſt tamen reducibile ad adulterium eo ferme pacto, quo imperfectum reducitur ad perfectum ſui generis. Unde qui cum deſponſata peccavit, tenetur in confeſſione talem circumſtantiam aperire, cum non peccaverit cum omnino ſoluta, & libera, ſed cum ea, quæ ſolemniter corpus ſuum alteri promiſit. Ita Sylvius cum aliis bene multis contra Covaruviam.

Si quis ſimpliciter fornicatur cum Iudæa, aut altera Infideli ſeu Gentili, cum domina ſua, eiuſque conſanguineis, ſecundum Sylvium nulla ſubeſt circumſtantia aggravans, ſecluſo ſcandalo, legis contemptu, periculo maioris perverſionis; cum reipſa nihil plus interſit, quam coniunctio ſoluti cum ſoluta. Alii vero melius, ac probabilius ſentiunt, talem circumſtantiam aperiendam eſſe in confeſſione. Fornicatio enim fidelis cum infideli eſt longe gravior, quam cum fideli: & ita communiter ſentiunt Theologi. Immo ſecundum aliquos hæc circumſtantia mutat ſpeciem; quia grave periculum eſt malæ educationis prolis, & ex nimio affectu erga infidelem, defectionis a fide. Idcirco Eccleſia

De copula cum infideli.

Digitized by Google

ſia interdixit matrimonia cum infidelibus, ex quo ſequitur, vetitam eſſe etiam quamvis copulam cum infideli; quia hæc ſemper vergit in dedecus Religionis, ac proinde huiuſmodi fornicatio non ſolum opponitur caſtitati, ſed etiam virtuti Religionis, atque cultui veri Dei.

Fornicatio pariter inter Chriſtianos præcipuam habet deformitatem, cum corpora noſtra per baptiſmum, & Euchariſtiam facta ſint Chriſti membra, & templum Spiritus Sancti,

Si tutor fornicetur cum ea, cuius eſt tutor; cum hic erga eamdem vices patris gerat, longe magis reus eſſe debet (cum vitiet puellam ſpeciatim ſibi concreditam) quam ſi cum alia fornicaretur.

Quoad viduæ fornicationem, videndum (notat Sylvius cum Sayro) an habeat bona relicta a marito cum conditione, ut caſte vivat; nam ſi forniceturnequit tuta conſcientia ea retinere propter conditionem non ſervatam. Immo ſi exegiſſet, ut caſta viveret mente, & corpore, ut emitteret votum caſtitatis, ac ſervaret continentiam, & vidua eam voviſſet, tunc ait Sylvius non ex ſola fornicatione, ſed etiam ex tactibus impudicis, immo ex moroſis delectationibus excidere a iure hæreditatis. Sed hæc in praxi ſunt perdifficilia, quia mulier, quæ furtim & latenter deliquiſſet, teneretur ſe ipſam prodere. Non tamen cenſenda eſſet incapax hæreditatis poſſidendæ, ſi una aut altera tantum vice in fornicationem incidiſſet, quia ex Theologorum ſententia per hos lapſus non incideret in infamiam incontinentis.

Meretricium gravius eſt plane ſimplici fornicatione; quia in illo ſcelere non ſolum impeditur prolis educatio, ſed etiam generatio ex nimio frequenti uſu concubitus.

De copula cum mortua muliere nihil eſt certi quod dici poſſit circa illius peccati ſpeciem, cum hæc inſolita libido nomen non habeat: eſt tamen circumſtantia ob nequitiam plus quam beſtialem in confeſſione neceſſario exprimenda etiam obiective; & gravior eſſet copula huiuſmodi, ſi fieret cum coniugata vel Moniali, quam cum ſoluta.

Fornicarii, & Fornicariæ in confeſſione interrogandi ſunt, an peccaverint ex habitu? An cum ſcandalo? An induxerint comparem ad ſcelus? An nuptias promiſerint? An iuramento has firmaverint? An eodem modo pluribus promiſerint? An aliquod egerint, quod ordinatum eſſet ad ſodomiam? An ne haberent prolem, ſemen extra vas fuderint? An conceptum fœtum ſive animatum ſive inanimatum extinxerint? Quoties crimen fornicationis commiſerint? An poſt conſummationem iteraverint tactus impudicos ad novam copulam diſponentes? An prolem receptam deſeruerint, cum pares eſſent ad alendum? Huiuſcemodi autem interrogationes magnam exigunt in Confeſſario prudentiam.

Fornicator poteſt, immo debet ab incepta copula deſiſtere, ait Henno, quia tenetur peccator quocumque inſtanti culpam relinquere: verum quidem eſt, quod tunc proli noceatur, ſed præter intentionem, quæ tota eſt ut a crimine abſtineatur. Non tamen idem valeret, ſi ob finem humanum fornicatio interrumpatur.

Fornicatio in aliquo caſu poteſt contingere ſine peccato; puta ſi mulier vim paſſa nullatenus libidini conſentiat; quia corpus mulieris non vis commaculat, ſed voluntas. Virum autem nec mors ipſa excuſare poteſt. Phreneticus tamen, & amens in tali actu non peccaret, ſicuti etiam nec ebrius, niſi antea prævidiſſet, aut prævidere debuiſſet huiuſce peccati periculum, & ſibi cavere noluiſſet, ut conſtat ex D. Thom. 1. 2. q. 77. art. 7. Circumſtantia ſoluti cum coniugata, ſicuti etiam ſi uterque coniugatus ſit, aperienda eſt in confeſſione.

Graves pœnæ ſtatutæ ſunt a SS. Canonibus contra concubinarios præſertim, clericos, ut habetur præcipue in Concil. Triden. ſeſſ. 24. cap. 8. *de Clericis Concubinariis*, ac huiuſmodi reatus ſuſpicionem inducentibus. Quamplurimi habentur Canones, qui pœnas contra ipſos ſtatuere ut *diſt.* 32. *&* 81. & paſſim in *titul. de cohabit. Clericor. & mulier.* necnon in Concil. Trident. ſeſſ. 25. cap. 14. Item in can. 11. *diſt.* 32. ubi Urbanus II. addit, ſe loqui ſolum de manifeſtis concubinariis, at ibi loquitur de depoſitione ab officiis Ordinum. Si vero ſint beneficiati, & moniti ab Epiſcopo non acquieſcant, a beneficiis ad congruam ſatisfactionem debeant ſuſpendi, & ſi adhuc non deſiſtant, ſtatuitur in canone Alexandri III. cap. 4. *de cohabit. Clericor.* ut ab eiſdem beneficiis perpetuo removeantur. Hæc pœna extenditur ſolum ad Clericos in inferioribus ordinibus conſtitutos, ut ibidem cap. 6. Eaſdem pœnas innovavit Concil. Trident. ſeſſ. 25. cap. 14. *de Reform.*

Pœnæ variæ ſtatutæ a SS. Canonibus contra concubinarios, & præcipue Clericos

Contra Clericos autem, qui in nefandum laberent Sodomiæ ſcelus, terribiles ſancivit pœnas S. Pius V. an. 1566. in Conſtit. quæ incipit, *Cum primum*, & in Conſtit. 72. an. 1568.

1568. quæ incipit, *Horrendum illud ſcelus*. Si quis vero committat fornicationem non concubinariam, ſed qualificatam ſtupri, adulterii, ſacrilegii, inceſtus cum filia ſpirituali, quam in ſacro fonte recepit, vel cuius confeſſiones audit, certiſſimum eſt, quod puniri valeat pœna depoſitionis; nam ita multis Canonibus ſancitum eſt, ut can. 9. 10. & 30. q. 1. ubi ſermo habetur de crimine, quod in conſcientiam populi deveniret. Sed de his alias melius dicetur. Si autem Clericus ſimplicem committat fornicationem, puniendus eſt arbitrio iudicis, iuxta qualitatem perſonæ, aliarumque circumſtantiarum. Nam varias varii Canones proſcelere iſto pœnas ſtatuere, quandoque accerbas magis, quandoque mitiores; unde iuxta Canoniſtas crimen hoc aliter, ac aliter puniri poteſt, ut aliquando ſuſpenſione, aliquando graviori pœna, ut in canone 5. diſt. 82. qui incipit: *Presbyter ſi fornicationem fecerit*.

De Stupro.

Definitio ſtupri. Stuprum *eſt defloratio, ſeu corruptio Virginis præſertim invitæ*. Unde ſtupratores & corruptores ſeu defloratores Virginum proprie dicuntur vim inferre, & ſic præcipua, ac propria ratio ſtupri in hoc conſiſtit, quod virgini vis inferatur; tametſi ſtuprum occurrat, etiamſi fiat defloratio ſine vi, fraude, ac dolo.

Dicitur 1. *defloratio, ſeu virginis corruptio*; quia eius virginale clauſtrum per illicitam copulam rumpitur, ſeu primo aperitur. Dicitur 2. *Virginis*, quo nomine intelligitur perſona quæcumque, quæ nullam cum altero copulam habuit, eaque etiam, quæ per malitiam ſe polluiſſet, turpibus deſideriis conſenſiſſet: nam licet per hæc aureola amittatur, ac virtus virginitatis, cenſetur tamen adhuc permanere virginitas quoad carnis integritatem. Unde copula extra matrimonium etiam cum ea, quæ ſignaculi virginei integritatem caſu, aut arte violaſſet ſine copula, non defineret iuxta Comitolum habere vim ſtupri. Dicitur tandem *Virginis præſertim invitæ*. Nam quidam ſtuprum triplicem agnoſcunt, videlicet ſimplicem, qualificatum, & violentum. Simplex, quod fit ex conſenſu puellæ ſeductæ blanditiis, muneribus, ac promiſſis. Qualificatum, ut ſi Clericus virginem defloret, tutor pupillam (& ſunt circumſtantiæ aperiendæ in confeſſione; cum ſint aggravantes, vel mutantes, præcipue ſi Clericus ſit ſacro Ordine initiatus, vel tutor conſanguineus, vel affinis) ſeu qui unam, aliamque ſub ſpecie Matrimonii deflorat. Violentum, quando virgo per vim, dolum, vel fraudem opprimitur. Et hæc violatio eſt ſtuprum magis proprie dictum, quod Civili iure, & communi omnium fere locorum pœna capitis plectitur. Huiuſcemodi ſtuprum præter malitiam fornicationis, duplicem continet iniuriam, unam illatam virgini, cui per vim, vel fraudem decus virginitatis adimitur; alteram eius patri, vel alteri, ſub cuius iure vel cuſtodia polita manet. Si vero nec invita, nec ſeducta violetur puella, defloratio tunc cum malitia fornicationis coniunctam habet iniuriam factam parentibus, qui ius habent tuendi filiarum honeſtatem, donec nuptui collocentur, ut habetur Eccle. 7. tum etiam malitiam contra pietatem, dando illis indebitam cauſſam graviſſimam mæſtitiæ atque ignominiæ, & periculum augendi dotem, vel filiam inuptam retinendi. Item fœminam conſtituit fornicator in gravi periculo impoſterum peccandi, & forſan etiam concubinatui ſe proſtituendi, ut ſæpe ablata cum virginitate verecundia contingit, ac proinde multiplici malitiæ cooperatur ſtuprator. Quare ut docet S. Thomas 2. 2. q. 154. art. 6. circumſtantia deflorationis puellæ, etiamſi contingat ſine vi, in confeſſione aperienda eſt, quidquid aliqui in contrarium ſentiant.

Nomine Virginis intelligitur etiam iuvenis ſexus maſculini, unde ſtuprum, vel quid ſimile ſtupro comittit mulier, quæ copulam extorquet a iuvene per vim, metum gravem, dolum, fraudem, preceſque valde importunas, ſimiliave, quibus vix obſiſti poſſit; quia cum ei ſuam virginitatem iniqua arte violet, ſpecialem ſaltem coram Deo illi iniuriam ſuſtinet. Mulier tamen, quæ cum aliquo virgine iuvene copulam habet ſollicitata potius, quam ſollicitans, ſecundum Cunielatum cum maiori Theologorum numero, non habet circumſtantiam in Confeſſione declarandam; quia iuvenis non perdit aliquid unde reddatur minus habilis ad matrimonium, & nihil amittit quod ſpecialiter paternæ cuſtodiæ ſit commendatum. Nomine Virginis intelligitur etiam iuvenis ſexus Maſculini.

Rei quodammodo ſtupri cenſentur perditi nebulones, qui condiſcipulos adhuc imperitos alliciunt ad mollitiem, quaſi ad actum indifferentem; quia decus virginitatis incautæ ætatis excutiunt. Imo hoc prima cauſſa eſt tot huiuſce generis ſcelerum, in quæ ſponte ruunt qui ſemel miſeram huius nefariæ actionis complacentiam delibarunt.

Stuprum eſt ſpecies Luxuriæ diſtincta a fornicatione, non ſolum ſi puella opprimatur

tur invita, ſed etiamſi volens conſenſerit ſtupratori. Nemo de veritate primæ partis huiuſce propoſitionis ambigit; cum ſtuprum ſimplici fornicationi magnam ſuperaddat iniuriam; eo quia per illud violenter privetur puella virginalis ſigilli integritate, quæ magnæ æſtimationis eſt communiter apud homines ad ſtatus ſuſceptionem. Quoad ſecundam partem vero, vel puella cum qua peccatur ſit ſub cura parentum, ideſt habeat parentes, vel non, ſemper defloratio habet ſpecialem malitiam. Nam ſi parentes habet, gravis eis infertur iniuria; cum violetur ipſis invitis integritas puellæ, quæ ſtat ſub eorum cuſtodia; non ſecus ac inferret iniuriam vineæ cuſtodi, qui eodem invito ſæpes frangeret. Si vero puella non habeat parentes; ita ut ſit plene ſui iuris, adhuc crimen ſpecialem habet malitiam, tum quia impeditur ei ſors favorabilis matrimonii, quod alias conſecuta fuiſſet; tum quia conſtituitur in periculo, & in via, ut deinceps nova huiuſce generis crimina committat, & forte det ſe infami meretricio. Ita Sylvius. Et hæc poſtrema ratio demonſtrat, deflorationem, cui & puella, & parentes conſentiunt, non carere ſpeciali malitia. Nec valet dicere, quod *volenti, & conſentienti non fit iniuria*. Nam puella eſt quidem volens de facto opprobrium ſuum, non vero de iure; quia cum hoc ſit de iure divino vetitum, nec vult, nec velle poteſt de iure tale nefas.

Stupro violenter perpetrato variæ a iure Civili conſtitutæ ſunt pœnæ etiam mortis, ut Cap. *Unico de raptu Virg.* & leg. *Si quis aliquid* §. *qui nondum*; ſive puella ſit maturæ ætatis, ſive non; ideſt ſive duodecim non ſit annorum, ſive his tranſactis. In iure Canonico variæ ſtatutæ ſunt pœnæ contra Clericos ſtupratores, etiam non violentos; nempe vel pecuniæ, vel ſuſpenſionis, vel etiam depoſitionis; quin immo & carceris, etiamſi ſtuprum non fuerit violentum; ut colligitur ex Cap. *Si quis ut Clericus* 81. diſt. 2. q. 7. & alibi.

De Raptu.

Definitio Raptus. Raptus violenta hic proprie dicitur ſubreptio, *cum perſona aliqua invita, vel reluctantibus, ac reſiſtentibus eius parentibus, ſive illis, qui eius curam habent, abducitur per vim ad explendam libidinem, vel ad matrimonium contrahendum, ſive mas ſit, ſive fœmina* ut ex cap. *Lex illa* 30. q. 1. *Et cap. Si quis virginem* 36. q. 2. & ex Concil. Trident. *ſeſſ.* 24. *de Matrim. Reform. cap.* 6. Unde ad raptum proprie dictum tria requiruntur, ideſt 1. abductio perſonæ raptæ a domo ſuo, vel paterna, eiuſque in aliena detentio; idcirco raptum non committit, qui Virginem in domo paterna repertam, ibidem violat, ſeu vi opprimit, ſed hoc potius erit ſtuprum. Item 2. quod abductio illa fiat libidinis cauſſa, vel matrimonii contrahendi, in quo caſu raptus eſt impedimentum dirimens matrimonii, ex nova conſtitutione Concil. Trident. cit. cap. 6. Tandem 3. vis illata. Unde quando nulla vis infertur fœminæ, ſed ipſa ſponte conſentiat abduci, ac inſciis parentibus cum amaſio diſcedat, non eſt raptus, ſed fuga voluntaria. Cæterum Raptus duplicem habet malitiam mortalem, contra caſtitatem ſcilicet, & iuſtitiam, ob iniuriam illatam perſonæ per vim abductæ, vel ſaltem eius parentibus, aut Tutoribus, ſub quorum cuſtodia erat conſtituta, quibus rationabiliter invitis ſubtrahitur.

Raptus alius eſt alio gravior; nam gravior culpa plane eſt raptus Sanctimonialis, deinde illius, quæ per votum Caſtitatis ſe Deo dicavit, poſtea Conſanguineæ, vel Affinis, deinde Coniugatæ, Virginis, Viduæ, & Meretricis eſt omnibus aliis minus gravis. Addit vero Sylvius, maiorem culpam committi, ſi maſculus maſculum, fœmina fœminam, ob nefandam libidinem raperet.

Si raptor ſit ſponſus, qui vi abducat uxorem intra bimeſtre dum deliberat de Religione amplectenda; hæc poteſt adhuc ingredi Religionem etiam invito marito, & hic ob talem violentiam ius amittit, ut vivente uxore aliam ducere poſſit.

Graves pœnæ ſtatutæ ſunt in utroque iure contra raptores, ut in iure Civili pœna capitis l. *unica* cap. de *Raptu Virginum*. In iure item Canonico publica pœnitentia, & Raptor privatur ſpe coniugii cap. *Raptor &c. ſtat.* 27. q. 2. & Concil. Trident. *ſeſſ.* 24. *de Reform. matrim. cap.* 6. addit pœnam etiam *excommunicationis* incurrendæ non ſolum a Raptore, ſed ab omnibus etiam, qui *conſilium, auxilium, & favorem* præbuere, necnon *perpetuæ infamiæ*; & inſuper, *quod inter Raptorem, & raptam, quamdiu hæc manſerit in poteſtate raptoris, nullum poſſit conſiſtere Matrimonium*. Pœnæ ſtatutæ contra raptores.

De Adulterio.

Definitio & diviſio Adulterii. Adulterium eſt *alieni thori violatio, ſeu illicitus concubitus utriuſque, vel alterius coniugatorum*. Idcirco adulterium aliud eſt ſimplex, ut cum ſolutus habet rem cum coniugata, vel coniugatus cum ſoluta; aliud duplex, ut cum coniugatus rem habet cum coniugata: utrumque neceſſario ſpecialiter aperiendum eſt in Con-

Confeſſione. Adulterium eſt graviſſimum crimen, quod ſpecialiter ſexto præcepto Decalogi prohibetur, ut ipſius præcepti verba aperte denotant. *Non mæchaberis*. Adulterium præter malitiam mortalem Luxuriæ, continet inſuper gravem iniuriam, tum contra coniugem, tum contra ſtatum Matrimonii: ideſt violatur hoc peccato non ſolum caſtitas, ſed etiam iuſtitia. Iniuria huiuſmodi tolli nequit, licet pars altera ſit conſentiens; quia valide cedere nequit iuri quod ratione coniugii ei competit, cum tale ius ei conveniat non ad privatum bonum, ſed ratione ſtatus, qui communis eſt. Ideo ſemper eſt verum adulterium, ac ut tale in confeſſione accuſandum. Hinc Innocentius XI. damnavit propoſitionem n. 50. in qua ſic: *Copula cum coniugata conſentiente marito non eſt adulterium, adeoque ſufficit in confeſſione dicere, ſe eſſe fornicatum*. Adeo gravis eſt adulterii malitia, ut a lege Civili ſtatuta ſit pro tali crimine pœna capitis l. *quamvis* 3. *cap. ad legem Iuliam de adulteris*. Item *l. Iulia Inſtitut. de public. iudiciis*. Volunt tamen DD. pœnam hanc non convenire niſi pro duplici adulterio, ſive formato, quale eſt quando ambo ſunt coniugati; aut ſi ſimplici, nonniſi repetito, ideſt quando reus alias pro tali ſcelere pœnam ſubiit; & quod talis pœna pro ſexus fragilitate mitigata fuerit pro fœminis *Authen. ſed hodie* Cap. de *leg. Iulia de adulteris*; nam ibi dicitur inter alia, quod Adultera verberata in Monaſterium mittatur: ſic Reiffenſ. cum aliis.

Contra adulteros ſtatuta eſt in Lege Civili pœna capitis.

Adulterium eſt graviſſimum Luxuriæ peccatum a cæteris ſpecifice diſtinctum. Et hoc patet ex Scriptura Prov. 6. *Qui adulter eſt, propter cordis inopiam perdet animam ſuam: turpitudinem, & ignominiam congregat ſibi, & opprobrium illius non delebitur*. Et Iob 31. adulterium appellatur *nefas, & iniquitas maxima; ignis uſque ad perditionem devorans, & omnia eradicans germina*. Et revera ſi ex pœnarum gravitate criminis gravitas arguitur, graviſſimum cenſeri debet adulterium, utpote quod gravioribus pœnis ſit obnoxium; cum Deus Levitici 20. iubeat, adulteros lapidibus obrui, & interfici: hinc aſperrime mulctavit David ob adulterium cum Uriæ uxore 2. Reg. 12. *Non recedet gladius de domo tua uſque in æternum, eo quod deſpexeris me, & tuleris uxorem Uriæ*.

Eccleſia quoque ſuas adulteris graviſſimas pœnas indixit, nempe pœnitentiam annorum 25. ut conſtat ex can. 38. apud S. Baſilium. Immo & Synodus Illiberitana interdixit adulteris uſum Sacramentorum, præterquam in vitæ extremo, nempe iis qui ſæpius lapſi fuiſſent in hoc facinus. Continet adulterium, ut antea notavimus, ſpeciem ab aliis peccatis Luxuriæ diſtinctam; quia iniuriam Sacramento facit, lædit compartis iura, adverſatur bono prolis ac familiæ, gravia parit ſcandala, & innumeris adulteros exponit malis.

Varia adulterii incommoda.

Adulteria ſunt aliis alia graviora. Gravius enim eſt adulterium duplex, quam ſimplex, cum iſtud unum tantum ius, illud duo lædat; gravius coniugatæ cum ſoluto, quam ſolutæ cum coniugato. Nam vel copula coniugatæ cum ſoluto officit prolis generationi, ut ſæpe contingit, & tunc graviter delinquitur contra maritum, qui prole inique privatur; vel mulier cognita a duobus concipit, & tunc incertum eſt ut plurimum cuius ſit proles orta, an mariti, an alterius; & forſan ab altero ſine dubio eſt genita, & tunc fit ut ſpurius participet cum legitima prole hæreditatem, ad quam nullum ius habet. Huiuſcemodi autem incommoda non affert copula coniugati cum ſoluta. Idcirco olim permiſit quidem Deus, ut viri plures haberent uxores, non vero mulieribus, ut haberent plures maritos.

Ex iam dictis colligitur pro praxi, adulterum tam ſuum, quam illius, cum qua peccavit, ſtatum explicare debere in tribunali confeſſionis, ut Confeſſarius cognoſcat, num ſimplex, num duplex adulterium commiſerit. Adulterium etiam conſentiente marito perpetratum, adhuc veram tenet rationem adulterii, ut iam antea notavimus, quod aperte probat illud Apoſt. Rom. 7. ubi docet, ad naturam adulterii ſuffiere, quod quis ad uxorem alterius cognoſcendam accedat. *Mulier* (ait Apoſtol.) *vivente viro vocabitur adultera, ſi fuerit cum alio viro*. Et ſecundum Apoſtolum D. Thomas ibidem art. 8. ait: *adulterium ſicut ipſum nomen ſonat, eſt acceſſus ad alienum thorum*: Licet enim maritus conſentiat, quod quis cum eius uxore commiſceatur, non deſinit tamen talis concubitus eſſe cum aliena uxore, & mala omnia continet antea recenſita, quæ propria ſunt criminis, cui nomen adulterii convenit.

Adulterium cum coniugata infideli a ſoluto commiſſum, cenſetur apud DD. minus grave, quam cum Chriſtiana, dummodo per hoc non deterreatur infidelis a ſua converſione, in quo caſu eſſet gravius.

De Inceſtu.

Definitio inceſtus.

Inceſtus *peccatum eſt Luxuriæ cum perſo-*

na Cognata vel affine commiſſum inter gradus vetitos a iure : ſic communiter. Dicitur 1. *peccatum Luxuriæ*; quia non ſolum concubitus, ſed etiam oſcula, tactus, & aſpectus impudici inter perſonas conſanguineas, aut affines, participant rationem inceſtus; quia induunt malitiam actus, ad quem ordinantur. Dicitur 2. *cum perſona Cognata*, ſive Cognata ſit cognatione carnali, ſive legali, aut ſpirituali; ex hoc enim fit, ut crimen ſit etiam ſacrilegium, & inceſtus dici poteſt; ut ex *cap. de Cognation. Spiritual.* & Trident. ſeſs. 24. de Reform. Dicitur 3. *vel affine*. Affines autem perſonæ ſunt eæ, quæ ſunt conſanguineæ uni cognoſcenti alteram carnaliter; cum quibus uterque per talem copulam quamdam propinquitatem reſpective contrahit. Sed de his ſuo loco dicemus, quando de diſpenſationibus. Dicitur tandem 4. *intra gradus prohibitos*; ſeu a natura, ſeu a lege Eccleſiaſtica, & ſunt gradus omnes conſanguinitatis, & affinitatis contractæ ex matrimonio uſque ad quartum gradum incluſive; affinitatis vero ex copula illicita uſque ad ſecundum gradum.

Suſtinet Sylvius cum multis, copulam Confeſſarii cum ſua pœnitente habere rationem inceſtus ob cap. *Omnes* 8. 30. q. 1. Contrarium plures tamen ſentiunt. Filiatio ſpiritualis reſpectu Confeſſarii prorſus differt ab iis, quæ impedimentum afferunt matrimonii. Et equidem declaratum fuit a Papa Bonifacio VIII. cap. ultimo *de cognatione ſpirituali*, *quod ex datione aliorum*, *quam Baptiſmi*, *& Confirmationis Sacramentorum*, *Cognatio ſpiritualis nequaquam oritur*. Pœnitentes enim eo pacto ſunt filii Confeſſariorum, quo ſunt ii, qui a Catechiſtis & Prædicatoribus per verbum Dei in Chriſto gignuntur, & a peccato ad vitam gratiæ revocantur; ac ideo nonniſi latiori ſenſu dici poſſunt filii ſpirituales, ac proinde hæc copula non eſt inceſtus, ſed ſpecies Sacrilegii eo gravior, quia fit cum perſona, quam Confeſſarius ut Pater, Medicus, Iudex, retrahere debet a culpa. Hoc facinus autem erit adhuc gravius, ſi Epiſcopus, vel Parochus ad peccatum inducat, quia utrique ſpecialiter incumbit cura avertendi ſpiritualem ſuarum ovium perniciem. Unde Cœleſtinus cap. 10. 30. q. 1. varias, ac graves contra hos pœnas ſtatuit. Item ſi Confeſſarius in Confeſſione, vel prætextu Confeſſionis ſollicitet ad turpia : ſed de hoc habetur ſuo loco.

Crimen Sodomiæ contrahit malitiam inceſtus in iiſdem gradibus, ac fornicatio; quia in unoquoque eorumdem graduum læditur reverentia, quæ debetur cognatis, & affinibus, vel iure naturæ, vel Eccleſiæ præcepto.

Inceſtus eſt graviſſimum peccatum ſuperaddens Luxuriæ ſpecialem malitiam, & quidem eo graviorem, quo gradus conſanguinitatis, vel affinitatis inter peccantes eſt propinquior; eſt enim contra reverentiam iure ſanguinis debitam, & contra virtutem idcirco pietatis. Quare naturali inſtinctu apud omnes Gentes reprobatur concubitus cum Conſanguinea in linea aſcendente, vel deſcendente, immo in linea etiam collaterali intra certos gradus; licet ex lege Eccleſiaſtica poſtea extenſa ſit talis prohibitio uſque ad quartum gradum conſanguinitatis, & affinitatis, ſi ex copula licita, ſeu coniugali conſurgat; vel ſi affinitas conſurgat ex copula illicita ſeu fornicaria, uſque ad ſecundum gradum incluſive ex nova conſtitutione Concilii Tridentini *Seſſ.* 24. *de Reform. Matrimon.*

Num vero inceſtus ſecundum diverſos gradus Conſanguinitatis, vel affinitatis mutet ſpeciem, controverſia eſt inter Theologos; & ſententia, quæ probabilior videtur, & in praxi ſequenda communiter eſt, inceſtum cum conſanguinea ſpecie differre ab inceſtu cum affini in eodem gradu. Itemque eadem ſententia docet, inceſtum commiſſum cum Conſanguinea in linea recta, puta cum matre, vel avia, ſpecie diſtingui ab inceſtu commiſſo cum aliqua in linea collaterali, ut cum ſorore, vel conſobrina : etenim numquam licuit congreſſus cum Conſanguinea in linea aſcendente, licuit vero in collaterali. Docet tandem, inceſtum in primo gradu conſanguinitatis lineæ lateralis, reſpectu remotiorum ſpecie differre; ideoque ſecundum DD. & ille, & primus gradus affinitatis exprimi debent in Confeſſione. Nam ut ratio ipſa demonſtrat, alia maior reverentia debetur matri, quam ſorori, & ideo magis horrendum eſt inceſtum cum matre committere, quam cum ſorore, & ita diſcurrendum eſt de aliis gradibus reſpectu graduum interiorum, ſeu remotiorum. Unde evidenter patet, dari inceſtum alium alio graviorem, ac proinde ſpecie diverſum, quidquid circa hoc dicat D. Thomas, quod negatur a quampluribus, qui ab ipſo diſſentiunt.

Contra inceſtum quoque præcipuæ pœnæ a iure Canonico ſtatutæ ſunt, ut ab hoc enormi crimine deterrerentur fideles, ut *cap.* 1. *de eo*, *qui cognovit &c.* ubi ſtatuitur, non poſſe qui huiuſce culpæ factus ſit reus in *Pœnæ ſtatutæ contra inceſtum.*

in primo, & ſecundo gradu, petere debitum, ſi ſit uxoratos, ſine mortali culpa, niſi antea diſpenſationem obtinuerit; quia gravem violat Eccleſiæ legem. Ab hac pœna nunc diſpenſant Epiſcopi, ſicuti etiam Regulares ex vi privilegii conceſſi, non tamen illius vivæ vocis oraculo a S.Pio V. cum hæc privilegia omnia abrogata fuerint ab Urbano VIII. ſed vi privilegii, quod elargitus eſt Iulius II. Benedictinis Vallisumbrolæ & per communicationem privilegiorum extenſi ad Mendicantes. Sed ad hoc requiritur, ut Religioſi ſpecialiter deputentur a Provinciali; & hoc nonniſi in ſua eccleſia utantur, vel domibus ſui Ordinis, non alibi; ac in ipſo tribunali pœnitentiæ.

De Luxuria Sacrilega.

Definitio Luxuriæ Sacrilegæ. Sacrilegium, venereum *eſt violatio rei ſacræ per actum Luxuriæ:* idcirco duplicem habet in ſe malitiam mortalem, ſcilicet contra caſtitatem, & contra Religionem, qua gravis irreverentia Deo infertur. Res vero ſacræ, quæ ita ſolent violari ſunt, perſona voto caſtitatis, etiam ſimplici, obſtricta, & loca ſacra. Unde ſacrilegium eſt 1. quælibet actio, tum interna, tum externa Luxuriæ, ſive conſummatæ, ſive non conſummatæ a perſona quæ voto caſtitatis ſe Deo dicavit, ſeu obſtrinxit, vel ab alia cum illa, ſive circa illam patrata, ut ſunt pollutio, copula, oſcula, tactus, deſideria, delectatio moroſa, &c. quia per huiuſcemodi actus ſanctitas perſonæ violatur, quæ per votum caſtitatis ſe totam, ideſt corpus ſuum, ſuoſque affectus omnes quoad voluptatem veneream Deo dicavit, & ſi utraque perſona ſit ſacra, duplex erit ſacrilegium.

2. Huiuſcemodi Sacrilegium quod circumſtatiam loci perpetratur a quocumque, qui in loco ſacro actum quemlibet venereum committat exteriorem, licet occultum, puta fornicationem, pollutionem, ac tactus impudicos, qui opponuntur reverentiæ ſacris locis debitæ, & eius intuitu ab Eccleſia ſunt vetiti: pariter coniugalis copula, etiam occulta, eo quia Sanctitas loci eam non permittat, & in eiuſdem Sanctitatis reverentiam ab Eccleſia ſit interdicta. Sacrilegium tanto gravius eſt, quanto fœdior Luxuria, quia tanto magis adverſatur reverentiæ, quæ rebus ſacris præſtanda eſt.

Nomine autem loci Sacri hic intelligitur Eccleſia, ſive conſecrata ſit, ſive ſimpliciter benedicta, & ſacro cultui dicata, ut ſunt etiam Cæmeteria, Capellæ Epiſcopi auctoritate Divino cultui deputata. Ideoque Eccleſiæ ſolummodo conſtructæ nondum benedictæ, Monaſteria, & quæcumque horum loca, ideſt dormitoria, vel Religioſorum cubicul, non ſunt loca ſacra, idcirco non apta ut in his contrahatur ſacrilegium, de quo hic ſermo habetur. Idemque cenſet Sanchez de ſpelunca conſtructa ſub Eccleſia, niſi eſſet deſtinata ad fidelium ſepulturam. Item de Turri ubi poſitæ ſunt Eccleſiæ Campanæ, necnon de Capellis, aliiſque locis non benedictis, tametſi de Epiſcopi licentia interdum in his celebretur. Sic cum cit. Sanch. Sylvius q. 154. art. 10. Cenſet pariter cum aliis Tournel. Eccleſiam non pollui, ſi quis ſupra eius tectum, aut extra lineam, quam attingunt valvæ cum occluduntur, fornicationem, ſeu homicidium commiſerit. Credit tamen, quod delictum gravius eſſet, quam alibi perpetratum; idcirco ſaltem conſulendum reum, ut hanc circumſtantiam in Confeſſione declaret, & ille graviori ſubmittendus pœnitentiæ.

Circumſtantia loci ſacri pro omni actu impudico ſubiicienda eſt confeſſioni, exceptis ſecundum Sylvium, verbis, aſpectibus, dummodo tamen coniunctam non habeant pollutionem, vel eius periculum. Aliqui tamen cenſent, ut Tourneleius, tutius, pro quocumque peccato in loco ſacro commiſſo circumſtantiam loci explicandam eſſe in Confeſſione.

Sacrilegium ratione perſonæ eſt ſcelus grave, & eo gravius, quo magis perſona Deo dicata eſt, quæ caſtitatem lædit, & inhoneſtior eſt actio, qua ſe inquinat. Si enim fornicario hominis Chriſtiani, ut ralis, eſt crimen adeo fœdum; *quia membra Chriſti* (ut exprobrat Apoſt. 1. Corinth. 6.) *membra faciat meretricis*; quanto non erit horribilior culpa illius, qui conſecrationem ſuam violaverit? Gentiles ipſi hoc ſentiebant, qui Veſtales, quæ falſis ſuis Numinibus erant mancipatæ, ſi pudicitiam maculaſſent, morte valde crudeli mulctabant. Unde Apoſtolus Epheſ. 5. ad fideles communiter ait; *Fornicatio, & omnis immunditia nec nominetur in vobis.* Et hoc demonſtrant etiam graves pœnæ ſtatutæ adverſus Clericos, qui rei fiant huiuſce ſacrilegii, a ſummis Pontificibus, & Conciliis, ut habetur ex D. Gregorio l. 3. Epiſt. 26. & in Decreto Gratiani diſt. 50. can. 6. 10. 11. & Diſt. 81. paſſim, & iam antea facta fuit mentio, ubi egimus de Fornicatione, & Adulterio.

Dicitur in propoſitione, *gravius Deum lædi, quo actio eſt inhoneſtior*; quia gravior eſt

eſt iniuria Deo illata, quo gravior eſt eiuſdem iniuriæ materia, graviuſque vetita. Sodomiæ enim v. g. materies gravior eſt adulterio, & hoc fornicatione; ideoque currit ratio eadem de perſonis Deo dicatis, ſeu ſacratis; unde carnis immunditia gravius vetita eſt Sacerdoti, quam Diacono, Religioſo profeſſo, quam perſonæ ſæculari, quæ voto tantum ſimplici ſe Deo obſtrinxit. Unde ut pœnitens voto devinctus plene reatum ſuum aperiat in confeſſione, explicare debet, an ſeipſum fœdaverit cogitationibus, aſpectibus, tactibuſve impuris, an aliquid impudicum commiſerit cum aliqua perſona, & an eadem pari voto devincta ſit, an ſimile ab alio paſſus ſit, & quæ ſit eius conditio. Ideoque etiam perſona non ſacra explicare debet, ſi relative ad perſonam ſacram deliquerit; immo ſi permiſerit ſe a perſona ſacra minus caſte tangi; quia ſpecialiorem Deo iniuriam facit, qui manibus ſpecialiter eidem ſacratis lœde tangi permittat.

Qui vero peccat contra votum, quod ſæpe innovarit, non tenetur hanc innovationem voti aperire Confeſſario, quia qui ſemel ſe Deo dicavit, non minus ei debet, ac ſi millies ſe dicaſſet. Quia tamen conſecratio religioſa eſt diſtincta a conſecratione Sacerdotali, ideſt ratione ſui maxime diverſa; Religioſus in Sacris conſtitutus ſi aliquam impudicitiam committat, neceſſe eſt ut circumſtantiam etiam Ordinis ſacri exprimat. Idemque dicendum circa conſecratos per ſolos Ordines, ideſt num ſit Epiſcopus, Sacerdos, an Diaconus. Item ſi poſt emiſſum votum ſimplex emittat votum ſolemne; quia tametſi votum ſolemne ſupponatur non differre eſſentialiter a ſimplici, addit tamen circumſtantiam ſtatus religioſi notabiliter aggravantem. Sic Sylvius, ac Henno cum aliis. Qui ſacris initiatus laicæ perſonæ conſulit, ut in ſe vel in alio, aliquid impudicum committat, credit Tournel. contra Henno, ſacrilegium committere, non ratione perſonæ laicæ, quæ hanc actionem fœdam in ſe vel in alio laico exercet, ſed ex parte Miniſtri conſulentis; itaut actio ſit ſolummodo impudica, conſilium vero ſacrilegum. Quare ſacrilegii culpam committunt Moniales laudantes in ſuis penſionariis pectoris venuſtatem, eaſdem ad ſcandaloſam nuditatem, ad quam iam nimis iunior ætas inclinat, exſtimulantes.

Qui in ſacris conſtitutus, & alba indutus, aliquid impudici committit, duplex committit ſacrilegium, quia gravem iniuriam facit ornamentis benedictis, ac ad ſacrificium, aliaque divina myſteria celebranda conſecratis. Iuxta tamen communiorem hoc dici nequit de eo, qui talia perpetraret dum ſacram ſecum fert Reliquiam, niſi, quod perrarum eſt, hoc faceret in ipſius contemptum.

Peccatum Luxuriæ a Confeſſario cum pœnitente patratum malitiam duplicis ſacrilegii includit, unam nempe contra votum caſtitatis, aliam contra reverentiam debitam Sacramento, quod per hoc odioſum ac ſuſpectum redditur, præcipue ſi ſumatur ut medium ad peccandum. Immo tametſi ſcelus huiuſmodi non ſit proprie inceſtus, cum non contrahatur cognatio ſpiritualis, niſi ex Baptiſmo, & Confirmatione, cap. 3. *de Cognat. Spiritual. in* 6. nihilominus habet etiam malitiam tamquam inceſtus ſpiritualis, eo quod ſit inceſtus quidam ſimilitudinarius; *ex cap. Non debet* 30. q. 1. ubi Cœleſtinus Papa ait: *Non debet Epiſcopus, aut Presbyter commiſceri cum mulieribus, quæ ei ſua fuerint confeſſæ peccata. Si forte (quod abſit) hoc contigerit, ſic pœniteat, quomodo de filia ſpirituali.* Et ſic habetur *in cap. omnes*. Sic docet etiam D. Angelicus in 4. diſt. 42. q. 1. a. 2. ad 8. Quocirca talis circumſtantia exprimenda eſt in Confeſſione, ut docent Lugo, Sanchez cum aliis. Immo Benedictus felicis ac glorioſæ recordationis Papa XIV. hoc graviſſimum crimen punit ſua Bulla ſub die 1. Iunii 1741. in qua privat Confeſſarium illum facultate abſolvendi complicem, præterquam in articulo mortis, deficiente quovis alio Sacerdote, qui poſſet hoc munus obire, irritando abſolutionem, ſi illam audeat miniſtrare; & qui id attentare auſus fuerit, incurrit ipſo facto excommunicationem Papæ reſervatam.

De peccatis contra naturam.

Tametſi peccata omnia, utpote dictamini rationis oppoſita, in hoc ſenſu quoque ſint contra naturam, illa tamen crimina ſpecialiter contra naturam eſſe dicuntur, quæ adverſantur ordini, ſeu regulæ a natura præſcriptæ ad humani generis propagationem. Quare præter ſpecies Luxuriæ conſummatæ ſecundum naturæ conditiones, dantur aliæ ſpecies Luxuriæ conſummatæ contra naturæ leges ac conditiones quæ ſunt, 1. quod duo commiſceantur; & huic ordini ſeu legi opponitur mollities, ſeu pollutio 2. ut ſint eiuſdem naturæ, & contra hoc agit beſtialitas. 3. ut ſint qui ſimul commiſceantur diverſi ſexus, & huic obſtat Sodomia. 4. ut in vaſe debito conveniant, & modum

Aliæ ſpecies Luxuriæ conſummatæ contra naturam.

Digitized by Google

dum omnem vitent, qui impedire poteſt generationem, contra quod eſt concubitus ſodomiticus, & is in quo maritus ſuccumberet. Et de his ſigillatim hic infra dicetur.

De Mollitie.

Definitio mollitiei. Mollities alio nomine dicta ad Apoſtolo ad Epheſios 5. & Galat. 5. *immunditia*; & minus caſte dicitur pollutio extra concubitum, *eſt voluntaria ſeminis eiaculatio extra concubitum, ſive illud foras emittatur, ſicut in maſculis, ſive intus diſluat in matricem, ut in fœminis.* Dicitur 1. *eiaculatio*, ſeu emiſſio cum impetu facta, & ita diſtinguitur a ſeminis diſtillatione, quæ ſenſim ſine delectatione contingit, licet aliquando habeat turpes motus. Dicitur 2. *voluntaria*, ideſt in ſe, vel in cauſſa, alioquin nec eſſet culpabilis, nec proprie pertineret ad actum venereum, de quo hic ſermo habetur. Dicitur 3. *ſeminis*, & ſic rurſus diſtinguitur a diſtillatione, in qua labitur humor quidam inrer ſemen, & urinam medius, aquoſior, & fluidior ſemine, aqua glutinoſior. Dicitur tandem *extra concubitum*, non autem neceſſario extra vas generationi deſtinatum, quia pollutio mulierum in ipſo vaſe abſque externo fluxu perfici poteſt, nec conſummatur extra, niſi raro, & per motus valde violentos. Sexus fœmineus habet quidem aliquem fluxum, non abſimilem diſtillationi, ſed is ut plurimum ſine delectatione. Unde advertere debent Confeſſarii, aliquas molliriem ſuſpicari, ubi non eſt, & non ſuſpicari, ubi revera adeſt.

Pollutio voluntaria ſem. per eſt mortalis. Pollutio voluntaria ſemper eſt peccatum mortale, ut communiter DD. Et patet ex Apoſt. 1. Corinth. 6. *Neque Adulteri, neque molles regnum Dei poſſidebunt.* Sic Epheſ. 5. Mollities eſt proprie, ac vere immunditia, & impuritas, & quidem ſpecialis; quia eſt intrinſece mala, & crimen gravius ſimplici fornicatione, unde revera mortalis; gravior quidem ſimplici fornicatione; quia graviter opponitur generationi, & propagationi humani generis, ad quam ex natura ſua ordinatum eſt humanum ſemen; idcirco gravem continet inordinationem, quam ſignat Scriptura Geneſ. 38. ubi de quodam nomine Onam, qui ſemen in terra fundebat ait; *& idcirco percuſſit eum Dominus, quod rem deteſtabilem faceret.* Quare Innocentius XI. damnavit propoſitionem, quæ n. eſt 49. in qua ſic; *Mollities iure naturæ prohibita non eſt: unde ſi Deus eam non interdixiſſet, ſæpe eſſet bona, & aliquando obligatoria ſub mortali.* Hinc ut communiter ſentiunt DD. illicitum eſt in quocumque caſu, etiam ſecluſa voluptate, in ſe, vel in alio, quovis modo voluntarie procurare, admittere, aut intendere pollutionem, ſeu aliquid ſumere ea intentione, ut etiam in ſomno contingat; quia actus ipſe pollutionis independenter a delectatione graviter ex ſe adverſatur generationi, quæ ſola eſt finis ſeminis humani. Idcirco neque licitum eſt præbere, aut ſumere medicamentum ad corrumpendum ſemen, & illud eiiciendum via ordinaria ſine delectatione. Unde non ſolum illicita eſt pollutio directe procurata, ſed etiam ſi procuretur indirecte, puta cubando tali modo, comedendo tales cibos, eo fine ut ſequatur mollities; quia, ut patet ex iam dictis, eſt illam velle in ſua cauſſa ad hunc finem poſita.

Idem porro ſentiendum de diſtillatione, quæ eſt fluxus humoris quaſi medii inter urinam, & ſemen, quod de mollitie, ſi fiat cum ſenſu delectationis venereæ: quando vero fit ſine ulla commotione ſpirituum genitalium, & ſine ulla delectatione carnali, tunc de ea ſentiendum (ait Caietanus) quod de ſudore.

Nec officit, quod homines licite abſcindere poſſint partem aliquam ſui corporis, quando ita exigatur ad vitæ conſervationem; quaſi ad hunc finem licite fieri poſſet ſeminis eiectio: Nam inter alias humani corporis partes, & humanum ſemen eſt valde lata diſparitas: nempe quod partes corporis humani per ſe, & primario ordinantur ad totum conſtituendum; unde de illis diſponere licet quando agitur de toto conſervando; ſemen vero dumtaxat conſtitutum eſt, & ordinatum ad ſpeciei conſervationem, idcirco eo uti non licet, niſi modo ad ſpeciei conſervationem convenienti, & apto intra matrimonium, ut addit Sanchez. Quod ſi in caſu aliquo licitum eſſet procurare extra actum coniugii ſeminis effuſionem, quis non videt, quod fiet grave periculum, ne ob vehementem illecebram homines paſſione obcæcati, & illecti eam licentiam ad plures alios caſus extenderent in detrimentum ſpeciei humanæ, & frequentiſſime ſibi falſo ſuaderent illum caſum adeſſe? Et equidem ſi frui voluptate, & onera ſimul educandæ, & alendæ prolis vitari licite poſſent, grave impedimentum propagationi generis humani opponeretur. Quocirca ad bonum commune & ad occurrendum periculis alias futuris, pollutio prohiberi debuit iure naturali in quolibet caſu. Cum autem reciſio membri ſit de ſe moleſta, non ita facile occur-

occur-

occurrere poteſt quod extendatur ultra caſus a natura conceſſos.

Mulier, quæ ſtatim, & immediate poſt copulam habitam cum marito ſe excitat ad ſeminandum, volunt aliqui non illicite facere; hoc eſt talem actum ſeminationis non eſſe culpabilem pollutionem, eo quia reputent, ſemen mulieris nullatenus neceſſarium eſſe ad generationem, vel ſaltem non multum conducere ad perfectionem fœtus. Quare docent hi, fœminam immediate ſtatim poſt copulam cum viro ſe excitare poſſe ad ſeminandum, nec alias talem actionem videri pollutionem, ſed complementum concubitus, dummodo tamen ſeminatio ſit in ultime proxima diſpoſitione, & ut ita dicam in via. Adduntque, ſententiam hanc utpote vere probabilem non eſſe in praxi reiiciendam, ne mulieres valde concitatæ ab actu concubitus, gravi peccandi periculo expoſitæ remaneant. Verum melius facient ſi antea ſe diſponant ad ſeminandum cum viro in actu coniugali.

Notandum hic etiam occurrit obiter, fœminas peccare quandoque ex erronea conſcientia; quia putant peccare ſi ſtatim poſt copulam ſe erigant, vel mingant, vel ſtent alio modo apto ad expellendum ſemen; cum iam exploratum ſit, generationem fieri in ipſa copula per attractionem ſpirituum animalium generationi inſervientium. Quare ſemen, quod poſt copulam extra vas exit, nihil inſervit generationi.

Dixi *voluntaria:* Nam ſi pollutio non ſit voluntaria, nec in ſe, nec in cauſſa, ut non raro contingere ſolet in ſomno, vel quando ex cauſſis naturalibus licitis oritur, non eſt peccatum, ſecluſo conſenſu in delectationem. Etenim nullum peccatum eſt imputandum, niſi eſſentialiter voluntarium directe, vel indirecte, aut interpretative in ſe, vel in alio, quod ſit eius cauſſa. Pollutio in ſomno quoque eſt culpabilis mortaliter, ſi vel ante ſomnum fuerit procurata, vel ſi poſt ſomnum in ipſa evigilatione, cum plena advertentia præbeatur conſenſus venereæ delectationi, vel ei data ſit occaſio, ſeu indirecte fuerit procurata in exceſſu cibi, aut potus, vel per pravas cogitationes non efficaciter reiectas, quæ ſomnum præceſſere. Alias nullum eſt peccatum, eo quod nemo peccare poteſt in ſomno ob libertatis defectum. Sic cum aliis Theologis D. Thomas in 4. diſt. 9. art. 4. Quod ſi, ut multi volunt, liceat vigilanti non impedire, ſed permittere ut abſolvatur pollutio, quæ iam in ſomno inchoata eſt, ad vitandum morbum, dummodo abſit periculum conſentiendi in delectationem veneream, ad quam vitandam opus eſt oratione; quia, inquiunt, tunc præciſe patimur ex neceſſitate ſeminis effuſionem, non autem illam procuramus; tunc tamen ſaltem eſt obligatio reiiciendi delectationem per poſitivam internam diſplicentiam: Etenim eſt omnino illicitum erga illam ſe indifferentem gerere. Immo dum ſentitur pollutio naturaliter fluere, ſemper tenemur eam cohibere; alias interna diſplicentia, quam elicere tenemur de venerea delectatione, eſt prorſus inefficax.

Hinc nunquam quovis modo, ſeu prætextu licita eſt quomodocumque voluntaria pollutio, ideſt non cauſſa ſedandæ tentationis, cum hoc eſſet ſuccumbere; vel tuendæ ſanitatis, immo nec mortis quidem vitandæ. Unde non licet quovis modo tactu, ſive fricamento, ſive inſtrumento ſemen etiam corruptum expellere, quia actiones huiuſcemodi provocant de ſe ad veri ſeminis expulſionem. Ideoque graviſſime vetitum eſt medicis remedia huc præciſe tendentia ſuadere, vel applicare infirmis. Cap. *cum infirmitas*, cap. final. *de pœnit. & remiſſ.* Dicitur *ſuadere, vel applicare media ad mollitiem tendentia*, ideſt eo fine ut naturam ad eam concitent: quia cæteroquin dare pharmaca, quibus ſemen in ſanguinem, vel in alium humorem ſolvatur, & ita abigatur, licitum eſt, non ſecus ac licet expellere ex utero fœtum mortuum. Et hoc etiam in coniugatis præcipue dicerem non concedendum, niſi agatur de medenda graviſſima mortali infirmitate, cui alio modo mederi non poſſet.

Illicitum eſt pariter ſedare importunos carnis pruritus, verenda defricando, ſi ex ea actione immineat periculum promovendæ pollutionis; quia talis actio eſſet in tali caſu directa huiuſce mali cauſſa; ſed recurrendum eſt orationi, & conſiderationi, quod martyrium caſtitatis gloriæ pondus operatur in nobis: Tourn. Reiffenſt. cum aliis communiter.

Pollutio voluntaria ad aliquam certam perſonam directa, præter propriam malitiam, aliam habet in Confeſſione exprimendam, non ſolum ex qualitate perſonæ ſe polluentis, ſed etiam perſonæ in tali actu intentæ: ita ut ſi fiat a perſona coniugata, habet ſpeciem adulterii, ſicut etiam ſi fiat cum affectu ad perſonam coniugatam; Sacrilegii ſi a perſona per votum dicata, vel cum affectu ad huiuſmodi perſonam; ſi eiuſdem ſexus ſodomiæ, quod fieri contin-

git

git etiam ex modo, quo patrata fuit pollutio, nempe ſi facta fuerit per tactus mutuos cum illa perſona; quia hæc eſt circumſtantia pertingens ad ſpeciem ſodomiæ, ſi ambo ſint eiuſdem ſexus; Inceſtus, ſi ſint conſanguinei, vel affines &c. Idem dicitur de aliis peccatis Luxuriæ.

Peccata impudicitiæ puellorum, & puellarum iam ſeminare non valentium dici poſſunt peccata ſpeciei pollutionis, & multo magis emiſſio humoris aquei, quæ ex tactibus impudicis evenit in ſpadonibus; quia in primis inchoatio, & complementum pertinent ad ſpeciem eamdem, ad quam pertinet actus completus, & perfectus; & in ſecundis præter veneream delectationem ad pollutionem ordinatam, occurrit in eis quædam etiam effuſio, quæ per accidens non eſt veri ſeminis.

Deſiderare pollutionem in ſomno ſimplici affectu ad ſpontaneam, & naturalem exonerationem naturæ ob honeſtum finem v. g. tentationis minuendæ, ſanitatis, tranquillitatis animi, dummodo deſiderium nullo modo ſit cauſa pollutionis, & nihil adhibeatur, ut pollutio in ſomno contingat, affirmant aliqui cum S. Antonino 2. p. t. 6. cap. 5. non eſſe peccatum, contra Azorium, & alios. Ratio allata a Sanchez eſt, quia talis pollutio non procurata, ſed via naturali proveniens non eſt vere actus hominis, nec ſubiectus eius voluntati, ſed actus quidam, & evacuatio naturalis, ſicut ſudor. Secus eſt de homicidio, & fornicatione, quæ non ſunt actus naturales, ſed ex natura ſua liberi, & hominis voluntati ſubiecti. Gaudere de pollutione iam inculpabiliter ſecuta, videlicet vel in ſomno, vel in aliqua inculpabili circumſtantia, volunt alii illicitum eſſe, ac ideo peccatum, quia dicunt ipſi non eſt licitum deſiderare quod ex obiecto malum eſt, ne quidem ob finem bonum: alii vero contrarium ſuſtinent, quia talis pollutio non procurata, ſed naturali via proveniens, non eſt actus hominis, nec ſubiectus eius voluntati, quæ eſt prima cauſſa omnis malitiæ, ſed actus pure naturalis, ut ſudor. Sic S. Antoninus loco ſupra laudato cum S. Thoma in 4. diſt. 9. a. 4. q. 1. ad 5. cum aliis bene multis.

Ponere actionem ſine neceſſitate, ex qua tamquam ex proſſima cauſſa prævideatur ſecutura pollutio, vel delectatio venerea, tametſi neutra intendatur, immo habeatur propoſitum motus illos ſi forte inſurgant reprimendi, eſt peccatum mortale. Et ratio eſt, quia lex naturalis, quæ prohibet pollutionem, & veneream delectationem, ſimul graviter obligat ad tollendam, fugendamque cauſſam omnem, quæ proxime habeat excitare huiuſcemodi motus, & in illos notabiliter per ſe influere, quando præſertim nulla neceſſitas tales cauſſas honeſtaret. Item effectus cenſetur voluntarius, & culpabilis, quando ponitur cauſſa ipſi proxima ſine neceſſitate cohoneſtante. Hinc talis actio inchoata omnino deſerenda eſt ſtatim ob inſurgentem pollutionem, aut veneream delectationem. Cauſſæ vero ſeu diſpoſitiones proximæ ad tales motus excitandos ſunt actiones per ſe turpes, & aptæ ad tales commotiones excitandas, & ſpeciem habent turpitudinis, niſi ab aliqua neceſſitate propria vel aliena non honeſtentur, cuiuſmodi ſunt aſpectus, & tactus pudendorum proprii, vel alieni corporis, præſertim diverſi ſexus, lectio, auditio, locutio de rebus valde obſcenis, & ad libidinem allicientibus, licet hæc fiant ſola curioſitate. Quod ſi aſpectus, vel tactus pudendorum alterius corporis fiant ob neceſſitatem medendi, ſecluſo omni prorſus pravo affectu, & periculo conſenſus in carnalem delectationem, non ſunt peccatum; nam pollutio ſi etiam ſequatur, tunc non eſt voluntaria nec in ſe, nec in cauſſa, ſed ſaltem permiſſa, quia cum adſit neceſſitas ponendi cauſſam, proſequenti ius ſuum non imputatur effectus, qui præter intentionem ſequutus eſt. Non enim tenemur impedire motus illos naturales, quando iuſta adeſt cauſſa non impediendi, nec adſit periculum conſenſus. Unde Chirurgo non prohibetur mederi mulierem in quacumque corporis parte, quamvis prævideat exinde ſequuturam pollutionem, dummodo abſit periculum conſenſus in carnalem delectationem.

Ponere actionem, ex qua tamquam cauſſa, ſeu diſpoſitione remota, & per accidens prævideatur ſequutura pollutio, aut ſenſualis delectatio, dummodo neutra intendatur, & abſit periculum conſentiendi in delectationem veneream, ex communi ſententia Doctorum non eſt lethalis culpa contra caſtitatem: Quia primo cum illi motus facillime, ac frequenter inſurgant naturaliter, in prudenti æſtimatione non cenſentur ſufficienter voluntarii in cauſſa remota, ut imputari queant ei, qui ex alio fine cauſſam illam ponit; ſed cenſentur ex ſola natura corrupta oriri; alias homini abſtinendum eſſet a permultis actionibus licitis, & neceſſariis, ne motus illos experirentur. Nec illæ cauſſæ remotæ reputantur moraliter illorum motuum cauſſæ, nec qui in illas con-

Digitized by Google

conſentit putatur velle talem effectum, ob nimiam facilitatem, qua illi motus ex naturæ corruptione ſolent excitari, unde effuſio illa potius procedit ex naturali virtute expellente. 2. quia ius ſuum proſſequenti mere licita, & honeſta non imputatur effectus, qui in eo contingit per accidens, & præter intentionem.

Ponere vero haſce actiones ſine iuſta cauſſa, docet Sanchez cum communi eſſe veniale contra caſtitatem: nam aliquantulum opponitur eidem caſtitati ponere non cogente honeſta utilitate cauſſam remotam, & per accidens motuum, qui caſtitati opponuntur, & ad malum ſunt incitantes.

Cauſſæ autem remotæ, & per accidens huiuſcemodi motuum cenſentur illæ, quæ per ſe turpes non ſunt, nec ad luxuriam, ſed ad alios fines licitos ſunt ordinatæ, nec turpitudinis ſpeciem continent. Immo vel per ſe honeſtæ ſunt, & utiles, aut neceſſariæ, ſicuti auditio Confeſſionum, ac ſtudium materiæ ad hoc officium ſpectantis; vel ſunt indifferentes, ut æquitatio, eſus calidorum, ſtudium medicinæ, chirurghiæ, ac in eorum praxi tangere partes ſecretas mulieris, & huiuſmodi, non obſtante prævio ſecuturæ pollutionis periculo, dummodo nullatenus hæc intendatur, nec ei conſentiatur. Item qui expertus eſt ſe pollui æquitando, non tenetur abſque periculo conſenſus non equitare, ac iter facere pedibus. Et ratio generalis eſt, quia hæc fiunt ex officio, vel charitate erga proximum, vel ſaltem utilia ſunt operanti, & cæteroquin honeſta, & licita, neque per ſe, ac natura ſua cauſſa ſunt talis fœditatis: Unde operans potius pati cenſetur pollutionem, quam agere, dummodo non adſit periculum conſenſus. Sic Sylvius cum Azor. Leſſ. Bonac. aliiſque.

Tangere ſe quando opus ſit & fœminas etiam, in partibus tamen honeſtis, eas amplecti, oſculari in faciem iuxta morem Patriæ, honeſtatis, ac benevolentiæ cauſſa, non eſt illicitum, nec culpabile; quia omnia hæc non ſunt impudica, nec per ſe tendunt ad actum venereum, fiuntque ob rationabilem cauſſam. In his tamen omnibus procedendum eſt cum debito moderamine, & prudenti cautella, ſine curioſitate, & maiori mora quam opus ſit ad tales actiones honeſtas ponendas. Ita communiter cum S. Thoma 2. 2. q. 154. a. 4. Quod ſi fiant ex vanitate; immo ex levitate, petulantia, ſecundum multos ſaltem ſunt venialia; dummodo abſit omnis affectus libidinoſus, & periculum peccati gravis, tam in ſe, quam in alio. Alias in materia tam lubrica, neceſſariæ ... ſicuti etiam indifferentes, ut oſcula, tactus manuum &c. quæ de ſe vel ſunt ſine culpa, vel cum culpa ſolum veniali, ſi frequentius repetantur, aut diutius protrahantur ex levitate, at curioſitate, fiunt mortalia, cum curioſitas, vel levitas degenerent ordinarie, vel ſaltem grave periculum ſit, ut in libidinem degenerent. Quare admittens oſcula moroſa, aut crebra, aut indecentia, tactus mammillarum, mortaliter delinquit; quia cooperatur alterius affectui manifeſte libidinoſo. Immo ſi actiones ſupradictæ neceſſariæ, indifferentes, & per ſe non inhoneſtæ, ſed ſolum per accidens, eſſent alicui periculum probabile conſentiendi in veneream delectationem (ut ſi quis pluries in tali occaſione conſenſerit,) tunc is ex communi debet ſe abſtinere ab illis actionibus, quamtumvis honeſtis & utilibus, videlicet ab auditione confeſſionum, &c. quia non licet ſe exponere periculo probabili peccandi.

De aliis ſpeciebus peccatorum contra naturam quæ ſunt Sodomia, Beſtialitas, indebitus concubitus.

Sodomia ut ſic, eſt *coniunctio libidinoſa cum perſona indebita; ideſt concubitus viri cum viro fœminæ cum fœmina, vel viri cum fœmina in vaſe non debito; ſeu eiuſdem ſexus vel diverſi etiam, ſed in vaſe indebito.* Definitio Sodomiæ, ac eius diviſio. Unde Sodomia diſtinguitur in perfectam, & in imperfectam. Perfecta, quæ communius intelligitur nomine Sodomiæ, *eſt concubitus maſculi cum maſculo, fœminæ cum fœmina*, & cum ratio huius criminis pendeat ab affectu ad ſexum indebitum; hinc nihil refert quod maſculi inter ſe commiſceantur in vaſe præpoſtero, aut (quod dictu infandum) in ore, ſicuti ad dictum ſcelus indifferens eſt, an fœminæ anteriori, vel poſteriori vaſe abutantur. Ad hoc tamen ut in tali ſcelere incurratur reſervatio, ſuſtinent aliqui requiri ſeminis effuſionem intra vas; alii vero & tutius ſuſtinent, ſufficere quod ſcelus intentatum ſit, alias dicunt inutilis eſſet reſervatio, cum ſæpe fiat ut maſculi in maſculos turpitudinem operantes ad penetrationem non perveniant. Sodomia imperfecta eſt concubitus viri cum fœmina extra vas naturale, & hæc differt a perfecta, ideoque in Confeſſione eſt aperienda; cum perfecta ad ſexum indebitum, imperfecta, ad vas indebitum pertineat. Controvertitur tamen inter Theologos, num etiam per Sodomiam imperfectam incurratur reſervtio. Quidquid vero ſit, Tournelleius commendat Confeſſarios,

[illegible] locorum ſpecialium lege remittunt maritum, aut alium muliere in hoc abutentem, ad maiorem Pœnitentiarium. Et ſic docet Sylvius etiam & alii.

Hoc ſcelus eſt graviſſimum, atque in Cœlum clamans *Gen.* 19. Hoc enim traxit ſuper Sodomam, & Gomorrham, finitimaſque Civitates divinam vindicem iram, quæ igne eas conflagravit. Unde iure Civili Rei huius criminis igne concremantur; & iure Canonico Laici olim excommunicabantur; Clerici vero deponebantur, vel in monaſterium detrudebantur. Nunc autem iuxta Bullam S. Pii V. quæ incipit *horrendum illud ſcelus*, & habetur to. 2. Bullarii Romani Conſt. 12. dicti Pontificis, Clerici Sodomitæ ipſo iure privantur privilegio Clericorum, officio, & beneficio Eccleſiaſtico. Hæc tamen conſtitutio non obligat niſi poſt iudicis ſententiam. Reiffenſt.

Definitio Beſtialitatis.

Beſtialitas, quæ eſt tertia ſpecies peccati contra naturam, *eſt Concubitus cum Bruto, ideſt cum re animata diverſæ ſpeciei ab homine*. Hoc eſt graviſſimum ſcelus, & punitur in foro etiam ſæculari pœna mortis, & combuſtionis. Ius autem Canonicum ut in Can. 11. Pœnitentiali, ſtatuit huic ſceleri pœnitentiam pluſquam ſeptem annorum.

Hoc crimen non variat ſpeciem, ex eo quod committatur cum animalibus ſpecie diſtinctis, ut cum ove, cane, equa: nam omnes conveniunt in hoc, quod non ſit eiuſdem ſpeciei cum homine. Etenim malitia beſtialitatis in hoc conſiſtit, quod non ſervetur ſpecies eadem & natura. Ita communiter.

Species Beſtialitatis etiam concubitus cum dæmone.

Species beſtialitatis eſt pariter concubitus cum Dæmone qui aſſumat formam hominis, maris, vel fœminæ, ſive alicuius belvæ: quia etiam Dæmon eſt diverſæ ſpeciei ab homine. Hoc peccatum præter ſui malitiam, involvit etiam vitium irreligioſitatis & ſuperſtitionis ob ſocietatem habitam in illo actu cum Dæmone infenſiſſimo humani generis hoſte; immo involvit malitiam quoque eiuſdem ſpeciei, quam recogitat perſona peccans, puta inceſtus, ſi ſit cum affectu ad Conſanguineam, aut affinem adulterii ſi ad coniugatam &c.

Species ultima peccati contra naturam eſt *indebitus concumbendi modus, quo vir concubit cum fœmina modo indebito; ita ut generatio impediatur*: Dicitur notanter; *itaut generatio impediatur*; alioquin rigoroſe loquendo non erit peccatum contra naturam. Hinc ſecluſo generationis impedimento & periculo effuſionis ſeminis, præpoſterus concubitus cum uxore non erit peccatum mortale, ordinarie tamen eſt peccatum veniale, & hoc grave in ſuo genere, niſi aliqua excuſet neceſſitas; ut v. g. quia mulier eſt prægnans, vel quia corporis diſpoſitione ob pinguedinem coniugalis congreſſus aliter fieri nequeat. Reprehendendi ſunt tamen Coniuges, qui extra neceſſitatem ſimul ita congrediuntur, ob periculum impediendæ prolis.

Prædicta autem quatuor peccata contra naturam diſtinguuntur ſpecie in genere moris, quia opponuntur quidem uni ſoli virtuti caſtitatis, ſed tamen ſecundum diverſam ſpeciem rectitudinis. Unde beſtialitas, ſodomia, pollutio, continent diverſam deformitatem, & diſſonantiam rectæ rationi. Ideirco peccatum contra naturam, ut ſic, eſt genus reſpectu harum ſpecierum. Alias, ſi non daretur in his diverſitas ſpecifica in genere moris; qui commiſit ſemel beſtialitatem, ſemel ſodomiam, ac ſemel pollutionem, ſatis eſſet quod diceret in Confeſſione, ſe ter peccaſſe contra naturam, quod eſt contra communem Doctorum ſententiam, & Decretum Alexandri VII. quo inter alias damnavit hanc propoſitionem n. 24. *Mollities, Sodomia, Beſtialitas ſunt peccata eiuſdem ſpeciei infimæ; ideoque ſufficit dicere in Confeſſione, ſe procuraſſe pollutionem.*

Plures luxuriæ ſpecies poſſunt in eodem actu concurrere neceſſario declarandæ in Confeſſione. Sic peccatum carnis commiſſum a Clerico in ſacris conſtituto, vel ab alio habente votum caſtitatis cum conſanguinea, ſeu coniugata, una cum ſeminis effuſione, præter reatum adulterii continet militiam ſpecie diſtinctam ſacrilegii, atque inceſtus, & peccati contra naturam. Idemque contingere poteſt in deſideriis illicitis, & carnalibus. Item qui voto Caſtitatis obſtrictus ſe ipſum polluit cum imaginatione, atque affectu ad perſonam ſibi conſanguineam, vel affinem, vel coniugatam, præter malitiam peccati contra naturam, & ſacrilegii, contrahit etiam malitiam inceſtus, atque adulterii; & prava illa concupiſcentia, ac deſiderium carnale neceſſario in Confeſſione eſt aperiendum, cum ſit circumſtantia ſpeciem mutans: & ita dicendum de aliis, Reiffenſt. cum aliis.

De peccatis luxuriæ non conſummatæ.

Inter peccata venerea datur etiam quædam ſpecies peccatorum, quæ dicuntur Luxuriæ non conſummatæ, ideſt non progrediens uſque ad mollitiem, & hæc aliqui vocant ſimpliciter nomine generis impudicitias. Huiuſmodi peccata ut plurimum conſiſtunt

ſiſtunt in venereorum cogitationibus , in moroſis delectationibus in deſideriis cordis , in aſpectibus , oſculis , tactibus venereis , in turpiloquio , ſcriptura , pictura indecenti , mulierum ornatu , choreis , & ſpectaculis . Et de his hic infra dicemus. Hinc talia peccata dividuntur in interiora , quæ in ſolo animo perficiuntur , ut cogitationes &c. & exteriora , ut aſpectus , tactus &c. & ſunt lethalia , ſi animo impudico extra matrimonium exerceantur .

De moroſis Cogitationibus Venereis.

Immorari cum plena advertentia in cogitatione de rebus venereis, ſi adſit delectatio venerea , quæ non reprimatur , vel periculum conſenſus in illam , aut in rem cogitatam, eſt peccatum lethale , ratione talis delectationis , vel periculi : veniale autem , ſi advertentia tantummodo imperfecta ſit , & ſemiplena : huiuſmodi eſt in dormiente . Cogitare vero de huiuſcemodi rebus ob iuſtam cauſſam & honeſtam , puta ut tales res melius diſcernantur , ad Confeſſarii , vel Medici munus recte obeundum, non eſt peccatum , ſecluſo periculo conſenſus; quia talis cogitatio non eſt mala neque in ſe , neque in effectu, aut ratione periculi . Erit tamen venialis culpa , ſi hoc fiat ex mera curioſitate , dummodo abſit delectatio venerea , periculumque conſenſus in rem cogitatam, & affectio in ipſam. Quæ tamen omnia in re valde lubrica , & periculoſa raro abſunt a cogitatione de rebus hiſce ſine fine honeſto.

Et quoad deſideria conſtat ex alias iam dictis, deſiderium ſimplex , etſi inefficax, actus luxurioſi, habere malitiam mortalem eiuſdem ſpeciei : ſic deſiderium ſimplex adulterii , vel inceſtus. Nunc vero de altero actu interno , ideſt de mentali delectatione ſermo erit.

Quid nomine delectationis venereæ.

Nota 1. nomine delectationis moroſæ hic intelligi *deliberatam delectationem , ſeu delectationem , quæ poſt ſufficientem advertentiam admiſſa ſit , aut approbata , licet unico inſtanti*. Dicitur enim *moroſa* , non a mora, ſeu duratione temporis , quo perdurat , dum peccatum mortale unico inſtanti committi poteſt; ſed a mora voluntatis, quæ poſtquam ſatis advertit , in ea immoratur, eam acceptando, aut non reiiciendo . Hinc dari poteſt delectatio moroſa , tametſi inſtantanea , ſi nempe voluntas in eam cum advertentia per unicum inſtans conſenſerit.

Delectatio triplex.

Nota 2. triplicem eſſe delectationem, ſpiritualem : Prima nempe , quæ in ſola voluntate reſidet ſine ullo motu corporeo ſenſibili , ſive quæ prorſus eſt independens a motu ſenſibili in corpore . Si hæc delectatio ſit de actu mortali , a quo ut ab obiecto ſpeciem ſumit , eſt mortalis . Secunda eſt delectatio mere ſenſibilis, quæ excitatur ex proportione , & conformitate rei ſenſibilis cum organo ſenſus , abſque ulla commotione ſpirituum genitalium circa partes venereas , ut delectatio , quæ percipitur ex tactu rei blandæ , ex guſtu , muſica &c. Tertia eſt ſenſualis ſeu venerea , quæ percipitur circa partes venereas ex commotione ſpirituum genitalium , ſeu generationi inſervientium . Hiſce prænotatis ſit .

Quælibet delectatio venerea etiam minima , quæ quæſita ſit, vel admiſſa extra coniugium, eſt peccatum mortale , nec poteſt eſſe veniale ob materiæ levitatem. Sic communiter ſentiunt Doctores ; quia omnis delectatio venerea ſecundum ſe , ſeu ex natura ſua ordinata eſt , ac tendit ad ſeminis effuſionem, & eſt quædam illius initium , ſeu inchoatio. In quavis enim venerea delectatione contingit quædam ſeminis relaxatio , ac eius deductio ad partes venereas, teſtibus Ariſtotele, Galeno, aliiſque medicæ Artis ſtudioſis. Quare cum voluntaria ſeminis eiectio extra coniugalem actum ſit mortalis , ut conſtat ex iam dictis de pollutione, & fornicatione , quilibet actus, qui ad illam ordinatus eſt , & tendit , eſt per ſe lethalis . Omnis enim diſpoſitio ſumit ſuam ſpeciem , ac malitiam moralem a forma , ad quam diſponit , motus a termino ad quem tendit , medium a fine , cauſſa a ſuo effectu. Immo quantumvis minima ſit delectatio venerea quæſita, vel deliberate admiſſa extra coniugium , moraliter , & practice loquendo conſtat apud omnes habere adnexum periculum proximum peccati mortalis, iuxta illud : *Qui amat periculum , peribit in illo*.

Datur quidam levitas materiæ in Furto, in exceſſu cibi , non vero in delectatione venerea : nec mirum videri poteſt , quia priora non ordinantur ad peccatum mortale, nec inducunt periculum proximum graviter peccandi , ſicut talis delectatio , quæ etiamſi minima , ex ſe ordinatur ad effuſionem ſeminis moraliter malam, & per ſe inducit proximum periculum conſentiendi maiori delectationi .

Qui poſt ſufficientem advertentiam negative ſe habet ad delectationem veneream , eam nec approbando , neque reprimendo , peccat mortaliter ; quia voluntas tenetur poſitive illicitos motus delectationis , & ſenſualitatis reprimere, ſaltem per actum diſpli-

Digitized by Google

plicentiæ. Ita S. Antoninus, Suarez &c. communiter cum S. Thoma. 1. 2. q. 74. a. 6. & Tridentina Synodus *Seſs. 5. can. 5.* definit, concupiſcentiam non poſſe nocere *non conſentientibus ſe viriliter per Ieſu Chriſti gratiam repugnantibus*: idcirco ne noceat, non ſufficit mera negatio; ſed requiritur repugnantia, ſeu poſitiva diſplicentia; etenim cum tales motus ex natura ſua ſint proximæ diſpoſitiones ad mortale, ad quod valde appetitum alliciunt, graviter diſconvenit naturæ rationali, & Legi Divinæ, indifferenter ſe ad illos habere. Et eo vel maxime, quod hiſce motibus adnexum ſit periculum intrinſecum rei mortaliter malæ, & conſenſus in delectationem. Quinimmo ſola diſplicentia non ſufficit, ſed inſuper motus eiuſmodi prorſus repellendi ſunt, præſertim deſerendo actionem, quæ ad illos extimulat, niſi obſtet cauſſa iuſta; quia, ſicut dictum fuit, tenemur, præcipue cum non adeſt iuſta cauſſa, deſerere actiones leviter turpes, ut ſunt viſus, locutio, lectio rerum leviter obſcœnarum, quæ fiunt ex ſola curioſitate, vel levitate, ſtatim ac ſunt excitantes vehementer ad pollutionem, vel delectationem. Quando vero adeſt iuſta cauſſa, ſufficit vera diſplicentia; alias homines deberent eſſe ſemper anxii, & multa bona omittere.

Medium vero aptiſſimum cohibendi illos motus eſt, mentem ſtatim alio avertere, ſe communire ſigno Crucis, Oratione, Paſſionem Chriſti Domini, & noviſſima conſiderare.

Delectatio moroſa de actu Luxuriæ v. g. de copula, contrahit non ſolum malitiam ſubſtantiæ operis, ſed etiam circumſtantiarum cognitarum, quæ operi ſunt connexæ, & ſpeciem mutant: quia cum talis delectatio verſetur circa opus ut cogitatum, omne quod cognoſcitur eſt illius obiectum; unde non ſolum opus, ſed etiam circumſtantiæ illi adnexæ, & cognitæ ſunt eius obiectum. Actus vero ſumit ſuam ſpeciem, ac malitiam a toto obiecto, & ad illam contrahendam ſufficit voluntarium indirectum, & interpretativum. Quare ſimplex delectatio de copula habita cum coniugata, aut conſanguinea, pertinet ad ſpeciem adulterii, vel inceſtus. Ita S. Antoninus, Caietanus, Suarez, aliique.

De Oſculis.

Cum materia hæc ſuis præ cæteris involvatur difficultatibus, pro clariori intelligentia ſupponendum cenſeo 1. cum S. Thoma 2. 2. q. 154. art. 4. oſculum, amplexus, & tactus ſecundum ſuam rationem ex natura rei, non eſſe peccatum mortale, immo nec veniale; quia hæc poſſunt abſque libidine fieri.

Supponendum 2. oſcula triplicem poſſe habere finem: 1. ſignum amicitiæ, pacis, & urbanitatis &c. 2. præcile poſſunt haberi ob ſenſum illius delectationis organicæ quæ ex ipſo oſculo oritur. 3. ob veneream delectationem.

Quare ſupponendum 3. quemlibet oſculum duplicem delectationem habere poſſe; unam ſenſus præciſe, ſeu organi, in quo datur, vel in quo excipitur delectatio, & hanc quamplurimi ſenſibilem appellant, non ſenſualem, & conſiſtit in convenientia quadam rei tactæ cum organo, quo eadem tangitur, ſine quavis alia delectatione; & hanc experiuntur matres, ſeu quicumque alii mollem teneramque infantis carnem deoſculando: Aliam veneream, ſeu libidinoſam, & hæc eſt voluntaria complacentia in re venerea, quæ vel eſt fornicatio, vel quilibet actus Luxuriæ externus, vel deliberata eius cogitatio ſeu imaginatio, & huiuſmodi complacentia eſt mortalis: nam ad peccandum lethaliter in quacumque materia non requiritur poſitio actus ultimi ſive interioris, ſive exterioris; ſed ſatis eſt quod ponatur proximum eius periculum.

Unde licet oſculum libidinoſum ſit etiam ſine voluntate copulam conſummandi, aliosve actus Luxuriæ, eſt tamen lethale, eo quia fiat cum animo, vel ſaltem periculo deguſtandi carnalem delectationem, eam nempe, quæ eſt cum voluntate copulæ, ſive cuiuſvis alterius ſpeciei Luxuriæ, aut cum voluntaria, & affectuoſa eius imaginatione, ut confirmat cenſura propoſitionis n. 40. inter damnatas ab Alexandro VII. *Eſt probabilis opinio, quæ dicit eſſe tantum veniale oſculum habitum ob delectationem carnalem & ſenſibilem, quæ ex oſculo oritur, ſecluſo periculo conſenſus ulterioris, & pollutionis.*

De oſculis quando licita ſunt.

Oſcula honeſta ſecundum conſuetudinem Patriæ ſacta cauſſa amicitiæ, urbanitatis, & pacis, non ſunt illicita, ac ideo non ſunt peccata. Et hoc probat mos primitivorum fidelium etiam ſexus diverſi, qui ſe invicem ſalutabant in oſculo ſancto. Et ſapienter notat Sylvius, nullam in ſimili oſculo apparere turpitudinem, cum oſcula huiuſmodi ſigna ſint, & teſtificationes unionis animorum, amicitiæ, benevolentiæ, & honeſtatis. Idcirco ait S. Antoninus tit. 5. cap. 1. §. 10. *In tantum ſunt peccata oſcula, tactus,*

&

& ſtultiloquia, in quantum procedunt ex luxuria. Unde cum ea, de quibus loquimur, non procedant ex Luxuria, nec cum eius periculo, concludit S. Antoninus, *talia non eſſe peccata, quamvis poſſit venire tentatio, & mala intentio*; quia hoc erit per accidens. Advertit tamen citat. Sylvius, in hiſce omnibus ſervandum eſſe decorem perſonæ, & cavendum a ſcandalo. Quare non convenire videtur Religioſis, ac Clericis ſæcularibus, ut hæc partialia ſigna mulieribus, puellis, tametſi conſanguineis, amicitiæ ac benevolentiæ teſtentur; quia indecens eſt in talibus perſonis, nec ſine periculo ſcandali.

Tametſi vero ex oſculis, tactibuſque honeſtis datis, vel receptis ſentiantur motus ſenſualitatis, aut venereæ delectationis, notat Sylvius, quod quando adſit iuſta cauſſa adhuc licita ſunt, dummodo in hiſce motibus, & delectationibus voluntas non conſentiat.

Si vero mulier advertat, eum, a quo tangitur iuxta morem loci ſub ſpecie honeſtatis, reipſa moveri affectu erga eam libidinoſo, & quod tactus ſit impudicus, ut ſunt amplexus columbini, ſive palam, ſive ſecreto hoc attentetur, debet ſe retrahere: quod ſi tactus nihil habet de ſe impudici, & fiat ſecundum morem Patriæ, & aliqui ſint præſentes, ac nequeat evitare eorum ſuſpicionem ſi ſe retrahat, non tenetur ſe retrahere, ac poteſt diſſimulare. Si autem nullus ſit præſens declinare debet tactum, ſeu amplexum, tametſi de ſe honeſtum, ſive ſe retrahendo, ſive virum repellendo; alias alterius peccato cooperaretur. Caiet. Azor. Sylv. Tour.

De Oſculis, & Amplexibus de ſe honeſtis, factis ex mera levitate, & ioco, & cum delectatione ſenſibili.

Oſcula, & tactus de ſe honeſti facti ex mera levitate, ioco, ac ſimili alia cauſſa, iuxta plures non excedunt veniale, dummodo tamen non adſit affectus libidinoſus, ac gravis peccati periculum, ſive in ſe, ſive in alio, nec habita ratione perſonarum conſtitutionis, veneream commotionem multum excitent; ab his tamen caute & ſevere abſtinendum. Nam quoad primam partem prædicti amplexus, oſcula, &c. quando abſit affectus libidinoſus, ac eiuſdem periculum, non ſunt mali ſecundum ſe, & levitas, ac iocus, aliaque huiuſmodi, actui de ſe honeſto non poſſunt communicare talem turpitudinem, quæ ad mortale pertingat. Quoad ſecundam vero partem, cum ad eiuſmodi luſus non ſe extendant perſonæ graves, & timoratæ, ſed iuvenes vani, virtutis ac decoris ad ſummum tepidi, nemo non videt, in re tam lubrica ex illa ratione iocandi non parum imminere periculi; eo vel maxime quod in periculis, quibus voluntarie occurrimus, non habetur certa ſpes divini auxilii. Quare Confeſſarii arcto in hiſce caſibus uti debent fræno, & eo magis, quod ſæpe ſæpius pro levibus reputantur, quæ vere gravia ſunt.

Oſcula ex more ſolito data propter delectationem organicam ſine periculo ulterioris conſenſus, ſunt eiuſdem conditionis, ac proxime antea expoſita. Ita ſentit Henno, S. Antoninus, Comitol. Sylv. cum pluribus aliis: Nam ut ait Sylvius, in tantum oſculum eſt mortale, in quantum eſt libidinoſum: non tale eſt ſecundum D. Thomam, niſi quatenus ſit cum conſenſu ſaltem interpretativo in delectationem peccati mortalis; etenim oſcula in genere, tactus, non ſecus ſe habent, ac in genere aſpectus pulcræ mulieris, quæ ſi aſpiciatur ob ſolam pulcritudinis delectationem, deteſtando concubitum mulieris, & quamcumque pravam de ea cogitationem, talis aſpectus nec includit, nec includere poteſt delectationem lethalis peccati: Chriſtus enim Matth. 5. non dixit ſimpliciter; *qui viderit mulierem* ſed addit, *qui viderit mulierem ad concupiſcendum*: enim vero ſi venialiter tantum peccat, qui comedit, aut bibit ob ſolam delectationem, a pari, qui per ſolam organicam tactus ſuavitatem oſculatur. Item amplexus non ſunt de ſe libidinoſi, alias numquam licerent. Tales enim fiunt ex intentione, & periculo agentis; & ſicuti non peccat hæc agens ob ſolam delectationem organicam, quæ oritur ex amplexu facto urbanitatis, aut charitatis gratia; ita nec qui præciſe agit propter eam.

Item delectatio ſenſibilis, quam parit oſculari affectuoſe teneras infantium carnes, dummodo tamen hoc fiat ſine prava intentione, & periculo, vel nullum eſt peccatum, vel ſaltem ſolum veniale, ait Henno, tametſi non fiat ſine delectatione ſenſibili: Etenim aliud eſt agere cum delectatione ſenſibili, quam neceſſario pariunt qualitates quæ corporibus connectuntur, aliud propter eamdem agere; & propoſitio damnata circa delectationem carnalem, intelligenda eſt, non de carnali mere ſenſibili, ſed venerea, & hæc eſt illa delectatio, quæ ab Apoſtolo vocatur *immunditia* excludens a regno Dei. Hæc vero dicta ſint pro regula tantum ad diſcernenda oſcula, ſicuti etiam am-

Digitized by Google

amplexus mere ſenſibiles a libidinoſis ; non ut hac utantur Confeſſarii , & pœnitentes ad laxandas habenas , ut facile oſcula , & amplexus admittantur , ac exerceantur : Cum multum pertimeſcendum ſit & Confeſſariis, qui libere talia oſcula , & amplexus permittant , & pœnitentibus , qui exerceant ; quia non ita facile ſecernuntur oſcula mere ſenſibilia a venereis , & grave periculum eſt quod aliqua venerea delectatio cum his immiſceatur , & ſunt proxima via ad veneream delectationem. Cæteroquin oſcula mere ſenſibilia , & amplexus non ordinantur per ſe ad copulam carnalem, ſicuti aliqui obſiciunt , alias amplexus exteriori animo inter perſonas eiuſdem ſexus ordinarentur ad Sodomiam, quod proculdubio falſum eſt : & conceſſo etiam, quod tendant ad copulam, non tenderent tamen , niſi eo pacto , quo litigium tendit ad homicidium , ideoque multum remote , ut eius malitiam contrahant , alioquin ſemper reus eſſet mortalis culpæ qui manum tangeret mulieris , eiuſque vultum conſpiceret , ac aliquantulum familiarius cum ipſa colloquium haberet.

De Oſculis libidinoſis.

Oſcula libidinoſa data , vel recepta quocumque prætextu , puta etiam Charitatis , & amicitiæ inter perſonas eiuſdem , & diverſi ſexus, ſemper ſunt mortale peccatum. Hoc enim conſtat cum ex D. Thoma hic q. 154. art. 9. & aliis Theologis communiter , tum ex Clemente VIII. ac Paulo V. qui præceperunt , ut fidei Inquiſitoribus denuntiarentur aſſerentes, oſcula habita ob meram delectationem veneream non continere culpam lethalem , tum ex ipſa ratione. Nam ſi delectatio, ſeu complacentia deliberata de homicidio , furto &c. eſt ſemper mortale , mortale quoque cenſendum eſt oſculum , cui annexa eſt delectatio venerea , cum importet complacentiam deliberatam de obiecto mortali. Etenim obiectum huius delectationis vel eſt repræſentatio copulæ, vel in ipſam tendens; utrumque quorum grave conceditur, vel eſt ſaltem commotio ſpirituum ad generationem inſervientium , quæ pariter gravis eſt , ſi per oſcula inquiratur , vel exorta libere approbetur. Immo ſi delectatio etiam modica de homicidio , ſi deliberata ſit, omnes concordant eſſe culpam mortalem , a fortiori eam continebit delectatio quantumvis tenuis de turpitudinibus nunc iam notatis , niſi excuſet inadvertentia. Quare notandum , quod quotieſcumque oſcula, ſive etiam tactus, verba amatoria , aliaque huiuſce generis habent delectationem veneream, aperienda eſt in confeſſione circumſtantia perſonæ etiam innocentis , quæ exoſculata , vel tacta ſit &c. nempe ſi voto ligata ſit , conſanguinea , vel affinis ; quia actus turpis participat malitiam, ad quam natura ſua tendit.

De Tactibus , Aſpectibus , & Picturis libidinoſis.

Nota 1. quoſcumque tactus ſeu in proprio, ſeu in alterius corpore libidinoſe exercitos maculam habere lethalis culpæ.

Nota 2. Tactus , qui a Chirurgis , ac infirmariis ex neceſſitate fiunt , non eſſe ne quidem veniales , licet aliquando motus graves pariant , dummodo tamen abſit conſenſus , ſive proximum eius periculum. Unde tota difficultas verſabitur circa tactus ex ioco, levitate, aut curioſitate, ſive propter ſolam organi delectationem exercitos.

Tangens aliquem , cuiuſcumque ſexus , in parte corporis honeſta ex levitate , ioco , aut intuitu delectationis organicæ , ut antea vidimus , poteſt eſſe reus ſolius peccati venialis; ſecus vero ſi in partibus quæ graviter ad libidinem provocant. Utraque pars eſt communis apud DD. Tactus enim qui per ſe ſunt indifferentes, totum id quod habent malitiæ habent ex affectu tangentis ; unde cum affectus tangentis in hypotheſi quod ex ſola levitate agat , & quod ab omni delectatione venerea abhorreat , non ſit niſi venialis, veniales igitur ſunt tactus , qui hoc ſimplici affectu peraguntur. Idcirco non ſemper damnandus eſt reus gravis peccati , qui manum alicuius honeſtæ mulieris , ſive pedem pede ſuo pulſat , digitos premit , manum obiter torquet , faciem quaſi alapam fingendo tangit. Licet tamen pro viribus ab his abſtinendum ſit, ob periculum , quod venereus inſinuetur affectus , & turpis delectatio. Secunda vero pars facile probatur , tum quia qui certas alterius partes tangit non movetur niſi libidine proprie dicta, tum quia dum tangere incipit , eſto quod vel hoc faceret ſine libidine (quæ tamen inſolita ſunt, & metaphyſica) ſe tamen periculo exponeret nimis proximo venereæ delectationis. Ad libidinem plane graviter provocant partes pudendæ, aut ipſis proximæ ; unde qui etiam trans indusium, immo & veſtes , tetigerit, aut tangere ſimulaverit mammillas, aliaſve mulieris verendas partes , cenſendus eſt gravius reus. Si tamen contactus leviter fiat, & obiter , & quidem in parte ſuperiori, fragilitati humanæ indulget Henno;

Sed

Digitized by Google

Sed nihilominus qui hac utitur libertate, ſerio redarguendus eſt. Peccat pariter, qui in prædictis partibus ſeipſum tangit, vel ſe in his tangi patitur; quia cooperatur alieno delicto. Nam etſi per impoſſibile deeſſet affectio libidinis, non deeſſet tamen eius periculum quia æque oritur ex contactu activo quam paſſivo.

Quoad nutrices vero, & ancillas, quæ in veſtiendis infantibus, vel mundandis tangunt ſecretiores eorum partes hoc deciditur ex circumſtantiis. Unde quæ agunt ex libidine, certe graviter peccant; ſi vero ex curioſitate hoc faciant, dubium eſt ſaltem quod huic curioſitati ſemper inhæreat aliquis libidinis ſenſus; idcirco ſatius eſt hæc fugere, & commiſſa confiteri ut dubia mortalia. De matribus vero cum non ſit res tam periculoſa, dicendum eſt eas ſtulto potius quam obſcœno amore tangere quidquid eſt prolis ſuæ, & deoſculati.

Qui autem verenda propria tangunt non peccant, ſi hoc faciant ex neceſſitate & cum omni cautella, ne concupiſcentia excitetur & ſi per accidens excitetur, non præbeatur conſenſus. Si vero hoc faciant ex curioſitate, levitate, vel cauſſa calefaciendi manus, cenſet Sylvius cum aliis communiter non eſſe mortale; quia (aiunt) neque eſt tanta in huiuſcemodi tactibus turpitudo, quanta in contactu partium alterius, etiam non ex delectatione facto; neque tantum eſt periculum delectationis venereæ. Aliqui tamen limitant ſi prædicti tactus obiter fiant, neque pluries reiterentur: quia moroſi, & repetiti contactus a curioſitate ad delectationem veneream, aut ſaltem ad eius periculum facile inducunt.

Cenſent aliqui, & præcipue Tournelleius, eos non vacare mortali culpa, qui brutorum genitalia ſine vera neceſſitate contrectant; quia huic contrectationi gravis ineſt turpitudo, ac ideo graviter periculoſa, & accedens ad beſtialitatis malitiam. Aliqui vero excuſant a mortali, ſi belvæ grandiores non ſint, & curioſitate, vel ioco, nec moroſe, & repetite, aut ex libidine id fiat. Sed ſemper in his dubium eſt de mortali; ideoque ſecurius hæ curioſitates in Confeſſione aperiantur. Si vero hoc fiat ex neceſſitate, ut etiam ſi quis hæc animalia ad vitam neceſſaria pro eorum propagatione coniungeret, non eſſet reus culpæ, dummodo tamen removeret conſenſum commotionis venereæ, quæ ex tali actu exurgere poſſet.

Aſpectus libidinoſi ſeu noſtri, ſeu alterius perſonæ utriuſque ſexus, ſemper ſunt mortales: Et aſpectus libidinoſi hi præcipue cenſentur, qui fiunt in partibus obſcœnis, aut in his, quæ proximæ ſunt, non ſolum aliorum, ſed etiam proprii corporis, ſaltem ſi ſtudioſe, & moroſe in ſeipſis hoc fiat: Quicumque enim actus exercitus cum libidine ſufficienter deliberata, aut gravi eiuſdem periculo, mortalis eſt malitiæ, a qua excuſare nequit parvitas materiæ, ut iam alias notatum fuit: Aſpectus enim huiuſmodi ita honeſtati naturali adverſantur, ut primi parentes, licet coniugati, erubuerint de ſua nuditate, & perizomatibus ſtuduerunt ſibi invicem eam occultare.

Verum quidem eſt, docere Sanchez, & Sylvium, hos aſpectus eſſe tantum veniale, ſi fiant ſola curioſitate, & tam breviter, ut non detur occaſio magnæ commotionis in corpore, vel ſi ratione ætatis puerilis, aut ſenilis, ſeu frigidiſſimæ complexionis ceſſet periculum magnæ commotionis in aſpiciente; ſed hæc doctrina pro his, qui pueri non ſunt, ut plena periculo non eſt admittenda.

Eſto quod ſecluſo periculo delectationis venereæ ſecundum multos ſit tantum veniale conſpicere mulieris faciem, hoc tamen dici poſſe non video de aſpectu ſaltem moroſo mammillarum; cum talis aſpectus multum periculi ſecum afferat. Omnes porro conveniunt eſſe lethale, conſpicere virum, & fœminam in actu coniugali ſeu concubitu. De aſpectu vero concubitus belluarum, iudicandum eſt ex aſpectus mora, motivo, impreſſione, periculo. Semper tamen ſevere ſunt arguendi, qui etiam ex ſola curioſitate hiſce aſpectibus occupantur.

Similiter excuſari nequeunt de gravi culpa qui verenda conſpiciunt natantis in flumine, quia ſe gravi periculo exponit; & iam perrarro nonniſi ex gravi libidine ad talem aſpectum quis movetur. Idcireo, ait P. Henno, non ita facile eum excuſari poſſe a mortali, qui ſe in locis publicis natationi exponit, abſque eo quod verenda tegat.

Quare facile colligitur 1. graviter peccare mulieres, quæ prodeunt nudatis mammis, ſeu linteo tam exili tectis, ut eo magis hac arte excitamentum luxuriæ præbeant. Hinc quamplures Synodi prohibuerunt Sacramenta miniſtrari mulieribus ſcandaloſe detectis. Et hunc deteſtabile abuſum ac ſumme conſcientiis perniciosum deteſtarunt primævi PP. Unde immerito Sylvius eas excuſat a mortali, quæ, quia talis mos eſt Patriæ, ſine prava intentione modice pectus denudant,

dant, ut etiam nuda ubera oſtentent; cum talis abuſus damnetur ut lethalis etiam a S. Antonino. Idcirco, quæ in tali uſu vixerunt, ſemper vixerunt in lethali culpa; ac proinde nullæ cenſendæ ſunt earum confeſſiones; cum ſaltem deliquerint in intollerabili vanitate. Item reprehendendæ ſunt, quæ gerunt brachia nimis nudata.

Colligitur 2. graviter eos delinquere, qui picturas, imagines, ſtatuaſque obſcœnas faciunt, exponunt, aut intuentur, præcipue quando hæ repræſentant perſonas grandiores; quia, ut iam toties dictum eſt, imminet grave periculum venereæ delectationis. Unde abſolutio deneganda eſt hiſce omnibus, qui prædictas imagines, vel ſtatuas pingunt, vendunt, retinent, niſi eas ad honeſtatem ita compoſuerint, ut ad priſtinum ſtatum reduci nequeant. Item arcendi ſunt a Sacramentis Pictores, qui ut artem ſuam ediſcant, mulierem oculis ſuis expoſitam, ſua quiſque ex parte delineant.

Ne tamen dicta circa aſpectum mulieris ſcrupulos ingerat, advertendum, hæc intelligenda eſſe de aſpectu moroſo affectato, & cum prava intentione, non vero de aſpectu naturali, & pura intentione, dum fortuito per plateas aliiſve in locis occurrant; ſicuti etiam tali modo non eſt illicitum eas alloqui; ita ut non teneatur ſæcularis perſona præcipue incedere oculis demiſſis, dum ei aliqua mulier occurrit ne eam conſpiciat; immo tanta præcautio obeſſet potius quam prodeſſet, & facilius tentationes cauſſarentur.

De Ornatu muliebri.

Mulieres, quæ fuco utuntur, ut rubicundiores, vel candidiores appareant, & eſt adulterina fallacia, non ſemper lethaliter peccant, ſed quando hoc ſolum fiat propter laſciviam, vel in Dei contemptum. Immo ſecundum D. Thomam neque ſi hoc fiat, non ad fingendam pulcritudinem, quod ſaltem eſt veniale, ſed ad occultandam aliquam turpitudinem, provenientem puta ex ægritudine, vel ab alia ſimili cauſſa, quia ut ait Sylvius, non eſt peccatum adhibito artificio turpitudinem tegere, quamvis peccatum ſit pulcritudinem ſimulare. Si vero hoc faciat mulier ut placeat marito, & puella amaſio cum quo agit de ineundo matrimonio, haſce tunc non peccare cenſent aliqui; ſed S. Thomas limitat, quando ſolum agatur de retrahendo marito ab adulterio. Unde ſequitur, peccare lethaliter venditores fuci, quando fucum indiſcriminatim vendunt, cum ut plurimum ementes utantur ad laſciviam; ſolum vero venialiter, ſi eum vendant perſonis, quas conſtat uſuras eſſe eodem non in finem moraliter malum; & nullatenus ſecundum Sylvium, ſi iis ſolum vendant, quæ eo uſuræ ſunt dumtaxat ad tegendam turpitudinem.

Mulieres, quæ ſine ſcandalo, & prava intentione utuntur Capillis ſuppoſititiis, ait Sylvius nullum committere peccatum, ſi ſolummodo illis utantur ad ornatum, non ſecus ac utimur lana, lino &c. & ſolum venialiter, ſi fingant eſſe proprios, nullamque aliam ponant pravam circumſtantiam.

Si mulieres utantur veſte virili, & homines muliebri ſine neceſſitate, qualis eſſet ſe occultandi ab hoſtibus, vel ob defectum alterius veſtimenti, vel propter aliud eiuſmodi, eſt ſemper vitioſum. Si tamen fiat ex ſola levitate, ideſt ſine ſcandalo, & ulla prava intentione, & periculo libidinis, ſecundum Sylvium eſt ſolum veniale; mortale vero ſi ſit intentio, & periculum luxuriæ, ſive notabile ſcandalum. Quod ſi veſtium mutationi accedat larvæ aſſumptio, ſecundum Tournelleium cum communi nequit excuſari a gravi peccato, quia ſecundum communem talis mutatio veſtium cum larva eſt valde gravis.

Circa veſtimenta fœminarum, notandum, quod mulieres veſtientes inordinate, ſeu contra morem Patriæ, vel ſupra conditionem ſtatus, ſeu propter mollitiem & delicias, plus, minuſve peccant, prout plus, aut minus recedunt ab ordine. Et certum eſt in triplici capite circa hoc peccare, quia in primo ſingularitas vitium eſt, ut ait S. Auguſt. l. 3. Confeſſio. cap. 8. *Turpis eſt omnis pars univerſo ſuo non congruens*. In 2. quia quæ ſupra ſuam conditionem veſtire ambiunt, convincuntur vanitatis, & ſuperbiæ. In 3. tandem; quia inordinatum eſt eo uti ad delicias, quod pœna peccati eſt, ut veſtis, quæ ideo eius memoriam innovare debet: & in tali abuſu non deeſt aliquando etiam culpa mortalis, ut cum forma veſtis eſt apta ad excitandam libidinem, & eo magis ſi ad hunc finem mulier ſe ornet, ideſt ut aliciat viros in ſui concupiſcentiam. Item ſi tanta ſit veſtium ſumptuoſitas, ut propter eam, vel debita non ſolvantur, vel non reſtituantur quæ ſunt reſtituenda, vel alia in familia pariantur incommoda. Quare ſi a tali ſuperfluo ornatu mulier ſe emendare recuſet, ſine abſolutione eſt dimittenda, etiamſi dubitetur num mortaliter rea ſit vel venialiter; quia in dubio de mortali, pro

ipſo

ipſo potius, quam pro veniali eſt ſupponendum. Sic Natal. Alexan. cum Tournel. & aliis.

De Verbis turpibus, ac Cantilenis, ideſt de iis qui turpia loquuntur, componunt, canunt, audiunt &c.

Qui turpia loquuntur, componunt, audiunt, legunt, canunt ſine iuſta neceſſitate rei ſunt peccati mortalis. Scribens Apoſtolus ad Epheſios 4. ita eis præcepit: *Omnis ſermo malus ex ore veſtro non præcedat:* & cap. 5. addit, *aut turpitudo; aut ſtultiloquium, aut ſcurrilitas, quæ ad rem non pertinent*. Ex his igitur conſtat, turpiloquium, & ſimilia non vacare culpa, & perraro culpa mortali; quia lethale peccatum eſt ubicumque adſit libidinoſa voluptas, vel eius periculum, quæ facile occurrunt, cum quis ſpontanee turpia vel loquitur, vel legit, vel audit. Utplurimum enim fit, turpia homines loqui, audire, legere, canere, quia mentem iucunde rapiunt, & alliciunt. Sic ſentit Natal. Alex. cum aliis. Dixi *ſine iuſta neceſſitate:* Nam Confeſſarii, Medici, Chirurgi, Theologi multa audire ac legere poſſunt, quæ alii non poſſunt.

Hic autem notandum 1. quod ubicumque ex verbis etiam non graviter turpibus, immo forte honeſtis imminet periculum venerei conſenſus, ſtatim ab illis eſt deſiſtendum 2. in miſero, ac periculoſo ſtatu verſari, qui æquivocis dictionibus aſſueſcunt, quæque obvia contorcent ad ſenſus impuros, & cantilenis immunditiam ſpirantibus occupantur. *Pravis aſſueſcere ſermonibus* (ait D. Baſilius hom. 24.) *via quædam eſt ad rem ipſam*. 3. eos, qui licet interius non approbent, dant tamen exterius aliis occaſionem, vel ea incipiendi, vel ea continuandi, & ita turpiloquia autorizant, mortaliter delinquere; quia exterior rei mortalis approbatio eſt mortale peccatum.

Qui turpia componunt, puta comœdias, poeſes, cantilenas, aut citra utilitatem, ſeu neceſſitatem tractatus edunt de rebus obſcœnis, peccant graviſſime, licet in his mens eorum nihil turpe patiatur. Hi enim, ſicuti ſcire poſſunt ac debent, plerifque a quibus leguntur occaſionem præbent peccati, ac ruinæ ſpiritualis, ut patet ex teſtimonio proborum, qui huiuſcemodi libros damnant ut mortiferum animarum venenum. Unde Pius IV. Sixtus V. & Clemens VIII. inter libros prohibitos illos etiam recenſere, qui tractant de rebus obſcœnis, & laſcivis; ac proinde fideles nequeunt hos legere ac retinere ſalva conſcientia. Mentem ſummorum Pontificum ſecutæ ſunt plures Synodi, quæ ſuis canonibus curarunt a manibus fidelium peſtem hanc removere ac extirpare.

Quare Romanenſes libri vulgo *Romanzi*, nec componi, nec legi poſſunt ſine gravi culpa, ſi ſecundum talium operum morem deſcribant profanos amores, amantia colloquia, innumerabileſque caſus referant libidine, invidia, timore, periculoſa inconſtantia, ſecreti doli conſiliis involutos.

Ex his igitur pro praxi colligitur, indignos eſſe Sacramentis bibliopolas, qui edunt hoſce libros, ac cuique ſine diſcrimine venales exponunt. Immo ſunt quidam libri, qui nemini vendi poſſunt, & comburi debent. Patres familias, qui ſub quocumque prætextu permittunt filios ſuos, filiaſve in tali lectione exerceri. Viri autem graves, & pudici, qui ſolum eruditionis profectum in tali lectione inquirunt, licite pluſquam alii in tali lectione verſari poſſunt: caveant tamen, ne iuvenibus, immo ne viris quidem ætate maturioribus, ita facile commendent, & ne poſt eorum mortem in manus incidant eorum, quibus exitiales forent.

Nemo autem non videt, quantum periculi in ſe habeant litteræ amatoriæ, quæ ſub prætextu amicitiæ, urbanitatis, aut reverentiæ tenerum propenſionis affectioniſque ignem vehementer inſpirant, ac accendunt. Quare ſolliciti ſint Confeſſarii, ut qui eos recipiunt ſtatim comburant. Idemque dicito de munuſculis, quæ amaſius, & amaſia ad invicem communicant.

De Saltationibus, & Spectaculis.

Saltatio non eſt de ſe mala, ut habetur Eccl. 3. *Omnia tempus habent; tempus plangendi, tempus ſaltandi*. 2. Regum David ſaltabat totis viribus ante arcam, & hoc Deo placuit, ut patet ex ipſius capitis decurſu. Item S. Thomas in caput 3. Iſaiæ ait, quod cum impoſſibile ſit ſemper agere in vita activa, & contemplativa, hinc oportet aliquando gaudia interponere, ne animus nimia ſeveritate frangatur, & ut promptius homo ad opera virtutis paretur; ita ut ludus ſit etiam virtuoſus, & meritorius, ſi fiat tali fine cum aliis circumſtantiis, puta ſi ludus, & choreæ perſonæ non ſint indecentes, ut Eccleſiaſticis & Religioſis; ſint tempore lætitiæ cum honeſtis perſonis, & honeſto cantu, nec geſtus ſint laſcivi, ut abſit periculum libidinis; ut choreæ non fiant in loco ſacro, & tempore divini officii; immo nec diebus feſtis.

Choreæ igitur inter perſonas eiuſdem ſexus, abſque turpi geſtu, ut licitæ permitti poſſunt. Hoc patet ex dictis; unde puellæ, quæ perſoluto diei penſo ſaltationibus ſe recreant, omni vacant culpa. Idemque valet quoad adoleſcentes, ſine tamen puellarum conſortio. Hinc huiuſcemodi choreæ permittuntur in tragœdiis ad iuvenum exercitium, & recreationem.

Saltationes vero inter perſonas diverſi ſexus poſſunt eſſe immunes a peccato, ſed ob periculum vix permitti poſſunt a Confeſſariis, quia vix umquam habent conditiones, quæ ab omni culpa excuſent. Et quoad primam partem, eo quia choreæ ſint abſolute indifferentes poſſunt bene, & male fieri iuxta perſonarum affectum, quæ in ipſis exercentur, unde ſi nullus occurrat vitioſus affectus, nec mala circumſtantia, ut fieri poteſt inter perſonas eximiæ probitatis, nihil eſt quod reprehendatur. Quoad ſecundam autem partem probatur ex his quæ ut plurimum occurrunt in choreis inter perſonas diverſi ſexus: Nempe, quando ad has concurrant mulieres toto cultu muliebri ornatæ, cum leporibus, venuſtate formæ, & ſaltandi gratia, concurrunt viri, ut mulierum decore, elegantia, colloquiis, ſaltatione, omnibus illecebris oculos, aures animumque recreent; tunc enim non ita facile fieri poteſt, ut homines ob multam propenſionem, quam patiuntur ad malum, inter tot pericula animum ab omni culpa innoxium ſervent. Et eo vel maxime, quod illic interveniat nimis grata inſtrumentorum armonia, quæ animum emolit puellarum, quæ raro totam in ſaltando ſervant modeſtiam, manu apprehenduntur, & oſculis non difficile indulgent. Nemo enim non videt in tanta agendi libertate quantum ibi periculum immineat ad impudicos aſpectus &c. Hinc Concilium Tridentinum vetuit publicas mulierum ſaltationes, ut multam noxam, & exitium ſpirituale afferentes; & S. Carolus Borromæus docuit in ſingulari tractatu, Patrum, Conciliorumque teſtimoniis, ſaltationes periculoſas eſſe Chriſtianæ innocentiæ, & in memoriali p. 2. cap. 6. ſummopere eas execravit. Hæc eſt ſententia etiam S. Archiepiſcopi, cui concordat etiam cum ſua doctrina S. Antoninus 2. p. tit. 6. cap. 6. Nam poſtquam docuit, Choreas poſſe bene fieri, ſi debitæ conditiones ſerventur, ſubiungit, in tripudiis eas conditiones vix umquam adeſſe: & S. Auguſt. dicit, quod melius eſſet diebus dominicis arare vel fodere, quam Choreas ducere.

De periculo in frequentandis Spectaculis, & comœdiis maculandi caſtitatem.

Comœdia *eſt poeticum drama, quo civilis, & privata actio cum læto, & ut plurimum nuptiali exitu repræſentatur*. Hæc comica repræſentatio innocenter fieri poteſt, ſicuti revera fit in pluribus Collegiis; ubi comœdiæ iuvenum mores ridendo caſtigant, ac inſtruunt ad publice dicendum ſine periculo, quando in ſcena nulla perſona interveniat atrix mulier, vel muliebriter veſtita. Nihilominus tamen, ut ſanum iudicium feratur de comœdia, hæc ſpectanda eſt non abſtractive, ſed in praxi ſecundum omnes circumſtantias loci, temporis, poematis, actorum ſcenicorum, auditorum, & ſic non facile erit immunis a peccati periculo, ac ideo indignum homini Chriſtiano, ut comœdiis interſit. Grave enim imminet periculum hiſce in ludis, qui ſive ex parte argumenti, ſive circumſtantiarum, nati ſunt malos effectus producere, ut ſunt ludi ſcenici, quorum vix ulla eſt materia, quæ ad vitia fortiter non inclinet: Materia enim ſeu argumenta theatri ut plurimum ſunt amores, coniugia multis artibus quæſita, rivalitates, odia uſque ad furorem, aliaque huiuſce generis, ut ſæpe in libris ſcenicis deprehenduntur, quæ cum lepide ſint dicta & inſinuata, vocis, ac geſtus adminiculo fulcita, nemo non videt difficiliter fieri poſſe, ne animus, quo voluerint actores flectatur. Circumſtantiæ pariter, ideſt fœminæ molles, quæ eo paſſim concurrunt, molliter etiam veſtitæ, ut videant, & videantur; Actrices ut plurimum pudicitiæ venalis, ornatu laſciviam ſpirante, infames profeſſione, & forſan moribus infamiores, procul dubio reddunt ludos ſcenicos iam de ſe periculoſos, multo etiam periculoſiores. Unde ait Lactantius de hiſce ſpectaculis, quod ſint maxima irritamenta vitiorum, ac potentiſſime valere ad animos corrumpendos.

Cæterum ſi comœdiæ repræſententur ab honeſtis actoribus, & honeſte, ideſt cum conditionibus ad honeſtatem repræſentationis requiſitis, non illicitum eſt ſeu culpabile homini Chriſtiano quod hiſce interveniat, iuxta ſententiam D. Thomæ, qui de hyſtrionibus 2. 2. q. 168. art. 3. ad 3. ait, *officium hyſtrionum, quod ordinatur ad ſolatium hominibus exhibendum, non eſt ſecundum ſe illicitum, nec hyſtriones ſunt in ſtatu peccati, dummodo moderate ludo utantur, ideſt non utendo aliquibus illicitis verbis, vel factis, geſtibus, ac ornatibus ad ludum.* Unde

Unde SS. PP. qui tam acriter contra ſcenicas repræſentationes declamant, & Actores, & ſpectatores, ſeu eos qui ad illas interveniunt damnant ut reos gravis culpæ, ſemper loquuntur de ſcenicis repræſentationibus, quæ carent conditionibus ad earum honeſtatem, & modeſtiam requiſitis.

De parvitate materiæ in negotio impuritatis num dari poſſit?

Ad hoc ut res pro clariori intelligentia hic elucidetur, non inutile erit quædam præmittere, quæ ſunt in re hac ſupponenda. Idcirco

Snpponendum primo, id omne quod caſtitatem lædit vetitum eſſe ſexto Decalogi præcepto.

Supponendum 2. duo eſſe genera actionum, quæ caſtimoniam lædere poſſunt; aliæ ſunt mere ſenſibiles, ſeu ſenſuales, ut ab aliquibus appellantur, & eæ ſunt quæ ut iam ſupra dictum eſt, fiunt ex levitate, ioco, curioſitate, aut delectatione organica, ſecluſo conſenſu, & periculo venereæ delectationis. Aliæ ſunt libidinoſæ, & venereæ, quæ nimiam involvunt complacentiam, ſeu grave periculum complacendi in rebus venereis, his videlicet quæ ex ſe tendunt ad generationem, ut copula, pollutio, commotio partium generationi inſervientium. Huiuſce generis ſunt etiam, ut antea diximus, turpes amplexus, tactus, turpiloquia, aliaque ſimilia.

Supponendum 3. Cauſſas, quæ remote tantum tendunt ad mollitiem, puta gravem carnis commotionem, aut ſpirituum generationi inſervientium, aliquando proxime concurrere ad commotionem levem; quia quæ neque ex ſe, nec ratione ſubiecti graviter commovere nata ſunt, leviter movere poſſunt. Ita aſpectus mulieris, aut etiam amici paulo diuturnior, aut utriuſque manuum compreſſio facile excitare poſſunt aliquid inordinati in partibus venereis, nec tamen graves motus ibi excitabunt, niſi accedat nova voluntatis conſenſio, & nova ad gravius malum inclinatio.

Supponendum 4. eum, qui ponit certas cauſſas motuum levium, vel intendere eoſdem motus, vel non, ſed pati invitum, ac renitentem, & hoc ex legitima cauſſa, & ratione. Quibus poſitis ſit.

De parvitate materiæ in ſenſualitate.

In ſenſualitate datur parvitas materiæ, & ſic communiter ſentiunt Theologi. Et hoc contingit in aſpectibus, & amplexibus factis ex quadam levitate, vel curioſitate, qui immunes ſunt a gravi nota. Sic dantur inter amicos teneriora verba, in quibus aliquid ineſt ſenſualitatis, e quibus tamen, qui nimis ſuaviter afficiuntur, potius mori vellent, quam culpabili affectui conſenſum præbere, ideſt nullatenus complacere in levi commotione, quæ inde oriri poſſet. Hæc tamen ſedulo ſunt vitanda ob periculum, ne ad peiora trahamur.

Non datur parvitas materiæ in re venerea in ſe volita. Ita communius ſentiunt DD. tametſi aliqui etiam non infimæ notæ diſſentiant. Clemens VIII. Paulus V. crediderunt generatim, & diſtincte oſculum omne datum ob veneream delectationem eſſe mortale, damnando contrariam opinionem, & decernendo, ut contrarium ſentientes denuntientur Inquiſitoribus. Et ſuper hoc ſapienter diſcurrit Henno, ideſt, ſive voluntas directe feratur in obiectum venereum grave, ut eſt copula, mollities, vehemens ac notabilis ſpirituum genitalium commotio; ſive in obiectum phyſice leve, ut eſt levis eorumdem ſpirituum motus, peccat ſemper mortaliter. De obiecto gravi; nulla iam eſt difficultas: de levi vero ratio id non obſcure demonſtrat; quia in directa tendentia voluntatis in obiectum venereum etiam leve, eſt proximum periculum ulterius progrediendi, quod ut iam patet ſatis eſt, ut talis tendentia ſit mortalis. Nam in materia tam lubrica, tam congrua inclinationi naturæ per peccatum corruptæ, & de ſe tam libidinis incentiva perdifficile eſt, ut qui in tali materia delectationem inquirit, tametſi levem, ſe contineat ne in graviora labatur. Falſum igitur eſt quod dicunt aliqui, nimirum modicam delectationem veneream non eſſe mortale. Ideo enim docent DD. damnatam fuiſſe propoſitionem, in qua oſculo dato ob veneream delectationem malitia ſolummodo venialis adſcribebatur, modo deeſſet ulterioris conſenſus periculum; quia falſum in ea ſupponitur, ideſt dari poſſe delectationem veneream ſine ulteriori periculo. Idcirco ex communi Doctorum ſententia ubicumque ſit modicus conſenſus in delectationem veneream, ibi eſt grave peccatum, quia ibi adeſt proximum ulterioris conſenſus periculum.

Hinc nemini mirum videri poteſt non dari parvitatem in tali materia, dum in aliis peccatis conceditur, ut in furto, &c. quia in aliis peccatis periculum, ſi quid ſit ulterius progrediendi, eſt remotum, nec alias ita pro-

proximum, ſicuti in materia luxuriæ ob eius lubricitatem, ut experientia ipſa patenter docet.

Ad illud vero quod obiiciunt, videlicet gravitatem peccati deſumi a gravitate obiecti; ideoque cum levis commotio non ſit obiectum grave, conſenſum in delectationem huius commotionis non eſſe gravem, & lethalem: Reſpondetur, quod licet levis commotio non ſit obiectum grave præciſe ratione ſui, eſt tamen grave ratione periculi, ulterius progrediendi, ac proinde complacentia in commotione levi, ob periculum quod habet ſemper adnexum, eſt mortalis.

Plures tamen ſunt, qui cenſent nullam delectationem veneream eſſe poſſe ratione ſui levem, ſicuti nec ullum Dei odium, blaſphemia, ſimonia materiæ levitatem habere poſſunt: Nam quoties, inquiunt, integra obiecti malitia in re tam parva quam magna occurrit, ſicuti fit in delectatione venerea ſive parva, ſive magna ſit (non ſecus ac odium, ſi deliberatum ſit, totam odii huius eſſentialiter ſumpti habet nequitiam) totam habet malitiam impudicitiæ; cum delectatio etiam modica ſit inchoatio modicæ pollutionis, quæ totam pollutionis eſſentialiter ſumptæ habet malitiam. Unde non poteſt eſſe venialis ob parvitatem materiæ, ſed ſolum ob indeliberationem conſenſus, aut inadvertentiam.

Si res venerea ſit tantum volita in cauſſa, tunc datur in ea parvitas materiæ; ideſt ſi quis actionem faciat, ex qua ordinarie non ſequatur, niſi levis ſpirituum generationi inſervientium commotio abſque periculo conſenſus, venialiter peccabit, immo nec venialiter, ſi iuſtam huius actionis ponendæ habeat cauſſam: ita cum Sylvio Habert, & aliis. In re autem venerea volita in ſe non datur parvitas materiæ; quia qui in motus etiam leves præbet conſenſum, ſe periculo exponit ulterioris conſenſus: cum autem qui leves motus vult tantum in cauſſa, vel potius patitur occaſione cauſſæ, quam velit, non ſe exponat tali periculo, quod facile abeſſe poteſt in viris timoratis; in his dari poteſt, & datur parvitas materiæ. Si enim motus leves in cauſſa permiſſi ſemper eſſent mortale peccatum; qui ex vanitate, & ut ſolertiam oſtendat in equitando equum aſcendit, & hac occaſione, ut ſæpe fit, leves quoſdam motus patitur, reus eſſet peccati mortalis, ſi hoc ſuſpicatus eſſet, vel ſi ex equo ſtatim non deſcenderet. Idque dicendum de eo, qui curioſam lectionem, quæ nihil habet obſcœni, illico non dimitteret, vel qui ut indulgeret amico præter conſuetudinem ſcyphum vini biberet, unde leviter commoveretur; quæ nemo ſane dicit. Quod ſi dicat aliquis, hæc diſponere ad pollutionem; negare non poſſet hanc diſpoſitionem nimis eſſe remotam, non ſecus ac ira levis ad homicidium. Inſuper motus etiam graves ex iuſta cauſſa permitti poſſunt, ut Confeſſario, Chirurgis &c. a fortiori leves permitti poterunt; aliter quo gravior prævideretur futura commotio, eo gravior cauſſa ad eam cohoneſtandam requireretur. Unde ne venialiter quidem inculpandus videtur qui vel recreandi animi cauſſa, vel ut iter commodius faciat, equum aſcendit cum periculo, aut ſenſu alicuius commotionis; vel qui ut afflictum conſoletur amicum, verbis quibuſdam utatur, quibus nonnihil ſe commoveri ſentiat: & ita dicere licet circa quamplurima alia quæ ſunt de ſe indifferentia.

De Officio Confeſſarii in materia Luxuriæ.

Confeſſarii, ſicuti in qualibet materia, in hac præcipue Luxuriæ curare debent 1. ut ſufficienter peccati cuiuſcumque notitiam percipiant: 2. ut pœnitentes congrue moneant, & abſolutionem quandoque etiam his differant: 3. ut iiſdem ſuo malo apta remedia præſcribant. Circa vero examen pœnitentium neceſſe eſt, ut illud varie ſecundum perſonarum diverſitatem inſtituant. Nam triplex eſt genus pœnitentium, eorum ſcilicet qui ſoluti ſunt, & ſimul incerti qualem ſtatum eligant, & ii ut plurimum ſunt Iuvenes, qui vel peccant ſoli, vel cum aliis. Alii vel cogitant de Matrimonio, vel ſunt deſponſati, vel deliberant de ſtatu Clericali amplectendo. Alii tandem ſunt Coniugati. Regulæ pro Confeſſariis in materia Luxuriæ.

Caveant igitur Confeſſarii, ne nimis ab initio auſteri ſint, triſtes, & rigidi, quia tali modo agendi terrent pœnitentes, ipſiſque os claudunt, vel quia obſtinati ſunt, vel nimis timidi. Immo quanto magis enormia ſunt crimina, commendent ſinceritatem pœnitentis in veritate ſincere exponenda ſuper ſuis erroribus. Diſſimulent & pœnam, nec admirationem aut dolorem demonſtrent pœnitenti in decurſu ſuæ Confeſſionis, ſed identidem fiduciam animumque augeant pœnitentis, ut totam ſuam aperiat conſcientiam & quantum prudenter fieri poteſt præveniant pœnitentem, ſuggerendo ipſi culpas v. g. dicendo *feciſti ſic, & ſic: dicito igitur totum, ne timeas, cum divina miſericordia te expectet, ut per integram dolentemque tuam confeſſionem in gratiam ſuam te reſtituat. Dic*

igitur

Digitized by Google

igitur, ne timeas, quia iam peccata tua ſingula novit Deus; & ego, dummodo vere doleas, tibi indulgeo. Et ſi pœnitens ſit idiota, vel gratum habeat, ipſum diligentibus interrogationibus opituletur Confeſſarius.

In interrogationibus tamen in re lubrica, & perículoſa, ſe gerat cum grandi prudentiæ & cautella; & præcipue cum adoleſcentulis & puellis, ne eos edoceat quæ neſciunt. Incipiat a generalioribus, remotioribuſque, & ab actibus internis, ideſt a cogitationibus, deſideriis pedetentim iuxta gradus malitiæ, quam deprehenderit in pœnitente; ideſt ſi aliquid mali detegat in internis, deſcendat paulatim ad exteriores; & in his præcipue cum puellis adhibenda eſt magna circumſpectio: & ſi cognoſcat non eſſe omnino caſtas, interrogandæ erunt circa eorum ornamenta in veſtibus, num brachia, pectus denudaverint, & an hoc fecerint ex levitate iuvenili, vel animo placendi, ut tali arte ad ſui amorem aliquem alicerent; an ob talem finem Eccleſias frequentarint; ſe conſpiciendas præbuerint e feneſtra, aut in limine; an cecinerint ut conſpicerentur; & prout magis, vel minus malitiæ oſtendat puella in ſuis actionibus, gradatim progrediatur interrogando. Et ſi in ſuis tranſgreſſionibus ad extrema malitiæ pervenerit, interroganda erit an conceperit, num conceptionem fœtus impedierit, an fœtum extinxerit aut extinguere tentaverit.

Qui cogitant de Matrimonio proxime ineundo, vel ſunt iam deſponſati, & hi de pluribus ſunt monendi, videlicet, ne cedant libidini, quæ cum in deſponſatis habeat aſpectum minus inhoneſtum, tunc efficacius inſidiatur. In electione igitur ſtatus coniugalis, necnon cuiuſvis alterius monendi ſunt, ut orationibus, eleemoſynis, aliiſque pietatis operibus Dei explorent voluntatem. Nuptias non ineant ſenſuali, & inſano, ſed caſto amore, non avaritia, aut ambitione; quia nuptiæ ita contractæ nonniſi infelicem ſortiuntur exitum; ut conſiderent multa non levia afferre Matrimonium onera pro Chriſtiana prolis educatione, pro & prolis, & uxoris honeſta ſuſtentatione. Item monendi, quod ante Matrimonii contractus abſolutionem cum omni cautela ſe gerere debeant; ideſt ne tam frequenter viſitent perſonam cum qua nuptias inire ſtatuerunt, breves cum ipſa habeant moras in viſitatione, non nimis blande, affectuoſe, ac familiariter cum ea agant, ne in impudicitiam aliquam incidant; ne ſolitarie in viſitationibus cum ipſa morentur; ſed coram parentibus, non nocturnis, ſed diurnis horis: Matrimonium ſtatuendum non eſſe niſi ex parentum conſenſu, cum alias fieri hoc nequeat ſine gravi culpa: necnon quod præcedere debet huiuſcemodi contractus omnem promiſſionem diligens examen, præcipue ſupra moribus perſonæ, qualitatibus &c. cum qua ſit voluntas contrahendi.

Monendi ſunt pariter poſtquam promiſſionem ſeu ſponſalia inierint, quæ tamen non debent multam diſtare a concluſione matrimonii, monendi ſunt, inquam, eos non habere maiorem licentiam quam habebant antequam ſponſalia contraherent, circa ea quæ caſtitatem ac pudicitiam reſpiciunt; immo quod omnis impudicitia quam in tali caſu inter ſe committere poſſent, eſſet gravius peccatum, quam ſi a ſponſalibus eſſent liberi. Quocirca quandocumque contingat eos ſimul converſari, ſe continere debent in omni actione, & ſermone cum omni modeſtia, ac puritate, non ſecus ac ante ſponſalia. Item monendi ſunt, eos conſecrare debere pietati tempus quod mediet inter ſponſalia, & nuptiarum concluſionem, ut ſacramentum rite ſuſcipiatur, & cum eo ſingulares gratiæ, quæ ad bene ſeu Chriſtiane vitam in tali ſtatu ducendam requiruntur.

Quoad eos vero qui clericalem ſtatum amplecti cogitant Confeſſarii rigidius procedere debent in probanda eorum vocatione, eorumque morum pietatem, integritatemque, quæ profecto excellere debent longe perfectiores in his, quam in aliis, qui ſtatuunt in ſæculo remanere, & quia ii remedium habere poſſunt quoad ſenſualitates a matrimonio ad temperandam concupiſcentiam, cui prorſus renuntiant Clerici dum ſacris initiantur; & quia, ut ex D. Thoma in 4. qui divinis miniſteriis applicantur perfecti eſſe debent in virtute, idcirco talis ſtatus firmam ſupponit probationem, ſicuti perfectio firmam includit ſtatum ſtabilemque ſeu conſtantem.

Quamobrem ſi in iis qui ſtatui Clericali nomen dare ſtatuunt, ſive ex eorum naturæ infirmitate deprehendatur nimia proclivitas ad libidinem, ſive ex habitu ex longa peccandi conſuetudine acquiſito, ita ut difficiliter ſe continere valeant, & raro a relapſu ſe contineant, ut ipſa remedia eius concupiſcentiæ frænandæ a Confeſſario impoſita eos continere nequeant, quin iterum atque iterum incidant in lubricitatem; hos plane omni conatu Confeſſarius dehortari debet a tali ſtatu, & repagulum Matrimonii conſulere ac ſuade-

ſuadere iuxta doctrinam S. Bernardi, qui de his ait: *eſſet autem ſine dubio melius nubere, quam uti, & ſalvari in humili gradu fidelis populi, quam in Clero ſublimitate & deterius vivere, & diſtrictius iudicari*.

Nec diverſimode de iis ſentiendum, qui non tam ex habitu delinquunt, vel nimia naturæ proclivitate ad libidinem, quam ex innata ingenii levitate; ita facile (ait Habertus in tract. *de ordine Sac.* p. 3. cap. 3.) ad omnem auram ſe inclinant & cedunt, ut eorum mores induant, ſive boni, ſive mali ſint, quorum conſuetudine utuntur. Hos plane non ſecus ac illos, de quibus ſupra, non ſatis eſt experiri per aliquot menſes, per annum etiam, nec cenſendi ſunt mores mutaſſe, eo quia incluſi in aliquo ſeminario ſe continuerint, dum hoc contigit, non ex eorum virtute, ſed quia ipſis defuit occaſio, quæ ſtatim ac ad ſuos revertentes eis obiicietur, ad priſtinum ſtatum revertentur. Quocirca qui a natura taliter inſtituti ſunt, ut nullum exhibere valeant ſtabilis propoſiti, ac firmæ conſcientiæ ſignum, removendi ſunt a proſequendo Clericali inſtituto, & retrahendi, ne ſacris initiari audeant.

Confeſſarii igitur pro præcipua regula, qua ſe gerere debeant cum his, qui cogitant ſtatum eccleſiaſticum amplecti circa debitum quod hic ſtatus includit continentiæ, erit colligere ex eorum moribus, quinam apti ſint ad debitum continentiæ implendum. Nec difficile hoc aſſequetur, ſi in his, qui contra conſcientiam lapſi ſunt circumſtantias omnes in eorum vitioſo lapſu conſideret. Perpendat igitur an lapſus in incontinentiam inductus fuerit vi extraordinariæ tentationis, & ſtatim in ſe reverſus ſuam culpam cum dolore fleverit, ac ex amore, & efficaci intentione continentiæ conſtanti animo pœnitentiam egerit, necnon omni ſollicitudine ſtuduerit ſe indemnem a relapſu in talem immunditiam cuſtodire, cum omni cautela pericula vitando, quæ ipſi occaſio eſſe queant iterum relabendi; an ipſius crimen publicum fuerit, ut nonniſi per longum tempus ex hominum memoria deficere valeat; an poſt diuturnum experimentum ſaltem ſex aut ſeptem menſium fortiter, ac perſeveranter ſe continuerit. Quod ſi poſt lapſum vixerit cum tali tepiditate, ac indifferentia, ut vix videatur percipere, ac ſentire ſui erroris aliquem horrorem: ſi per aliquot menſes continens doleníque iterum relabatur; tunc certe probatio non ſufficit ſex aut ſeptem menſium, ſed opus eſt eum longiori tempore ac repetito experiri, ut ad ſacros ordines aſcendere permittatur, ut notat, & advertit S. Gregorius Papa lib. 4. *alias* 3. *Epiſt.* 27. *ad Iannarium*. *Ne umquam qui ordinati ſunt pereant praviderì debet, quales ordinentur, ut prius aſpiciatur ſi eorum vota fuerint in annos plurimos*. Si autem poſt lapſum in ſcelera impudicitiæ non ſolum graviter non doleat de ſuo errore, non horreat, acriter non fleat, ſed in peiora, & etiam frequentius ruat, ut in fornicationes, adulteria, & quod peius eſt, ſi poſtquam meditari cœpit de ſtatu Eccleſiaſtico amplectendo, tam abfuit ut præteritas ſordes eluere ſtuduerit orationibus, lacrymis, ſæculi, ſæculariumque fuga, immo in ſuis vitiis, ac laxitatibus perſeveraverit; hic profecto a tali ſtatu deterrendus eſt omni vi, & conatu, vel ſaltem nonniſi poſt probationem potius annorum quam menſium, ei concedendum eſt ut ad Clericalem ſtatum accedat. Sic Natal. Alexan. Habertus, Tournele.

Regula vero qua ſe gerere debet Confeſſarius erga Coniugatos, idest eos qui ſtatum matrimonii amplexi ſunt, erit præcipue, graviter, ac ſerio eos admonere, in ſtatu coniugali eſſe ſua non levia pericula: immo graviora, quam ipſi ſibi perſuadeant; idcirco errare eos qui putant omnia in uſu matrimonii licere & permitti, ac proinde ex huiuſmodi eorum errore non raro in uſu ſui coniugii graviter delinquere. Licet tamen cavere debeat Sacerdos, ne dum perfectionem promovere ſtudet, ad graviora ſcelera viam apetiat; quædam tamen ſunt, quæ præterire non debet ita facile Confeſſarius, & præcipue ſi pœnitens dubiæ ſit pietatis; unde inquirere debet; an debitum comparti exigenti denegaverit, & quare? An hoc fecerit ad evitandam numeroſiorem prolem, aut ne uxor in conceptione prolis vitam amittendi periculum ſubiret? an extra actum coniugalem uxorem impudice tetigerit cum periculo pollutionis, vel cum tali periculo ſive in ſe, ſive in comparte tales tactus admiſerit? Hæc enim communiter ſunt ſaltem peccata venialia extra periculum pollutionis, & cum tali periculo ſemper mortalia. Exquirere debet ab uxoribus an abortum procuraverint, vel impedierint ne fœtus in utero gigneretur, vel per veſtimentorum conſtrictionem, vel per aliquam immoderatam corporis agitationem, vel choreis, vel aliis pluribus inuſitatioribus modis? an vel ſuperfluo ornatu, vel inhoneſtis aſpectibus, geſtibus, vel innata pulcritudine aut fuco men-

Digitized by Google

mendaciter colorata, aliquem ad vanum amorem, aut ad aliquod aliud malum alicere ſtuduerit? an in uſu matrimonii aliam perſonam a coniuge habuerit in mente, & ab illa delectationem coniugalis actus quæſierit?

De Filiabus Luxuriæ.

Filiæ Luxuriæ quæ.

Filiæ Luxuriæ ex S. Gregorio, lib. 31. Moral. & S. Th. 2.2. q. 153. a. 5. & communi Doctorum conveniencer octo recenſentur; nempe Cæcitas mentis, Præcipitatio, Inconſiderantia, Inconſtantia, Amor ſui, Odium Dei, Affectus præſentis Sæculi, & Horror futuri. Harum priores quatuor ſe tenent ex parte intellectus, & eius vires, atque operationes valde deordinant, ac ideo ſunt mortales, cum exinde præceptum aliquod in re gravi violetur. Aliæ quatuor ſe tenent ex parte voluntatis, ipſiuſque operationes deordinant. *Cæcitas* mentis, quæ eſt prima Luxuriæ Filia facit, quod Luxurioſus non apprehendat bonum & malum, ut ſunt: Hinc Danielis cap. 13. de tali dicitur: *Species decepit ſe, & concupiſcentia ſubvertit cor tuum. Præcipitatio* impedit actum intellectus ſeu rationis, qui eſt Conſilium de his, quæ agenda ſunt propter finem; nam qui cæco amore agitantur, abſque conſilio præcipitanter agunt, ſibique de rebus agendis conſulere nequeunt, ut eas ad debitum finem dirigant. *Inconſiderantia* eſt tertia Filia Luxuriæ, quia per hanc impeditur, ac deordinatur rectum rationis iudicium de agendis; nam qui hac fæce maculantur, inconſiderate agunt, quæ proprium ſtatum, ac perſonam dedecent. *Inconſtantia* facit, quodquis ex affectu voluptatum venerearum a piis propoſitis deficiat: nam homo ex impetu concupiſcentiæ impeditur ne exequatur id, quod recta ratio faciendum eſſe dictavit; quocirca in omnibus ſuis decretis inconſtans apparet, & huiuſmodi peccator eſt difficilis curationis. *Amor ſui* ac viciſſim *Odium Dei* Filiæ ſunt Luxuriæ, eo quod Luxurioſus carnem ſuam, & carnis voluptates ita inordinate diligat, ut in iis, non in Deo finem ultimum ponat, ſuas cogitationes ac curas ad illarum aſſecutionem refferendo; immo Laſcivus ſolet abhorrere a rebus Divinis, atque ab ipſo Deo, tamquam peccatorum vindice. Unde patet, hæc duo deordinare voluntatem eiuſque actus quoad appetitum finis, ne ſcilicet debitum finem ultimum, qui eſt ſolus Deus, proſequatur. *Affectus præſentis ſæculi*, hoc eſt vitæ præſentis, & rerum hanc oblectantium, quo ita iſtis inhæret, ut contentus eſſet in hoc mundo ſemper manere, de Beatitudinis Cæleſtis conſecutione nihil ſollicitus. *Horror futuri ſæculi*; quia Luxurioſus, dum nimis carnalibus detinetur, contemnit, & faſtidit res ſpirituales: ratio eſt quia nimia detentio, ac perſeverantia in delectationibus & carnalitatibus ex una parte eius animum captivavit; ex alia vero ſcit ſe poſt mortem impuris, voluptatibus privatum iri, & earum loco ſupplicia acerbiſſima Inferni ſubiturum: unde hæc contemplatio peccati cum terrore pœnarum cor ei affligit, atque mox ſequitur *Horror futuri ſæculi* in tantum, quod homo quandoque prolabatur in deſperationem, quia obſcœnas voluptates quaſi impoſſibile deſerere reputat. Hæc quatuor pariter poſteriora ſunt mortalia.

De Remediis contra Luxuriam.

Remedia contra Luxuriam.

Varia ſunt contra hoc deteſtabile vitium optima & ſalubriora remedia: & ſunt ſequentia, videlicet *Oratio humilis, & frequens*; quia nemo poteſt eſſe caſtus niſi Deus det, Sap. 8. *Mortificatio & cuſtodia ſenſuum*, maxime *viſus*, ut monet S. Gregor. Mag. L. 21. moral. cap. 2. *Intueri non licet, quod non licet concupiſcere. Sobrietas*, ſeu uſus moderatus vini, quod non ſolum modicum, ſed etiam aqua dilutum ſit, præſertim in iuvenibus: nam ex Prover. 20. *Luxurioſa res vinum*. Item *abſtinentia ſeu uſus moderatus ciborum*: nimia enim copia humorum, & ſanguinis ſuppeditat materiam tentationum carnis: Temperantia autem ſuperfluitatem humorum impedit, ac tollit *Vitatio occaſionum*, cuiuſmodi ſunt familiaritates, & colloquia inter perſonas diverſi ſexus, frequentatio improborum, lectio librorum obſcœnorum, & amatoriorum, choreæ, comœdiæ, ſpectacula, &c. Hoc vitium vincitur fugendo advertit S. Auguſtinus, & ait Eccli. 3. *Qui amat periculum, in illo peribit*. Quare monendi ſunt parentes, ne unquam faciant pueros ſexus diverſi ſimul in eodem lectulo cubare, nec ſi grandiores ſint, in eodem cubiculo: conſtat enim experientia hoc valde pernicioſum eſſe eorum caſtitati. *Fuga otii*: *Multam enim malitiam docuit otioſitas*, ita habetur Eccli. 33. *Frequens Confeſſio, & Communio* cum debitis diſpoſitionibus. *Carnis macerationes, & ieiunia, cilicium*, &c. Nam *hoc genus non eiicitur niſi in oratione, & ieiunio* Matth. 17. *Eleemoſynæ aliave charitatis opera*, quæ valde conducunt ad obtinendas a Deo uberiores ac potentiores gratias. *Aſſidua piorum librorum lectio, & meditatio*

paſ-

Digitized by Google

paſſionis Chriſti, *&* *æternorum* Eccli. 7. *In omnibus operibus tuis memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis*. Occurrente tentatione cogitare Deum habere præſentem iuſtum peccati vindicem, & virtutis remuneratorem, necnon ſæpe animo volvere illud S. Gregorii. *Momentaneum eſt quod delectat, æternum quod cruciat*. *Initio tentationis fortiter reſiſtere ac ſtatim avertere cogitationem ad quidvis aliud licitum, & præcipue ad Paſſionem Chriſti*. Et ſi tentatio nihilominus obſtinate perduret, orare, cogitare de morte, de pœnis Inferni &c. *Intueri Imaginem Crucifixi*, vel eum animo contemplari, ſigno Crucis cor munire, Beatæ Virginis Mariæ Patrocinium implorare, naſcentem voluptatis ſenſum præſenti aliquo dolore accito extinguere. Tandem multum proderit habere firmum Confeſſarium, pium, prudentemque, & eius pia conſilia ſequi: ſuggeret enim ille remedia pœnitenti utiliora, & huiuſmodi tentationi vincendæ aptiora: Iſta remedia valent etiam contra alia vitia, & tentationes.

§. V.

De Ira.

Deſinitio Iræ.

Ira prout eſt unum ex peccatis Capitalibus *eſt inordinatus appetitus vindictæ*. Dicitur *inordinatus*: nam ſi vindicta ordinare appetatur, nulla omnino eſt culpa, quinimmo ſi ira non excedat præſcriptum rationis modum, bona eſt, & in homine eum locum tenet, quem miles in Republica; nec immerito dicitur *Satellitium rationis*, de qua intelligendum illud Pſalm. 4. *Iraſcimini & nollite peccare*. Ita fit ſi vindicta appetatur modo debito, exigente iuſtitia, per miniſtros iuſtitiæ; ſi Superiores cum debito moderamine culpis ſubditorum iraſcantur, eoſque puniant.

In ira vero, quæ modum a ratione præſcriptum non ſervet, duæ inordinationes conſiderandæ occurrunt. Una ex parte obiecti; alia ex parte modi iraſcendi. Ex parte obiecti, vel optando illam gravem vindictam alicui, quam iſte non meretur, vel optando maiorem, quam mereatur, vel tametſi mereatur, optando inferre ſine legitima auctoritate, vel licet adſint requiſita omnia, ut iuſta reputetur, optando illam proximo, non ut iuſtam, ſed ut exſaturantem ſuum odium. Quando his modis appetitur vindicta ſemper lethalis eſt; niſi inadvertentia excuſet, aut parvitas mali optati; cum graviter lædatur charitas, & iuſtitia. Deordinatio ex parte modi contingit ex S. Thoma, ſi nimis ardenter quis iraſcatur interius, vel ſi nimis exterius manifeſtet ſigna ſuæ iræ: Et ſic ira ſecundum ſe non habet ſaltem de toto ſuo genere rationem peccati mortalis. Poteſt tamen contingere, quod ſit peccatum mortale, puta ſi ex vehementia iræ aliquis excidat a dilectione Dei & proximi. Notandum tamen ex Sylvio aliiſve, quod aliquando etiam in modo iraſcendi eſſe poteſt lethale peccatum, ut ſi vehementia tanta ſit, quod infirmis ſpectantibus non modicum pariat ſcandalum, vel multum noxia ſit ſanitati iraſcentis, vel deſtruat charitatem ſive in opere externo, ſive in animo. Quare qui ab ira adeo abſorbentur, ut prorumpant in graves excandeſcentias veluti delirantes, ſpumantes, & proiicientes quæ manibus occurrunt &c. Hi procul dubio etiam quoadmodum lethaliter peccant, cum modus huiusmodi ſe gerendi valde a recta ratione abſonus ſit. Ira igitur, ut conſtat ex dictis, eſt quidem ex genere ſuo mortale peccatum, non tamen in toto genere ſuo; quia admittit parvitatem materiæ.

De Filiabus Iræ.

Filiæ Iræ.

Iræ Filiæ ſex communiter recenſentur a Doctoribus cum laudato S. Gregor. lib. 31. Moral. c. 31; quæ ſunt *Indignatio*, *Tumor mentis*, *Clamor*, *Contumelia*, *Blaſphemia*, *Rixæ*. *Indignatio* eſt inordinata animi commotio contra alium ob malum ab eo acceptum, quia reputat indignans ſe indigne ab illo tractari: ſæpe eſt veniale peccatum; immo ſi ex iuſto iudicio rationis procedat, nullum eſt peccatum. Poſſet tamen eſſe mortale, vel ratione gravis odii, in quod declinare poteſt indignatio, vel ratione maledicti, contumeliæ, contemptus, vindictæ, vel ſcandali. *Tumor mentis* eſt æſtus quidam excandeſcentis animi, quo quis moroſe excogitat diverſas vindictæ vias. Quale peccatum ſit, iudicandum eſt ex qualitate vindictæ excogitatæ & expetitæ accedente ſufficienti deliberatione; & poteſt eſſe facilius mortale iuxta gradum vindictæ meditatæ. *Clamor*, qui eſt inordinata, & confuſa locutio, cum iratus vocem extollens multa confuſe effutit, poteſt eſſe mortalis, ſi affectus gravis nocumenti in proximum coniungatur; ideſt ſi concurrant convitia contra ipſum, maledicta, & ſcandalum. *Contumelia* eſt dictum vel factum iniurioſum, quo quis proximo præſenti, ideſt audienti aliquod malum obiicit, aut eius honorem, & exiſtimationem palam violat; & eſt gravis ex genere ſuo, niſi levitas ma-

teriæ

teriæ aut imperfectio actus excuſet, de qua alibi fuſius. *Blaſphemia* eſt iniuria in Deum illata, proferendo convicia in Deum, aut Sanctos: hæc ex genere ſuo eſt mortale peccatum, niſi inadvertentia aut indeliberatio excuſet. Sed de hac quoque melius alibi. *Rixæ* tandem ſunt contradictio in factis, quibus unus alterum lædere conatur, ſcientem & repugnantem. Si rixæ modum graviter non excedant, uti leviculæ pugnæ, veniales ſunt, ſecus vero ſi procedant ad ſeditiones, vulnera, homicidia; quæ omnia ſunt ex genere ſuo mortalia, utpote contra charitatem, & iuſtitiam.

De Remediis Iræ.

Remedia Iræ. Remedia præcipua contra vitium Capitale Iræ varia ſunt, nempe conſiderare quam iniuſta ſit & perniciosa; orare, ac meditari manſuetudinem Chriſti; nunquam quid agere & loqui, dum ira exardeſcit, ſed ſolum poſtquam ipſius motus ſedatus ſit: omni ſollicitudine impedire iræ motum & excitatum ſtatim reprimere; exercere ſæpe ſæpius actus Charitatis, Manſuetudinis, Patientiæ, Humilitatis.

§. VI.

De Invidia.

Invidia eſt *triſtitia de bono proximi, prout proprium malum æſtimatur, & diminutivum boni proprii, ſeu propriæ gloriæ, aut excellentiæ in quantum a proximo aut excedimur, vel eidem coæquamur in gloria & excellentia humana*; & proinde etiam gaudium de malo proximi, quatenus eſt, vel apprehenditur utile invidenti ad præfatum finem, reducitur ad invidiam: Hoc enim vitium eſt præcipue, ut patet, de bonis, in quibus habetur honor & gloria, & eſt erga illos tantummodo, quibus homo vult ſe æquare, vel præferre, non vero reſpectu eorum, qui multum ab ipſo diſtant; cum nullus vir plebeius, niſi inſanus, appetat, ſtudeatque ſe æquare, vel præferre in gloria Regi aut alteri multum ſe excellentiori. Propter invidiam volumus ac deſideramus, alium carere tali bono, quia per illud nos excellit. Unde proprie Invidus dicitur, qui triſtatur de bono alterius, putans exinde propriam excellentiam imminui.

Invidia eſt peccatum ex genere ſuo mortale, quia charitati repugnat, non autem in toto genere; quia admittit parvitatem materiæ: Invidia enim, ut declarat S. Thomas 2. 2. q. 36. a. 2. poteſt fieri venialis, tum ob imperfectionem conſenſus, & non plenam advertentiam, tum ob levitatem materiæ, ſicut in pueris contingere ſolet, qui de levibus aliorum puerorum bonis triſtitiam capere conſueſcunt. Item Triſtitia de alterius bono erit leve, aut etiam nullum peccatum, quando quis triſtatur, quia prudenter timet proximum eo bono temporali eſſe abuſurum in Dei offenſam, atque in proximorum ſcandala, & damna; ita ut hoc præciſo nullatenus triſtaretur. Secundo, quando quis dolet de alterius temporali bono, non quia ille tale bonum poſſideat, ſed quia ipſe indigeat eodem bono; ita ut non cupit illum eo bono expoliatum ut ſibi adveniat; ſed cupit etiam ſeipſum eo bono augeri; & triſtatur quia cernit ſe eodem carentem: propterea ſi bonum illud ſit ipſi neceſſarium aut conveniens, & triſtitia ſit moderata, nullum forte erit peccatum: ſi autem ſit ad augmentum propriæ fortunæ erit veniale; ſi ad finem malum, aut cum affectu damni poſſidentis illud bonum, eſt mortale. Tertio, quando quis triſtatur de bono alterius, in quantum ille, cui bonum obvenit, eſt eo indignus. Secundum S. Thomam hæc triſtitia eſt peccatum; quia cum illud bonum proveniens indigno, eidem proveniat ex diſtributione Divinæ Providentiæ, procul dubio triſtari de bono indigni ſecundum talem reſpectum, eſſet malum. Dixi *ſecundum talem reſpectum*, quia ex Caietano triſtari de proſperitate indigni, quia indignus eſt, ſi triſtitia non ſe extendat ad idem bonum, in quantum eſt a Deo diſtributum, nullam habet rationem peccati. Triſtari vero de bono honeſto & laudabili alterius, non quia ipſe tale bonum habet, ſed quia nos tali bono caremus, non ſpectat hæc triſtitia ad peccatum invidiæ, quia proprie eſt zelus, & æmulatio iuxta illud 1. Corin. 12. *Æmulamini chariſmata meliora*. Item ſi quis triſtetur de bono alterius, quatenus exinde imminet ſibi periculum cuiuſquam nocumenti (ut puta ſi quis triſtetur de exaltatione ſui inimici, timens ne ab ipſo poſtea lædatur) talis triſtitia non eſt invidia, ſed magis effectus timoris; ut notat S. Thomas. 2. 2. q. 36. a. 1; & alii communiter.

Invidiæ peccatum recte a S. Gregorio ſæpe laudato recenſetur inter vitia capitalia, & hæc eſt communis Theologorum: ſiquidem ex ipſa invidia tamquam ex capite multa alia peccata originem trahunt, ut præcipue ſequentia, quæ dicuntur eius filiæ.

De

De Filiabus Invidiæ.

Filiæ invidiæ. Invidiæ ſoboles conſiſtit in peccatis quibuſdam relate ad finem, quem ſibi propoſuit invidus, qui eſt imminuere alterius gloriam, ut propriæ gloriæ nocivam. Si autem hoc tentet in occulto, Invidia parit *ſuſurrationem*; ſi in manifeſto, *detractionem*; ſi autem finem intentum conſequatur, parit *Exultationem de malo, quod alteri evenit*; ſi intentum non aſſequatur, parit *triſtitiam de alterius proſperitate*, & tandem terminat in *Odium*. Quinque igitur ſunt filiæ invidiæ nempe *Suſurratio*, *Detractio*, *Exultatio*, *Triſtitia*, *& Odium*. *Suſurratio* eſt termo, quo ſine iuſta cauſſa refertur alicui de alio aliquid aptum ad diſſolvendam eius amicitiam cum illo. Mortalis eſt contra iuſtitiam, quia per illam grave damnum proximo iniuſte infertur: Quiſque enim habet ius, ne per iniuriam ſine iuſta cauſſa privetur amicitia alterius, quæ eſt magnum bonum, iuxta illud Eccli. 6. *amico fideli nulla eſt comparatio.* Ad Suſſurationem mortalem ſufficit, quod ſine iuxta cauſſa referatur alicui de alio aliquid aptum ad diſſolvendam eius amicitiam cum illo, licet referatur ſine intentione eam diſſolvendi, quia tunc ponitur iniuſte, & voluntarie cauſſa diſſolutionis amicitiæ. Quare ſuſſurro tenetur reſtituere, in quantum poteſt, amicitiam ab ipſo ablatam, & alia damna inde ſecuta. Alia pariter, nempe *detractio* &c. ſunt mortalia ex genere ſuo. Unde Apoſt. Rom. 1. inter eos qui digni ſunt morte, hos recenſet, ideſt qui ſunt *pleni invidia, malignitate, ſuſurrones, detractores, ſine affectione*, &c.

De Remediis contra Invidiam.

Remedia Invidiæ. Multa ſunt quæ mederi poſſunt huic mortali morbo. Et præter orationem ſunt: 1. Conſiderare ſe non ideo minus habere: invidiam invidenti nil prodeſſe; quia non ideo quod tu invides, alter carebit bono invido, & ſi etiam privaretur, non tamen illud tu obtinebis. 2. Sæpe gaudere de bono proximi, quem ſicut te ipſum teneris diligere propter Deum. 3. Gratificari ei cui invides, illum laudare, orare Deum pro eius bono, & gratias Deo agere propter beneficia, quæ in ipſum contulit, &c. 4. Humilitas, & contemptus humani honoris & gloriæ, ut hortatur Apoſt. ad Gal. 5. *Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes.*

§. VII.

De Acedia.

Acedia late ſumpta. Acedia late & generatim ſumpta denotat *quodvis tædium, incuriam, negligentiam, & pigritiam quandam, ſeu animi remiſſionem in virtutum exercitio, ob laborem moleſtiamque huiuſcemodi exercitio adiunctam*. Acedia ita ſumpta non eſt vitium ſpeciale, ſed generale; quia, ut ait D. Angelicus, Vitium omne opponitur bono virtutis contrariæ. Eſt autem peccatum mortale vel veniale, prout præceptum ex illa violatur in re gravi vel levi. In propoſito vero noſtro, quatenus eſt ſeptimum capitale peccatum, ideſt ſtricte accepta Acedia eſt *triſtitia, ac faſtidium, ſeu tedium de Divina amicitia apprehenſa ut mala, propter adiunctam difficultatem illius obtinendæ vel conſervandæ per laborioſa virtutum exercitia, & illicitarum voluptatum fugam*; vel ut alii, *Acedia eſt faſtidium rerum ſpiritualium*: unde fit, quod acedioſus amicitiam Dei & eius bona non curet. Acedia ſic ſumpta eſt ſpeciale vitium, & per ſe mortale; quia ſpecialiter & graviter opponitur charitati Dei. Etenim triſtari de Divina amicitia, eiuſque ſpiritualibus bonis, ipſaque non curare, eſt contemptus, & odium Dei; cum triſtari de bonis Divinis ad nos pertinentibus, nobiſque ab ipſo Deo participabilibus; cuiuſmodi ſunt bona Cœleſtia, & bona ſupernaturalia gratiæ, donorum &c. inducat grave peccatum. Hinc qui dum audiunt, ſe a Deo creatos eſſe ad Cœleſtem beatitudinem, ut æterni ſui Regni ſint cohæredes, & eo quia ſunt mundo valde alligari de hoc triſtantur, vere & proprie Rei fiunt peccati Acediæ.

Acedia ſtricte accepta.

Acedia igitur dupliciter ſumitur; primo generaliter pro omni tædio, & torpore animi bona facere negligentis, & in hoc ſenſu Acedia non habet rationem ſpecialem vitii, quia omne vitium, ut ſupra diximus, refugit ſpirituale bonum oppoſitæ virtutis, ut patet in luxurioſo, & guloſo, quorum prior triſtatur de bono Continentiæ, alter de bono Abſtinentiæ, & illud refugit, prout laborioſum eſt, ſeu moleſtum corpori, vel eius delectationis impeditivum. Secundo Acedia ſpecialiter accipitur, ſeu quatenus eſt ſpeciale vitium, & conſiſtit in triſtitia de bono Divino, de quo alioquin charitas gaudet: & hoc modo Acedia ex ſe, & ex genere ſuo eſt peccatum mortale, utpote quæ directe adverſatur Charitati Dei: unde triſtari de mediis ad Beatitudinem æternam requiſitis,

puta

Digitized by Google

puta de Præceptis, de Sacramentis &c. & advertenter huic triſtitiæ aſſentiri, eſt mortale; quia eſt indicium manifeſtum, extinctam eſſe charitatem illam, qua noſmetipſos ſpiritualiter, ideſt propter Deum diligere tenemur. Item lethaliter peccat, qui dicit ſerio, quod contentus eſſet renunciare Cœleſti Regno, ut perpetuo vivere ei concederetur in hoc mundo. Idemque peccatum committeret mortalis Acediæ qui optaret ſemper vivere in hac vita, quia minime curat de beata æternitate; ſi autem id optaret ad evadendum inappellabile Chriſti iudicium, quod timet ſibi futurum fatale, ad deſperationem potius id, quam ad Acediam pertinere videtur. In priori tamen ſenſu, ſeu generatim ſumpta Acedia tunc eſt peccatum mortale, cum propter eam committitur opus prohibitum, vel omittitur opus præceptum ſub mortali. Si quis vero deliberate triſtatur de aliquo præcepto poſitivo, cui tenetur, quod nihilominus adimplet, & non tam triſtatur de præcepto, quam de difficultate ſibi ſuperanda, cenſet quidam gravis Recentior Theologus non excedere culpam venialem, tum quia illa deliberata triſtitia non impedit obedientiam debitam, tum quia non verſatur circa rem iure naturali præceptam; & ideo data opera dictum fuit *præcepto poſitivo;* quia deliberate triſtari de præcepto naturali, eiuſque obligatione, eſt interpretative optare, ut non obliget, quod eſt impoſſibile, & habere affectum ad materiam intrinſece malam naturali præcepto vetitam, quod procul dubio eſt grave peccatum proprium Acediæ; quia triſtaretur de bono, quod neceſſarium eſt, & indiſpenſabile ad æternam vitam aſſequendam.

Acedia, prout eſt triſtitia de ſpirituali bono, eſt ſpeciale vitium, ac recte a S. Gregor. loco alias citato inter Capitalia Vitia recenſetur, cum plura alia vitia oriantur ex ea ſecundum rationem cauſſæ finalis. Nam ſicut multa operantur homines propter delectationem, tum ut ipſam conſequantur, tum quia ex ejus impetu ad aliquid agendum excitantur ac impelluntur; ita etiam propter triſtitiam plura operantur, vel ut ipſam evitent, vel quia eius pondere in aliqua mala agenda prorumpunt.

De Filiabus Acediæ.

Filiæ Acediæ. Filiæ Acediæ ſex a S. Gregorio loc. cit. aliiſve recenſentur, & ſunt *Malitia*, *Rancor*, *Puſillanimitas*, *Deſperatio*, *Torpor circa præcepta*, *& Evagatio mentis circa ipſa*. *Malitia* non ſumitur hic prout eſt genus vitiorum omnium, ſed ſpecialiter pro ea malitia, qua quis odit bona ſpiritualia, & vellet ea non eſſe; aut qua ipſum pœnitet bene egiſſe, vel impleviſſe id, ad quod tenebatur, aut qua contemnit Dei beneficium v. g. cupiendo ſe non agnoviſſe Chriſtum, non fuiſſe natum, non profeſſum fuiſſe Religionem &c. ob difficultates quæ in Dei obſequio ſuperandæ ſunt. Malitia autem ſic accepta ex genere ſuo eſt mortale peccatum. *Rancor* pariter non hic ſumitur ut communiter pro odio, ſed pro quadam indignatione contra eos, qui ad bona ſpiritualia inducunt. *Puſillanimitas* eſt reſpectu conſiliorum, qua nimirum homo Divina conſilia, quæ perfectionis ſunt, exequi non audet ex metu animi, & timore: ut puta, ſi quis a ieiuniis, Religione, & actibus aliis huiuſmodi virtutum, ex formidine deficiendi, ſe ſubtrahit, ac proinde ſe retrahit a mediis æternæ ſalutis, quæ ſunt de mero conſilio. Hæc ex genere ſuo eſt venialis, niſi alia circumſtantia accedat, ideſt niſi ratione voti, aut alia de cauſſa quis teneatur ad talia bona exequenda. *Deſperatio* (intellige, conſequendæ æternæ Beatitudinis) certe eſt peccatum mortale, quando fit cum pleno rationis conſenſu. *Torpor* ſeu deſidia eſt circa præcepta, quando nempe quis negligit & omittit facere ea, quæ ex præcepto facienda ſunt: eſt mortalis, eiuſdemque ſpeciei, ac præceptum omiſſum. Alii vero per Torporem intelligunt cum bona opera mere ægre exercentur, ideſt non fiunt cum debito fervore. Tandem *Evagatio mentis* eſt ea, qua quis in exercitio operum ſpiritualium, nempe orationis, auditionis Miſſæ, meditationis Paſſionis Chriſti &c. evagatur circa illicita, ſeu ſe convertit ad ea cogitanda, aut ſaltem alia impertinentia. Et hæc ſi fiat per cogitationem ſe diffundentem ad cognitionem impertinentium, dicitur *Curioſitas*: ſi vero per locutionem, dicitur *Verboſitas*: & ſi per inquietudinem corporis, quando ſcilicet aliquis per inordinatos membrorum motus evagationem, indicat mentis, tunc dicitur *Inquietudo*, Evagatio mentis in oratione, vel alio ſpirituali exercitio graviter præcepto, ſi in parte notabili voluntarie duret, mortalis eſt; venialis vero in exercitio ſpirituali non præcepto, niſi ſit circa obiecta graviter illicita, quæ placeant.

De Remediis Acediæ.

Remedia Acediæ. Præcipua Remedia contra vitium Acediæ ſunt oratio, omnia religionis & pietatis exercitia, quotidiana meditatio rerum Cœleſtium, labo-

laborum, ac paſſionis Chriſti, & Sanctorum, perfectionum, ac beneficiorum Dei, fervidæ charitatis, brevitatis laborum, durationis æternæ Beatitudinis, damnorum teroris, &c. lectio librorum ſpiritualium, quotidiana auditio Miſſæ, frequens Confeſſio, & Communio cum debitis diſpoſitionibus, temperantia, fuga otii, macerationes carnis &c.

TRACTATUS
DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS,
ET VITIIS EIS OPPOSITIS.

MAlitia Vitiorum cum omnino opponatur iuſtitiæ ac bonitati Virtutum, quæ habent perficere & ordinare hominum mentes, ut conſentanee eorum naturali rationi operentur; iure ac merito inſtituitur nunc Tractatus de Virtutibus, ac Vitiis eis oppoſitis, ut ſic virtutibus ac vitiis invicem comparatis, eo magis appareat & turpitudo, qua animum noſtrum hæc commaculant atque deturpant; & decor, quo illæ eum exornant ac perficiunt; & ideo quanti referat abhorrere a vitiis, ac ea refugere, & omni conatu proſequi, & conſectari virtutes.

§. UNICUS.
De natura ſeu eſſentia virtutum.

Deffinitio virtutis in genere. Virtus generaliter ſumpta definiri ſolet, *bona qualitas mentis, qua recte vivitur, qua nullus male utitur*; vel ut habet S. Auguſtinus *lib. de diverſ.* quæſtion. lxxxiii. quæſt. xxxi. *Virtus eſt animi habitus naturæ modo atque rationi conſentaneus*. Idcirco virtus eſt habitus habilitans vel inclinans ad rectam operationem, ideoque perficiens ac recte diſponens ſubiectum cui ineſt. Subiectum vero virtutis eſt ſola ſubſtantia ſpiritualis creata. Dicitur *creata*: quia cum Deus ſit actus puriſſimus, nihil poteſt phyſice ei de novo advenire.

Diviſio Virtutum. Virtutes aliæ ſunt intellectuales, quæ perficiunt intellectum in ordine ad cognitionem veri; aliæ morales, quæ perficiunt voluntatem circa bonum honeſtum cuiuſcumque generis ſit, & in quacumque materia conſideretur; aliæ theologicæ, quæ circa Deum immediate verſantur. Virtutes intellectuales quæ intellectum perficiunt in cognitione veri, ſunt intelligentia, quæ eſt ſimplex cognitio primorum principiorum ſine ullo diſcurſu acquiſita; ut *Bonum eſt faciendum, malum fugiendum*: ſapientia, quæ eſt cognitio per univerſales & neceſſarias cauſſas acquiſita: ſcientia, qua res cognoſcimus per cauſſas neceſſarias quidem & infallibiles, ſed proximas & ſingulares: ars, quæ tota occupatur in ſingularibus, per potentias extrinſecas ea conficiendo, ut fabrilis: prudentia, quæ pariter verſatur circa ſingularia, ſed prout hic & nunc agenda ſunt ſine opera alicuius extrinſecæ potentiæ. Virtutes morales præcipuæ ſunt quatuor, quæ idcirco cardinales vocantur; ideſt Prudentia, Fortitudo, Temperantia, & Iuſtitia. Virtutes vero theologicæ ſunt tres tantum; nempe Fides, Spes, Charitas: quia hæ ſolæ verſantur circa Deum immediate; cum aliæ mediate verſentur, ut Religio, & Pietas.

Inter moralium virtutum proprietates duæ ſunt præcipuæ; ideſt mediocritas, & connexio. Mediocritas vero, cum ſit regula quæ moderatur exceſſum & defectum; & cum dentur quædam virtutes, ut ſunt intellectuales & theologicæ, in quibus non contingit peccare per exceſſum: hinc earumdem perfectio a mediocritate non pendet. Unde pro his non valet axioma: *Virtus in medio conſiſtit*: cum quiſque poſſit ſemper magis augeri in ſcientia, prudentia, arte, fide in Deum, ſpe, & amore. Quare cum in ſolis virtutibus moralibus, quæ ad voluntatem ſpectant, poſſit dari culpabilis exceſſus & defectus; ut in liberalitate, a qua recedere poſſumus vel per exceſſum, vitio prodigalitatis, vel per defectum, vitio avaritiæ: hinc virtutes huiuſmodi regulari debent a mediocritate, qua exceſſus & defectus declinantur. Cum vero inſtituto noſtro Theologicæ virtutes & Morales ſolummodo inſerviant; de his duobus virtutum ſpeciebus agere ſuſcipimus. Nimirum nunc de theologicis, & poſtea ſuo loco de moralibus ſermonem inſtituemus. Præcipuæ moralium virtutum proprietates.

Actus

Actus virtutum duplicis generis

Actus virtutum alii ſunt eliciti, alii imperati. Actus eliciti alicuius virtutis ſunt ii, qui immediate ab ipſa procedunt; imperati vero ſunt actus, qui pertinent quidem ad unam virtutem, ſed tamen fiunt ex motu ac imperio alterius virtutis, & ab ea aſſumuntur tamquam medium ad finem aſſequendum: quis v. g. elargitur eleemoſynam, ad obtinendam remiſſionem peccatorum. Talis elargitio eſt actus elicitus a miſericordia immediate, cui proprium eſt ſublevare pauperem; & a pœnitentia eſt ſolummodo imperatus, ideoque ab ipſa procedens mediate, ideſt mediante miſericordiæ virtute: cum actus immediatus, & elicitus pœnitentiæ ſit intentio remiſſionis peccatorum.

Virtutes theologicæ, ut iam dictum eſt, ſunt eæ, quæ circa Deum immediate verſantur; nempe habent Deum pro obiecto materiali ſaltem primario, & Divinam eius perfectionem pro formali. Dicitur *pro obiecto ſaltem primario*; quia alia ſecundario per fidem credimus, ut immortalitatem animæ rationalis, ſacramenta; per ſpem ſperamus auxilia gratiæ; per charitatem proximum diligimus. Tres igitur ſunt virtutes theologicæ; videlicet fides, ſpes, & charitas: & de his ſigillatim pertractabimus.

CAPUT I.

De Fide.

§. I.

De multiplici fidei acceptione, eiuſdemque vera notione; & de obiecto, conditionibuſque illud comitantibus.

HOc Fidei vocabulum generatim acceptum multipliciter uſurpatur a Doctoribus, ſiquidem ſumitur quandoque pro fidelitate ſeu veritate in ſervandis promiſſis, & in hoc ſenſu quis dicitur fidem ſervare, qui ſua implet promiſſa. Deinde pro conſcientia, ſeu pro eius dictamine. Sic accipitur Rom. cap. XIV. *Omne quod non eſt ex fide*, (ideſt contra conſcientiæ dictamen) *peccatum eſt*: & hoc modo etiam in iure quis dicitur poſſeſſor bonæ fidei, qui bona conſcientia quidpiam poſſidet, credens ſuum eſſe. Item fides aliquando ſumitur pro fiducia ſeu ſpe conſequendi rem deſideratam, aut promiſſam. Sic *Matth. cap.* XIV. a Chriſto Domino accipitur: *Modicæ fidei quare dubitaſti?* Et a S. Iacobo *Epiſt. Cathol. cap.* I. cum inquit: *Poſtulet autem in fide nihil hæſitans*. Textum hunc non ſine gravi fundamento multi Doctores interpretantur pro ipſo actu fidei theologicæ, ſeu aſſenſu credulitatis Divinarum promiſſionum, ex qua oritur ipſa fiducia, iuxta illud Marc. cap. XI. *Omnia quæcumque petitis, credite quia accipietis*. Sumitur etiam quandoque pro fidei obiecto, ut in Symbolo quod adſcribitur S. Athanaſio, ubi ait: *Hæc eſt fides catholica*; ideſt articuli, ſeu obiecta materialia fidei catholicæ. Sumitur tandem fides proprie ac ſecundum propoſitum noſtrum pro virtute intellectuali ac theologica, qua aliquid creditur ut a Deo revelatum propter ipſius Dei revelantis auctoritatem: ac proinde divina dicitur ad differentiam fidei, qua creditur aliquid propter hominis auctoritatem. Et de iſta non inſtituitur hic ſermo, ſed de priore, ſeu de fide divina ſupernaturali. De fide hac loquens Apoſtolus *ad Hebr. cap.* XI. ait: *Fides eſt ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium*. Nomen ſubſtantiæ in ſenſu Apoſtoli accipitur pro inchoatione, non ſecus ac principia dicuntur ſcientiæ ſubſtantia, ut ait D. Thomas 2. 2. *quæſt.* IV. *art.* I. *Prima inchoatio rerum ſperandarum in nobis eſt per aſſenſum fidei, quæ virtute continet res omnes ſperandas*: nam ex quo firmiter credimus ea quæ de æterna felicitate dicuntur, vera, & per Chriſtum acquiſitu poſſibilia, diſponimur ac movemur ad illa ſperanda; quo actu inchoatur in nobis vita æterna. Idem nomen ſubſtantiæ intelligi hic poteſt etiam pro fundamento: quia ſicut accidentia ſuſtentantur a ſubſtantia; ita ſuſtentatur ſpes noſtra a fide. *Domus Dei* (ait S. Auguſtinus in Sermon. *de Scriptur. vet. & nov. Teſtam.* Serm. XXVII.) *credendo fundatur, ſperando erigitur, amando perficitur*. Et quia fides nobis bona ſperanda repræſentat tanta certitudine, ac ſi iam ſubſiſterent; ſubſtantia hic Græce ὑπόστασις dicitur, ſeu conſiſtentia: in qua ſignificatione, dum *loc. cit.* laudaret Apoſtolus fidem Moyſis ait: *Hac fide Moyſes inviſibilem tamquam videns ſuſtinuit*. Fides cum non ſit diſcurſiva, vocatur ab Apoſtolo *argumentum* in ſenſu prorſus metaphorico, non vero reali, cauſſam ſcilicet ſumendo pro effectu: videlicet argumentationem quæ veritatem inquirit; unde oritur certitudo, ſitque ut intellectus firmiter adhæreat concluſioni probatæ. Quare *alia littera* (ait S. Auguſtinus *lib. XIII. de Trin. cap.* I.) *habet convictio*: quia ſcilicet per auctoritatem divinam intellectus credentis convincitur ad aſſentiendum iis quæ non videt. Et ita rem explicat etiam D. Thomas *cit.* art. 4.

Licet fides Chriſtiana ſit virtus intellectualis, ideſt ſubiective ſit in intellectu, utpotequæ habeat pro obiecto veritatem a Deo revelatam; deſcribitur tamen ab Apoſtolo per ordinem ad res ſperandas, ſeu per ordinem ad actus voluntatis, cuius eſt ſperare: quia eſt eorumdem actuum directrix, non ſecus ac prudentia, quæ tametſi ſedem habeat in intellectu, definitur per ordinem ad actiones voluntatis; nempe habitus cum recta ratione activus, hoc eſt directivus actionum voluntatis iuxta rectam rationem, adeo ut nulla ratio bona ſit & honeſta, niſi prudenter fiat. Unde ſicut prudentia ob talem rationem tota eſt practica; ita & fides. Quare a laudato Apoſtolo ad *Galat. cap.* v. fides Chriſtiana hoc modo deſcribitur: *Fides quæ per charitatem operatur:* ita ut illius officium ſit dirigere actus voluntatis ad vitam æternam, non quidem ſecundum dictamen rectæ rationis, quod attinet ad prudentiam; ſed iuxta verbum Dei & regulas ab ipſo revelatas. Quamobrem fides Chriſtiana proprie & ſtricte ſumpta non eſt firmus aſſenſus quibuslibet a Deo revelatis; puta hiſtoricis: Licet enim ea fide divina credenda ſint (ut bella, quæ Saul, David, Ioſue, aliique geſſerunt) utpote quæ ſunt a Deo revelata; illa tamen fides non eſt Chriſtiana; quia res ſic creditæ, nec ſperandæ ſunt, nec diligendæ. Res vero ſperandas potius quam diligendas expreſſit Apoſtolus, quia, ut notat Doctor Angelicus, amor æque poteſt eſſe viſorum & non viſorum, præſentium ac futurorum & non apparentium. Beati Deum viſum & præſentem diligunt; ſperare vero minime poſſunt. Unde cum fides ſit non apparentium; explicari debuit per res ſperandas, quæ nec præſentes, nec viſæ eſſe poſſunt: quia ex eodem Apoſtolo ad Rom. cap. VIII. *Spes quæ videtur, non eſt ſpes*. Sic Habertus.

Fides communiter definitur a Theologis: *Donum Dei, ſeu virtus theologica infuſa a Deo, cuius lumine mens hominis illuſtrata, propter divinam veritatem firmiter aſſentitur iis omnibus, quæ Deus revelavit, & nobis per Eccleſiam ſuam credenda propoſuit*. Dicitur 1. *donum Dei:* & in hoc convenit cum cæteris virtutibus theologicis, ſpe videlicet & charitate, & cum omnibus aliis virtutibus infuſis ac donis Spiritus Sancti, quæ ſimiliter ſunt dona Dei. Fides donum eſt Dei, etiam quando deſtituta eſt conſortio charitatis: & eſt dogma Catholicum, quod quamplurima confirmant divinarum Scripturarum teſtimonia; ut Io. cap. VI. *Hoc eſt opus Dei, ut credatis in eum, quem miſit ille*. Dicitur 2. *ſeu virtus*: quia virtus eſt habitus, qui bonum facit habentem ſe, & opus eius bonum. Huiuſmodi autem eſt fides, cum bonum honeſtumque ſit credere Deo dicenti, utpote qui ſit ipſe ſumma veritas; & laudabilis eſt qui fidem illi præbet. Dicitur 3. *theologica*; quia illa eſt virtus theologica, quæ habet Deum pro obiecto materiali, ſaltem primario, (Pater enim, Filius, & Spiritus Sanctus ſunt res ſperandæ, tamquam noſtra beatitudo) & divinam veritatem habet pro obiecto formali & motivo: ideo enim credimus Deo dicenti; quia verax eſt, ac ipſamet veritas. Dicitur 4. *infuſa a Deo:* quia, ut iam diximus, eſt donum Dei. Dicitur 5. *cuius lumine mens hominis illuſtrata*: quoniam, ut ait Apoſtolus II. ad Corinth. cap. IV. *Deus qui dixit de tenebris lucem ſplendeſcere, ipſe illuxit in cordibus noſtris ad illuminationem ſcientiæ claritatis Dei in facie Chriſti Ieſu*. Dicitur 6. *propter divinam veritatem firmiter aſſentitur iis omnibus, quæ Deus revelavit*. Notant hæc verba obiectum formale fidei. Etenim illud eſt obiectum formale virtutis, quod eſt motivum & ratio, ſub qua virtus verſatur circa ſuum obiectum materiale. Fides autem verſatur circa Deum & ea omnia quæ nobis revelavit, quatenus ſunt ab ipſo revelata; eaque firmiter credit propter ſummam eius veritatem. Fides enim non ſenſuum experientia, non coniecturis, non ratione humana, ſed Dei revelantis auctoritate nititur; primæ ſcilicet ac ſupremæ veritatis, quæ nec fallere poteſt, nec falli.

Hinc exigit firmitatem in aſſentiendo ſeu credendo, quæ omnem omnino hæſitationem excludat. Quantumvis igitur ſenſui vel rationi contra videantur quæ fide ſuſcipiuntur; illis tamen citra omnem dubitationem aſſentiendum, & intellectus omnis in captivitatem redigendus eſt in obſequium Chriſti, apud quem non eſt difficile, nedum impoſſibile omne verbum. Fides igitur non eſt opinio, nec æſtimatio, ſicuti eam definiebat Petrus Abaelardus, quem propterea S. Bernardus graviter reprehendit ac refellit *Epiſt.* exc. ſeu *Tract. de erroribus Petri Abaelardi in Concilio Senonen. damnatis ab Innoc. II. cap.* IV.

Sicut autem ſecernitur fides ab opinione & æſtimatione, ſic etiam a ſcientia: quia divinum illud fidei lumen rebus credendis perſpicuitatem non affert. Hinc Apoſtolus I. *Corinth.* cap. XIII. ait: *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate; tunc autem facie ad*

fa-

faciem. Et S. Auguſtinus *Tract. XI. in Ioannem* inquit: *Quid eſt autem fides, niſi credere quod non vides?* Fide divina illis omnibus aſſentimur quæ Deus revelavit, ſive præterita ſint, ſive præſentia, ſive futura: illiſque firmiter aſſentiendi unica ratio eſt divina auctoritas. Et hac præcipue cogitatione, ait hic Natalis Alexander, munire ſe debet animus Chriſtianus adverſus omnem carnis cogitationem, quæ vel contraria ſuggerit, vel religionis veritatem in dubium vocat.

Dicitur tandem *& nobis per Eccleſiam ſuam credenda propoſuit*, ut ſignificetur, revelationem divinam nobis non innoteſcere niſi per propoſitionem Eccleſiæ, iuxta illud tritum S Auguſtini in lib. contra epiſt. Manichæi, quam vocant fundamenti cap. v. *Evangelio non crederem, niſi me Eccleſiæ catholicæ commoveret auctoritas*. Duplex autem eſt fidei propoſitio. Alia privata, quæ fieri ſolet a parentibus in familia, a ludimagiſtro in ſcholis, a Parocho in Parochia, ab Epiſcopo in diœceſi: alia publica, quæ fit communiter ab Eccleſia, ſeu a fidei magiſtro & ſupremo controverſiarum iudice. Privata propoſitio, quantumcumque videatur credibilis, abſolute tamen poteſt eſſe falſa, cum ſit a privata perſona, quæ fallere poteſt & falli. Publica vero propoſitio eſt infallibilis, & vim habet cogendi contumaces, ſaltem univerſaliter loquendo.

Non levis hic exoritur controverſia, ad quem publica pertineat fidei propoſitio. Novatores contendunt pertinere ad Scripturam ſacram, in qua, inquiunt, clare continentur quæcumque Deus revelavit; cum magiſter per ſcripta quæ diſcipulis tradit, proponat quidquid vult ut ipſi diſcant. Unde cum unus ſit magiſter noſter Chriſtus; profecto dicendum, in ſua Scriptura, quæ eſt ipſius verbum, nobis eum propoſuiſſe quidquid vult a nobis credi. Verum, quantum in hoc allucinentur novatores, manifeſte patet. Primo quia Deus plura nobis revelavit, quæ, ut iam diximus, non ſunt ſcripta; nempe quæ habentur a Traditione. Secundo, quia Scriptura in magna ſui parte eſt obſcura, & indiget explicatione; ubi autem clare loquitur, falſis hæreticorum interpretationibus detorquetur. Quocirca ſicut in politicis opus eſt iudice, qui genuinum legis ſenſum contra protervos vindicet; ſic & in Chriſtiana religione neceſſe eſt, ut Catholicæ Eccleſiæ auctoritas ſacram Scripturam ſane interpretetur, aſſeratque contra hæreticos & peccatores verbum Dei adulterantes, & errori ſuo ac cupiditati accommodantes. *Neque enim natæ ſunt hæreſes* (ait S Auguſtinus Tract. XVIII. in Io.) *niſi dum Scripturæ bonæ intelliguntur non bene, & quod non bene in eis intelligitur, etiam temere & audacter aſſeritur*. Tertio, quia nobis non conſtat, Scripturam eſſe verbum Dei, niſi ab aliqua infallibili auctoritate teſtimonium de hoc habeatur. Nam Hæterodoxi plures ſacros libros e canone excluſerunt, alioſque ſpurios obtruſerunt. Hinc Manichæi reiecerunt integrum vetus Teſtamentum, & plures partes novi: Lutherani & Calviniſtæ nunc etiam non conveniunt circa Epiſtolam S. Iacobi; Calvinus enim eam ut verbum Dei agnoſcit & veneratur, & Lutherus illam reiicit. Tandem non poſſent Chriſtiani ſuadere Ethnicis, Mahumetanis qui ſuas tabulas & Alcoranum Scripturæ anteponunt, eiuſdem Scripturæ libros vere eſſe divinos, niſi ſuffulti eſſent teſtimonio indubiæ auctoritatis; quæ auctoritas profecto eſſe nequit niſi in Eccleſia. Hinc additum fuit, *& nobis per Eccleſiam credenda propoſuit*: ut demonſtretur, revelationem divinam nobis non innoteſcere niſi per Eccleſiæ propoſitionem, iuxta ſupra allatum D. Auguſtini effatum. Nec deſunt ſigna, quibus evidens fit fidelibus & infidelibus, Eccleſiæ collatum eſſe inſigne donum, ut nequeat fallere, nec falli, habeatque poteſtatem compellendi contumaces, ut ſuis ſe ſubmittant definitionibus: ita ut quod Catholici docent de Eccleſia, idem de ſua Secta dicere nequeant infideles; puta Mahumetanus ſe credere Alcorano, quia ſocietas in qua natus eſt, librum illum ut ſacrum & divinum proponit.

Ex præcipuis vero ſignis ſeu argumentis, quibus dignoſcitur Eccleſiam Chriſti ornatam eſſe ac munitam huiuſcemodi donis ſeu dotibus, quas nulla alia ſecta ſibi probabiliter tribuere poteſt, ſunt prophetiæ & miracula. Per hæc enim motiva, quæ vocant credibilitatis, evidenter demonſtrat Eccleſia, ſe inſtitutam eſſe a Deo, ac plane divinam, proindeque veracem ac infallibilis auctoritatis. Nam ſocietas illa nonniſi vera docet, cuius doctrinæ Deus evidens perhibet teſtimonium: quod revera facit Deus ſuæ Eccleſiæ per motiva credibilitatis. Nec dici poteſt, motiva illa congruere potius Scripturis ſacris quam Eccleſiæ: Eccleſia enim fulgebat miraculis, & doctrinæ eius fides habebatur prius quam ſcripſiſſent Apoſtoli. Immo teſtatur S. Irenæus ætate ſua, tertio nempe ineunte ſæculo, nationes quaſdam

Quænam ſint motiva credibilitatis.

Digitized by Google

uſque ad illud tempus ſervaſſe fidem ſine ſcripturis: ac proinde miracula, aliaque credibilitatis motiva litteris Apoſtolorum non favent, niſi mediante Eccleſia, hoc eſt quatenus Eccleſia iam in culmine auctoritatis poſita, ut ait S. Auguſtinus, proponit libros ſacros uti continentes eam doctrinam, quam ubique ſparſerat prius quam adorarentur.

Dixi *litteris Apoſtolorum:* Etenim certum eſt, Prophetarum oracula evincere illorum libros eſſe divinos. Igitur Eccleſia ſine ſcripto docebat, & credebatur propter motiva credibilitatis eſſe columna atque firmamentum veritatis, & accepiſſe claves regni cœlorum, ut quæcunque ſolveret ſuper terram, rata haberentur in cœlis: *Qui vos audit, me audit; & qui vos ſpernit, me ſpernit.* Luc. cap. x. Rurſus Eccleſia non recipit antecedenter teſtimonium a ſcripturis, ſed conſequenter duntaxat, & in ſuppoſitione quod admittantur ab iis quos docet. Etenim dum concedunt quod ſcriptura ſit verbum Dei, concedere debent Eccleſiæ infallibilem auctoritatem, quæ ipſi tribuitur a ſcriptura cum cæteris viſibilibus notis, quibus certo ſecernitur a ſectis hæreticorum, & ſchiſmaticorum, quæ falſo ſe chriſtianas vocant. Si quis vero fidem ſcripturis negaverit, adhuc Eccleſia ſuam propugnabit auctoritatem, cæteraque inſignia ex motivis credibilitatis, ac ex conſtanti traditione demonſtrabit, nihil aliud docere, niſi quod docuerunt & miraculis comprobarunt Apoſtoli primique eius Paſtores.

Ut autem Eccleſia dogmata fidei definiat infallibiliterque proponat uti veritates a Deo revelatas, non opus eſt ut ei nova fiat revelatio: quia Chriſtus omnia quæ ad Religionem Chriſtianam pertinent, immediate Apoſtolis revelavit; ut Io. cap. xv. *Omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis:* & cap. xvi. *Cum autem venerit ille ſpiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Apoſtoli, ut *Act. cap.* xi. colligitur, congregati ad finiendam controverſiam ortam circa legalia, non attendunt a Deo novam revelationem, ſed ex ſcripturis & ex his quæ poſt Evangelii promulgationem contigerant, iudicium ferunt: & hunc ſtilum hactenus ſervavit Eccleſia in Generalibus Conciliis, in quibus Patres conſulunt Scripturam & Traditionem, antequam in exorta controverſia aliquid ſtatuant. Proponit autem Eccleſia infallibiliter fidei dogmata ſine nova revelatione, auxilio Spiritus Sancti, quem Chriſtus *Matt. cap.* xxviii. pollicitus eſt nunquam ei defuturum: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem, ſæculi.* Quod non ſolum ad Apoſtolos ſpectat, ſed etiam ad eorum ſucceſſores; cum Apoſtoli victuri non eſſent in æternum uſque ad conſummationem ſæculi niſi in ſuis ſucceſſoribus.

Corollarium.

Ex Fidei ſupra allata definitione plures veluti neceſſariæ illationes conſequuntur. Primo nempe, quod fides una ſit ſpecie, ut *Epheſ. cap.* 4. inquit Apoſtolus: *Unus Dominus, una Fides, unum Baptiſma.* Nam omnis habitus vel actus ſpeciem ſuam deſumit ab obiecto formali; adeo ut ſi unicum habeat obiectum formale, actus vel habitus unus ſit ſpecie. Charitas v. g. ſive in Deum tendat, ſive in proximum, una eſt ſpecie virtus: quia bonitas divina eſt unicum formale eius obiectum. Cum igitur fides unice habeat pro obiecto primam veritatem, unum habet formale obiectum; adeoque una eſt ſpecie & eſſentialiter, ſive informis ſive formata, viva aut mortua, implicita aut explicita, aliquando quidem imperfecta, aliquando perfecta, non ſecus ac homo idem eſt eſſentialiter, ſive ſit puer, ſive adoleſcens, ſive iuvenis, ſive ſenex.

Sequitur ſecundo, Fidem Theologicam non inveniri in Hæreticis, neque in Beatis, neque in Damnatis. Non reperitur ſeu non remanet in hæreticis, ne quidem quoad articulos ſeu veritates, quas ſe credere profitentur. Hoc enim docuiſſe videtur Apoſtolus *ad Timoth. cap.* 1. ubi loquens de aliquibus hæreticis, qui verſantur in errore circa aliquos religionis chriſtianæ articulos, dicit abſolute, quod *circa fidem naufragaverunt.* Sic tradit Angelicus Doctor 2. 2. *quæſt.* v. *art.* 3. & ſic etiam docere videtur Tridentina Synodus *ſeſſ.* vi. *cap.* xv. ubi abſolute definivit, quod infidelitate fides amittitur. Et ratio eſt: quia hæreticus, etiamſi unum negaret articulum, ſtatim reiicit rationem formalem credendi; nempe divinam revelationem ab Eccleſia propoſitam: ac proinde, deficiente motivo formali fidei, perit habitus fidei. Nam motivum formale fidei eſt divina revelatio, non quomodocumque, ſed ut propoſita ab Eccleſia; & neutiquam ut propoſita a proprio iudicio, quod, ut experientia conſtat, eſt ſcaturigo ac ſeminarium errorum. Igitur hæreticus eſt, qui etiam reiiciens unum Fidei articulum ab Eccleſia propoſitum, alios recipit a proprio iudicio, non ab auctoritate Eccleſiæ propoſitos. Et ideo

ideo licet dicat eos credere propter illorum revelationem factam a Deo; quia tamen hanc revelationem applicat proprio iudicio (cum non ſit miniſter legitimus a Chriſto inſtitutus, a quo applicentur ſeu proponantur revelata) idcirco hic amittit motivum formale fidei: quod, ut iam antea notavimus, eſt quidem divina revelatio; non tamen utcumque, ſed tantummodo quando propoſita ſit ab Eccleſia. Unde eos non credit fide divina, ideſt theologica & ſupernaturali, ſed fide humana, utpote qui moveatur ad credenda illa quæ credit, non veritate divina, ſed perſuaſione humana; ſicut dilectione humana, non Divina Deum aliosque homines diligeret, qui etiam unum hominem non diligeret, iuxta illud Ioann. epiſt. I. cap IV. *Si quis dixerit, quoniam diligit Deum, & fratrem ſuum oderit; mendax eſt*.

Quod vero fides non remaneat in Beatis, manifeſte conſtat. Nam beati in patria, cum fruantur intuitiva Dei viſione, claram habent myſteriorum cognitionem; ut innuit Apoſtolus I. *ad Corinth. cap.* XIII. inquiens: *Videmus nunc per ſpeculum & in ænigmate* (nempe obſcure per revelationem); *tunc autem facie ad faciem*. Non eſt autem poſſibile ut credatur quod videtur; cum laudatus Apoſtolus, ſicut ſupra vidimus, dicat *fidem eſſe argumentum non apparentium* ideſt eorum quæ non videntur: ac proinde eſt de ratione fidei *credere quod non videt*. Inſuper fides eſt rerum ſperandarum; beati autem nihil habent quod ſperent; quia iam poſſident in Patria quod ſperarunt in via. Quocirca ob talem rationem fides non habetur in Damnatis, ne in iis quidem qui fidem uſque ad extremum vitæ ſervaverunt; cum nulla in iis omnibus ſpes ſuperſit, ſed mera deſperatio.

Fides profecto remanſit, ac perſeveranter remanet in animabus pœnis purgatorii addictis, & quia nondum vident myſteria: & quia adhuc ſperant fruitionem æternæ cœleſtis felicitatis. Peccatores quoque non infideles retinent fidem. Ita docet Apoſtolus I. *ad Corinth. cap.* XIII. ubi ſic legitur: *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam; charitatem autem non habuero, nihil ſum*. Nam ibi clare ſupponitur, fidem ſine charitate eſſe poſſe; adeoque in peccatoribus gratia & charitate ſpoliatis illam remanere. Quod ut clarius innoteſcat, advertendum, fidem, aliam dici formatam & perfectam; aliam informem & imperfectam. Fides formata & perfecta eſt, quando coniunctam habet charitatem: quia charitas forma eſt & perfectio fidei, & velut anima qua fides vivit. Fides informis eſt ea, quæ a ſua forma deſtituta eſt, ideſt disiuncta a charitate. Illa viva dicitur; hæc mortua. Utraque tamen eſt eiusdem generis, ac utrique vis eadem & ratio convenit. Et hoc Catholicum dogma docent communiter Patres: & præſertim S. Auguſtinus *lib. de fid. & oper.* ubi totus in eo eſt ut probet, neminem debere ita ſibi blandiri de fide, ut per eam ſine charitatis operibus ſibi ſalutem ſpondeat; & Tract.X. in Epiſt. Io. *Iam*, inquit, *credit aliquis in Chriſto, ſed odit Chriſtum; habet confeſſionem fidei in timore pœnæ, non in amore coronæ. Adde huic fidei dilectionem, ut fiat fides, qualem dicit Apoſtolus Paulus*: Fides, quæ per dilectionem operatur.

§. II.

De principiis ac fundamentis, quibus Fides innititur.

Eorum quæ credenda ſunt, & ad religionis Catholicæ dogmata pertinent, quædam in Scripturis ſacris diſerte expreſſa ſunt: cuiuſmodi ſunt, Deum eſſe unum & trinum, Filium Dei factum eſſe hominem pro nobis, mortuum eſſe, reſurrexiſſe, in cœlum aſcendiſſe; mortuos omnes ad vitam excitandos eſſe; hominem ex aqua & Spiritu Sancto in baptiſmo regenerari; totum Chriſtum in Euchariſtia realiter contineri; & alia id genus religionis noſtræ myſteria. Quædam non ſunt diſerte & explicite in ſacris Scripturis exarata, quæ nihilominus fide divina ſunt credenda, quia ex Apoſtolorum traditione illa accepit Eccleſia; divinaque illa dogmata, quorum fidelis cuſtos eſt ac magiſtra, ſuis Chriſtique alumnis credenda proponit: cuiuſmodi ſunt Beatæ Mariæ Matris Dei virginitas perpetua; baptiſmus infantium; ſacrarum imaginum cultus; librorum Scripturæ Sacræ numerus, & illorum, quos præ manibus habemus, authentica veritas ac divina inſpiratio; ſigni crucis in frontibus Chriſtianorum religioſa & ſalutaris impreſſio; & alia huiuſmodi. Quare cum fides nitatur verbo Dei tamquam ſuo principio & fundamento: ſicut duplex eſt verbum Dei; ita duplex eſt fidei principium & fundamentum. Verbum enim Dei aliud eſt ſcriptum; aliud non ſcriptum ſeu traditum. Verbum ſcriptum continetur libris veteris & novi Teſtamenti. Traditum vero ipſius Chriſti ore ab Apoſtolis acceptum, aut ab ipſis Apoſtolis, Spiritu Sancto dictante, quaſi

per manus traditum ad nos uſque pervenit.

§. III.

De Libris ſacris verbum Dei ſcriptum continentibus.

Canonicorum Scripturæ ſacræ librorum Diviſio.

Libri illi ſacri ſunt ac divini, qui in Eccleſiæ canone ut ſacri divinique, ſive ut genuini Scripturæ ſacræ libri recenſentur a S. Hieronymo in *Epiſt. ad Paulinum* & in *Prologo Galeato*; ab Innocentio I. Pontifice Maximo in *Epiſt. ad Exuperium* Toloſanum Epiſcopum; a S. Auguſtino *lib. II. de doctrina Chriſtiana cap.* VIII. & *lib.* XV. *de Civit. Dei cap.* XXV. *ab* Eugenio IV. *in decret. pro inſtruct. Armenorum*; & Concilio Tridentino *Seſſ.* IV. numeroſiores & maioris auctoritatis Eccleſias, Romanam præſertim, Africanam, univerſamque Eccleſiam Occidentalem, apud quam traditionis Apoſtolicæ depoſitum incorruptum ſervatum eſt, ſecuto: ut de aliis Patribus & Conciliis nihil dicam in præſentiarum. Libri illi vocantur canonici, quia in Eccleſiæ canone recenſentur, & in auctoritatem ab Eccleſia recepti ſunt, tamquam inſpirantè Spiritu Sancto ab hominibus Dei conſcripti.

Libri canonici, ſeu ſacri alii ſunt Legales, alii hiſtorici, alii prophetici, alii morales. Libri legales veteris Teſtamenti ſunt *Pentateucus*, ſeu libri quinque Moyſis: ideſt Geneſis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium. Hiſtorici, Ioſue, Iudicum, Ruth, libri quatuor Regum, duo Paralipomenon, Eſdræ primus, & ſecundus, qui dicitur Nehemiæ, Tobias, Iudith, Eſter, Iob, duo Machabæorum primus & ſecundus. Prophetici ſunt, Pſalterium Davidicum centum quinquaginta Pſalmis comprehenſum, quatuor Prophetæ maiores, ſcilicet Iſaias, Ieremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel; & duodecim Prophetæ minores, nempe Oſee, Ioel, Amos, Abdias, Ionas, Michæas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias. Morales ſunt Proverbia Salomonis, Eccleſiaſtes, Canticum Canticorum, liber Sapientiæ, & Eccleſiaſticus.

Legales novi Teſtamenti ſunt quatuor Evangelia, ſecundum Matthæum, Marcum, Lucam & Ioannem. Hiſtoricus eſt liber Actuum Apoſtolorum, a Luca Evangeliſta conſcriptus. Propheticus unicus eſt, ſcilicet Apocalypſis Ioannis Apoſtoli. Morales ſunt quatuordecim Epiſtolæ Pauli Apoſtoli, ad Romanos, duæ ad Corinthios, ad Galatas, ad Epheſios, ad Philippenſes, ad Coloſſenſes, duæ ad Theſſalonicenſes, duæ ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos; Petri Apoſtoli duæ; Ioannis Apoſtoli tres; Iacobi Apoſtoli una; Iudæ Apoſtoli una. Hunc vel illum librum eſſe canonicum, ac habere auctoritatem ſacræ Scripturæ a Deo dictatæ aliunde nobis non conſtat, quam ex traditione maiorum, & definitione Eccleſiæ. Sic omnes Catholici: Eccleſia enim in rebus fidei ob ſpecialem aſſiſtentiam Spiritus Sancti errare nequit, ut antea iam diximus. Unde quidquid fidelibus credendum & tamquam librum a Deo dictatum proponit, pro tali indubie habendum eſt. Et ſane plura Evangelia circumferuntur ut ſcripta ab Apoſtolis, Thoma, Thaddæo, Andrea, Bartholomæo, de quibus mentio fit in *cap.* v. Romana *diſt.* xv. Igitur neceſſaria fuit auctoritas Eccleſiæ, quæ inhærens Traditioni ab Apoſtolis receptæ, atque a Spiritu Sancto peculiariter directa, huiuſmodi noxias, & apocryphas a veris diſcerneret, veraſque & genuinas fidelibus proponeret. Hinc recte S. Auguſtinus *lib. contr. Epiſt. Manichæi cap.* v. proteſtatur inquiens: *Evangelio non crederem, niſi me Eccleſiæ Catholicæ commoveret auctoritas.* Iure igitur ac merito Concilium Tridentinum definit *ſeſſ.* IV. eos libros cum ſuis partibus canonicos eſſe, idque credendum præcipit ſub anathematis pœna: *Si quis autem*, inquit, *libros ipſos integros cum omnibus ſuis partibus, prout in Eccleſia Catholica legi conſueverunt, & in veteri vulgata latina editione habentur, pro ſacris & canonicis non ſuſceperit.... anathema ſit.*

§. IV.

De verſionibus ſacræ Scripturæ.

Quia legere Scripturas Sacras in propriis fontibus non eſt ita facile, & ideo paucis conceſſum; operæ pretium duxi exponere præcipuas Scripturarum verſiones, & eas quæ pro authenticis, ideſt indubiæ auctoritatis habentur. Inter præcipuas Scripturarum verſiones recenſentur Græca, Syriaca, Arabica, Chaldaica, & Itala ſeu latina. Ex pluribus verſionibus Græcis quatuor ſunt celebriores. Prima & antiquiſſima eſt verſio quæ ſeptuaginta Interpretum vulgo dicitur: qui Ptolomæi Philadelphi Ægyptiorum Regis iuſſu miſſi ab Eleazaro ſummo Sacerdote in Ægyptum, non Pentateucum ſolummodo (ut vult Scaliger, & cum ipſo aliqui recentiores, contra ſententiam præcipue Iuſtini, Irenæi, Clementis Alexan-

Sacræ Scripturæ verſiones recenſentur.

Digitized by Google

xandrini) ſed omne vetus Teſtamentum ex Hebræo in Græcum ſermonem verterunt ante tempora Machabæorum. Ex illa autem verſione, quæ ſola tunc inerat, Apoſtoli Prophetarum oracula protulere. Secunda eſt Aquilæ, qui ex Chriſtiano Iudæus factus eſt, vixitque imperante Adriano circa annum Chriſti 130. ut S. Epiphanius *lib. de menſ. & ponder. num. 15.* auctor eſt. Tertia tranſlatio, Commodo imperante, a Thedotione facta eſt; qui auctor ex hæretico Marcionita proſelytus Iudæorum factus eſt. Quarta eſt Symmachi editio, genere Samaritani, qui Severi Auguſti temporibus ſacros libros ex Hebræo in Græcum ſermonem tranſtulit. Scribit Euſebius, Symmachum fuiſſe primum hæreticum Ebionitam, qui cum in ſua Secta non obtinuiſſet primatum quem ambierat, Iudaiſmum profeſſus eſt. Poſteriorum verſionum nihil nobis, præter fragmenta, temporis invidia reliquit.

Hæ quatuor verſiones collectæ fuere ab Origene in unum volumen, qualibet pagina in quatuor columnas diſtincta, ita ut uno intuitu omnes videri poſſent: quod opus appellatum eſt *Tetrapla*, ideſt a voce Græca quaternaria exemplaria. Tum addidit Textum Hebraicum characteribus Hebraicis in una columna, & Græcis in altera; & ſic opus illud propter ſex columnas dictum eſt *Hexapla*. Tandem ſex illis columnis duas adiunxit, quarum una continebat verſionem, quam in urbe Hiericuntina, & altera verſionem, quam Nicopoli repererat: & propter illas octo columnas nuncupata eſt *Octapla*, cuius mentio frequens eſt apud Scriptores Eccleſiaſticos, & nunc appellatur, *Polyglota*.

Ex illis verſionibus tres poſteriores numquam approbatæ fuere ab Eccleſia; cum periculum ſit, quod deſertores homines de induſtria obſcuraverint ea quæ ad Chriſtum & religionem Chriſtianam ſpectant. Ceteræ vero utiles ſunt, ut conſtat tum ex Origene, qui in ſuis hexaplis ea quæ in Septuaginta deerant, ſupplevit ex Theodotione; tum ex D. Hieronymo, qui Theodotionis verſione uſus eſt, ut teſtatur *Præfat. in Pſalterium*; tum ex Eccleſia, quæ olim Danielem non ex Septuaginta, ſed iuxta Theodotionis verſionem legebat, & etiam nunc legit caput tertiumdecimum & quartumdecimum, & plures capitis tertii verſus.

Verſio ſeptuaginta Interpretum authentica olim fuit: Illa enim uſi ſunt Apoſtoli, cum in ſuis ad Gentiles converſos ſcriptis laudarunt antiquum Teſtamentum; immo quinque prioribus ſæculis principem locum obtinuit in Eccleſia Chriſtiana, ut *lib. I. de doctr. Chriſt. cap.* XV. tradit S. Auguſtinus. Adde, quod Eccleſia ſemper uſa eſt, & his etiam temporibus utitur verſione de qua agitur; & primi Chriſtiani a Iudæis Helleniſtis acceperunt verſionem Græcam ſeptuaginta Interpretum. Præterea Patres ea uſi ſunt, ut tum in privatis ſcriptis, tum in Conciliis hæreſes quæ ſubortæ ſunt, impugnarent ac damnarent. Ex quibus manifeſte patet, verſionem ſeptuaginta Interpretum fuiſſe authenticam. Hinc plerique veteres Eccleſiæ Patres hanc verſionem plurimum obſervarunt, illam tamquam divino Spiritu dictatam ſuſcipientes. Et ipſe S. Hieronymus *Præfat. in Paralip.* hæc ſcribit: *Si ſeptuaginta Interpretum pura, & ut ab eis in Græcum verſa eſt, editio permaneret; ſuperflue me, Chromati, Epiſcoporum ſanctiſſime atque doctiſſime, impelleres, ut Hebræa tibi volumina Latino ſermone transferrem.* Ipſe tamen ſanctus Doctor acriter in primum fabellæ ſeptuaginta cellularum fabricatorem invehitur Præfat. *in Pentat. Neſcio quis*, inquit, *primus auctor ſeptuaginta cellulas Alexandriæ mendacio ſuo extruxerit*. Num vero hoc tempore germanam interpretationem ſeptuaginta Seniorum habeamus, in quæſtione verſatur. Et licet nonnulli in ea ſint ſententia, ut exiſtiment ipſam penitus interiiſſe; multo tamen probabilius alii autumant, illam adhuc ſupereſſe, ſed adeo corruptam & vitiatam, ut omnino alia eſſe videatur. Quod enim adhuc ſuperſit, evincunt plurima teſtimonia, quæ a veteribus ex verſione ſeptuaginta citantur, & eadem nunc in noſtris Græcis codicibus inveniuntur. Non eſſe autem incorruptam, ſed valde vitiatam pluribus in locis, *Tom. I. Controverſiar. controv. I lib. II. cap.* VI. multis argumentis probat Bellarminus.

Verſiones Syriaca, Arabica, Chaldaica, utiles ſunt ad ſacræ Scripturæ intelligentiam, maxime vero antiquior Syriaca: ut de ea teſtatur S. Baſilius *Hom. II. in Hexam.* Et hæc olim fuit authentica: cum ea publice & communiter uſa fuerit Syriorum Eccleſia, apud quam non pauci extitere Eccleſiæ Doctores; quales Iacobus Syrus & S. Ephrem. Chaldaica vero non tam eſt tranſlatio, quam paraphraſis, & ideo *Targum*, idest paraphraſis nuncupari ſolet. Quidquid ſit ſive de auctore, ſive de tempore, quo primum prodierit Chaldaica verſio; illud certum eſt, ab Eccleſia paraphraſticas tranſlationes non uſque adeo magni fieri, neque

ex iis argumentum firmum duci poſſe. Siquidem Chaldaicæ paraphraſes, illa excepta quæ eſt in Pentateucum, Iudaicis fabulis & Thalmudiſtarum nugis conſperſæ ſunt. Idque veriſſimum eſſe, experimento ſuo comprobabit quicumque paraphraſim in Threnos, in Cantica, in Iob, in Pſalmos, & in Prophetas omnes legere voluerit.

Inter verſiones Latinas fere innumeras duæ potiſſimum laudantur: Itala, & Vulgata. Prior nunc appellatur vetus: tum abſolute, quia eſt omnium antiquiſſima, & creditur ab aliquo Apoſtolorum diſcipulo ornata; tum reſpective ad noſtram vulgatam, quæ eſt longe recentior. Et olim illa fuit authentica, quam cæteris præfert S. Auguſtinus *lib. II. de doctr. Chriſt. cap.* xv. & a S. Hieronymo *Epiſt.* cxxxv. vocatur communis & vulgata; quia Eccleſia uſque ad illius tempora ipſa utebatur. Vulgata Italæ ſucceſſit, eique merito prælata eſt: utpote quæ non ex verſione veteris Teſtamenti, ſicut Itala; ſed ex ipſo textu originario edita fuit, atque ideo fonti vicinior ac purior.

Si inquiratur auctor verſionis vulgatæ; videtur laus tribuenda D. Hieronymo, qui aliquam novi Teſtamenti verſionem emendavit, & libros veteris Teſtamenti, quibuſdam exceptis, ex Hebræo in Latinum tranſtulit. Nam libros Sapientiæ, Eccleſiaſtici, Baruch, & Machabæorum ex Hebræo non tranſtulit: forſan, quia illos Hebraicos non invenit; ut ipſemet declarat de Sapientia *Præfat. in Proverb.* & de Baruch *Præfat. in Ierem.* Tranſtulit, tamen libros Tobiæ & Iudith, licet Deuterocanonicos; ut patet ex Præfationibus in eoſdem libros. Quamvis autem verterit ipſe ſanctus Doctor Pſalterium ex Hebræo in Latinum; Eccleſia tamen retinuit antiquam verſionem ſeptuaginta Interpretum ab eodem ſancto Doctore emendatam, ne forte, ait Habertus, ea mutatione turbarentur fideles aſſueti decantare Pſalmos iuxta ſeptuaginta. Hanc verſionem, *quæ longo tot ſæculorum uſu in ipſa Eccleſia probata eſt, in publicis lectionibus, diſputationibus, prædicationibus, & expoſitionibus, pro authentica habendam*, Concilium Tridentinum *ſeſſ.* IV. ſtatuit ac declarat, *& ut nemo illam reiicere quovis prætextu audeat vel præſumat*. Quo decreto Tridentina Synodus non derogat fontibus Hebraicis & Græcis, ex quibus vulgata illa verſio expreſſa eſt: ſed cæteris verſionibus latinis anteponendam, ſolamque inter eas declarat authenticam; ut proinde ex Scriptura ſacra ſecundum illam verſionem fidei controverſiæ dirimi, hominumque mores in Chriſtianæ legis diſciplina valeant informari. Num vero quælibet etiam minima vocula & particula vulgatæ editionis ſit de fide, variant Doctores. Pro negativa ſtant contra quoſdam Bellarminus & Tannerus cum aliis plurimis, qui aſſerunt, vulgatam editionem, licet pro authentica habenda ſit ab omnibus, utpote quoad fieri potuit, pura & emendata, nihilque continens contra fidem Catholicam & bonos mores, nihilominus nondum ita a mendis omnibus purgatam eſſe, quin adhuc emendari poſſit, præcipue quoad variationem lectionis: ita ut locus diſputationi remaneat, num aliquibus in locis alia lectio huic præferenda eſſet.

Vernacula Scripturæ verſio dicitur illa, quæ vernacula, ſeu vulgari lingua ſcripta eſt. Vernacula autem lingua in unaquaque regione dicitur ea, quæ ipſi peculiaris eſt, vulgaris, & materna; quæque cum multiplex ſit, ita & vernacula Scripturæ verſio multiplex eſſe poteſt. Verum hic advertendum eſt, duo de vulgaribus verſionibus per Eccleſiam eſſe prohibita. Primum eſt, ne in publico Eccleſiæ uſu, præſertim in Miſſa, legantur Scripturæ in vulgari lingua, ut conſtat ex illo Tridentini Concilii *ſeſſ.* XXII. *cap.* VIII. *de Sacrif. Miſſ.* dicentis *Etſi Miſſa contineat magnam populi fidelis eruditionem; non tamen expedire viſum eſt Patribus, ut vulgari paſſim lingua celebraretur*. Alterum eſt, ne huiuſmodi vulgares ſacræ Scripturæ verſiones omnibus indiſcriminatim legi permittantur; cum iuxta quartam regulam Indicis librorum prohibitorum editi iuſſu eiuſdem Concilii, *experimento manifeſtum ſit, ſi ſacra Biblia vulgari lingua paſſim ſine diſcrimine permittatur, plus inde, ob hominum temeritatem, detrimenti, quam utilitatis oriri*.

§. V.

De interpretatione ſacræ Scripturæ.

Non ſufficit ad Scripturæ ſacræ intelligentiam & interpretationem privatus cuiuſque hominis ſpiritus: nam ſolo Spiritu Dei haberi poteſt intelligentia verbi Dei: Spiritus autem Dei ſibi ipſi contrarius eſſe nequit. Oppoſitos porro ſenſus teſtimoniis ſacrarum Scripturarum in graviſſimis controverſiis fidei attribuunt Catholici & hæretici, ipſique hæretici pro ſuæ quiſque cauſſæ ſtudio varios & repugnantes ſenſus eidem Scripturæ loco affingunt. Quanam igitur ratione verus ac legitimus ſenſus a falſo & peregri-

Digitized by Google

ro diſcerni poterit ? Lutheranus perinde ac Calviniſta Spiritum Dei ſe habere gloriabitur : ſic Socinianus æque ac Catholicus. Quis autem probabit ſpiritus, num ſint a Deo ? Nullus profecto erit controverſiarum finis, niſi ad Eccleſiam deferantur, quæ eſt viſibilis (huiuſcemodi enim iudicem eſſe oportet) Chriſtique auctoritate donata, & lumine Sancti Spiritus numquam ipſi defuturo illuſtrata. Et ſane ſi in civili Republica non licet cuique leges proprio iudicio interpretari, ſed in ambiguis & obſcuris recurrendum eſt pro enodandis difficultatibus ad publicam auctoritatem : multo minus licebit in Eccleſia privato ſuo iudicio exponere divinam Scripturam, Deique legem, ſed confugiendum erit ad Eccleſiam, quæ a Chriſto Domino conſtituta eſt legitimus Iudex controverſiarum fidei, ſenſuſque veri ac genuini Scripturarum. Cum autem in hoc iudicio oporteat ut regulam aliquam ſequatur, & eam plane divinam ; cumque regula illa non ſit ſola ſacra Scriptura de cuius ſenſu identidem difficultates moventur : idcirco Traditionis ſubſidium accedit. Siquidem iudicat Eccleſia de fidei controverſiis ſecundum doctrinam, quam ipſa ab Apoſtolis, Apoſtoli a Chriſto, Chriſtus a Deo accepit, ut ait Tertullianus. Hinc Chriſtiani Antiocheni controverſia de circumciſione & cæremoniis legis Moſaycæ inter ipſos exorta, non privato iudicio diſcreverunt veritatem prædicationis Pauli & Barnabæ, qui negabant ea neceſſaria eſſe ad ſalutem, ab opinione Phariſæorum recenter ad fidem converſorum, qui aſſerebant ; ſed ad Apoſtolos & ſeniores illam deferre neceſſarium cenſuerunt, quorum iudicio in Concilio Hieroſolymitano finita fuit *Act. cap.* xv. Obſcura igitur loca Scripturæ aliis eiuſdem Scripturæ clarioribus locis, Traditione & ſenſu Eccleſiæ exponenda ſunt, & minime privato cuiuſque iudicio; ac religioſe ſervanda eſt regula a ſacra Synodo Tridentina præſcripta, *ſeſſ.* IV. decernente : *Ut nemo ſuæ prudentiæ innixus, in rebus fidei & morum, ad ædificationem doctrinæ Chriſtianæ pertinentium, ſacram Scripturam ad ſuos ſenſus contorquens, contra eum ſenſum, quem tenuit, & tenet ſancta mater Eccleſia, cuius eſt iudicare de vero ſenſu & interpretatione Scripturarum ſacrarum, aut etiam contra unanimem conſenſum Patrum, ipſam Scripturam ſacram interpretari audeat ; etiamſi eiuſmodi interpretationes nullo umquam tempore in lucem edendæ forent.*

§. VI.

De variis ſacræ Scripturæ ſenſibus.

Divinæ Scripturæ ſententias plures varios habere ſenſus, conſtat ex ipſa divina Scriptura : & hoc agnoſcunt tum Iudæi, tum Chriſtiani. *Dummodo charitas*, (ait D. Bernardus ſerm. 51. in Cant.) *cui Scripturas ſervire oportet, eo ædificet plures, quo plures ex eis in opus ſuum veros eruerit intellectus. Cur enim hoc diſpliceat in ſenſibus Scripturarum, quod in uſibus rerum quotidie experimur? Ita unus quilibet divinus ſermo non erit abs re, ſi diverſos pariat intellectus, diverſis animarum neceſſitatibus & uſibus accommodandos*. Senſus Scripturæ primario dividitur in litteralem, & myſticum. Senſus litteralis eſt ille, qui ab ipſa littera, ideſt per verba exprimitur; ut in hac propoſitione : *Abraham duos filios habuit; unum de ancilla, & unum de libera*, ad Galatas 4. Senſus litteralis hic eſt : hominem ſcilicet extitiſſe, nomine Abraham, qui ex duabus uxoribus, quarum una erat libera, ancilla altera, duos ſuſcepit filios. Hoc verba propoſitionibus exprimunt. Senſus vero myſticus ille eſt, qui non verbis ipſis, ſed rebus per verba ſignificatis indicatur : ut in allatæ propoſitionis exemplo non nomina illa ancillæ & liberæ, ſed perſonæ myſtice ſeu ſpiritualiter his nominibus ſignificatæ, Ieruſalem terreſtrem & Eccleſiam ſignificant, ut *loc. cit.* interpretatur Apoſtolus.

Diviſio ſenſuum Sacræ Scripturæ.

Senſus litteralis alter proprius eſt, alter metaphoricus. Proprius eſt ille, quem verba proprie accepta efficiunt; ut in hac propoſitione : *Abraham duos filios habuit*. Metaphoricus vero ille, qui conflatur ex verbis improprie acceptis; ut cum dicitur Chriſtum ſedere ad dexteram Patris. Nam dexteræ vocabulo non corporis pars, ſed honoris intelligitur æqualitas.

Senſus myſticus eſt triplex : nempe allegoricus, tropologicus, & Anagogicus. Allegoricus ille dicitur, quando res geſtæ in veteri lege accipiuntur ut figuræ eorum, quæ in lege nova erant implenda. Sic Aries inter vepres cornibus hærens, & ab Abrahamo loco Iſaac immolatus (*Gen. cap.* XXII.) in ſenſu allegorico ſignificat Chriſtum ſpinis coronatum crucique affixum. Tropologicus eſt, qui ad mores informandos pertinet. Sic circumciſio carnis, quæ in uſu erat apud Hebræos, in ſenſu tropologico & morali ſignificat vitiorum & cupiditatum reſectionem. *Rom. cap.* 2. Anagogicus eſt, quando

verba

verba & res geſtæ ad ſupernam cœleſtem patriam referuntur; ſicut Apoſtolus *Hebr. cap.* VI. ingreſſum Pontificis in Sancta Sanctorum refert ad introitum Chriſti in cœlum. Primus ſenſus allegoricus ſcilicet, ſpectat ad fidem, ſeu ad ea quæ proponuntur credenda: Tropologicus ad charitatem, ſeu ad ea quæ in moribus obſervanda præſcribuntur: Anagogicus ad ſpem, ſcilicet ad ea quæ in futura cœleſti Patria promittuntur. Plures ſenſus idem locus Scripturæ habere poteſt; ut omnes affirmant Theologi cum D. Thoma *Part. I. quæſt. I. art.* 10. Nam ſenſus litteralis eſt ille quem intendit Scripturæ auctor, nempe Deus: Deus autem per eamdem litteram plura aliquando ſignificare intendit; ut ex variis Scripturæ locis patet. Nam *Exod. cap.* XII. dicitur tum de Agno Paſchali, tum de Chriſto qui in Cruce immolatus eſt: *Os non comminuetis ex eo*: Chriſto enim in ſua immolatione oſſa fracta non fuerunt, ut habetur ex Evangelio. Igitur ſenſus litteralis eſt ſenſus intentus a Deo per litteram. Conſtat autem ex locis plurimis, Deum per aliquid corporaliter gerendum intendere aliquid ſpiritualiter intelligendum: puta per immolationem Agni Paſchalis ſpirituale Chriſti ſacrificium; & per panes azymos conſcientiæ puritatem.

§. VII.

De Traditione.

Alterum fidei principium & fundamentum eſt Traditio. Nomine autem Traditionis hic intelligitur doctrina quædam ad Religionem ſpectans, quæ tamen non habetur in Scriptura, neque ex illa clare deducitur; ſive de eiuſmodi doctrina in libris Sanctorum Patrum ſcriptum reperiatur, ſive non. Traditio dividitur in Divinam, & humanam. Prior Deum, ſeu Chriſtum habet auctorem; poſterior homines. Unde Traditio Divina eſt verbum Dei ſcripturis non exaratum, ſed ore tenus tantum a Chriſto Domino Apoſtolis traditum, vel per ipſos Apoſtolos, Spiritu Sancto dictante, traditum Eccleſiæ, ideſt ab Apoſtolis promulgatum, & continua ſucceſſione in Eccleſia Catholica conſervatum, & quaſi de manu in manum ad noſtra uſque tempora traditum. Talis Traditio potiſſimum habetur circa materiam & formam ſacramentorum, & alia huiuſmodi in Eccleſia Catholica perpetuo cuſtodita; quæ tamen in Scriptura expreſſa non habentur.

Diviſio Traditionis.

Traditio humana duplex eſt. Alia Apoſtolica, quæ originem ducit ab Apoſtolis. Alia Eccleſiaſtica, quæ initium habet a ſucceſſoribus Apoſtolorum. Apoſtoli dupliciter ſpectari poſſunt. Primo, ut præcones eorum quæ a Chriſto audierunt: ſecundo, ut Eccleſiæ Paſtores, qui propria auctoritate, cum aſſiſtentia tamen Spiritus Sancti, nonnulla fidelibus regendis utilia ſanxerunt. Quæ tradiderunt ut præcones verbi Dei, ea ſunt Traditionis Divinæ. Hinc quia hanc Traditionem promulgarunt Apoſtoli, Traditio Apoſtolica confundi ſolet cum Divina. Quæ vero inſtituerunt tamquam Eccleſiæ Paſtores, cenſentur traditionis Apoſtolicæ. Utrumque clare diſtinguit Apoſtolus *I. ad Corinth. cap.* VII. Ait enim: *Præcipio non ego, ſed Dominus, uxorem a viro non diſcedere*: Et poſtea addit: *Ego dico, non Dominus*. Primo loco tradidit quod a Deo acceperat; poſteriori autem quod magis congruere iudicaverat.

Inter Traditionem divinam & humanam illud intereſt diſcrimen, quod divina diſpenſationem quidem aliquando admittit (ut dictum fuit in *Tract. de Legibus*) ſed prorſus abrogari nequit; humana vero pro circumſtantiarum exigentia mutari poteſt: apoſtolica quidem difficilius, ob reverentiam Apoſtolis debitam, & perſuaſionem quod nihil inſtituerint, niſi perutile & quodammodo neceſſarium regimini Eccleſiæ. Unde Eccleſia apoſtolicam Traditionem diſtinguere ſolet a Traditione mere eccleſiaſtica, illamque religioſius conſervat.

Diſcrimen divinam inter & humanam Traditionem.

Traditionem hanc nobis manifeſtant vel concors Sanctorum Patrum doctrina, qui *uno conſenſu, aperte, frequenter, perſeveranter* idem docuerunt, & Chriſtianis credendum tradiderunt; ut in ſuo Commonitorio loquitur Vincentius Lirinenſis: vel Oracula Eccleſiæ. Quorum alia edita ſunt a Romanis Pontificibus controverſias fidei definientibus, ex Romanæ Eccleſiæ omnium *Maximæ & Antiquiſſimæ* ſenſu, in qua ea *quæ eſt ab Apoſtolis Traditio, & annunciata hominibus fides, per ſucceſſiones Epiſcoporum pervenit uſque ad nos*: ut ait S. Irenæus *lib. III. adverſus hæreſes cap.* III. Alia vero a Conciliis generalibus in Spiritu Sancto legitime congregatis, quæ ſunt repræſentationes totius nominis Chriſtiani: quorum quidem tanta eſt auctoritas in Fidei controverſiis dirimendis, convocante, præſide, & confirmante Romano Pontifice, (quem ut caput membris venerando cœtui ſuo præfuiſſe Chalcedonenſis Concilii Patres ad S. Leonem ſcribentes teſtantur) ut S. Gregorius Magnus, loquens de Con-

Unde Traditio innoteſcit.

cilius

ciliis generalibus ad ſua uſque tempora celebratis, ea ſe ſicut quatuor Evangelia venerari & ſuſcipere ſit profeſſus (*Lib. I. Epiſt. XXIV.*) Nicænum ſcilicet, Conſtantinopolitanum, Epheſinum primum, & Chalcedonenſe. Cæterorum porro, ſive in Oriente, ſive in Occidente deinde celebratorum, par eſt auctoritas in Dei Verbo fundata Matth. cap. 18. *Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, illic ego in medio illorum ſum*: & *Act. cap.* XV. ubi Apoſtoli in Concilio congregati aiunt: *Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis*.

§. VIII.

De Eccleſia.

Cum dixerimus, Eccleſiam regulam eſſe & magiſtram in rebus fidei, ideſt quoad ea quæ de fide credenda ſunt ut a Deo revelata, quoad firmam certamque auctoritatem librorum divinæ Scripturæ, quoad veritatem traditionum divinarum & apoſtolicarum; ita ut fides habenda ſit illis ſolummodo Chriſtianæ religionis veritatibus ad fidem & mores ſpectantibus, libris Scripturarum & Traditionibus, quæ ab ipſa ut veræ & genuinæ proponuntur: hinc neceſſarium cenſui, hic breviter nonnulla etiam de Eccleſia perſtringere.

Nomen Eccleſiæ quid importet. Nomen Eccleſiæ, ut communiter Doctores Catholici explicant, non ſecus ac Synagoga, ſignificat certum hominum cœtum ad veram Dei cognitionem veramque religionis ſocietatem divinitus evocatum. Licet tamen Eccleſiæ & Synagogæ idem ſit ſenſus; cenſet tamen S. Auguſtinus, ideo Chriſtianorum cœtum Synagogæ nomen non retinuiſſe, quia Synagoga ſignificat congregationem tum hominum, tum animalium; quod convenire nequit evocationi Chriſtianorum, quæ eſſe debet mere ſpiritualis. Ac proinde ad exponendam huiuſcemodi congregationem ſubrogatum fuit nomen Eccleſiæ, qua nonniſi cœtus ſpiritualium, quales debent eſſe Chriſtiani, ſolet intelligi.

Eccleſia multipliciter ſumitur. Eccleſia dupliciter accipitur: metaphorice pro loco in quo congregantur veri Dei cultores; ut Iudith cap. VI. *Per totam noctem intra Eccleſiam oraverunt*: & proprie ac formaliter pro ipſomet cœtu ſeu congregatione; ut Pſalm. CXLIX. *Laus eius in Eccleſia Sanctorum*. Rurſus Eccleſia proprie dicta tripliciter ſumi poteſt. Primo modo latius pro Eccleſia triumphante, quæ beatos in cœlis complectitur; pro purgante, quæ continet animas in purgatorio patientes; pro militante, quæ coaleſcit ex fidelibus hic adhuc in terris cum hoſtibus humani generis militantibus: quæ triplex Eccleſia propter unitatem capitis, quod eſt Chriſtus Dominus, cenſetur unica tantum Eccleſia ex tribus hiſce partibus coaleſcens; de qua dicitur in ſymbolo: *Credo in Unam, Sanctam, Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam*. Secundo modo ſtrictius, pro cœtu fidelium omnium in terris militantium, ſive ante, ſive poſt Chriſti adventum: ideſt pro cœtu fidelium omnium ab initio uſque ad finem Mundi exiſtentium; ut ait D. Gregorius Papa Hom. XIX. in Evang. *Univerſalis Eccleſia ab Abel iuſto uſque ad ultimum electum, qui in fine Mundi naſciturus eſt*. Tertio tandem modo ſtrictiſſime, & quidem frequentius, pro cœtu ſeu congregatione omnium Chriſti fidem atque doctrinam profitentium, quæ ſub uno & ſummo poſt Chriſtum viſibili capite & paſtore in terris regitur ac gubernatur. Et hoc poſteriori modo Eccleſia hic ſumitur: quo facilius diſcrimen quod Eccleſiam inter & Synagogam intercedit, dignoſci queat. Iſta enim expectat Chriſtum venturum; illa econtra adveniſſe credit, eumque agnoſcit pro capite.

Eccleſia eſt viſibilis. Eccleſiam igitur in poſtremo ſenſu acceptam, nempe pro vera Chriſti Eccleſia in terris militante, eſſe viſibilem, quæ poſt primarium nunc inviſibile caput Chriſtum Dominum, ideſt poſt illius diſceſſum, habet & agnoſcit viſibile caput & univerſalem ſuum paſtorem, rectorem, ac magiſtrum, ut ipſius Chriſti Vicarium in terris, Romanum Pontificem; tenent communiter omnes Catholici contra Heterodoxos omnes, negantes hoc viſibile caput in terris. Sententiam Catholicorum non obſcura comprobant divinæ Scripturæ teſtimonia. Habetur enim Matth. cap. XVIII. *Quod ſi te non audierit; dic Eccleſiæ. Si autem Eccleſiam non audierit; ſit tibi tamquam Ethnicus & Publicanus*. Sic Apoſtolus Act. cap. XX. ait *Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*. Si autem Eccleſia eſſet inviſibilis, quomodo ipſam agnoſcere poſſent qui ab ea ſunt ſeparati, ut in eius gremium redirent? Quomodo fratrem ex correptione fraterna minime emendatum, ad Eccleſiam deferri Chriſtus iuberet, ab ea iudicandum? Quomodo poterant regere Eccleſiam, quam non noverant? Licet vero inviſibile caput totius Eccleſiæ ſit Chriſtus Dominus, qui eam ſpiritualiter & inviſibiliter regit ac moderatur (*Et ipſum*, inquit *Epheſ. cap.* I. Apoſtolus, *dedit*

dedit caput ſupra omnem Eccleſiam: & rurſus cap. v. *Chriſtus caput eſt Eccleſiæ*) eget tamen Eccleſia, quæ corporalis & viſibilis eſt, uno aliquo viſibili ſummo iudice, a quo lites de religione exortæ componantur, quique omnes inferiores præfectos in officio & unitate contineat. Quare Chriſtus Dominus Eccleſiæ ſuæ caput viſibile inſtituit Petrum, & Petri ſucceſſores; ut aperte colligitur ex verbis ipſius Chriſti Domini *Io. cap.* XXI. *Paſce agnos meos, paſce oves meas*: ideſt Prælatos matrum ovium nomine, & ſubditos nomine agnorum ſignificatos; quia præter agnos & oves in Eccleſia nihil eſt. Idque evincunt etiam quamplurima alia Scripturæ ſacræ teſtimonia, quæ brevitatis ſtudio hic congerere omittimus, ex quibus patet, S. Petrum & eius ſucceſſorem Romanum Pontificem eſſe viſibile caput Eccleſiæ, omneſque fideles illi ſubiici, & ab eo paſci regique debere. Quare S. Bernardus lib. II. *de conſiderat.* cap. VIII. *Age*, inquit, *indagemus adhuc diligentius, qui ſis: quam geras videlicet pro tempore perſonam in Eccleſia Dei. Quis es? Sacerdos magnus, ſummus Pontifex. Tu princeps Epiſcoporum; tu hæres Apoſtolorum; tu primatu Abel, gubernatu Noe, Patriarchatu Abraham, Ordine Melchiſedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyſes, iudicatu Samuel, poteſtate Petrus, unctione Chriſtus. Tu es, cui claves traditæ, cui oves creditæ ſunt. Sunt quidem & alii cœli ianitores, & gregum paſtores. Sed tu tanto glorioſius, quanto & differentius præ illis nomen hereditaſti. Habent illi aſſignatos greges, ſinguli ſingulos. Tibi univerſi crediti, uni unus. Nec modo ovium, ſed & paſtorum omnium tu unus Paſtor. Unde id probem, quæris? Ex verbo Domini. Cui enim non dico Epiſcoporum, ſed etiam Apoſtolorum, ſic abſolute & indiſcrete totæ commiſſæ ſunt oves? Si me amas, Petre, paſce oves meas. Quas? Illius aut illius populos civitatis, aut regionis, aut certi regni? Oves meas, inquit. Cui non planum, non deſignaſſe aliquas, ſed aſſignaſſe omnes? Nihil excipitur ubi diſtinguitur nihil.*

§. IX.

De infallibilitate Eccleſiæ in proponendis & definiendis rebus fidei & morum.

Novatores hic confugiunt ad commentitiam diſtinctionem articulorum fundamentalium, & non fundamentalium, docentque Eccleſiam errare poſſe circa poſteriores. Contra eos tamen oppoſitum conſtantiſſime ſentiunt ac credunt Orthodoxi: nempe Eccleſiam Catholicam, ſeu veram viſibilemque Chriſti Eccleſiam, ex ſpeciali ipſius Chriſti promiſſione, & aſſiſtentia Spiritus Sancti infallibilem eſſe, ſeu errare non poſſe in proponendis & definiendis iis omnibus, quæ ad fidem moreſque pertinent. Hoc plura divinæ Scripturæ teſtimonia probant ac demonſtrant. Habetur enim Ioan. cap. XIV. *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum, Spiritum veritatis ... Ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis*. Advertendum hic occurrit primo, hæc non dirigi ad Apoſtolos ut ad privatas tantummodo perſonas; ſed præcipue prout totam repræſentabant Eccleſiam. Nam ut privatæ perſonæ, profecto non erant perpetuo permanſuri, ut ſemper Spiritus Sanctus in illis permanere poſſet, ſicut Chriſtus promiſit. Advertendum ſecundo, Spiritum Sanctum docturum eſſe Apoſtolos omnia, quæcumque Chriſtus & ante & poſt reſurrectionem *per quadraginta dies apparens: eis loquebatur de regno Dei*, Act. cap. I. Dicitur vero, quod Spiritus Sanctus ſuggeret omnia, quæcumque Chriſtus revelavit; ne ſcilicet tractu temporis aliqua e memoria exciderent. Unde Eccleſia etiam poſterioribus ſæculis eadem gaudet infallibilitate qua fruebatur prioribus; ut ait Vincentius Lirinenſis in ſuo *Commonit. cap.* XXXIII. Hæc autem aperte evincunt, promiſſam eſſe ſpecialem Spiritus Sancti aſſiſtentiam Eccleſiæ, ne erret in proponendis & definiendis iis, quæ Chriſtus Dominus Apoſtolis revelavit (rebus ſcilicet fidei & morum) ſive illa ſint gravia ſeu fundamentalia, ut aiunt Novatores; ſive leviora & minime fundamentalia. Id etiam confirmant, tum illud *Matth. cap.* 28. ubi Chriſtus ſuam quoque promiſit Apoſtolis ſeu Eccleſiæ perpetuam aſſiſtentiam: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi*: tum illud Io. cap. XVI. *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem*: tum promiſſio Chriſti Domini Petro facta, quod portæ inferi non eſſent prævaliturræ adverſus Eccleſiam, Matth. cap. XVI. *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam*. Prævalerent autem portæ inferi adverſus univerſalem Eccleſiam, ſi hæc aliquando erraret in fide & deficeret. Rurſus Eccleſiæ infallibilitatem in rebus fidei ac morum proponendis & definiendis adſtruit Apoſtolus I. *ad Timoth. cap.* III. inquiens: *Hæc tibi ſcribo .... ut*

ſcias

ſcias quomodo oporteat te in domo Dei converſari, quæ eſt Eccleſia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis. Quomodo autem ea erit firmamentum veritatis, quæ filios ſuos in errorem inducere poterit? Graviter torquet hoc teſtimonium Novatores, qui idcirco ſtudent conatu omni ipſius ſenſum ſubvertere. Aiunt enim cum Calvino, Eccleſiam ideo vocari columnam & firmamentum veritatis, quia ſervat ſacram Scripturam, quæ errare nequit. Verum quam futilis ſit hæc interpretatio, immo prorſus abſurda, nemo non videt. Hoc enim modo officinæ librariorum eſſent columnæ veritatis, quæ diligentiſſime cuſtodiunt omnes Scripturas. Deinde Apoſtolus non meminit hic Scripturarum; ſed ſimpliciter dicit, Eccleſiam eſſe columnam & firmamentum veritatis. Præterea multo amplius eſt eſſe columnam, quam ſimplicem cuſtodem: nam columnæ innititur domus; & ea remota, cadit. Sic igitur Apoſtolus vocans Eccleſiam columnam veritatis, vult ſignificare, veritatem fidei & morum niti Eccleſiæ auctoritate; & verum eſſe quidquid Eccleſia probat; falſum quidquid illa improbat. Adde, quod etiam Eccleſia fuit columna, quando non erant Scripturæ: ex quo ſequitur, non dici columnam propter cuſtodiam Scripturarum. Denique, ſi de cuſtodia ageretur, melius arcæ, quam columnæ Paulus comparaſſet Eccleſiam: nec enim columnæ, ſed arcæ libros cuſtodiunt. Eccleſiam igitur Catholicam Apoſtolus vocat columnam & firmamentum veritatis, quia Chriſtus eam per Spiritum ſuum velut corpus ſuum regit; in eaque tamquam in baſi veritatem ita ſtabilivit firmavitque, ut corruere nullo modo queat. Dixi *Eccleſiam Catholicam*, ideſt univerſalem; textus enim intelligi non debet de aliqua Eccleſia in particulari. Siquidem nemo eſt qui neſciat, partem aliquam Eccleſiæ, ideſt nonnullos Chriſtianos, immo & aliquas partes orbis Chriſtiani, ideſt aliquam particularem Eccleſiam errare poſſe, & reipſa erraſſe; ut patet in illis Eccleſiis, quæ etiam proximis temporibus a fidei veritate deſciverunt.

Sequitur ex dictis de Eccleſiæ infallibilitate in rebus fidei & morum proponendis ac definiendis, ipſam ut legitimam ſecuramque veritatis magiſtram conſulendam eſſe, quando in rebus huiuſmodi dubium aliquod occurrat fidelibus, ut veritas in tali dubio inveniatur; ut adfirmat S. Auguſtinus lib. I. contra Creſconium cap. XXXIII. *Scripturarum a nobis tenetur veritas, cum id facimus quod univerſæ iam placuit Eccleſiæ, quam ipſarum Scripturarum commendat auctoritas: ut, quoniam ſancta Scriptura fallere non poteſt, quiſquis falli metuit huius obſcuritate quæſtionis, Eccleſiam de illa conſulat; quam ſine ulla ambiguitate ſancta Scriptura demonſtrat*. Verum quia omnes hæreticorum ſectæ ſe eſſe in vera Chriſti Eccleſia immerito iactitant; neceſſe eſt ut exponantur certæ ac indubitatæ notæ, quibus vera Eccleſia a falſis ſecerni queat.

§. X.

De Notis veræ Eccleſiæ.

Nota, ad hoc ut aliquid eſſe queat nota veræ Eccleſiæ, duas requiri conditiones, iuxta Habertum. Prima nempe, quod nota ſit clarior re ipſa, quam demonſtrat; ut ipſi fatentur hæretici, & præcipue Molinæus. Altera; quod illa nota uni ac ſoli Eccleſiæ convenire debeat, ſi non ſeorſim, ſaltem cum aliis coniunctim: alias veram Eccleſiam a falſis ſectis non diſtingueret; non ſecus ac eſſe bipedem non diſtinguit hominem ab omnibus aliis animalibus, quia & volucres ſunt bipedes. Quoniam igitur ab ipſo naſcentis Eccleſiæ exordio iam diverſæ exortæ ſunt hæreſes, ut Cerinthianorum, Ebionitarum, Montaniſtarum, qui contendebant apud ſe extare veram Chriſti Eccleſiam; idque ſignis, ſeu notis ac ſymbolis oſtendere conabantur: idcirco ut a falſis vera dignoſci poſſit Eccleſia, ad proprias ipſius notas recurrendum eſt.

Dantur revera notæ quædam, ſeu ſigna ſenſibilia, quibus vera Eccleſia deprehendi poteſt. Et inter has notas recenſeri nequeunt illæ duæ, quæ ab Hæterodoxis aſſignantur: veritas nempe doctrinæ; & ſincerus ſacramentorum uſus: Id enim negant communiter Catholici, quorum ſententiam comprobat D. Auguſtini auctoritas. Docet enim ſanctus Doctor *lib.* XIII. *contr. Fauſt. cap.* XIII. Eccleſiam cognoſcendam eſſe, antequam eius doctrina percipiatur. *Et lib. contr. Epiſt. Manichæi cap.* IV. hæc habet: *Ut ergo bancomittam ſapientiam, quam in Eccleſia eſſe Catholica non creditis; multa ſunt alia, quæ in eius gremio me iuſtiſſime teneant. Tenet conſenſio populorum atque gentium; tenet auctoritas miraculis inchoata, ſpe nutrita, charitate aucta, vetuſtate firmata: tenet ab ipſa ſede Petri Apoſtoli, cui paſcendas oves ſuas poſt reſurrectionem Dominus commendavit, uſque ad præſentem Epiſcopatum ſucceſſio Sacerdotum: tenet poſtremo ipſum Catholicæ nomen: quod non*

ſine

Digitized by Google

ſine cauſſa inter tam multas hæreſes ſic iſta Eccleſia ſola obtinuit, ut cum omnes hæretici ſe Catholicos dici velint; quærenti tamen peregrino alicui, ubi ad Catholicam conveniatur, nullus hæreticorum vel baſilicam ſuam, vel domum audeat oſtendere. Ratio quoque ſententiam hanc non obſcure demonſtrat: quæ ut clarius eluceſcat, prænotandum, veritatem evangelicæ doctrinæ tripliciter ſpectari poſſe. Primo, ut continetur in ſacris libris: ſecundo, quatenus ſcripta eſt in fidelium animis: tertio, prout a Paſtoribus & ſacris præconibus annuntiatur. Nullo autem ex tribus hiſce modis vera haberi poteſt Eccleſiæ nota. Non ex primo: quia libri ſacri qui jam habentur apud pleraſque hæreticorum ſectas, habentur etiam a Neſtorianis & Socinianis. Non ex ſecundo: tum quia doctrina, dum eſt incluſa in fidelium cordibus, non eſt ſenſibilis, ac ideo ab aliis percipi nequit; tum quia ex adverſariis, ſoli prædeſtinati intelligentiam habent Scripturarum, & proinde illis tantummodo nota eſſe poſſet Eccleſia; tum denique quia, ex jam dictis, nonniſi per Eccleſiam ſenſum Scripturarum aſſequimur, & ideo neceſſe eſt ut Eccleſia ante doctrinam cognoſcatur. Non ex tertio: quia ex prædicatione non ſecerneretur vera Eccleſia ab Hæterodoxorum Sectis. Quæ enim Secta umquam fuit, quæ non diceret ſe habere ſinceram prædicationem veritatis? Certe D. Auguſtinus *loc. cit.* dicit, Catholicam quidem Eccleſiam multis notis facile cognoſci; ſed hæreticos nihil habere niſi veritatis pollicitationem, ideſt quod apud ſe ſit vera & ſincera prædicatio. Quare ut verbi Dei prædicatio vera Eccleſiæ nota eſſe poſſit, neceſſe eſt ut qui verſantur in miniſterio annuntiandi Evangelium, probent ſe miſſos eſſe a Deo: alias audiendi non ſunt: ut *Matth. cap.* XXIV. habetur: *Si quis vobis dixerit, Ecce hic eſt Chriſtus, aut illic: nolite credere*. Prius igitur vera Eccleſia cognoſci debet, quam ejus doctrina. Idemque ob eamdem rationem dicito de uſu ſacramentorum, qui eſt altera nota ab hæreticis aſſignata ad dignoſcendam Eccleſiam: cum ſacramentorum uſus communis ſit etiam hæreticorum ſectis.

His igitur notis breviter refutatis, ſupereſt jam ut veras notas proponamus. Varii varias protulerunt veræ Eccleſiæ notas. Nos quatuor exponemus: ſcilicet quod ea ſit Una, Sancta, Catholica, & Apoſtolica. Sic enim univerſim omnes tenent Catholici. Siquidem totidem recenſentur in Symbolo, edito in Concilio generali Conſtantinopolitano I. anno Chriſti CCCLXXXI. quod Concilium, utpote expoſitio & auctarium ejus quod in Concilio Nicæno I. anno CCCXXV. conditum fuerat, Nicænum etiam eſt appellatum. Quatuor autem recenſitæ notæ ad veram dignoſcendam Eccleſiam, eam non diſtinguunt niſi a Sectis hæreticorum & ſchiſmaticorum, quæ apud ſe veram Eccleſiam extare prædicant; non vero a Sectis Paganorum, Judæorum, Mahumetanorum. Vera enim Eccleſia in ſuo ortu non erat Catholica ſeu univerſalis reſpectu Paganorum, qui orbem fere totum occupabant; ſed reſpectu dumtaxat Ebionitarum, Corinthianorum, aliorumque hæreticorum, qui tempore ipſo Apoſtolorum Eccleſiæ vinculum ſciderant: ſemper enim major quam hæreticorum & ſchiſmaticorum fuit Catholicorum numerus.

Eccleſia Chriſti eſt Una. Prima igitur veræ Eccleſiæ nota eſt unitas. Et in hoc quod eſt commune apud omnes Catholicos, non diſſentiunt Hæterodoxi niſi in modo explicandi. *Una eſt columba mea*: dicitur Cantic. cap. VI. *Non enim eſt diſſentionis Deus, ſed pacis*: ait Apoſtolus *I. ad Corinth. cap.* XIV. & Epheſ. cap. IV. *Unum corpus, & unus ſpiritus, ſicut vocati eſtis in una ſpe vocationis veſtræ. Unus Dominus, una fides, unum baptiſma. Unus Deus & Pater omnium*. Eccleſia revera una eſt: quia unum auctorem habet, nempe Deum; unum paſtorem & caput, Chriſtum Dominum, unum finem, qui eſt vita æterna; unitatem Spiritus corpus Eccleſiæ vivificantis; unitatem mediorum fidei, puta baptiſmi, panis Euchariſtici, aliorumque ſacramentorum; regimen habet unum in iis qui poſiti ſunt ad ædificationem corporis Chriſti, ne fideles omni vento doctrinæ circumferantur. Hæc tamen vincula quæ corpus connectunt Eccleſiæ, utpote quæ non ſunt ſenſibilia nec clariora ipſa Eccleſia; non ſunt ejuſdem Eccleſiæ unitatis Notæ. Non enim ſenſibile eſt & Eccleſia clarius, Deum eſſe Eccleſiæ auctorem; Chriſtum inviſibile illius caput; Spiritum Sanctum influere in ejus membra. Unitas igitur, quæ eſt nota veræ Eccleſiæ, conſiſtit in unitate regiminis ſub uno Paſtore, qui eſt caput ejus viſibile, & ſub aliis Paſtoribus ſupremo ſubordinatis, qui omnes continuata ſucceſſione ab Apoſtolis ordinati ſunt; in unitate & concordia doctrinæ; & in unitate divini cultus, & Sacramentorum, quatenus nempe idem apud omnes Sacrificium offeratur, æqualitas in divino cultu ſervetur, & eadem ſacramenta eodem ritu conficiantur, & miniſtrentur. Et trinam hujuſcemodi præcipuam unitatem in

vera

Digitized by Google

vera Eccleſia obſervandam recordatur ac ſuadet Apoſtolus ad Epheſ. cap. IV. *Unus Dominus, una fides, unum baptiſma*. Quæcumque ergo ſecta recedit ab aliquo ex his tribus quæ unitatem veræ Eccleſiæ conſtituunt, (ſive a capite, ut ſchiſmatici; ſive a conformitate doctrinæ, ut hæretici) extra veram Chriſti Eccleſiam verſatur. Receſſus autem a capite opponitur charitati; receſſus a doctrina repugnat fidei.

Sancta.

Secunda Eccleſiæ nota eſt ſanctitas; id eſt quod ſit ſancta; & hoc fatentur Catholici omnes, ab Apoſtolorum principe edocti Epiſt. I. cap. II. *Vos autem*, inquit ille, *genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta*. Eodem etiam ſpectant Apoſtoli verba *Epheſ. cap.* V. ubi hæc habet: *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſe ipſum tradidit pro ea, ut illam ſanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiuſmodi, ſed ut ſit ſancta & immaculata*. Sancta eſt porro vera Eccleſia, tametſi plures complectatur malos quam bonos, non ſecus ac in area plures ſunt paleæ quam grana: tum quia ſanctum habet ſuum caput Chriſtum Dominum, qui ſpiritum ſuum diffundit in omnia ſui corporis membra, aliis gratiam iuſtificantem, aliis donum perſeverantiæ, fidem omnibus tribuens; tum quia eius doctrina & profeſſio ſancta eſt, nihil continens contra rationem & bonos mores, ſed omnia eius præcepta, conſilia, ſacramenta ſancta ſunt, & ad ſanctificandos fideles accommodata, ut Pſalm. 18. *Lex Domini immaculata convertens animas, teſtimonium Domini fidele*. Sancta, quia a viris ſanctiſſimis ſemper propagata fuit, & in ea plurimi eximiæ ſanctitatis viri per ſæcula omnia floruerunt, & florent. Sancta tandem ob ſanctitatem finis, ſcilicet ob cultum divinum, quem amplificare unice intendit.

Catholica.

Tertia veræ Eccleſiæ nota eſt, quod ſit Catholica, quæ vox origine Græca eſt, & latine vertitur univerſalis, idemque ſignificat ac totum univerſitatemque tenere: Toto enim terrarum orbe Eccleſia eſt diffuſa, & prædicatio Evangelii gentibus omnibus eſt deſtinata: *Euntes, docete omnes gentes*, inquit *Matth. cap.* XXVIII. Chriſtus Dominus mittens Apoſtolos. *In omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*. Pſalm. XVIII. Et ſi forte aliqua natio adhuc eſſet in orbe terrarum, apud quam prædicatum non eſſet Evangelium, ante Mundi finem illius prædicationem eſt auditura. Et merito vera Eccleſia, Catholica, ſeu univerſalis appellatur, primo quoad locum; quatenus toto orbe terrarum diffuſa eſt. Id enim Prophetarum oracula clariſſime prænuntiarunt. *Poſtula a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ*. Pſalm. 2. *Reminiſcentur, & convertentur ad Dominum univerſi fines terræ; & adorabunt in conſpectu eius univerſæ familiæ gentium. Quoniam Domini eſt regnum, & ipſe dominabitur gentium*. Pſalm. XXI. *Omnes gentes ſervient ei*. Pſalm. LXXI. *Exaltare ſuper cælos Deus, & ſuper omnem terram gloria tua*. Pſalm. LVI. *Et unde* (inquit S Auguſtinus Epiſt. contr. Donatiſt. *de unit. Eccleſ.* cap. VIII.) *gloria eius ſuper omnem terram? niſi quia Eccleſia eius per omnem terram*. Cum igitur vera Chriſti Eccleſia (in quo diſtinguitur a Synagoga, quæ erat Eccleſia particularis, non Catholica: quia erat alligata uni tempori, ideſt ad adventum Meſſiæ; uni loco, ideſt templo Salomonis, extra quod non poterat ſacrificium offerri; & uni familiæ, ideſt filiis Iacob) ſe extendat ad omnes gentes, ut quiſque extra eam remanſerit, ſalutem aſſequi nequeat; profecto eſt univerſalis. Secundo Eccleſia dicitur Catholica ſive univerſalis quoad tempus: Quia fideles omnes, qui ab Adam in hanc uſque diem fuerunt, & in cœlum præmiſſi ſunt, omnes qui nunc in terris vivunt, & qui victuri ſunt, quamdiu Mundus extabit, in veræ fidei profeſſione & Chriſtiana unitate ad eamdem Eccleſiam pertinent, quæ ſuper fundamento Apoſtolorum & Prophetarum ſuperædificata eſt, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu.

Apoſtolica.

Quarta tandem veræ Eccleſiæ nota eſt, quod ſit Apoſtolica. Nec talis vera Eccleſia appellatur tantummodo, quia doceat quod Apoſtoli docuere, ut volunt Novatores, qui idcirco ſuas Eccleſias Apoſtolicas iactitant, eo quod ſacræ Scripturæ unice adhæreant, & ex ea ſola omnia ſua dogmata percipiant: hoc enim ſatis non eſt, ut Eccleſia dici queat & ſit Apoſtolica. Inſuper ergo requiritur, quod hæc Eccleſia ab Apoſtolis initium duxerit, & ab eis per univerſum orbem ſit propagata: quodque ſucceſſione non interrupta ab Apoſtolis ad nos uſque ſit deducta; ac media illa ſucceſſione, eius Paſtores ab illis ordinati ac miſſi fuerint. Ac propterea omnes veteres hac ſucceſſione tamquam argumento evidentiſſimo uſi ſunt ad veram Eccleſiam oſtendendam. Irenæus *Lib. III. cap.* III. enumerat Epiſcopos Romanos a Petro uſque ad Eleutherium, qui

ſuo

Digitized by Google

ſuo tempore ſedebat: ac dicit, per hanc ſucceſſionem confundi omnes hæreticos. Ex plurimis vero quæ proferri poſſent, brevitatis cauſſa ſufficiat luculentiſſimum Tertulliani teſtimonium in medium afferre. Hic enim *lib. de præſcript. cap.* XXXII. ſic hæreticos compellat. *Cedant*, inquit, *hæretici origines Eccleſiarum ſuarum*; *evolvant ordinem Epiſcoporum ſuorum, ita per ſucceſſiones ab initio decurrentem, ut primus ille Epiſcopus aliquem ex Apoſtolis vel Apoſtolicis viris, qui tamen cum Apoſtolis perſeveraverint, habuerit auctorem & anteceſſorem: ſicut Smyrnæorum Eccleſia Polycarpum a Ioanne collocatum refert; ſicut Romanorum Clementem a Petro ordinatum itidem. Perinde utique & cæteræ exhibent quos ab Apoſtolis in Epiſcopatum conſtitutos Apoſtolici ſeminis traduces habent*. Verum exemplo etiam veritas hæc illuſtrari poteſt. Niſi Deus in Noe ſemen Adæ ſervaſſet; profecto genus humanum quod tunc eſt, non eſſet idem identitate naturæ, quod erat ante Diluvium: quia non eſſet ex ſtirpe Adami. Ens enim ſucceſſivum ſuam deperdit unitatem per quamvis partium ſegregationem ſeu diviſionem. Cum igitur Eccleſia ſit veluti ens ſucceſſivum, eo quod Sacerdotes morte prohibentur permanere; per continuatam ab Apoſtolis ſucceſſionem Sacerdotum ſeu Paſtorum, qui ſucceſſive habent Apoſtolorum ordinationem & miſſionem, eadem eſt quam Chriſtus in iiſdem Apoſtolis inſtituit & fundavit. Contra vero alia eſſe aut dici Apoſtolica nequit propter identitatem doctrinæ; ſi eius Paſtores extraordinarie inſtituti ſint, nec ab Apoſtolis continuata ſucceſſione originem ducant. Ita hic Habertus.

Quatuor recenſitæ notæ ſoli Romanæ Eccleſiæ, nullique ſectæ conveniunt; ut omnes Catholici unanimi conſenſu credunt ac docent. Etenim illa una eſt; utpotequæ præter Chriſtum caput inviſibile veræ Eccleſiæ, caput habet viſibile ſummum ſcilicet Pontificem, legitimum Petri ſucceſſorem ac Chriſti Domini in terris Vicarium; & habet ulterius unitatem veræ doctrinæ, cultus divini, uſus Sacramentorum, eiuſdemque incruenti Sacrificii, per univerſum terrarum orbem: quod in nulla ex Hæreticorum ſectis invenitur.

Aliæ Sectæ non habent unitatem

Hæ namque non habent unitatem in viſibili capite in terris, nec in conſonantia doctrinæ, nec in uſu & numero ſacramentorum. Quæ diſcrepantia earumdem ſectarum, & Catholicorum conſonantia in doctrina fidei, & divino cultu, multos impulit ac frequenter impellit, ut relictis erroribus, ad Catholicam veritatem converterentur & convertantur: ut ipſi ultro fatentur.

Nec ſanctitatem.

Non habent ſanctitatem: nulla enim fuit hæreſis quæ non habuerit manifeſtos errores; nec unum ex ſuis exhibere valent hæretici ſanctitate ornatum, ſeu vitæ pietate & miraculorum gloria fulgentem. Hinc S. Auguſtinus lib *De vera relig.* cap. VIII. *Non ex aliis*, inquit, *hominibus fiunt hæretici, quam ex iis, qui, ſi in Eccleſia permanſiſſent, propter vitæ turpitudinem nihilominus periiſſent*.

Nec univerſalitatem.

Non habent univerſalitatem: cum Hæterodoxorum ſectæ nonniſi in una vel altera regione continentur; ut Lutherani, Calviniſtæ, & qui inter fines Germaniæ includuntur. Et quamvis horum nonnulli in aliqua alia Mundi parte, mercaturæ faciendæ cauſſa, exiſtant; relative tamen ad Catholicos qui per totum orbem diffunduntur, modicum ſane occupant locum.

Nec continuam ſucceſſionem.

Non habent tandem continuam & numquam interruptam ſucceſſionem ab Apoſtolis; unde vera Chriſti Eccleſia notam habet Apoſtolicæ. Lutherani enim, Calviniſtæ, Zuingliani, aliique Novatores nullum oſtendere poſſunt huius non interruptæ ab Apoſtolis ad ſe ipſos ſucceſſionis veſtigium. Præterea in omnibus urbibus, ubi iſti ſe fecerunt Epiſcopos, erant antea, & ſunt etiam modo in pleriſque locis Epiſcopi Catholici, qui legitime ſucceſſerunt antiquis. Quamobrem de iſtis dici poteſt quod S. Cyprianus *Epiſt.* LXXIX. de Novatiano dicit: *Novatianus in Eccleſia non eſt, neque Epiſcopus computari poteſt, qui, evangelica & apoſtolica traditione contempta, nemini ſuccedens, a ſe ipſo ordinatus eſt*.

Hactenus de vera Chriſti Eccleſia diſſeruimus. Verum cum Eccleſia univerſalis ſpectari poſſit vel ut diſperſa, vel ut congregata; ſoleantque eius Paſtores in unum convenire, quando opus occurrat, & præcipue propter aliquam ingruentem hæreſim graves fidei controverſias definire: idcirco ut plenius Eccleſiæ idea exhibeatur, hactenus dictis maxime congruit ut aliqua de Conciliis, ideſt de Eccleſia congregata adiiciantur.

§. XI.

De Conciliis.

Conciliorum nomen & origo.

Concilii nomine idem in Eccleſiis ſignificatur, quod nomine Comitiorum in regnis. Nam quemadmodum cum controverſia exoritur in Republica, conveniunt in unum Principes regni vel Magiſtratus, ac ſtatuunt

quid

quid facto opus ſit: ita in Eccleſia cum controverſia aliqua oritur de religione, Eccleſiarum Præſules conveniunt, & ſimul collatis ſententiis, ſtatuunt quod bonum videtur. Quamobrem communis Conciliorum deſcriptio hæc eſt: *Concilium eſt congregatio Prælatorum Eccleſiæ, qui in unum eumdemque locum congregantur ad definiendas controverſias circa fidem exortas, ad reformandos mores, & ad diſciplinam eccleſiaſticam ſtabiliendam.* Conciliorum autem origo a iure divino prorſus manat. Nam in ipſo veteri Teſtamento Concilia Deus ordinavit; ut *Numer. cap.* XI. habetur: *Congrega mihi ſeptuaginta viros de ſenibus Iſrael*: & rurſus Deuteron. cap. XVII. *Si difficile & ambiguum apud ſe iudicium eſſe perſpexeris.... venies ad Sacerdotes... quæreſque ab eis: qui indicabunt tibi iudicii veritatem.* Præterea Concilium Chalcedonenſe in *Epiſt. ad Leonem*; ſexta generalis Synodus *Act.* XVII. & Cœleſtinus Papa *in Epiſtola ad Concil. Epheſ.* docent, Concilia eſſe demonſtrata a Chriſto Domino illis verbis Matth. cap. XVIII. *Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.*

Partitio Conciliorum. Conciliorum quatuor ſunt genera. Quædam enim ſunt generalia, quædam nationalia, quædam provincialia, & quædam diœceſana. Concilia generalia dicuntur ea, quibus intereſſe poſſunt ac debent Epiſcopi totius orbis, niſi legitime impediantur; & quibus nemo recte præſidet niſi ſummus Pontifex, aut alius eius nomine. Inde enim dicuntur etiam œcumenica, ideſt orbis terræ Concilia. Nationalia illa ſunt, in quibus conveniunt Archiepiſcopi & Epiſcopi unius regni vel nationis, quibus præeſt aliquis Patriarcha vel Primas: qualia ſunt multa Concilia Romana, & Africana. De quibus illud notandum, quod licet a generalibus, & provincialibus ea ſint revera diſtincta; tamen utrorumque nominibus interdum appellantur. Dicuntur autem generalia ſive univerſalia, quia ſunt generalia in eo regno, non autem abſolute; provincialia vero vocantur, quia certis provinciis continentur, non autem ad omnes Chriſtianos pertinent, ſicut vere generalia. Provincialia Concilia dicuntur illa, in quibus conveniunt tantum Epiſcopi unius provinciæ, quibus præeſt Archiepiſcopus ſive Metropolitanus. Diœceſana tandem appellantur illa, in quibus conveniunt tantum unius Diœceſeos Presbyteri, Epiſcopo præſidente, qui ſolus ius habet ſuffragii: quamobrem non ſunt Concilia proprie dicta.

Cauſſæ ob quas Concilia celebrari ſolent. Cauſſæ propter quas Concilia generalia celebrari debent, ſex communiter recenſentur. Prima cauſſa eſt hæreſis nova; non quæcumque tamen, ſed quæ ſerpit, ſuoque veneno populos inficere poteſt. Eius generis fuerunt hæreſes Arii, Macedonii, Neſtorii, Eutychetis, Monothelitarum, Iconomachorum, Lutheri, Calvini, aliorumque. Altera cauſſa eſt ſchiſma inter duos, qui de Romano Pontificatu contendunt: in ea enim Eccleſiæ calamitate nullum eſt potentius remedium, nec aliud veteres adhibuerunt. Tertia eſt reſiſtentia communi hoſti totius Eccleſiæ: hoc eſt cum eundum eſt obviam paganis & aliis infidelibus bellum in Chriſtianos moventibus. Quarta cauſſa eſt ſuſpicio hæreſis in privata perſona Romani Pontificis, ſi forte accideret; vel etiam tyrannis incorrigibilis. Tunc enim generale Concilium congregari deberet, vel ad deponendum, Pontificem, ſi inveniretur hæreticus; vel certe ad eum admonendum, ſi in moribus videretur incorrigibilis. Quinta eſt dubitatio de electione Romani Pontificis. Si enim Cardinales non poſſent aut nollent Pontificem creare, aut ſi omnes ſimul perirent, aut aliunde fieret vere dubium ad quos pertineret eiuſmodi electio, ad Concilium generale ſpectaret decernere de electione Romani Pontificis; quamquam non eſt veroſimile id aliquando eventurum. Sexta denique cauſſa eſt reformatio generalis abuſum ac vitiorum, quæ in Eccleſia irrepſerint.

Cuius ſit congregare Concilia, illiſque præeſſe. Concilii generalis convocandi munus ſpectat ad ſummum Pontificem Romanum; qui aut per ſe, aut per ſuos Legatos Synodo præſideat, & tamquam ſupremus iudex omnia moderetur. Ipſi enim in perſona D. Petri Apoſtolorum Principis cui ſuccedit, univerſæ Eccleſiæ cura demandata eſt; ac præterea ipſi omnes Chriſti oves commiſſæ ſunt, ut eas paſcat. Quamobrem ad illum præſertim pertinet ea agere & diſponere, quæ ad univerſam ſpectant Eccleſiam. Deinde illius eſt Concilia convocare, cui omnes obedire tenentur, quique poteſt coercere negligentes aut contemnentes adeſſe: alias convocatio illuſoria eſſet. Soli autem Romano Pontifici, ut primatum habenti in univerſo orbe, omnes obedire tenentur. Si enim quilibet de maioribus in Eccleſia poſſet Concilium convocare & cogere, orireiur ſchiſma; dum unuſquiſque ad ſe Eccleſiam trahere vellet.

Quinam ad Concilium convocandi. Ad Concilium generale convocandi ſunt Epiſcopi, qui locum tenent Apoſtolorum; ut Pſal. XLIV. *Pro patribus tuis nati ſunt tibi filii:*

filii: conſtitues eos principes ſuper omnem terram. Cum enim univerſa Eccleſia convocari nequeat; convocandi ſunt ii per quos regitur & gubernatur, quibuſque poteſtas iudiciaria a Chriſto Domino in cauſſis diſcernendis concredita eſt. Secundum aliquos poſſunt vocari etiam Abbates aut Generales Ordinum cum iure deciſivi ſuffragii, ex privilegio. Convocantur alii quoque, ut Doctores, ut diſputando expendant difficultates, qui dicuntur habere ſuffragium conſultivum.

Concilia generalia errare nequeunt nec in fide explicanda, nec in tradendis morum præceptis, propter Spiritus Sancti præſidium, quod uſque ad finem Mundi non defuturum Eccleſiæ Paſtoribus promiſit Chriſtus Dominus Io. cap. XIV. *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum Spiritum veritatis..... Ille vos docebit omnia*. Et Chriſtus Dominus cum ad docendum univerſum orbem mitteret Apoſtolos, ait illis: *Docete omnes gentes .... ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi*. Generalia igitur Concilia Romani Pontificis auctoritate confirmata, & accedente Eccleſiæ conſenſu recepta, infallibilis ſunt auctoritatis in fidei morumque controverſiis definiendis.

Concilia habita tempore Apoſtolorum. Licet tempore Apoſtolorum habita ſint Concilia; incertum tamen eſt, num ex illis aliquod fuerit generale: ideſt in quo omnes Apoſtoli congregati interfuerint. Quare circa hoc controverſia eſt inter Theologos. Franciſcus Ioverius Valentinus, Academiæ Pariſienſis Doctor Theologus, in ea verſatur ſententia, ut ex omnibus cœtibus Apoſtolorum, de quibus agitur in libro Actuum Apoſtolorum, nullum extiterit generale Concilium. Adeoque probare nititur, e generalium Conciliorum numero expungendum eſſe conventum *Act. cap.* I. Apoſtolis poſt Aſcenſionem Domini Ieroſolymis celebratum ad eligendum aliquem qui Iudæ prævaricatori ſuccederet: ubi oratione præmiſſa, duobuſque æque dignis in medium ſtatutis, Barnaba ſcilicet & Mathia, eiſque ſortibus datis, ſors cecidit ſuper Mathiam, qui numeratus inter Apoſtolos Iudæ ſuſcepit Apoſtolatum. Idemque omnino aſſerit de altera congregatione *Act. cap.* VI. habita anno primo poſt Chriſti mortem & Spiritus Sancti miſſionem, & ante Pauli converſionem (quæ contigit eodem anno) ad eligendos ſeptem Diaconos, qui miniſtrarent viduis a gentilitate converſis: occaſione cuiuſdam murmuris, quod exiit a gentilium viduis, & a viduis ad viros tranſiit; quaſi ipſis eleemoſynæ æque ac mulieribus a Iudaiſmo converſis non miniſtrarentur. Nam in hiſce duobus conventibus nihil fuit definitum. Alia vero Concilia, ob exiguum numerum Apoſtolorum, qui his interfuerunt, non cenſenda eſſe plus quam particularia contendit. Nam in tertia eorum congregatione (a qua deſumpta eſt œcumenicorum decretorum formula ab Eccleſia ſervata, quæ habetur Act. cap. XV. *Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis*) habita anno decimoquarto poſt Chriſti mortem, in qua agitata fuit quæſtio de circumciſione a gentibus converſis ſimul cum baptiſmo ſuſcipienda, Petrus, Paulus, Iacobus, & Barnabas ſolummodo convenerant, ut delatam ad ſe cauſſam cognoſcerent, & quid facto opus eſſet, diſcernerent. Et ſic ſentit de aliis tunc temporis celebratis congregationibus: ut de illa (de qua *Act. cap.* XXI.) quæ habita fuit propter contentionem de obſervantia legis ad tempus Iudæis permiſſa, cum Paulus cum aliis ſe Iudæorum more purificavit, cui Paulus & Iacobus tantummodo interfuerunt; itemque de altera, quæ habetur *Act. cap.* XX. cui ſolus Paulus interfuit, & reliqui fuerunt Presbyteri, qui dicuntur maiores natu Eccleſiæ Epheſinæ, qui ad Pauli præceptum convenerant Mileti; ubi habita eſt hæc congregatio, quæ fuit veluti typus diœceſanarum Synodorum, poſtea in Eccleſia celebrandarum. Verum quidquid ſit de hac Ioverii ſententia; illud tamen videtur veroſimile, quod cenſet Baius in *Sum. Concil.* nempe quod cum diſpergendi eſſent Apoſtoli per univerſum orbem ad annuntiandum Evangelium, prius generatim omnes ſe receperint in Concilium, ut quoſdam fidei canones ne in prædicatione Evangelii ulla ex parte vel apparens inter eos eſſet diverſitas, quibus univerſa fides perſtringeretur firmarent ac ſtabilirent, quos proprio nomine cenſuit Eccleſia appellare Symbolum Apoſtolorum. Et hoc Concilium ſaltem cenſeri poteſt univerſale; ac proinde primum Concilium celebratum in Eccleſia.

Concilia generalia quæ poſt Apoſtolorum ætatem ad hæc uſque tempora celebrata fuere novendecim recenſentur: Nicænum, videlicet primum, Conſtantinopolitanum primum, Epheſinum, Chalcedonenſe, Conſtantinopolitanum ſecundum, Conſtantinopolitanum tertium, Nicænum ſecundum, Conſtantinopolitanum quartum, Lateranenſe primum, Lateranenſe ſecundum, Lateranenſe tertium, Lateranenſe quartum, Lugdunenſe primum, Lugdunenſe, ſecundum, Concilia generalia numerantur.

Vien-

Viennenſe, Conſtantienſe, Baſileenſe, Florentinum, Tridentinum.

Nicænum I. convocatum fuit a Conſtantino Magno Nicææ, quæ civitas eſt Bithyniæ in Aſia minore Metropolis, anno Chriſti CCCXXV. Adfuerunt Epiſcopi trecenti decem & octo, ac viri alii; nonnulli toleratis pro Chriſto tormentis, alii patratis miraculis inſignes. Inter præſides Concilii primum locum tenuit Oſius Epiſcopus Cordubenſis, poſt Vitus & Vincentius Presbyteri S. Sylveſtri ſummi Pontificis Legati. Tria potiſſimum geſta ſunt in hoc Concilio. Primum, iuxta avitam Eccleſiæ Fidem definitum fuit, Filium credendum eſſe Deum unum in ſubſtantia cum Patre; unde confectum fuit Symbolum, in quo dicitur Filius conſubſtantialis Patri, Græce ὁμοούσιος: contra quod vocabulum tam acriter Arii aſſeclæ reclamarunt, & adeo atrox bellum ſuſcitarunt in Eccleſia. Arius Presbyter Alexandrinus, qui hoc dogma impugnaverat, hæreſeos & blaſphemiæ convictus anathemate damnatus eſt. Secundo, ſancitum eſt ut Paſcha ab omnibus Eccleſiis uno die celebraretur, eo quo nunc agitur. Tertio, confecti xx. canones pro firmanda aut inſtauranda Eccleſiaſtica diſciplina.

Conſtantinopolitanum I. ab Imperatore Theodoſio Magno convocatum eſt anno Chriſti CCCLXXXI. Interfuerunt Concilio Epiſcopi centum & quinquaginta, omnes ex Oriente; & factum eſt generale hoc Concilium, eo quod Occidentalis Eccleſia ſub Damaſo Papa in Romana Synodo congregata conſenſerit in eamdem fidem & damnationem erroris Macedonii olim Epiſcopi Conſtantinopolitani, Spiritum Sanctum Deum eſſe negantis. Nicæno Symbolo iam factæ acceſſiones ibi comprobatæ; adeo ut in eam formam; qua nunc in ſacrificio Miſſæ decantatur, conſtitutum ſit: & exinde vocatum eſt Symbolum Conſtantinopolitanum. Præfuerunt huic Concilio ſucceſſive primo Melethius Antiochenus Epiſcopus, & poſtea ob eius mortem Gregorius Nazianzenus electus in hac Synodo Epiſcopus Conſtantinopolitanus, abdicato Maximo Cynico huius Sedis invaſore. Deinde cum Epiſcopatum Conſtantinopolitanum S. Gregorius Nazianzenus ſtudio pacis reliquiſſet, præfuit Timotheus Alexandrinus. Demum præfuit Nectarius, qui electus fuit in Epiſcopum Conſtantinopolitanum.

Epheſinum a Theodoſio iuniore indictum fuit anno Chriſti CDXXXI. Epheſi, quæ totius Aſiæ minoris eſt primaria urbs. Adfuerunt ducenti ſeptuaginta quatuor Epiſcopi. Primum locum tenuit S. Cyrillus Alexandrinus, Cœleſtini Romani Pontificis nomine. Poſtea advenerunt etiam legati Pontificis, Arcadius & Proiectus Epiſcopi, & Philippus Presbyter. In eo proſcriptus & Conſtantinopolitana Sede deiectus eſt Neſtorius, qui negare auſus fuerat, hominem in utero Mariæ Virginis formatum unam eſſe cum unigenito Dei Verbo perſonam, & Beatam Virginem eſſe Deiparam. Ioannes Epiſcopus Antiochenus cum 43. Epiſcopis tardius adveniens depoſitionem Neſtorii, cuius perſonæ, non errori addictus erat, ægre tulit; & in ipſum S. Cyrillum ſententiam depoſitionis protulit. Abſolutus eſt a Concilio œcumenico S. Cyrillus, & e contra excommunicatus cum ſuo Conciliabulo Ioannes Antiochenus. Verum non multo poſt Concilium pax redintegrata eſt. In hoc Concilio editi ſunt vi. Canones; & comprobata Pelagii & Cœleſtii damnatio.

Chalcedonenſe ab Imperatore Martiano, communicatis cum S. Leone Pontifice Romano conſiliis, convocatum fuit Chalcedone urbe Aſiæ minoris anno Chriſti CDLI. Convenerunt Epiſcopi pluſquam ſexcenti. S. Leo præfuit per ſuos Legatos, Paſchaſinum & Lucentium Epiſcopos, Bonifacium & Baſilium Presbyteros, quibus & Iulianus Coenſis Epiſcopus adiunctus eſt. In hoc Concilio proſcriptus fuit error Eutychetis Archimandritæ, ideſt Abbatis Monaſterio urbis Conſtantinopolitanæ præſidentis, qui duas eſſe in Chriſto naturas negavit. Reſciſſa ſunt quæ acta erant in favorem Eutychetis in Conciliabulo Epheſino anno CDXLIX. cui interfuerant Epiſcopi centum & triginta, & præfuerat Dioſcorus Alexandrinus. Sanciti ſunt in Concilio Chalcedonenſi XXVIII. canones. Vigeſimum octavum circa privilegia Sedis Conſtantinopolitanæ S. Leo improbavit.

Conſtantinopolitanum II. ab Imperatore Iuſtiniano convocatum eſt anno DLIII. Interfuerunt centum ſexaginta quinque Epiſcopi. Primum locum tenuit Eutychius Epiſcopus Conſtantinopolitanus. In illo Concilio damnata ſunt ea quæ dicuntur tria capitula: ſcilicet perſona & ſcripta Theodori Mopſueſteni Epiſcopi; ſcripta Theodoreti contra S. Cyrillum; & Epiſtola ad Marin Perſam. Eo autem titulo damnata ſunt: quia Neſtoriano errori patrocinabantur. Conſenſit demum Concilio Vigilius Papa, & acceptatione totius Eccleſiæ factum eſt Generale.

Conſtantinopolitanum III. ab Imperatore Conſtantino Pogonato, annuente Pontifice Romano congregatum eſt anno DCLXXX. Convenerunt ad hoc Concilium Epiſcopi circiter ducenti. De numero tamen diſceptatio eſt. Primum locum tenuere legati Agathonis ſummi Pontificis Theodorus & Georgius Presbyteri, & Ioannes Diaconus. Aderant etiam tres Epiſcopi, nomine Concilii totius Occidentis Romæ congregati. Damnata eſt in iſto Concilio hæreſis Monothelitarum, negantium duas eſſe in Chriſto voluntates, duaſque diſtinctas operationes, divinam & humanam. Paucis poſt annis, Iuſtiniano Conſtantis filio imperante, congregata eſt Synodus Trullana, ita dicta, quia in Trullo, ideſt in domate imperialis palatii, Conſtantinopoli celebrata ſit. Dicitur etiam hæc Synodus Quiniſexta, quod congregata ſit ad condendos canones circa diſciplinam: cum nulli in Synodis generalibus, quinta & ſexta fuiſſent conſtituti. Hos canones Sergius Papa, qui tunc ſedem Petri tenebat, probare renuit.

Nicænum II. ab Imperatore Conſtantino & Irene eius matre, annuente Adriano Papa, convocatum eſt anno DCCLXXXVII. Convenerunt Epiſcopi trecenti & quinquaginta. Primi ſederunt Legati Pontificis, Petrus Archipresbyter Romanæ Eccleſiæ, & Petrus Presbyter, Abbas Monaſterii S. Sabæ. In hoc Concilio damnata fuit hæreſis Iconoclaſtarum ſacras nimirum imagines confringentium, & earum uſum ac cultum omnem reſpuentium.

Conſtantinopolitanum IV. ab Imperatore Baſilio volente Adriano II. Summo Pontifice, convocatum fuit anno DCCCLXIX. cui duo ſupra centum Epiſcopi interfuerunt, præter Patriarchas aut eorum legatos. Præfuerunt legati ſummi Pontificis, Donatus & Stephanus Epiſcopi, & Marinus Diaconus. In iſto Concilio Photius Conſtantinopolitanæ Sedis invaſor anathemate percuſſus eſt, & depoſitus; & reſciſſa eius acta contra S. Ignatium eiuſdem Sedis Præſulem. Photius autem priſtinam Sedem dolo & vi poſtmodum adeptus, ſemina iecit diviſionis, quæ ſæculo XI. in apertum ſchiſma declinavit, agente Michaele Cerulario Patriarcha Conſtantinopolitano: quo factum eſt, ut poſtea Eccleſia latina ſua Concilia ſine Græcis ſchiſmaticis celebraverit.

Lateranenſe I. congregatum eſt a Calliſto II. anno MCXXIII. Dicitur Lateranenſe, quia celebratum fuit in Eccleſia Lateranenſi in urbe Roma. Ad hoc convenerunt pluſquam trecenti Epiſcopi cum aliis pluribus viris eccleſiaſticis. Congregatum fuit hoc Concilium ad dirimendam controverſiam de inveſtituris, quæ in electionibus Epiſcoporum & Abbatum fiebant per traditionem baculi & annuli, quas Imperatores & Principes ſibi tribuebant. Sancitum eſt, ut Imperatores liberas electiones Epiſcoporum permitterent Clericis & Monachis, & ſummus Pontifex electis conceſſit ut regalia ab Imperatoribus acciperent. Editi ſunt XXII. canones.

Lateranenſe II. ab Innocentio II. ſummo Pontifice coactum fuit anno MCXXXIX. Convenerunt Epiſcopi & alii Patres circiter mille.. Huic præfuit ipſe Innocentius II. In hoc Concilio reſciſſa ſunt acta Petri Leonis Pſeudopontificis & aliorum ſchiſmaticorum; & damnati hæretici, Petrus de Bruis & Arnaldus de Brixia, qui hæreſibus noſtri temporis de Euchariſtia & aliis rebus præluſerunt. Conditi ſunt XXX. canones circa diſciplinam.

Lateranenſe III. congregatum eſt ab Alexandro III. ſummo Pontifice anno MCLXXIX. Convenerunt Epiſcopi trecenti; & etiam aliqui ex Oriente. Præfuit Alexander III. In hoc Concilio anathemate percuſſa eſt Albigenſium & Waldenſium hæreſis. Propter ſchiſma Octaviani Pſeudopontificis ſtatutum fuit, ut Romanus Pontifex non eſſet, niſi qui electus ſit a duabus partibus Cardinalium. Conſtituti ſunt XXVII. canones circa res ad diſciplinam ſpectantes.

Lateranenſe IV. ab Innocentio III. convocatum fuit anno MCCXV. Interfuerunt quadrigenti & duodecim Epiſcopi, ac cæteri Prælati pluſquam octingenti; Præſes fuit ipſe Innocentius. In hoc Concilio damnata eſt hæreſis Albigenſium, quæ erat Manichæorum propago. Damnatus pariter fuit error Almarici, aſſerentis quemlibet Chriſtianum teneri credere, ſe eſſe membrum Chriſti, ut credit Chriſtum eſſe natum. Proſcriptus itidem Ioachimi Abbatis liber. Decreta poſtea eſt expeditio ad terræ ſanctæ liberationem & ampliſſimæ indulgentiæ conceſſæ ſunt ad ſacrum contra Saracenos bellum euntibus. Præter canonem *firmiter*, quod eſt de fide Catholica, canones LXIX. conſtituti ſunt de diſciplina; inter quos celebris eſt canon de Confeſſione & Communione paſchali.

Lugdunenſe I. convocatum eſt ab Innocentio IV. anno MCCXLV. Interfuerunt Epiſcopi centum & triginta cum aliis Patribus. Præfuit Innocentius IV. Congregatum fuit

fuit Concilium adverſus Fridericum Imperatorem. Editæ fuere Conſtitutiones de expeditione in Terram Sanctam, & de multis aliis ſpectantibus ad diſciplinam.

Lugdunenſe II. a ſummo Pontifice Gregorio X. congregatum fuit anno MCCLXXIV. cui præfuit Gregorius ipſe; & convenerunt Epiſcopi quingenti, Abbates ſeptuaginta, Prælati inferiores mille. In hoc Concilio compoſitum eſt ſchiſma, quo Græci, opera Michaelis Cerularii Patriarchæ Conſtantinopolitani, medio Sæculo XI. ab Eccleſia Latina defecerant. Decantatum in Concilio Symbolum cum particula *Filioque*. Actum fuit de ſubſidio ferendo in expeditionem Ieroſolymitanam. Promulgati fuere XXXI. canones de diſciplina.

Viennenſe, in urbe ſcilicet Archiepiſcopali Viennæ Allobrogorum in Gallia ad Rhodanum, a Clemente V. anno MCCCXI. celebratum eſt, cui idem Pontifex præfuit. Nonnulli trecentos Epiſcopos, alii pauciores interfuiſſe memorant. Inferiorum Prælatorum ingens numerus. Extinctus eſt in hoc Concilio Ordo Templariorum; ac damnati errores Beguardorum & Beguinarum, necnon Petri Ioannis, Fraticellorum, & Dulciniſtarum. Actum pariter fuit de ſubſidio Terræ ſanctæ ferendo necnon de diſſidio quod exarſerat inter Bonifacium VIII. & Philippum Pulchrum Galliarum Regem. Conſtitutiones quædam de diſciplina, quæ Pontificis arbitrio penitus remiſſæ fuerunt, promulgantur poſtea ab eodem Clemente.

Conſtantienſe, quod Ioannes XXIII. ſummus Pontifex convocavit Conſtantiæ, quæ eſt urbs Germaniæ ad fines Helvetiorum, anno MCDXIV. Interfuerunt Epiſcopi circiter ducenti & quinquaginta, & ingens aliorum Prælatorum numerus. Duabus prioribus ſeſſionibus præfuit per ſe ipſum ſummus Pontifex Ioannes XXIII. Poſt eius e Concilio receſſum, ipſi præfuerunt Cardinales, Petrus de Alliaco, Iordanus Epiſcopus Albanenſis, Cardinalis de Urſinis, Ioannes Epiſcopus Oſtienſis dictus Cardinalis Vivarienſis; demum poſtremis Concilii ſeſſionibus per ſe ipſum præfuit Martinus V.

Perduravit hoc Concilium annis quatuor, menſibus ſex. Quod in Piſano Concilio, anno MCDIX. habito, ac poſtmodum ſuſpenſo & in aliud tempus ſervato, cœptum fuerat; hoc in iſto Concilio redintegratum eſt & perfectum. Compoſitum ſcilicet ſchiſma quod Eccleſiam tamdiu vexaverat, electis duobus, & poſtea etiam tertio in ſummum Pontificem. In hoc Concilio Angelus Corrarius ſeu Gregorius XII. ceſſit Pontificatui, Petrus de Luna ſeu Benedictus XIII. de Sede Petri deiectus eſt a Concilio: ſicuti etiam in Balthaſſarem Coxam ſeu Ioannem XXIII. lata depoſitionis ſententia, electus eſt Odo Columna ſummus Pontifex, qui Martinus V. appellari voluit. Damnati ſunt in iſto Concilio Ioannes Wicleffus & Ioannes Hus, eorumque articuli proſcripti. Pariter damnatus eſt Hieronymus de Praga, relapſus in hæreſim quam eiuraverat. Decretum editum eſt de communione ſub una tantum ſpecie. Actum tandem eſt de Eccleſiæ reformatione.

Baſileenſe a Martino V. ſummo Pontifice primum Papiam vocatum, quod deinde translatum Senis iuſtis de cauſſis poſtea dimiſit, alio indicto Baſileæ celebrando poſt annos ſeptem. Et hoc habitum eſt anno MCDXXXI. Præfuit legatus pro ſummo Pontifice Martino V. Cardinalis Iulianus; ipſique Eugenius IV. legationem hanc, mortuo Martino V. eius deceſſore, adfirmavit, mandavitque, ut datum ſibi negotium conficeret. Convenerunt circiter trecenti Patres, non tamen in omnibus ſeſſionibus. In hoc actum eſt præcipue de poteſtate Concilii generalis & Papæ, & de reformatione Eccleſiæ. Concilium iſtud in poſtremis ſeſſionibus non habetur pro generali.

Florentinum convocatum fuit ab Eugenio IV. dum adhuc ſtaret Baſileenſe. Et primo Ferrariæ anno MCDXXXVIII. cœpit haberi Concilium, ubi habitæ ſunt ſexdecim ſeſſiones: & poſtea peſte in ea urbe graſſante translatum fuit Florentiam, ubi novem ſeſſiones habitæ fuere. Interfuit Florentino Ioannes Palæologus Græcus Imperator, & Ioſephus Patriarcha Conſtantinopolitanus cum cæteris Græcis. Sancita fuit unio inter Latinam Eccleſiam & Græcam, compoſitis controverſiis de proceſſione Spiritus Sancti a Patre & Filio, de adiectione particulæ *Filioque*, de conſecratione in azymo, de purgatorio & ſtatu felici animarum ſanctarum, de primatu ſummi Pontificis. Unus Marcus Epheſinus concordiæ ſubſcribere renuit: qui in patriam redux, ſcriptis adverſus ſacram Synodum variis epiſtolis, impedimento fuit ne Græci antiqua ſchiſmatis conſuetudine male affecti unitatem amplecterentur.

Tridentinum a Paulo III. anno MDXLV. inchoatum fuit; intermiſſum poſtea a Iulio III. Iterum convocatum eſt; & denuo ſuſpenſum a Pio IV. congregatum fuit, & anno MDLXIII. tandem abſolutum. Huius indicendæ Synodi præcipue cauſſæ fuerunt In-

ingruentes tum Lutheranorum, tum Sacramentariorum hæreſes, & motum in Clero pravitas diſciplinæque ſacræ omnimoda relaxatio. In hoc porro Concilio tanta eſt copia dogmatum definitorum, tanta ſcientiæ eccleſiaſticæ eruditio, tanta moderatio in diſceptationibus ſcholaſticis a dogmatibus fidei ſecernendis, tantum denique reſtauratæ diſciplinæ lumen, ut ipſa legere neceſſe ſit Concilii decreta, e quibus velut e quodam veritatis ſanctitatiſque fonte doctrina pura ſinceraque pietas hauriatur.

Concilia particularia poſt redditam Eccleſiæ pacem innumera, prout opus fuit vel ad comprimendas inſurgentes hæreſes, vel pro diſciplina eccleſiaſtica inſtituenda vel inſtauranda, fere quovis ſæculo celebrata fuere in Oriente & Occidente, in Africa, in Gallia, in Germania, in Hiſpania, in Italia: ut facile videre eſt in Summis Conciliorum, præcipue in ea quæ elaborata fuit a Baio; & fuſius in Opere Labbeano, ubi ſigillatim per extenſum cum ſuo ordine temporum & locorum hiſtorice deſcripta ac expoſita habentur.

§. XII.

De deficientia ſalutis extra veram Eccleſiam Chriſti.

Cum cœleſtis beatitudo, ideſt æterna ſalus iuxta divinum providentiæ ordinem, quæ hominem in ſua ipſius creatione ad tam excelſum finem elevavit, conſequenda ſit tamquam merces, corona, & præmium ab iis, qui in hac vita iuxta ſemitas ſupernarum legum quam Deus ipſis propoſuit pro regula agendi, mores ſuos componentes fidelem ipſi Deo exhibent ſervitutem, cumque fides ſit radix ac initium talis operis (habetur enim Hebr. cap. XI. *Accedentem ad Deum oportet credere*: itemque: *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo*) nonniſi in vera Chriſti Eccleſia æternæ ſalutis beneficium obtineri poteſt: cum in hac ſola Eccleſia habeatur vera fides & religio, ac proinde verus Dei cultus & morum ſanctitas; quibus corona, merces, & præmium cœleſtis vitæ reddenda eſt. Ita definitum fuit a Concilio generali Lateranenſi IV. ſub Innocentio III. & refertur, *cap. Firmiter de ſum. Trinit.* ubi ſic legitur. *Una vero eſt fidelium univerſalis Eccleſia, extra quam nullus omnino ſalvatur*. Unde Eccleſia per arcam Noe eſt adumbrata: Sicut enim illi ſoli diluvium evaſerunt, qui arcam Dei iuſſu conſtructam ſunt ingreſſi; ſic illi dumtaxat ab omni mortis æternæ periculo tuti eſſe poſſunt, qui in Eccleſiam ſupra Petrum voce Domini fundatam, per baptiſmum ingreſſi ſunt, in eaque permanent. Huius etiam figura eſt magna illa Ieruſalem civitas Sancti, extra quam ſacrificia Dei offerre non licebat: ſic enim in ſola Dei Eccleſia, nuſquam extra illam, verus eſt cultus verumque ſacrificium, quod Deo placere ullo modo poſſit. Hinc S. Hieronymus *Epiſt.* LVII. relatus *cap. Quoniam* XXIV. *quæſt.* XI. inquit. *Cathedræ Petri communnione conſocior: ſuper illum Petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus eſt: ſi quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluvio*. Verum aliquam movet difficultatem exemplum quod opponi poſſet, de Cathecumenis, qui ſalvari poſſunt, multique ſalvantur (ut S. Ambroſius in *Orat. de obit. Valentin.* aliique Patres & Theologi adfirmant) ſi moriantur in eo ſtatu: & nihilominus certum eſt, Cathecumenos non eſſe in Eccleſia actu & proprie, ſed tantum in potentia; non ſecus ac homo conceptus, ſed nondum formatus & natus, non dicitur homo, niſi in potentia. Facilis tamen occurrit reſponſio, ſi animadvertas, id quod dicitur, *extra Eccleſiam neminem ſalvari*, intelligi debere de iis, qui neque re ipſa, neque deſiderio ſunt de Eccleſia; ſicut de baptiſmo communiter loquuntur Theologi. Quoniam autem Cathecumeni, ſi non re, ſaltem voto ſunt in Eccleſia, ideo ſalvari poſſunt: cum votum baptiſmi perfectæ converſioni coniunctum iuſtificare hominem poſſit, & baptiſmi vicem ſupplere. Neque repugnat ſimilitudo arcæ Noe, extra quam nemo ſalvabatur, etiamſi voto in ea fuiſſet: nam ſimilitudines non in omnibus conveniunt. Quocirca I. *Petr. cap.* III. baptiſmus comparatur arcæ Noe: & tamen conſtat, ſine baptiſmo in re aliquos ſalvari.

§. XIII.

De reſolutione totius fidei, & de evidentia motivorum credibilitatis.

Cum totius fidei Chriſtianæ fundamentum, ut iam vidimus, conſiſtat in divinis revelationibus, quatenus ab Eccleſia pro talibus proponuntur; tota fidei Chriſtianæ reſolutio eſt inquirere illa principia & motiva, quæ ſunt tota vis & ratio Chriſtianæ credulitatis. Reſolutio enim eſt inveſtigare principia ex quibus res conſtituitur, vel in quibus tota ipſius ratio fundatur; ac rem in

Digitized by Google

in ipſa reducere. Reſolutio hominis fit recurrendo ad principia ipſius conſtitutiva (quæ ſunt anima & corpus) in quæ ipſe reducitur. Sic Chriſtianæ fidei reſolutio eſt inveſtigare prima principia & motiva, quibus totius fidei certitudo innititur: nempe divina veritas, a qua revelata procedunt; & Eccleſiæ auctoritas, quæ divinitus revelata ut talia nobis credenda proponit. Etenim tunc dicitur fides noſtra ultimo, ſeu in ſua principia reſolvi, quando nos de ipſius fundamento interrogati ultimam reddimus rationem quæ nos movet ad actum fidei: ad quem nulla alia ratio nos movet; ac proinde in ea quieſcimus, ne detur proceſſus in infinitum. Quare, cum prima & præcipua ratio quæ nos movet ut fidei capitibus præbeamus aſſenſum, ſit Deus, quatenus prima veritas revelans eſt, ut diximus, quæ divina veritas eſt obiectum formale fidei ſupernaturalis; cumque ea credamus ut a Deo revelata, quia ut talia ab Eccleſia proponuntur: fides tota reſolvitur a priori in veritatem Dei revelantis; & a poſteriori in Eccleſiæ auctoritatem, tamquam in ultimam regulam, quæ revelata proponat. Si quis enim quæreret, quare myſteria Trinitatis, Incarnationis, vel aliud quemlibet fidei articulum credamus? ſtatim reſpondebimus; quia Deus ea revelavit: & ſi urgeat ulterius, cur credamus Deo revelanti? reſpondebimus; quia Deus eſt prima veritas, quæ nec fallere, nec falli poteſt: ſi tandem quærat quare redamus ea fuiſſe a Deo revelata? reſpondebimus; quia Eccleſia hoc nobis teſtatur, dum ea ut a Deo revelata credenda proponit.

Verum licet credamus auctoritati Eccleſiæ teſtantis ſacram Scripturam divinamque Traditionem eſſe a Deo revelatas; & ſacra Scriptura viciſſim nos doceat, univerſalem Chriſti Eccleſiam infallibilem eſſe in ſuis iudiciis quæ ad fidem & mores pertinent: non propterea ex hoc ſequitur circulus vitioſus: Nam prima veritas eſt cauſſa formalis & motiva a priori, cur myſteria a Deo revelata eſſe credantur. Unde cum quæritur, cur credamus Deum hoc revelaſſe? tunc non petitur ratio a priori, ſeu cauſſa formalis & motiva credendi: ſed ratio inquiritur a poſteriori, ſeu quoad nos, ipſius revelationis factæ. Porro hæc duo, ut ex ipſis terminis patet, ſunt valde diverſa. Et primum quidem ſpectat ad motivum formale fidei, poſterius ad motiva credibilitatis: de quibus, pro clariore & faciliore huiuſce doctrinæ intelligentia, nonnulla hic breviter & ſummatim iuvat ſubnectere.

Quamvis enim fidei natura conſtare nequeat ſine obſcuritate, & e Chriſtianorum albo expungendi ſint qui Chriſto credendum negant, niſi reddita ratione (ut probat S. Auguſtinus *lib. de utilit. creden.*): quamvis præcipua & propria cauſſa fidei ſit interior ille Dei afflatus, quo ad aſſentiendum rebus a Deo revelatis impellimur; accedunt tamen externa quædam adminicula, quibus vel fidei ſternitur via, vel fides iam parta corroboratur: argumentationes ſcilicet ex ratione petitæ, invictæ, evidentes, quæ ſuadent eſſe credibilia quæcumque ad credendum proponuntur a Deo & ab Eccleſia, ipſaſque prudentiæ humanæ leges præſcribere ut fides admittatur: Unde ait Propheta Pſalm. XCII. *Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis*. Hæc autem argumenta, quæ in Scolis credibilitatis motiva appellantur, petuntur præcipue ex Prophetarum vaticiniis, ex miraculis, ex hominum conſenſu, ex Evangelii propagatione, ex conſtantia Martyrum, ex doctrinæ Chriſtianæ ſanctitate. Hæc autem dicuntur a Theologis motiva credibilitatis: cum ſint ea, propter quæ moraliter fit evidens, quod myſteria noſtræ fidei a Deo revelata ſint; & conſequenter propter infallibilem eius veritatem evidenter credibilia, ideſt evidenter digna quæ credantur eſſe a Deo revelata, prout tradit Eccleſia Catholica.

Motiva credibilitatis recenſentur.

Prophetarum vaticiniis pleraque fidei noſtræ myſteria prænuntiata ſunt, quæ eo prorſus modo evenerunt, quo multo ante fuerant prædicta. Prophetia porro a ſolo Deo eſſe poteſt, cui uni futurorum cognitionem ſapientes adiudicant. Et ſane cum Prophetia ſit certum futurarum narratio, quæ prævideri nequeunt ex cauſſis naturalibus, eius auctorem ſupra naturam eſſe, Deum videlicet, quis inficiabitur? Quare cum completa videamus noſtræ Religionis myſteria, quæ a Prophetis prænuntiata ſunt; Chriſti nempe Nativitatem ex Virgine, paſſionem, mortem, reſurrectionem, aſcenſionem in cœlum, miſſionem Spiritus Sancti, Evangelii prædicationem, propagationem Eccleſiæ per univerſum orbem: credibilia ſunt etiam alia quæ nondum impleta ſunt; ut ſecundus Chriſti adventus ad iudicandum vivos & mortuos, generalis reſurrectio mortuorum, vitaque æterna, quam non videmus, ſed ſperamus. De iis lector conſulat S. Auguſtinum *lib. de Fide rerum quæ non vident. cap. IV. & V.* Fruſtra vero oppone-

Oracula Prophetarum.

nerent Gentiles, talia vaticinia, libroſque Prophetarum ex poſt facto a Chriſtianis ſuppoſitos fuiſſe Prophetis. Nam Iudæorum teſtimoniis luculentiſſime refellerentur; a quibus receperunt Chriſtiani huiuſcemodi Prophetarum libros & vaticinia; ut advertit S. Auguſtinus *Tract. XXXV. in Ioan.*

Miracula.

Ex miraculis petitur alterum argumentum, ſeu motivum credibilitatis. Nam cum miracula vim omnem totius naturæ ſuperent; nonniſi divina virtute patrari poſſunt: & cum Deus nec fallere poſſit, nec falli; fieri nequeunt ad falſæ doctrinæ confirmationem. Innumera miracula & a Chriſto Domino, & ab eius diſcipulis, aliiſque viris ſanctis edita fuiſſe, evangelica hiſtoria, epiſtolæ, & acta Apoſtolorum & Sanctorum ab auctoritatibus fide dignis conſcripta clare teſtantur. Et adhuc miraculorum donum in Eccleſia perſeverat; licet non adeo frequentia ſint, utpote non ita neceſſaria, propagata iam ac confirmata religione Chriſtiana. Quod ſi negent Ethnici, iſta miracula facta eſſe ab Apoſtolis Chriſti, ut eis prædicantibus fides haberetur: *Hoc unum* (ait S. Auguſtinus lib. XXII. *de Civit. Dei* cap. v.) *nobis grande miraculum ſufficit, quod terrarum orbis, ſine miraculis credidit.*

Hominum conſenſus in Religionem.

Tertium argumentum ſeu motivum petitur ex hominum conſenſu in religionem, quæ tam multa credenda proponit ſenſibus repugnantia, ac rationis perceptionem comprehenſionemque ſuperantia: quæ nimirum tradit præcepta ardua duraque hominibus ad carnis voluptates pronis; ſcilicet inimicorum dilectionem, fugam illecebrarum, divitiarum honorumque contemptum, carnis mortificationem.

Evangelica prædicatio a viris pauperibus.

Quartum argumentum deſumitur ex Evangelii prædicatione facta a viris pauperibus & ignobilibus qui, divino afflatu & Spiritus Sancti in eos illapſi munere, ſummam ſapientiam facundiamque ſubito conſecuti pœne innumeram multitudinem non tantum ſimplicium, ſed ſapientiſſimorum hominum ad eam religionem amplectendam adduxerunt: ut ait Apoſtolus I. ad Corinth. cap. 1. *Non enim miſit me Chriſtus baptizare, ſed evangelizare; non in ſapientia verbi, ut non evacuetur crux Chriſti. Verbum enim crucis pereuntibus quidem ſtultitia eſt; iis autem qui ſalvi fiunt, ideſt nobis, Dei virtus eſt.*

Martyrum conſtantia.

Quintum motivum petitur ex Martyrum propemodum infinitorum conſtantia, qui pro fide Chriſtiana exquiſitæ crudelitatis ſupplicia morteſque acerbiſſimas ſubierunt & tamen graviſſimis perſecutionibus prohiberi ac deterreri non potuerunt innumeri homines, omnium gentium, omnis ſexus, ætatis, conditionis, nobiles, prudentes, docti, ab amplectenda religione, quam ſæculi Poteſtates perſequebantur, cuius profeſſores morti deſtinati erant; immo hiſce perſecutionibus crevit Eccleſia, & martyriis coronata eſt, ut loquitur Tertullianus *Apologet. cap. I.*

Sanctitas Chriſtianæ Doctrinæ.

Ex ſanctitate tandem Chriſtianæ doctrinæ petitur aliud argumentum. Lex enim Domini Immaculata eſt, convertens animas, non exterius dumtaxat corruptos hominum mores emendans, ſed interius etiam pravas cogitationes exſcindens; innocentiam autem & ſanctimoniam imperans, charitatem, pudicitiam, non corporis dumtaxat, ſed animi; divitiarum contemptum, inimicorum dilectionem, beneficentiam, miſericordiam, humilitatem, modeſtiam, manſuetudinem, in rebus adverſis patientiam, cupiditatum carniſque mortificationem. Ita de doctrinæ Chriſtianæ ſanctitate loquitur Tertullianus Apologet. cap. xlv. S. Auguſtinus *lib. de morib. Eccleſ. Cathol. cap.* xxx. qui etiam *lib. cont. Epiſt. Manich. cap.* xv. evidentiam confirmat credibilitatis eorum quæ ab Eccleſia Catholica credenda proponuntur.

Nec officit dicere, quod omnia iſta motiva humana ſint, nobiſque innoteſcant mera fide humana, v. g. per libros, Traditionem ſeniorum, prædicationem Parochorum, vel naturalis rationis dictamen: ac proinde cum fides divina reſolvatur in talia motiva, ſequitur, in humana motiva reſſolvi, quod eſt abſurdum. Nam reſpondetur, falſum eſſe, quod fides in allata motiva humana reſolvatur tamquam in rationem formalem, & ultimam credendi; ſed reſſolvitur in iudicium dumtaxat credibilitatis obiecti fidei. Cum enim Deus regulariter non loquatur immediate nobis ſingulis, hinc aſſenſus fidei ſupernaturalis ordinarie non fit niſi prævia fide humana, qua quis prius credit ſuo Prædicatori, vel Eccleſiæ (quam ex ſupradictis nobis agnoſcit eſſe veram Chriſti Eccleſiam) proponenti myſteria fidei, atque teſtanti ea Deum revelaſſe iuxta illud Apoſtoli Rom. 10. *Fides ex auditu.* Hoc autem ſemel ſuppoſito intellectus fidelis, ac perſuaſus talia Deum revelaſſe, totum ſe in ipſius Dei veracitatem convertit, ac propter iſtam unice, per actum Fidei ſupernaturalis veræ Fidei myſteriis aſſentitur.

Et rem hanc melius etiam illuſtrat ratio ipſa actus fidei ſupernaturalis; quia non eſt

purus

purus actus intellectus, ſed neceſſe eſt, ut concurrat etiam actus voluntatis imperantis aſſenſum Fidei propter infallibilem Dei revelantis veracitatem. Actus enim Fidei ſunt liberi (alias non eſſent meritorii) ac ideo non poſſunt præciſe conſiſtere in actibus intellectus, qui eſt potentia naturalis; ſed ad eos requiritur inſuper pia affectio ſupernaturalis voluntatis, quæ myſteriis divinitus ſibi revelatis, ac motivis ipſis credibilitatis Fidei, libere divinæ gratiæ excitanti, & opitulanti cooperando, propter infallibilem Dei revelantis veracitatem firmiſſime aſſentiatur eiuſmodi myſteriis, credendo vera eſſe, quæ Deus nobis revelare dignatus eſt. Hinc ait Apoſtolus in citata ſua Epiſtola ad Rom. *corde enim creditur ad juſtitiam*; cui inhærendo Concil. Triden. ſeſſ. 6. cap. 6. ita docet; *diſponuntur autem ad ipſam juſtitiam, dum excitati gratia divina, & adjuti, Fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum credentes vera eſſe, quæ divinitus revelata, & promiſſa ſunt*. Hinc fit quod audita eadem fidei prædicatione quidam credunt, quidam non; quia nimirum uni gratiæ excitanti cooperantes ſuo intellectui imperant, ac ſimul eliciunt actum fidei ſupernaturalis; alii vero non.

§. XV.

Fides a tempore Apoſtolorum non crevit quoad ſubſtantiam.

Cum fides divinarum revelationum auctoritate nitatur, & jam a tempore Apoſtolorum divinæ ceſſaverint revelationes; profecto ab hoc tempore creſcere non potuit fides quoad ſubſtantiam: quia ad hoc requiritur ut fiant Eccleſiæ novæ revelationes, quæ ſunt fidei motivum.

Dicitur I. *a tempore Apoſtolorum*. Nam certum eſt in ætatibus quæ tempora legis gratiæ præceſſerunt, nempe ab Adamo uſque ad Chriſtum (quod tempus *Gal. cap.* IV. vocatur ab Apoſtolo: *Plenitudo temporis*: eo quod fidei myſteria tum plenius revelata fuere) Deum plura identidem revelaſſe, noviſque identidem libros, quos fide divina credimus eſſe ſacros, exaratos fuiſſe. Apoſtoli autem poſt Chriſti aſcenſionem plura ſcripſerunt, quæ non ſolum ex Chriſti ore ipſis revelata fuere, ſed etiam interiore Spiritus Sancti afflatu, juxta teſtimonium Io. cap. XVI. *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*. Quin etiam S. Thomas 2. 2. *quæſt.* 1. *art.* 7. docet, articulos fidei in aliquo ſenſu non creviſſe quoad ſubſtantiam a tempore Adami: quatenus ſcilicet omnia quæ ſucceſſu temporis revelata ſunt, implicite continebantur in iis quæ credidit Adamus; non ſecus ac concluſiones omnes implicite in ſuis principiis continentur. Ad prima autem fidei principia ſpectat credere, quod Deus exiſtat, & hominum ſaluti provideat, juxta illud Apoſtoli ad Hebr. cap. XI. *Credere oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit*. Quem locum explicans S. Thomas hæc habet. *In eſſe divino includuntur omnia quæ credimus in Deo æternaliter exiſtere, in quibus noſtra beatitudo conſiſtit. In fide autem providentiæ includuntur omnia quæ temporaliter a Deo diſpenſantur ad hominum ſalutem, quæ ſunt via ad beatitudinem.*

Dicitur II. *quoad ſubſtantiam*. Nam certum eſt, ea quæ tradiderunt Apoſtoli obſcurius, ab Eccleſia identidem magis explicari, & contra inſurgentes hæreſes clarius proponi. Sic definivit Baptiſmum verum eſſe, etiam collatum ab hæreticis; cum S. Cyprianus aliique plures de eo dubitarent. Sic in variis Conciliis magis accurate & diſtincte explanavit quæ revelata ſunt, atque adeo credenda circa myſteria Trinitatis, Incarnationis, & Gratiæ: ut notat Vincentius Lirinenſis in ſuo 1. *Commonit. cap.* XXVII.

§. XV.

De diviſione fidei.

Fides prout eſt virtus Theologica, alia eſt actualis, & eſt actus, quo intellectus, ex imperio voluntatis per gratiæ auxilium excitatæ, aſſentitur alicui veritati propter auctoritatem Dei revelantis; qui cum ex ſua infinita ſapientia omnia cognoverit ut ſunt, falli non poteſt; & ex infinita ſua bonitate, qua res quas cognoſcit, vult revelare, fallere nequit. Hinc fides divina omnem prohibet hæſitationem & formidinem, ſaltem voluntariam, de oppoſito: ut definivit Innocentius XI. damnans hanc propoſitionem ordine 21. *Aſſenſus fidei ſupernaturalis & utilis ad ſalutem ſtat cum notitia ſolum probabili revelationis: immo cum formidine, qua quis formidet, ne non ſit locutus Deus*. Alia eſt habitualis: & eſt adhæſio revelatis permanenter inhærens animæ, hancque habilem reddens ad actus fidei eliciendos. Dividitur ſecundo in explicitam, per quam intellectus ſpeciatim adhæret alicui articulo; v. g. quod Deus ſit incarnatus:

Digitized by Google

tus: & in implicitam, per quam idem intellectus non diſtincte & in ſe, ſed generaliter credit ea quæ Eccleſia credenda proponit; ideſt non ſe determinat ad hunc vel illum articulum in ſpecie, ſed illos credit confuſe & ut in aliquo continentur. Dividitur tertio in acquiſitam, quæ oritur ex multis actibus circa res revelatas gratiæ adminiculo elicitis: & in infuſam, quam Deus infundit ſine aliquo prævio actu ad eam concurrente per modum cauſſæ efficientis; quod præcipue fit, dum quis ſacramenta recipit, in cuius anima cum gratia ſanctificante infunditur fides, ſpes, & charitas. Dividitur pariter fides in informem, qualis eſt in ſubiecto deſtituto gratia ſanctificante, quæ eſt forma alias virtutes omnes perficiens: & in formatam, cui coniuncta eſt gratia ſanctificans. Dividitur tandem in fidem vivam, cui coniungitur mandatorum obſervantia per charitatem; & ideo ab Apoſtolo vocatur *fides per dilectionem operans*: & in mortuam, cui deeſt legis obſervantia & charitas, quæ ſpiritualiter nos & opera noſtra vivificat; idcirco de hac loquitur D. Iacobus in Epiſt. canon. cap. 2. *Fides ſine operibus mortua eſt*.

§. XVI.

De neceſſitate fidei ad ſalutem: prout eſt aſſenſus iis quæ Deus revelavit; minime vero prout eſt ſingularis fiduciæ, qua quis credat ſibi remiſſa eſſe peccata, aut ſe eſſe prædeſtinatum ad vitam æternam.

Nemo iure dubitare valet, Fidem neceſſariam eſſe ad ſalutem conſequendam, ut manifeſtiſſime docent Scripturarum divinarum teſtimonia. Ait enim Apoſtolus Hebr. cap. XI. *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit.* Et Marc. *cap.* XVI. Chriſtus Dominus damnationis ſententiam in non credentes prædixit: *Qui non crediderit, condemnabitur*: & Ioan. cap. III. *Qui non credit, iam iudicatus eſt; quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei.* Hinc Clemens Alexandrinus *lib.* VII. *Strom.* fidem vocat *primam ad ſalutem inclinationem*: S. Cyrillus Alexandrinus *lib.* IV. *in Io.* ipſam appellat *Ianuam & viam vitæ*: & S. Auguſtinus *lib. de prædeſtin. ſanctor. cap.* VII. ait fidem eſſe donum Dei, quo cætera impetrantur: *Ex Fide*, inquit, *dicit Apoſtolus iuſtificari hominem, non ex operibus: quia ipſa prima datur, ex qua impetrantur cætera, quæ proprie opera nuncupantur, in quibus iuſte vivitur.* Ex laudatis Scripturæ & Patrum teſtimoniis evidenter colligitur, fidem quæ neceſſario ad ſalutem requiritur, eſſe aſſenſum præſtitum omnibus, quæ a Deo ſunt revelata; minime vero fiduciam de ſingulari Dei miſericordia, qua ſibi quiſque promiſſiones divinas de remiſſione peccatorum applicet, aut qua certo credat ſibi remiſſa eſſe peccata, vel ſe eſſe in numero prædeſtinatorum. Fiducia enim illa, qua quis credit ac certiſſime confidit ſibi remiſſa eſſe peccata, tantum abeſt, ut verbo Dei præcipiatur, ut econtra verbum Dei diſerte doceat, de remiſſione peccatorum & æterna ſalute timendum eſſe, nec de ea citra ſingularem revelationem umquam nos eſſe poſſe certiores: *Neſcit homo, utrum amore, an odio dignus ſit* Eccl. cap. IX. Et Iob cap. IX. habetur: *Etiam ſi ſimplex fuero, hoc ipſum ignoravit anima mea . . . . . . Verebar omnia opera mea, ſciens quod non parceres delinquenti.* Ita de ſalute ſua Iob ſignificat ſe timuiſſe, licet vir eſſet ſanctiſſimus, quem non reprehenderat cor eius in omni vita. At ſi fides ipſum de ſua iuſtitia & prædeſtinatione certum reddidiſſet, illi nefas fuiſſet ea de re dubitare. Immo David ipſe, tametſi certus quod Deus peccatum ipſi dimiſerat, nihilominus delictorum forſan occultorum reum coram Deo ſe eſse declarat: *Delicta? quis intelligit ab occultis meis munda me, & ab alienis parce ſervo tuo.* Pſalm. XVIII. Hanc autem fiduciam non eſſe fidem ad ſalutem neceſſariam apertiſſime definivit ſacra Tridentina Synodus contra Novatores *ſeſſ.* VI. *cap.* IX. & Canonibus præcipue XII. XIII. XIV. XV. & XVI. Ait enim can. XII. *Si quis dixerit, fidem iuſtificantem nihil aliud eſſe, quam fiduciam divinæ miſericordiæ peccata remittentis propter Chriſtum, vel eam fiduciam ſolam eſſe qua iuſtificamur; Anathema ſit.* Similia habet in cæteris canonibus.

Ineſt quidem interdum iuſtis moralis certitudo, quod ſint in ſtatu gratiæ: ſed cum illa nonniſi probabilibus coniecturis innitatur, non ſpectat ad fidem divinam, quæ omnem prorſus hæſitationem formidinemque excludit. Hoc ſenſu intelligenda ſunt plura Apoſtoli teſtimonia; & præcipue Rom. cap. VIII. *Ipſe Spiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod ſumus filii Dei.* Et hoc teſtimonium quod Spiritus Sanctus reddit iuſtis, quod filii Dei ſint, quandoque innoteſcit per conſcientiam bonæ voluntatis, quæ nec de ullo crimine aut peccandi affectu redarguit; & ex fiducia ad Deum, quæ fru-

ctus

Digitized by Google

ctus eſt bonæ conſcientiæ, iuxta illud 1. Io. cap. III. *Si cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum*. Itidem ex ſtudio honoris Dei, ex lubenti cognitione & auditu rerum divinarum, & ad vitam ſecundum Deum inſtituendam ſpectantium; ex animi tranquillitate cum interna conſolatione; quæ baptiſmum & pœnitentiæ ſacramentum ſincero corde ſuſceptum conſequi ſolent; ex clamore tandem ſeu oratione devota ad Deum, ac tenero affectu quo Pater appellatur, id coniicere poſſumus: Hos enim motus veroſimillimum eſt effici in nobis a Spiritu Sancto in nobis habitante. Verum quia ſæpe de ſe ipſa mens hominis ſibi mentitur, & huiuſcemodi motus quandoque ſentiunt illi etiam qui iuſti non ſunt; hinc ſunt ſigna æquivoca, & interdum fallacia. Quocirca cum nobis incertum ſit tales motus eſſe a Spiritu Sancto, hiſce ſignis nobis teſtimonium perhibente, nec poſſumus, nec tenemur certo credere, nos eſſe filios Dei: ſicut deberemus credere, ſi expreſſum teſtimonium per revelationem haberemus, par illi quod Deus reddidit David per Prophetam dicentem: *Tranſtulit Dominus peccatum tuum a te*: & per Chriſtum Magdalenæ: *Remiſſa ſunt ei peccata multa*: & Paralytico: *Remittuntur tibi peccata tua.*

Nota, quod cum ſine fide impoſſibile ſit placere Deo, licet poſſit homo etiam ſine fide aliquod moraliter bonum opus peragere, quando videlicet quod cæteroquin ex obiecto bonum eſt, ideſt naturali legi iuſtitiæ, & honeſtati conſonum, ad malum finem non referat; contra Novatorum ſententiam, qui volebant omnia infidelium opera eſſe peccata (ut contra Michaelem Baium declararunt ſummi Pontifices S. Pius V. & Gregorius XIII.) nihilominus, cum fides principium ſit & radix ſupernaturalis bonitatis & iuſtitiæ ad æternam vitam conſequendam; plane opus nullum æternæ vitæ meritorium fieri poteſt ſine fide. Idcirco opera quæ moraliter bona ſunt ſine fide, ſteriliter bona vocat S. Auguſtinus, ideſt ad æternæ vitæ conſecutionem inutilia. Laudans enim ſanctus Doctor *Epiſt.* CXLIV. alias CXXX. Polemonis Ethinici continentiam, ait, quod hæc illi valuerit tantum ad præſentis vitæ honeſtatem, non ad futuræ immortalitatem.

Verum quia non ſolum fides habitualis, ſed etiam actualis neceſſaria eſt ad ſalutem æternam aſſequendam; & fides actualis diverſimode per actus noſtros exerceri poteſt; (intrinſece ſcilicet, & extrinſece; implicite, & explicite; necnon in variis circumſtantiis, temporis nempe & loci) hinc operæ pretium eſt, ut fidei neceſſitas ad ſalutem relative ad diverſos illos actus & circumſtantias expendatur. Quæremus igitur, num ad conſequendam æternam ſalutem neceſſe ſit ut per actus internos fidem noſtram exerceamus, utque eam per actus etiam externos profiteamur; & in quibus circumſtantiis opus ſit fidei officia præſtare.

§. XVII.

De interno actu fidei, eiuſque proprietatibus.

Nota I. Duplicem diſtingui a Theologis neceſſitatem. Alteram vocant medii; alteram præcepti. Id dicitur neceſſarium neceſſitate medii, ſine quo, etiamſi illius omiſſio inculpabilis ſit, finis, ſeu æterna ſalus obtineri non poteſt. Id vero nuncupatur neceſſarium neceſſitate præcepti, quod ex ſola ſuperioris voluntate abſolute pendet; ſine quo proinde ſalus obtineri nequit, ſi culpabiliter omittatur, niſi hæc omiſſio per pœnitentiam remittatur; ſi vero inculpabiliter omittatur, non impedit ſalutem. Quidquid tamen neceſſarium eſt neceſſitate medii, eſt etiam neceſſarium neceſſitate præcepti, ſi ſit in noſtra poteſtate. Etenim eodem ipſo præcepto quo ſalutem noſtram procurare tenemur, tenemur etiam comparare nobis media neceſſaria ad ſalutem. Unde certum eſt, habitus fidei, ſpei, & charitatis neceſſarios eſſe neceſſitate medii omnibus quibuſcumque, etiam infantibus, ut ex Concilio Tridentino ſeſſ. VI. cap. VII. colligitur: quia nemo umquam iuſtificatur ſine infuſione habitus fidei, ſpei, & charitatis. Nullus tamen actus virtutis neceſſarius eſt infantibus; cum nullius ſint capaces: & ſalvari poſſunt.

Nota II. Fides actualis, de qua hic ſermo habetur, duplex eſt: implicita, & explicita. Illa expreſſe articulos in ſe ipſis credit; ut, Deum eſſe unum & trinum, Chriſtum eſſe Deum hominem de Virgine natum. Hæc aliquos articulos quorum expreſſa notitia caret, in altero quem explicite cognoſcit, & in quo præfati continentur articuli, credit: ſic qui credit expreſſe quidquid Catholica Romana Eccleſia credendum proponit, implicite credit omnia religionis noſtræ myſteria. *Fides actualis duplex*

Actus internus fidei, qui idem eſt ac fides actualis, ut ab eius natura exordiamur, eſt ſupernaturalis & firmiſſimus mentis aſſenſus, datus rebus a Deo revelatis, & ab *Definitio interni actus Fidei.*

Eccle-

Digitized by Google

Eccleſia propoſitis, propter primam veritatem; iuxta dicta in ipſius fidei definitione. Hinc materiale eius obiectum, ut alias notavimus, ſunt res omnes a Deo revelatæ, formale vero eſt auctoritas Dei revelantis, per quam valde repugnat Deum falli aut fallere. Nam ſumma Dei revelantis auctoritas, quæ idem eſt ac veritas, liquido apparet tum ex ſapientia infinita, qua Deus perfectiſſime novit omnia ut ſunt; nec poteſt falli: tum ex bonitate infinita, qua vult revelare res ut illas cognoſcit; nec poteſt fallere. Ad hoc vero ut mens revelatis firmiter aſſentiatur, quinque vulgo ſtatuunt Theologi actus prærequiri. Primus eſt videlicet, quod res prædicatæ percipiantur. Nam ex Apoſtolo Rom. cap. x. *Fides ex auditu; auditus autem per verbum Chriſti*. Secundus, quod mens inquirat, num qui verba facit dignus ſit, ut fides ei habeatur. Nam aſſenſus fidei, utpote actus virtutis, debet eſſe prudens; talis autem eſſe nequit, ſi ſine ulla inquiſitione & examine, præbeatur, iuxta illud Eccli. cap. xix. *Qui credit cito, levis eſt corde*. Tertius eſt iudicium, quo mens, libratis motivis credibilitatis, certo iudicat prorſus credibilia eſſe quæ prædicantur. Quartus eſt alterum iudicium quod ex priori ſubſequitur, quo mens non ſolum iudicat rem eſſe credibilem; ſed ſtatuit inſuper hic & nunc eſſe credendam: non ſecus ac ad eliciendos actus aliarum virtutum, v. g. miſericordiæ, non ſufficit quod mens iudicet laudabile eſſe opitulari indigenti; ſed ulterius requiritur, ut decernat hic & nunc ei ſubveniendum. Quintus eſt actus voluntatis, qui dicitur pia affectio & credulitatis affectus, quo voluntas imperat intellectui, ut veritati revelatæ, ac ſufficienter propoſitæ aſſenſum præſtet: Nam ex *S. Auguſtino lib. de prædeſt. Sanct. cap. v. Credere vel non credere eſt in arbitrio voluntatis humanæ*. Veritas enim propoſita, quantumvis credibilis appareat, manet ſemper obſcura & inevidens; nec proinde neceſſario movet ac determinat voluntatem ad credendum: ſicut contingit in concluſione evidenter deducta ex principio per ſe noto, quæ per ſui evidentiam intellectum ad aſſenſum impellit.

Horum actuum, qui ad aſſenſum fidei prærequiruntur, tres priores naturaliter elici poſſunt; eorum quippe obiecta ſunt naturalis ordinis, ac ſolo naturalis rationis lumine percipi valent. Nam quivis infidelis v. g. naturaliter audit ac percipit quæ a præcone Evangelii dicuntur. Pariter ſolo naturali lumine motiva eorum credibilitatis, prophetias ſcilicet & miracula; quæ in eorumdem confirmationem proponuntur, perpendere poteſt, ac ex iis iudicare, quod Evangelium ſit credibile. Nam hæc duo naturali lumine innoteſcunt: nempe vera miracula veraſque prophetias eſſe a Deo; ac Deum optimum maximum, qui nec fallere nec falli poteſt, mendacium his firmare non poſſe. Negandum tamen non eſt, quin Deus aliquando corda hominum gratia ſua moveat & inclinet ad audiendos verbi Dei præcones, & ad ea perpendenda, quæ in doctrinæ confirmationem oculis ſubiiciuntur.

Quartus actus, quo iudicat mens hic & nunc credendum eſſe, cenſendus eſt ſupernaturalis: quia inde excitatur pia voluntatis motio & credulitatis affectus, qui certe eſt ſupernaturalis, iuxta Concilium Arauſicanum II. a quo *cap. vii.* damnatur ut hæreticus qui affirmet, per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad æternæ vitæ ſalutem pertinet, cogitari ut expedit, vel eligi poſſe ſine Spiritus Sancti illuminatione & illuſtratione.

De quinto autem actu, ſcilicet de pia voluntatis affectione, ſeu credulitatis affectu, nulla occurrere poteſt dubitatio, quod non ſit ſupernaturale Dei donum. Hoc enim eſt de fide, & probatur ex ſcriptura Io. cap. vi. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me, traxerit eum*: & Rom. cap. ix. *Non volentis, neque currentis; ſed miſerentis eſt Dei*. Hinc mox laudato canone Concilium Arauſicanum damnavit Semipelagianos, qui aſſerebant, initium fidei eſſe a nobis, quatenus voluntas noſtra debet eſſe diſpoſita ac prompta ad aſſentiendum divinis revelationibus. Et hanc ſententiam confirmat doctrina quoque Sanctorum Patrum. Nam S. Auguſtinus *lib. de prædeſt. Sanct. cap. v.* inquit: *Credere vel non credere eſt in arbitrio voluntatis humanæ; ſed præparatur voluntas a Domino*. Et S. Fulgentius *lib. de Incarn. & Grat. cap. xviii.* hæc habet: *Ut velimus credere; miſericordiæ prævenientis illuminamur dono*.

Nota, quod credere Deo, credere Deum, & credere in Deum; licet non ſint actus eſſentialiter diverſi, utpote qui idem habent motivum ſeu obiectum formale, ſcilicet primam veritatem; & idem obiectum materiale primarium, nempe Deum, ad quem omnia credenda referuntur: nihilominus aliquo modo ſunt inter ſe diverſi. Etenim credere Deo, eſt, credere vera eſſe quæ Deus dixit propter infinitam eius in dicendo veri-

ta-

tatem. Credere Deum, eſt, credere Deum eſſe, ex eodem motivo divinæ in dicendo veritatis. Credere in Deum, eſt, credere Deum non ſimpliciter, ſed ex affectu charitatis tendentis in Deum tamquam ultimum finem. Credere primo & ſecundo modo eſt commune omnibus fidelibus, iuſtis ſcilicet & peccatoribus; & eſt dumtaxat actus fidei informis, imperfectæ, & mortuæ: credere autem tertio modo eſt actus fidei formatæ, perfectæ, & vivæ, de qua Apoſtolus ad Hebr. cap. x. *Accedamus* inquit, *cum vero corde in plenitudine fidei*. Nam fides plena ex mente & corde, ex cognitione & amore ſimul procedit. Hanc fidem profitemur in utroque Symbolo, Apoſtolorum ſcilicet & Conſtantinopolitano: *Credo in Deum Patrem, & in Ieſum Chriſtum filium eius unicum.... & in Spiritum Sanctum*. Huiuſcemodi profeſſio iuſtorum eſt, non peccatorum, qui non tendunt in Deum tamquam in ſuum ultimum finem: cum enim ſolus Deus ſit noſter ultimus finis & beatitudo, in illum ſolum credere licet. Credimus Eccleſiæ & Eccleſiam; homini iuſto, & hominem iuſtum: ſed non in Eccleſiam, nec in hominem iuſtum; nec in quamvis aliam creaturam credere licitum eſt: Nulla enim creatura poteſt eſſe noſter ultimus finis.

§. XVIII.

De neceſſitate interioris actus fidei explicitæ ad ſalutem.

Nota. De actus interni fidei neceſſitate, ſcilicet de neceſſitate fidei actualis internæ ad æternam ſalutem, nulla poteſt eſſe controverſia circa parvulos & perpetuo amentes, qui ob defectum uſus rationis non ſunt capaces ullius actus interni rationabilis, id eſt cum deliberatione eliciti. Hoc conſtat ex Concilio Tridentino *ſeſſ.* VII. *can.* XIII. *de baptiſ.* docente, eos per baptiſmum ſine fide actuali, ſed ſola fide habituali, ideſt fidei habitu in ipſo baptiſmate infuſo ſalvari. De ſolis itaque adultis hic ſermo inſtituetur.

Omnibus igitur adultis ratione præditis neceſſaria eſt neceſſitate medii fides interna actualis explicita & ſupernaturalis ad conſequendam ſalutem, tum primam, quæ eſt iuſtificatio in hac vita; tum ſecundam, quæ eſt glorificatio ſeu viſio beatifica in altera. Ita Catholica tenet Eccleſia; & patet ex Scripturis. Habetur enim Hebr. cap. XI. *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo:* & Rom. cap. x. *Corde enim creditur ad iuſtitiam*. Et ſic declaratum fuit a Concilio Tridentino ſeſſ. VI. cap. VII. *Sine qua* (ideſt fide) *nulli contigit umquam iuſtificatio:* & cap. VIII. *Fides eſt humanæ ſalutis initium, fundamentum, & radix omnis iuſtificationis, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, & ad filiorum eius conſortium pervenire*. Catholicæ huius doctrinæ evidentiam confirmat S. Auguſtinus ſerm. XXVII. alias XX. *de verb. Apoſt. Domus*, inquit, *Dei credendo fundatur, ſperando erigitur, diligendo perficitur*. Et revera ſi opera ſupernaturaliter elicita neceſſaria ſunt adultis neceſſitate medii ac præcepti ad peccatorum veniam & cœleſtem beatitudinem obtinendam; multo magis erit illis neceſſaria neceſſitate medii interna actualis Fides: tum quia hæc eſt principium & neceſſaria radix quorumcumque ſupernaturalium bonorum operum; (nam S. Auguſtinus *lib. de prædeſt. Sanct. cap.* VII. inquit: *Ipſa* (fides) *prima datur, ex qua impetrantur cætera:* & S. Leo ſerm. *de Nativit.* hæc ſcribit: *Nihil ſine ea ſanctum, nihil vivum*) tum quia Deus non vult ſalvare adultos ſine propria eorum cooperatione, quæ non poteſt ſine tali fide ſalutem procurare.

Actus autem interni fidei, quos adulti elicere tenentur, eadem neceſſitate medii neceſſe eſt ut ſint expliciti, ſaltem quoad quædam principaliora religionis Chriſtianæ myſteria. Et primo quidem in omni ſtatu, etiam naturæ, omnibus neceſſaria eſt fides explicita Dei remuneratoris ſupernaturalis, ſeu vitæ æternæ largitoris, quæ eſt ſupernaturalis merces ab ipſo revelata ac promiſſa. Hæc communis Theologorum doctrina confirmatur auctoritate Apoſtoli, qui *Hebr. cap.* XI. poſtquam docuit, ſine fide impoſſibile eſſe placere Deo; (quæ verba neceſſitatem medii perſpicue denotant) ſubiungit: *Credere enim oportet accedentem ad Deum; quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit*. Quibus verbis explicat, quænam ſit illa fides. Hinc Innocentius XI. inter alias corruptas Moralis propoſitiones hanc quoque damnavit ordine 22. *Nonniſi fides unius Dei neceſſaria videtur neceſſitate medii, non autem explicita Remuneratoris*. Et ſane neceſſe eſt ad iuſtificationem & ſalutem, eam fidem in Deum habere, qua ſpes noſtra in ipſum excitetur, & qua ad ipſum ſuper omnia diligendum, eiuſque ſervanda mandata, comitante charitate, inclinemur. Quomodo autem ſpes noſtra in Deum excitabitur, niſi Deum inquirentibus ſe Remuneratorem eſſe explicite & diſtincte credamus?

Poſt

Digitized by Google

Poſt lapſum humani generis in peccatum, tam ſub lege naturæ, quam ſub lege Moyſis, fides actualis in Chriſtum Redemptorem, ſaltem implicita, omnibus adultis neceſſaria ſemper fuit neceſſitate medii. Hanc aſſertionem S. Auguſtinus *lib. de peccat. origin.* uti veritatem Chriſtianam prædicat, dicens: *Sine fide Incarnationis, & Mortis, & Reſurrectionis Chriſti, nec antiquos iuſtos, ut iuſti eſſent, a peccatis potuiſſe mundari, & Dei gratia iuſtificari, veritas Chriſtiana non dubitat.* Hæc porro fides in maioribus, ſcilicet in ſapientibus, explicita fuit, in rudibus implicita: & hoc ſatis erat, eo quod ſub figurarum velamine Chriſti Incarnatio occulta erat in lege ſive naturæ, ſive ſcripta. Ita in *III. diſt.* XXV. *quæſt.* XI. *art.* 2. docet Angelicus.

Sed nunc poſt Chriſti adventum & Evangelium promulgatum, omnibus adultis neceſſaria eſt neceſſitate medii fides explicita Sanctiſſimæ Trinitatis. Catholica hæc veritas plurimis ſanctarum Scripturarum teſtimoniis innititur. Ipſe enim Chriſtus Dominus *Io. cap.* III. inquit: *Qui credit in eum, non iudicatur: qui autem non credit, iam iudicatus eſt; quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei:* & rurſus: *Qui credit in Filium, habet vitam æternam: qui autem incredulus eſt Filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper illum.* Ex quibus patet, ad æternam conſequendam ſalutem omnino in primis requiri ut cognoſcatur Filius Dei, non tantum ut Patris Legatus, ſed etiam ut eius unigenitus Filius, ut verus Deus, ut vita æterna, ſeu ſummum bonum. Præterea fides Sanctiſſimæ Trinitatis eſt obiectum fidei noſtræ primarium & ſalutis fundamentum. Hinc voluit Chriſtus Dominus, ut baptiſmus, qui eſt ſacramentum fidei & ſalutis, conferri deberet in nomine Sanctiſſimæ Trinitatis cum explicita divinarum Perſonarum invocatione; ideſt in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: ut Matth. cap. XXVIII. legimus: *Euntes ergo, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti:* & Marci cap. XVI. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur.* Unde Apoſtolus Act. cap. XIX. obſtupeſcens, quod Epheſii dicerent ſe neſcire, an eſſet Spiritus Sanctus: reſpondit: *In quo ergo baptizati eſtis?* Quæ verba innuunt, notitiam divinarum perſonarum uti neceſſariam baptiſmum præcedere. Et ſane ſi initiandus, Patri, Filio, & Spiritui Sancto in baptiſmo conſecratur, ac fidem & obſequium illis pollicetur: profecto neceſſe eſt ut agnoſcat, quæ ſit cuiuſque natura & dignitas, ne cultum divinum ad creaturam traducat, vel honorem debitum vero Deo deneget.

Verum hoc melius etiam patebit, ſi oſtenderimus neceſſitatem fidei explicitæ myſterii Incarnationis: quoniam (ut docet S. Thomas 2. 2. *quæſt.* II. *art.* 8.) fides explicita Incarnationis non poteſt eſſe ſine fide explicita Trinitatis. Fidem autem explicitam Incarnationis nunc eſſe neceſſariam neceſſitate medii, ipſe Chriſtus Dominus *Io. cap.* XVII. teſtatur, docens non aliam eſſe viam perveniendi ad ſalutem, quam per cognitionem Dei & ſui ipſius: *Hæc eſt*, inquit, *vita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti, Ieſum Chriſtum.* Hinc *cap.* XIV. ait: *Creditis in Deum? & in me credite.* Si igitur fides in Deum explicita, uti demonſtratum eſt, eſt medium neceſſarium ad ſalutem; ſimiliter neceſſaria eſt fides explicita in Chriſtum. Idem docet S. Petrus Act. cap. IV. *Non eſt in alio aliquo ſalus. Nec enim aliud nomen eſt ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri.* Et Apoſtolus ad Galat. cap. II. *Non iuſtificatur*, inquit, *homo ex operibus legis, niſi per fidem Ieſu Chriſti. Et nos in Chriſto Ieſu credimus, ut iuſtificemur ex fide Chriſti.* Agit hic Apoſtolus de fide in Ieſum Chriſtum, qualem ipſe tenebat & prædicabat. Huiuſcemodi autem fides eſt fides explicita Chriſti, ut veri Dei & hominis pro ſalute hominum mortui. Neceſſaria igitur omnibus eſt, poſt Evangelicæ legis promulgationem, fides explicita Incarnationis Chriſti ad iuſtificationem, & ſalutem.

Teſtimonio Scripturarum accedit etiam Sanctorum Patrum Traditio. S. Irenæus *lib.* III. *cap.* XXII. docet, ignorantes eum qui ex Virgine eſt Emmanuel, privari munere eius quod eſt vita æterna. S. Auguſtinus *lib. de Corrept. & grat. cap.* VII. ait: *Nemo liberatur a damnatione quæ facta eſt per Adam, niſi per fidem Ieſu Chriſti. Ab hac damnatione non ſe liberabunt qui poterunt dicere ſe non audiviſſe Evangelium Chriſti.* S. Gregorius *lib.* VII. *Epiſt.* XLVII. definit, ſalutis noſtræ fundamentum eſſe fidem in Ieſum Chriſtum Dei & hominis filium. Hinc Innocentius XI. damnavit duas ſequentes propoſitiones, quarum prima eſt ordine 23. *Fides late dicta ex teſtimonio creaturarum ſimilive motivo ad iuſtificationem ſufficit:* altera vero ordine 64. *Abſolutionis capax eſt homo, quantumvis laboret ignorantia myſteriorum fidei,*

dei, *& etiamſi per negligentiam*, *etiam culpabilem*, *neſciat myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis & Incarnationis Domini*. Caveat igitur Confeſſarius, ne eius ſilentio & iniuria plures animæ pereant. Exploret fidem illorum, qui ad pœnitentiæ Sacramentum accedunt: pœnitentem ignorantia myſteriorum Trinitatis & Incarnationis laborantem, numquam abſolvat; illoſque qui hac ignorantia obducti ſacramenta frequentarunt, repetere confeſſiones adſtringat. Quicumque enim fide talium myſteriorum laborat, ad pœnitentiæ ſacramentum, iuxta proſcriptam theſim, ineptus eſt & incapax. Illicita ergo & nulla eſt abſolutio quæ ipſi confertur. Quare ſi huiuſmodi ignorantia irretitus pœnitens ſit, Confeſſarius ſacramentalem abſolutionem ipſi denegare tenetur.

Ratione etiam Catholica, veritas illuſtrari poteſt. Nam homines agnoſcere debent viam ſalutis ſecundum conditionem ſtatus in quo verſantur. Quare, cum Chriſtus via ſit noſtræ ſalutis, ut *Io. cap.* XIV. ipſe teſtatur, inquiens: *Ego ſum via*, *veritas*, *& vita*: omnino neceſſe eſt ut illum explicite agnoſcamus. Non enim eſt veroſimile, Deum voluiſſe, fidem explicitam Chriſti, pro eius gloria & ſalute noſtra mortui, auctoris noſtræ ſalutis & iam per univerſum orbem prædicati, non eſſe magis neceſſariam, quam ſit cognitio rerum aliarum, a quibus non ita pendet ſalus noſtra: & eo vel maxime, quod hoc ad gloriam ipſius Chriſti plurimum conferat. Hinc D. Thomas in III. *diſt.* XXV. *quæſt.* II. *art.* 2. *quæſtiunc.* 2. inquit: *In tertio autem ſtatu poſt adventum Chriſti*, *quia iam myſterium Chriſti completum eſt*, *& corporaliter*, *& viſibiliter prædicatum*, *omnes tenentur ad explicite credendum*: *& ſi aliquis inſtructorem non haberet*, *Deus ei revelaret*, *niſi ex ſua culpa remaneret*. Caſum hic proponit de catechumeno & quocumque alio adulto, qui Incarnationem Chriſti, deficiente inſtructore, invincibiliter ignoraret: & in divinæ bonitatis ſinum ſe recipit ſanctus Doctor, Deumque ipſum hoc in eventu revelaturum fore huic adulto Chriſti fidem aſſerit, niſi ſua culpa obicem poſuiſſet. Quibus verbis manifeſtat Angelicus neceſſitatem medii; cum recurrat ad miraculoſam Dei revelationem, niſi propria iniquitate ſe homines huiuſce revelationis indignos effecerint: quia videlicet non bene utantur auxiliis ſaltem remote ſufficientibus, quæ Deus omnibus quibuſcumque infidelibus elargitur. Hic tamen animadvertas velim, ex hoc non ſequi, quod non extent infideles negative tales. Nam (ut advertit P. Cuniliati, contrahens quod variis in locis docet D. Thomas) infidelitas negativa optime compatitur cum auxiliis tantum remote ſufficientibus: Quandoquidem non quælibet diſpoſitio efficit ut ſubiectum carens forma, dicatur privatum illa, ſed oportet ut ſit proxime diſpoſitum: ſicut videre eſt in ligno habente unum vel duos caloris gradus, quod non dicitur privatum forma ignis; ſed adhuc perſeverat eadem negatum. Ita in caſu noſtro auxilia remote ſufficientia ad ſuſcipiendam fidem, adhuc relinquunt carentem fide, illa negatum; & non efficiunt proprie privatum, niſi proximiora auxilia recipiat.

Quod vero ſpectat alias veritates a Deo revelatas, eadem neceſſitate medii neceſſe eſt ut adulti credant generatim vera eſſe omnia, quæ a Deo revelata ſunt & promiſſa; ideoque credant implicite omnia fidei dogmata, quæ Deus per Eccleſiam credenda propoſuit: ut docet Concilium Tridentinum *ſeſſ.* VI. *cap.* VI. ubi exponens ea quæ ad iuſtificationem credi debent, ſic habet: *Libere moventur in Deum*, *credentes vera eſſe quæ divinitus revelata & promiſſa ſunt*. Nam auctoritas Dei revelantis exigit, ut ſaltem ſic generatim credantur omnia quæ ipſe revelavit.

§. XIX.

De iis quæ credenda ſunt neceſſitate præcepti.

Extat præceptum ſpeciale fidei.

Præter neceſſitatem medii, qua excitantur fideles ad ea credenda quæ ad fidem pertinent (alia quidem explicite; alia vero implicite) extat inſuper ſpeciale præceptum fidei, vi cuius credere tenentur ea, quæ Chriſtus Dominus docuit in ſuo Evangelio, & ſuis Apoſtolis prædicanda præcepit. Et hoc conſtat ex illo Marc. cap. I. *Credite Evangelio*: & cap. XVI. *Prædicate Evangelium*... *Qui non crediderit*, *condemnabitur*. Vi huius præcepti plura quam ex neceſſitate medii credere & ſcire adulti tenentur, ipſiſque prohibetur quælibet infidelitas, ſive interna, ſive externa, necnon ignorantia credendorum.

Fides Trinitatis & Incarnationis neceſſaria etiam eſt neceſſitate præcepti.

Fideles omnes generatim poſtquam ad uſum rationis pervenerint, ex ſpeciali præcepto fidei, nempe ex neceſſitate præcepti tenentur ſub mortali explicite credere, atque adeo ſcite & ediſcere myſteria Trinitatis & Incarnationis: quia omnia quæ adultis neceſſaria ſunt neceſſitate medii, ſunt etiam neceſ-

ceſſitate præcepti, ſi ſint in eorum poteſtate. Quiſque enim aſſumere debet media omnia neceſſaria ad ſalutem; cum teneatur ex lege divina & charitate ſui ipſius propriam ſalutem procurare. Enimvero ſi quæ ſunt myſteria, quæ explicite credere teneantur fideles; hæc duo ſane principem locum ſibi vindicant, utpote quæ ſunt primarium objectum Fidei neceſſariæ ad æternam ſalutem. Quoad alia vero a Deo revelata, & ab Eccleſia propoſita ut credantur, non eadem notitia ab omnibus exigitur; ſed alii aliis plura ſcire tenentur; unuſquiſque pro ratione ſui officii & conditionis.

Omnes adulti ſcire tenentur articulos Symboli Apoſtolorum, ſaltem quoad ſubſtantiam & ſenſum, ut ſi interrogentur ſciant reſpondere. Ita communiter ſentiunt Theologi, & ex *can.* lviii. lix. *&* cv. *diſt.* IV. *de Conſecrat.* manifeſte conſtat; cum etiam ex praxi univerſali ac perpetua Eccleſiæ, quæ a primis ſæculis ad hæc uſque tempora ſemper hanc ſalutis ſcientiam a fidelibus exegit & exigit; nec ullum adultum ſine illa umquam ad baptiſmum admiſit (ut ex *can.* baptizandos *de Conſecrat. diſt.* IV.); cum ex Rituali Parochorum, ex cujus præſcripto monendi ſunt Patrini, ſui eſſe officii, curare, ut infantes quos de ſacro fonte ſuſcipiunt, diſcant Symbolum, cum adoleverint; cum denique quia præceptum fidei obligat per ſe ad cognoſcenda & credenda ſaltem præcipua fidei chriſtianæ capita. Et hoc idem requirit ſtatus & chriſtiana profeſſio fidelium, qui ſcire debent myſteria & doctrinam Chriſti, ſaltem quoad ſubſtantialia capita, quæ Spiritus Sancti inſtinctu diſpoſuere Apoſtoli omnibus cognoſcenda ac credenda.

Dixi *ſaltem quoad ſubſtantiam*: quia duobus modis ſciri poteſt Symbolum. Quoad ſubſtantiam quidem: ut cum quis licet neſciat memoriter Symbolum ex ordine recitare, reſpondere tamen ad ſingulos articulos valet. Memoriter vero, quando quis ita memoria eoſdem articulos tenet, ut illos ordine & diſtincte valeat recitare. Primum modum vult Habertus non ſufficere; ſed aſſerit opus eſſe ut omnes adulti Symbolum Apoſtolorum memoriter teneant. Hoc probat ex can. *Vos.* §. Ante omnia *de Conſecrat. diſt.* IV. ex Synodi Quiniſextæ *cap.* VII. & ex S. Auguſtino *lib.* VIII. *Confeſſ. cap.* II. Rurſus quia, cum fides nobis data ſit tamquam ſpiritualis armatura, quam numquam deponere debemus, dum adverſum nos continuum imminet bellum a ſpiritualibus hoſtibus, niſi prompti & memoriter Symbolum teneamus, fidem ad manum numquam habebimus. Quidquid tamen ſit, num hæc ſententia ut verior habenda ſit, num vero oppoſita videatur magis accommodata gravi quorumdam inſcitiæ & hebetudini: conſultius tamen eſt, ut quiſque pro viribus elaboret in myſteriis aliiſque ſcitu neceſſariis ex præcepto, percipiendis.

Inſuper vi ipſius præcepti neceſſario tenentur omnes adulti credere explicite & ſcire ſacramenta (ea ſaltem quæ volunt aut debent ſuſcipere) eorum efficaciam, neceſſarias diſpoſitiones ad ea debite recipienda; & eorum utilitatem. Nam ſine tali cognitione, quomodo religioſe & digne poterunt ea ſuſcipere? Miſſæ pariter ſacrificium, cui reverenter ac devote intereſſe tenentur. Præcepta item omnia Decalogi & Eccleſiæ, omneſque obligationes quæ ſpectant ſingulorum ſtatum, munus, & officium. Etenim cum præcepta ſine eorum cognitione obſervari nequeant, obligant ad ſui cognitionem. Qui enim præcipit finem, præcipit media quoque ad illum neceſſaria. Quinimmo, ut advertet Lugo, cognitio & fides mandatorum Dei neceſſaria eſt non ſolum ex præcepto aliarum virtutum, ſed ex ipſa etiam virtute fidei; quatenus ſunt veritates a Deo revelatæ, ut credantur ab omnibus, & in praxim redigantur. Virtus enim fidei obligat univerſaliter ad credendum, ideoque ad omne audiendum & diſcendum præceptum, quod Deus univerſaliter præcipit, proponit, & revelat, ut ab omnibus ſubditis obſervetur. Et hæc ſine gravi irreverentia in Deum omitti nequeunt. Item ſcire debent orationem dominicam; quia datur præceptum orandi; & hæc formula orandi præſcripta eſt a Chriſto Domino Matth. cap. VI. *Sic orabitis:* & Eccleſia dicit in Miſſa *Præceptis ſalutaribus moniti audemus dicere. Pater noſter* &c. quæ precationis formula continet omnia, quæ a Deo petere debemus. Ita communiter Doctores.

Symbolum vero Apoſtolorum, Decalogum, orationem dominicam, ſalutationem angelicam, & modum efformandæ crucis memoriter ſcire tenentur, & quidem lingua qua intelligant Fideles omnes, ex præcepto etiam Eccleſiæ & conſuetudine, quæ habet vim legis. Debent autem horum omnium ſenſum percipere; cum debeant iſta ſcire, (ait P. Antoine) ut credant res fidei, & obſervent præcepta. Unde omnia hæc tenentur ediſcere pueri pro ſuo captu, cum primum ad uſum rationis pervenerint. Etenim tunc tenentur actiones ſuas dirigere ad ultimum finem; elicere actus fidei,

ſpei,

ſpei, & charitatis; ſervare mandata. Quare tenentur parentes eos vel per ſe, vel per alios edocere. Hinc lethalis culpæ rei ſunt Chriſtiani, qui cum in doctrina Chriſtiana rudes ſint & imperiti, nec Myſteria noverint quæ credere neceſſe eſt ad ſalutem, hæc omnia vincibiliter ignorant, vel diſcere negligunt. Gravis item peccati rei ſunt Parochi, qui catecheſes & inſtructiones de præcipuis doctrinæ Chriſtianæ capitibus prætermittunt: necnon parentes, domini, ſuperiores, qui filios, ſervos, ſubditos iiſdem catecheſibus adeſſe, & doctrinam Chriſtianam ediſcere non ſinunt, vel non compellunt.

Dixi *vincibiliter ignorant*: quia cum iſta neceſſitas talia explicite credendi ac ſciendi ſit dumtaxat præcepti; impotentia & invincibilis ignorantia non minus ac in aliis præceptis excuſare poteſt. Quod notandum pro hominibus agreſtibus & hebetibus. Tametſi & hi pro viribus erudiendi ſunt, ut præter primaria fidei myſteria, quorum ignorantia, iuxta propoſitionem ab Innocentio XI. proſcriptam, affert incapacitatem ad recipiendam ſacramentalem abſolutionem, ea ſaltem ſciant, quæ ad dignam ſacramentorum receptionem, & ad Chriſtianam vitam peragendam ſunt obſervanda.

Laici omnes ad eam articulorum fidem tenentur, quam hactenus explicuimus. Eccleſiaſtici autem omnes ad maiorem explicationemque notitiam & fidem tenentur quam laici: quia hos illi inſtruere & illuminare debent. His enim, vi ſui ſtatus (& præcipue Parochis, Confeſſariis, Concionatoribus ratione etiam officii) non ſufficit noſſe utcumque myſteria religionis, media ad ſalutem neceſſaria, præcepta moralia, quibus Chriſtiani mores informantur; ſed inſuper requiritur ut ea polleant ſcientia rerum fidei & præceptorum, ut & aliis ea omnia explanare, & difficultates ſolvere ac diluere poſſint: alioquin non poſſent alios recte inſtituere, ex Malach. cap. II. *Labia enim Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore eius: quia Angelus Domini exercituum eſt*. Epiſcopi autem longe ampliorem & perfectiorem cognitionem habere debent: utpote qui ex officio tenentur fidem explicare ac tueri, & fallacias hæreticorum diſſolvere. Inquit enim Apoſtolus ad Tit. cap. I. *Oportet enim Epiſcopum ſine crimine eſſe ... iuſtum, ſanctum, continentem, amplectentem eum qui ſecundum doctrinam eſt, fidelem ſermonem, ut potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos qui contradicunt, arguere. Sunt enim multi vaniloqui & ſeductores, maxime qui de circumciſione ſunt, quos oportet redargui*.

§. XX.

De tempore quo fideles elicere tenentur actum internum fidei.

Præter præceptum ſciendi res fidei, aliud etiam datur præceptum eliciendi actus fidei. Quærendum igitur eſt, quodnam ſit illud tempus, quo hoc præceptum obliget, ſeu quo Fideles actus illius præcepti elicere teneantur. Verum ut res bono in lumine collocetur, nota I. cum D. Thoma 2. 2. quæſt. LXII. art. I. extare præceptum in lege divina de actibus fidei, ſpei, & charitatis. Habetur enim Eccli. cap. II. *Qui timetis Deum, credite illi*. Quocirca merito a ſummis Pontificibus tres fuerunt hoc de argumento propoſitiones damnatæ. Prima proſcripta fuit ab Innocentio XI. *Satis eſt, actum fidei ſemel in vita elicere*. Altera ab eodem Pontifice proſcripta fuit circa Trinitatis & Incarnationis myſteria: *Sufficit illa myſteria ſemel credidiſſe*. Tertia proſcripta fuit ab Alexandro VII. *Homo nullo umquam vitæ ſuæ tempore tenetur elicere actum fidei, ſpei & charitatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium*. Datur præceptum eliciendi actus fidei, ſpei, & charitatis.

Nota 2. præceptum fidei aliud eſſet affirmativum, quo actus aliquis poſitivus præcipitur primario & ratione ſui, & hoc obligat ſemper, non vero pro omni tempore, ut 2. 2. quæſt. III. art. 2. docet Angelicus: Aliud eſſe negativum, quod vetat aliquem actum; & ſemper obligat & pro omni tempore. In omni autem præcepto affirmativo divino, quo actus alicuius virtutis præcipitur, includitur præceptum negativum, quo peccatum oppoſitum prohibetur. Etenim ex affirmatione alicuius, recte illius contrarii negatio infertur.

Nota 3. duplicem conſiderari poſſe obligationem eliciendi actum internum fidei (quod, ſervata proportione, dicendum pariter de obligatione eliciendi actum ſpei & charitatis) unam per ſe & directe; alteram indirecte & per accidens. Prima oritur ex ipſo præcepto obligante ad eliciendos actus fidei, præciſo quocumque alio reſpectu ad quamlibet aliam legem; ita ut omittens tunc actum fidei, peccet directe contra hanc virtutem. Altera manat ex alio præcepto, quod abſque fidei actu impleri nequit: ut quando actus fidei eſt medium neceſſarium ad implendum præceptum alterius vir-

Digitized by Google

virtutis, quod impleri nequit, niſi actus fidei præcedat. Hiſce igitur notatis.

Tempora deſignantur, quibus per ſe obligat divinum fidei præceptum

Præceptum affirmativum fidei per ſe & directe, ideſt vi ipſius præcepti divini nos obligat ad actum fidei eliciendum certis ſtatutiſque temporibus: Idcirco ex communi ſententia hoc præceptum per ſe obligat I. initio uſus rationis, ubi res credendæ ſufficienter propoſitæ ſint ut a Deo revelatæ: quia cum homo tunc incipiat vivere moraliter, ſtrictiſſime tenetur ſuum conditorem agnoſcere, debitum mentis obſequium ipſi præſtare, ſeque & omnia ſua ad ipſum tamquam finem ultimum dirigere; ac proinde propoſitis ſibi myſteriis firmiſſimum aſſenſum præbere. *Hoc eſt primum præceptum* (ait S. Auguſtinus Serm. XXXVIII. *boc eſt initium Religionis & vitæ noſtræ: fixum habere cor in fide*. Tunc enim aſſenſus omitti aut ſuſpendi nequit ſine gravi iniuria divinæ auctoritatis: nam hoc ipſo quod Deus revelavit aliqua ut a nobis credantur, & talis revelatio fuit nobis ſufficienter propoſita, ita ut prudenter eam negare, vel de ea dubitare non poſſimus; reverentia divinæ debita veritati, quam ſupremo mentis cultu venerari tenemur, exigit ut rebus revelatis firmiſſimum præſtemus aſſenſum, quem ſine gravi divinæ veritatis & auctoritatis contemptu atque iniuria negare vel omittere non valemus. Hoc idem dicendum eſt de infidelibus adultis, ubi primum myſteria fidei Catholicæ ſatis ipſis prædicata & propoſita fuerint.

II. Tenemur actum fidei elicere in quolibet probabili mortis periculo, & a fortiori in extremis vitæ: Tunc enim maxime profeſſionis ſuæ teſtimonium Deo & hominibus exhibere Chriſtianus obſtringitur. Eniti præterea totis viribus debet ut tentationes, quæ tunc imminent graviores, ſuperet: quia tunc quam maxime inimicus noſter Diabolus *circuit quærens quem devoret*, cui iuxta monitum D. Petri *Epiſt. I. cap.* V. reſiſtendum eſt *Fortiter in Fide*.

III. Cum gravis tentatio contra fidem inſurgit quæ, nonniſi per actum fidei vinci nequeat: quia cum præceptum fidei prohibeat diſſenſum aut dubitationem circa veritates revelatas, præcipit etiam media neceſſaria ad hæc vitanda. Hinc animadvertendo nos conſtitutos in gravi periculo vel dubitandi vel negandi, compellimur nos munire, actus fidei eliciendo, reſiſtentia poſitiva.

IV. Quando emittenda eſt profeſſio fidei exterior, vel a legibus, vel a Superiore impoſita, quæ ſine actu interno vera non eſſet: quia cum tunc exigatur profeſſio vera, & non ſimulata, illam fidei profeſſionem formaliter & ex animo emittere tenemur.

V. Quando infidelis vel primo accedens, vel lapſus in infidelitatem ſeu hæreſim, vel in voluntariam dubitationem, ad iuſtificationem regreditur, tenetur elicere actum fidei: ut docet Concilium Tridentinum *ſeſſ.* VI. *cap.* VI. Cum enim tam infidelis ſit qui numquam credidit, quam ille qui poſt fidem habitam ab ipſa lapſus ſit; uterque ut ad iuſtificationem diſponatur, actus fidei elicere tenebitur.

VI. Tandem tenemur actum fidei ſæpe in vita elicere. Et hoc manifeſtiſſime probant oracula ſummorum Pontificum in damnatione trium propoſitionum, quæ tempus ſpectant quo actus fidei edendi ſunt. Verum quia ſupra iam reprobatas tres theſes præmiſimus, ab iis reſcribendis hic ſuperſedemus; illiſque hic quartam adiungimus ab Innocentio XI proſcriptam, ordine 6. *Probabile eſt, ne ſingulis quidem rigoroſe quinquennis per ſe obligare præceptum charitatis erga Deum*: ac idem de fide quoque & ſpe intelligendum eſt, quarum neceſſitas æque fidelem viatorem urget. Certum igitur eſt, teneri fidelem ex vi divini præcepti ſæpe in vita, & ſæpius quam intra quinquennium, elicere actum internum fidei. Difficultas vero eſt in deſignando præfinito tempore ſuæ obligationis. Cenſent aliqui, ſemel ſaltem intra annum fideles urgeri ad actus talis præcepti repetendos: ut Bannez & alii. Plures tamen alii putant, pluries per annum ad actus fidei eliciendos teneri; & maxime dum præcipua religionis noſtræ myſteria ſolemniter celebrantur. Præceptum enim tam gravis momenti non pro aliquibus tantum vicibus, ſed pro plurimis a Deo ſancitum eſt: cum actibus fidei Deus maxime colatur, & vita iuſti per illos maxime alatur & conſervetur. Præterea ex divino præcepto tenetur fidelis vitam pie ducere ſecundum Chriſtiana inſtituta, a Dei offenſis præcipue gravibus abſtinere, & ſe pro viribus in ſtatu gratiæ conſervare & iuſtitiæ: quod certe ſine fidei exercitio vix eſt moraliter poſſibile. Nam per fidem menti noſtræ proponuntur motiva fugiendorum peccatorum, iuſtitiæ proſequendæ & præceptorum ſervandorum. Unde a Concilio Tridentino. *Humanæ ſalutis fundamentum initium, & radix omnis iuſtificationis* vocatur fides. Qui igitur diu vacat ab exercendis fidei actibus, vix poterit in iuſtitiæ ſtatu ſe conſervare. Patet ergo, ſæpius quam ſemel

mel in anno actus internos fidei a fidelibus eſſe repetendos.

Aliquando divinum præceptum eliciendi actum internum fidei obligat etiam per accidens, ideſt ratione alterius præcepti, ad quod ſervandum neceſſarius eſt actus fidei. Primo nempe, quando urget gravis tentatio contra aliam virtutem, quæ videatur non poſſe vinci ſine actu fidei: quia quando quis tentatur, tenetur adhibere media omnia neceſſaria ne in culpam ruat. Secundo quando ex præcepto eliciendi ſunt actus aliarum virtutum; ut ſpei, charitatis, religionis, pœnitentiæ: quia actus virtutum ſupernaturales neceſſario præſupponunt actum fidei, ſaltem implicitum. Tandem actus fidei requiritur ad juſtificationem peccatoris adulti.

§. XXI.

De Symbolo Apoſtolorum.

Symboli notio. Symboli vocabulum ex Græca voce aqua originem habet, collectionem ſeu collatio nem multorum in commune ad aliquod opus, vel ſignum aut teſſeram militarem, qua veri milites ab aliis ſecernuntur ſignificat. Apud Catholicos latine vertitur ac ſumitur pro regula fidei, ſeu ſumma capitum fidei, quæ omnibus credenda proponuntur. Conveniens autem fuit, primaria ac præcipua fidei capita in unum breviter colligi, ut facilius omnibus proponi ac memoriæ mandari poſſent. Deinde ut fideles ab infidelibus per eiuſdem fidei regulæ profeſſionem internoſcerentur. Deus ipſe breviter proponit hominibus quæ ab ipſis credenda & agenda ſunt.

Triplex Symbolum. Triplex diſtinguitur Symbolum: Apoſtolicum ſcilicet, Conſtantinopolitanum quod & Nicænum appellatur, & Symbolum quod tribuitur S. Athanaſio. Primum catechumenis tradebatur olim, illudque certo die ante baptiſmum reddere ſeu memoriter recitare tenebantur Competentes. Alterum eſt, quod in Miſſa recitatur. Tertium, quod in Primæ officio Dominicis diebus dicitur; & incipit his verbis: *Quicumque vult ſalvus eſſe.*

Apoſtolicum. Symbolum Apoſtolicum dicitur, non ſolum quia doctrinam & fidem Apoſtolicam continet; ſed quia inſuper ab Apoſtolis traditum eſt, non litteris quidem, ſed viva voce; ut teſtatur S. Hieronymus Epiſt. lxi. *Symbolum fidei, & ſpei noſtræ ab Apoſtolis traditum, non ſcribitur in charta, ſed in tabulis cordis carnalibus.* Cum igitur Apoſtoli mandatum accepiſſent a Chriſto Domino, ut legatione pro ipſo fungentes in univerſum Mundum proficiſcerentur, atque omni creaturæ Evangelium prædicarent, Chriſtianæ fidei formulam componendam cenſuerunt, & iis qui obedirent Evangelio tradendam: ut ſcilicet omnes idipſum ſentirent & dicerent, neque ulla eſſent inter eos ſchiſmata, quos ad fidei unitatem vocaſſent, ſed eſſent perfecti in eodem ſenſu & in eadem ſententia. Hæc autem fidei regula & profeſſio ab Apoſtolis tradita Symbolum appellata eſt: ſive quia ex variis ſententiis quas ſinguli in commune contulerunt, conflata eſt, ut quibuſdam auctoribus placuit; ſive quia ea veluti nota & teſſera uſi ſunt Apoſtoli, qua deſertores & ſubintroductos falſos fratres, qui Evangelium adulterabant, ab iis qui Chriſti militiæ Sacramento ſe obligarent, facile poſſent internoſci, ut ait Concilii Tridentini Catechiſmus. Apoſtoli revera auctores fuerunt Symboli eorum nomine nuncupati: nec eatenus dumtaxat illud Symbolum dicitur Apoſtolorum, quatenus eorum doctrinam continet, quemadmodum circumferuntur canones qui Apoſtolici dicuntur, quos conſtat ab Apoſtolis non fuiſſe conditos; ut cuidam Moderno viſum eſt. Docet enim conſtans Eccleſiæ Traditio, Apoſtolos auctores fuiſſe Symboli eorum nomine inſigniti: ut habetur ex Tertulliano, SS. Auguſtino & Ambroſio, Ruffino, Caſſiano, aliiſque Patribus. Cum autem illud Symbolum duobus modis edi potuerit, primo, ut unus ex Apoſtolis illud integrum confecerit, & cæteri illud approbaverint; ſecundo, ut omnes in unum convenerint, & ſinguli manum operi admoverint: hic poſterior modus communiter recipitur. *Ipſa* (inquit S. Leo *Epiſt.* XIII. ad Pulcheriam) *Catholici Symboli brevis & perfecta confeſſio duodecim Apoſtolorum eſt inſignita ſententiis.* Immo auctor *ſerm.* cxv. inter ſermones S. Auguſtini de tempore, aſſignat ſingulis Apoſtolis ſuum articulum.

Symbolum Conſtantinopolitanum. Symbolum Conſtantinopolitanum editum eſt in Concilio generali Conſtantinopolitano I. anno Chriſti CCCLXXXI. cui interfuerunt Patres centum & quinquaginta. Expoſitio & auctarium eſt eius, quod in Concilio Nicæno I. anno 325. a Patribus tercentum decem & octo conditum fuerat. Quocirca & Nicænum appellatum eſt. Nam cum Nicæna Synodus in ſuo Symbolo dixiſſet, Deum *omnium viſibilium factorem;* Conſtantinopolitanum poſuit, *Factorem cœli & terræ, viſibilium omnium & inviſibilium.* Addidit etiam confeſſioni divinitati filii, *Natum ante omnia ſæcula.* Item poſt hæc verba Nicæni Symboli, *Et incarnatus eſt*, addidit; *De Spiritu Sancto, ex Maria Virgine.* Item poſt

Digitized by Google

hæc verba, *Aſcendit in cœlum*, addidit, *Sedet ad dexteram Patris*. Adiecit & illud, *Cuius regni non erit finis*. Similiter poſt hæc verba, *Et in Spiritum Sanctum*, adiunxit, *Dominum, & vivificantem, ex Patre procedentem, & cum Patre & Filio adorandum, & glorificandum; qui locutus eſt per Prophetas*. Addidit denique confeſſionem unius, Sanctæ, Catholicæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ; unius baptiſmi in remiſſionem peccatorum; Reſurrectionis mortuorum; & vitæ futuri ſæculi. Poſt multa ſæcula addidit Eccleſia articulo de Spiritu Sancto, *Qui ex Patre Filioque procedit*: cum in Symbolo Conſtantinopolitano ſolum haberetur, *Ex Patre procedentem*. Qua in re nihil commiſſum eſt contra decreta Concilii Chalcedonenſis & Epheſini, prohibentia ne quid adderetur Symbolo. Nam prohibuerant dumtaxat ne quid contrarium adderetur, ſive ne alia diverſaque fides conderetur; non vero ne adderetur aliquid per modum expoſitionis: quod fecerat Eccleſia in Concilio Conſtantinopolitano. Quamobrem iure ſuo uſa eſt Eccleſia, cum ob emergentem errorem contra proceſſionem Spiritus Sancti a Patre & Filio, addidit particulam, *Filioque*: qua verba illa Conſtantinopolitani Symboli, *Ex Patre procedentem*, magis explicantur. Fides namque progreſſu temporis non mutatur, ſed exponitur & illuſtratur.

Symbolum S. Athanaſii.

Symbolum quod S. Athanaſii dicitur, a Concilio Auguſtodunenſi anno Chriſti DCLXX. commendatum eſt, canone quo Presbyterum, Diaconum, Subdiaconum, vel Clericum ab Epiſcopo damnari ſtatuit, qui *Symbolum quod, Sancto inſpirante Spiritu, Apoſtoli tradiderunt, & fidem S. Athanaſii Præſulis irreprehenſibiliter non recenſuerit*. Dicitur Symbolum S. Athanaſii: quia ſummam fidei continet, cuius S. Athanaſius aſſertor fuit & vindex.

Cur Apoſtolicum ſubmiſſa voce, Conſtantinopolitanum alta dicatur.

Symbolum Apoſtolicum ſubmiſſa voce dicitur in officio divino, Symbolum vero Conſtantinopolitanum alta voce recitatur vel canitur in Miſſarum ſolemniis. Huius diſciplinæ morisque rationem reddit S. Thomas 2. 2. quæſt. 1. art. 9. ad 6. *Quia*, inquit, *Symbolum Patrum eſt declarationem Symboli Apoſtolorum; & etiam conditum fuit, fide iam manifeſtata, & Eccleſia pacem habente: propter hoc publice in Miſſa decantatur. Symbolum autem Apoſtolorum, quod tempore perſecutionis editum fuit, fide nondum publicata, occulte dicitur in Prima & in Completorio, quaſi contra tenebras errorum præteritorum & futurorum*.

Symbolum fidei in duodecim capita dividitur, quæ ſimilitudine quadam a Patribus noſtris frequenter uſurpata, Articulos appellamus. Ut enim corporis membra articulis diſtinguuntur; ita etiam in hac fidei confeſſione quidquid diſtincte & ſeparatim ab alio nobis credendum proponitur, recte & appoſite articulum dicimus. Sic S. Leo *Epiſt.* XXVII. *alias* XIII. ad Pulcheriam Auguſtam. Duodenarii iſtius articulorum numeri convenientem rationem tradit S. Thomas loc. cit. art. 8. *Illa* inquit, *per ſe pertinent ad fidem, quorum viſione in vita æterna perfruemur, & per quæ ducimur ad vitam æternam. Duo autem nobis videnda proponuntur: ſcilicet arcanum divinitatis Chriſti, cuius viſio nos beatos facit; & myſterium humanitatis Chriſti, per quam ad gloriam filiorum Dei acceſſum habemus. Unde Io. cap.* XVII. *dicitur: Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum*. Eorum igitur quæ credenda ſunt, quædam pertinent ad maieſtatem divinitatis; quædam vero ad myſterium humanitatis Chriſti. Circa maieſtatem divinitatis tria nobis credenda proponuntur. Primo, unitas Dei, quæ primo articulo proponitur. Secundo, Trinitas perſonarum, quæ tribus articulis proponitur: quorum primus etiam perſonam Patris; ſecundus perſonam Filii; octavus perſonam Spiritus Sancti ſpectat. Tertio, proponuntur nobis opera divinitati propria: quorum primum pertinet ad naturam, ſcilicet creatio; alterum ad gratiam, ſcilicet hominis ſanctificatio; tertium ad gloriam, ſcilicet beatificatio. Creationem articulo primo profitemur. Quæ ſanctificationis opus ſpectant, articulo nono, quo Sanctam Eccleſiam Catholicam, & Sanctorum communionem; & articulo decimo, quo remiſſionem peccatorum credere profitemur. Quæ opus gloriæ ſive beatificationem reſpiciunt, articulo undecimo de reſurrectione carnis, & duodecimo de vita æterna continentur. Sex itaque articuli pertinent ad Dei maieſtatem, operaque ipſi propria. Sex vero reliqui ad humanitatem Chriſti, ſeu Verbi Incarnati myſterium, œconomiam, & diſpenſationem. Et ſane, conceptionem illius, articulus tertius; quartus, paſſionem eius, mortem, atque ſepulturam; quintus, deſcenſum ad inferos & reſurrectionem; ſextus, admirabilem in cœlos aſcenſionem; ſeptimus, futurum adventum ad iudicium vivorum & mortuorum complectitur.

Duodecim articuli Symboli Apoſtolici.

Symbolum Apoſtolorum inter Scripturas ſacras non recenſetur.

Symbolum Apoſtolorum non recenſetur inter Scripturas ſacras: quia Apoſtoli non illud

Digitized by Google

illud condiderunt tamquam Dei amanuenſes & eius nomine, ſed tamquam Eccleſiæ Paſtores; non ſecus ac eorum ſucceſſores in Conciliis œcumenicis canones exararunt, qui tametſi contineant verbum Dei, non ſunt tamen conflati, dictante Spiritu Sancto, ſed aſſiſtente dumtaxat. Hinc Eccleſia, quæ identidem texuit catalogum librorum ſacrorum (ut in Concilio Laodiceno *cap.* lx. Carthaginenſi III. *cap.* xliii. Tridentino *ſeſſ* iv.) numquam Symbolum Apoſtolicum recenſuit. Rurſus mutationes aliquando factæ ſunt Symbolo Apoſtolorum. Nam Rufinus teſtatur, omiſſam fuiſſe in Eccleſia Romana hanc ſententiam, *Deſcendit ad inferos*, & S. etiam Auguſtinus *lib. I. de Symb. cap.* iii. eam omittit; ſicut & particulam, *Catholicam*, *cap.* vi. eiuſdem libri. In textu autem Scripturæ ſacræ quidquam mutare non licet.

In quo differant articulus & propoſitio.

Tametſi quilibet Symboli articulus ſit propoſitio fidei, non omnis tamen propoſitio fidei eſt articulus. Nam propoſitio fidei eſt cuiuslibet rei immediate a Deo revelatæ; ut quod Saul fuerit primus Rex Iſrael, & quod Ieſſe genuerit Davidem. Hæ ſunt propoſitiones fidei, utpote quæ immediate fuerunt a Deo revelatæ. Articulus vero fidei eſt rerum particularium ad ſalutem æternam pertinentium; ſicuti quod Ieſus Chriſtus ſit unicus Dei filius, Patri conſubſtantialis. In hoc igitur differunt propoſitiones fidei ab articulis fidei: quod iſti ſint rerum ſperandarum; non vero illæ.

§. XXII.

De externo actu fidei, ſeu de externa Confeſſione & profeſſione fidei.

Præter præceptum ſciendi res fidei, & eiuſdem fidei actus eliciendi, datur etiam præceptum hanc fidem exterius confitendi. De illo hucuſque egimus. Reſtat igitur ut præceptum exponamus quod eſt de externa fidei confeſſione. Hoc autem duplex eſt: divinum, & eccleſiaſticum. De eccleſiaſtico infra, nunc de divino ſermo erit.

Nota, divinum hoc præceptum de externa fidei confeſſione, ſicut etiam præceptum eliciendi actus fidei, adfirmativum eſſe, & negativum. Unde circa externam fidei confeſſionem atque profeſſionem, vi talis præcepti, duplex urget neceſſitas & obligatio. Una negativa, ſcilicet numquam fidem exterius negandi: & hæc, ſicuti præceptum negativum ex quo oritur, obligat ſemper & pro ſemper, ut numquam licitum ſit fidem quovis modo exterius negare. Altera adfirmativa, videlicet fidem exterius confitendi, ſive verbis, ſive factis: & hæc neceſſitas, quia fundatur in præcepto adfirmativo, obligat quidem ſemper; non tamen pro ſemper, ſed pro aliquo tantummodo determinato tempore.

Præceptum exiſtentia oſtenditur.

Extare divinum præceptum fidem exterius ſuo tempore confitendi, concors eſt Theologorum ſententia, quæ ſacræ Scripturæ, & Sanctorum Patrum teſtimoniis innititur. Apoſtolus enim *ad Rom. cap.* x. inquit; *Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem*. Duo docet hiſce verbis Apoſtolus. Prioribus nempe, actum internum fidei ſufficere ad remiſſionem peccatorum & iuſtificationem impetrandam: *Corde enim creditur ad iuſtitiam*. Poſterioribus vero, ad conſequendum æternæ ſalutis præmium requiri inſuper externam fidei profeſſionem. Unde S. Auguſtinus *lib. de fid. & Symb. cap.* i. ait: *Fides a nobis duplex officium exigit: cordis, & oris*. Et ratio eſt manifeſta. Nulla enim eſt vera virtus, quæ per actus internos non tendat ad actus exteriores: ut religio ad cultum Dei exteriorem exhibendum; miſericordia ad ſublevandum pauperem, cuius interius miſeretur: nec crederetur religioſus & miſericors, qui nollet, data occaſione, Deum exterius colere, & miſero opem ferre. Et ſic dicendum de omnibus aliis virtutibus. Igitur qui interne affectum habet credulitatis, non quieſcit in interno aſſenſu rebus revelatis, ſed prorumpit in exteriores actus interno illi credulitatis affectui conſonantes. Et ſane honor quem debemus auctoritati Dei revelantis, exigit, ut non ſolum aſſenſu interno, ſed inſuper externa profeſſione ei adhæreamus & nos ſubiiciamus.

Confeſſio externa fidei non eſt per ſe neceſſaria ad ſalutem neceſſitate medii, ſicuti interior mentis aſſenſus; ſed dumtaxat neceſſitate præcepti: quia infidelis iuſtificatus per actum perfectæ contritionis, ideſt per fidem quæ per charitatem operatur, ſalvari poterit, ſi forte decedat priuſquam occaſio ei ſeſe obtulerit fidei profitendæ. Igitur talis externa fidei profeſſio eſt neceſſaria ſolummodo neceſſitate præcepti. Dixi *per ſe*: cum contingere poſſit ut neceſſaria ſit neceſſitate medii; puta, ratione ſuſcipiendi baptiſmi, in quo fit profeſſio fidei.

Quandonam obligat præceptum affirmativum.

Variæ porro ſunt circumſtantiæ, in quibus obligat præceptum adfirmativum externæ confeſſionis fidei. Et quidem ex communi

muni ſententia obligat, etiam cum vitæ damno, quoties per eius omiſſionem ſubtraheretur honor Deo debitus, vel utilitas proximo impendenda; ut cum ex confeſſione fidei ſperatur infidelium converſio, vel fidelium infirmorum confirmatio in fide, præcipue ſi alias cenſeantur vacillaturi, vel fidem negaturi: vel quando ex taciturnitate ſequeretur contemptus religionis, vel ſcandalum, vel confirmatio in errore, aut perverſio aliquorum; aut minueretur apud infideles exiſtimatio de Deo & de religione Chriſtiana; vel omiſſio confeſſionis cenſeretur implicita fidei negatio. *In huiuſmodi enim caſibus confeſſio fidei eſt de neceſſitate ſalutis*. Sic concludit Angelicus 2. 2. quæſt. 3. art. 2. Hinc certum eſt, quod ſi quis interrogaretur a publica poteſtate de ſua fide, teneretur in prædictis caſibus ſub mortali, etiam cum vitæ diſcrimine, clare & aperte illam profiteri: ut definitum ſuit ab Innocentio XI. qui oppoſitam doctrinam proſcripſit in theſi 18. *ſi a poteſtate publica quis interrogetur, fidem ingenue confiteri, ut Deo & fidei glorioſum conſulo; tacere, ut peccaminoſum per ſe non damno*. Et ſane actus cuiuslibet virtutis, ſive internus, ſive externus, præceptus eſt, cum neceſſarius eſt ad finem præcepti, qui eſt charitas; iuxta illud I. ad Timoth. cap. 1. *Finis præcepti eſt charitas de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta*. Cum igitur in recenſitis caſibus fidei profeſſio neceſſaria ſit ad charitatem Dei & proximi; ſequitur, quod in illis caſibus præceptum urgeat fidei etiam cum vitæ damno confitendæ. Si quis autem interrogetur a privata perſona, teneter reſpondere in dictis caſibus, ait landatus Angelicus; nempe ſi religioni aut proximo detrimentum aliquod immineret. Si vero nullum immineat detrimentum; dicunt Abulenſis, Caietanus, Silveſter, Suarez, aliique citati a Salmanticenſibus *Tract.* XXI. cap. 11. punct. 6. n. 67. adhuc teneri ſub mortali reſpondere. Id tamen verum iudico, ſi nullum ex reſponſione timeat grave damnum ſibi inſerendum, non in odium religionis, ſed ob malitiam interrogantis, & ex odio quod habet in Catholicos, illos graviter vexando, v. g. negando tranſitum. Si autem ſibi timeat grave damnum, & nulla ſperetur gloria Dei & religionis, ſed anſam tantummodo præberet improbitati interrogantis; tunc cenſent citati auctores cum Bannez, Azorio, aliiſque, tacere, declinare reſponſum, aut alia indirecta reſponſione ſe ſubtrahere, non eſſe mortale: quia cum nullum intervenit, ut ſupponitur, dedecus religioni, grave incurreretur malum ſine ullo bono effectu.

Dixi *clare & aperte* fidem profitendam eſſe, ſi a publica poteſtate de fide fiat interrogatio. Nam qui utitur verbis ambiguis & æquivocis, quæ ab interrogante accipiantur pro negatione; hic ſane, ut notant Suarez & De Lugo, erubeſceret fidem Chriſti, ipſiuſque doctrinæ profeſſionem, & illud quod ipſe Chriſtus Dominus *Luc. cap.* IX. comminatus eſt, nequaquam effugiet: *Qui me erubuerit & meos ſermones, hunc Filius hominis erubeſcet, cum venerit in maieſtate ſua*.

Tenemur item veritates practicas, non minus quam ſpeculativas a Chriſto traditas, dicto & facto profiteri & tueri, non ſolum coram infidelibus, ſed etiam coram mundanis hominibus; quando honor Chriſti & ædificatio proximi id exigat. Quiſque enim impedire tenetur, ſi poteſt, etiam peccata contra fidem & Religionem. Nam quælibet virtus obligat ad impedienda quæ illi adverſantur: alioquin Deus iniuria afficeretur. Idcirco ſi videas nomen Dei blaſphemari, vel dogmata fidei impugnari; honorem Dei lædi, vel religionem contemni; ſacras virgines vel templa profanari: etiam cum vitæ periculo teneris hæc impedire, ſi poſſis; quia tunc honor qui Deo debetur, ſacrorum reverentia, & charitas in Deum, id requirunt: ſecus vero, ſi prudenter iudices tuam oppoſitionem magis obfuturam quam profuturam.

Quod ſpectat autem negativum fidei præceptum; certum eſt, illud ſemper & pro ſemper obligare: quia actio mala, ſicuti eſſet negare fidem, ſive ex animo, ſive ex ſimulatione tantum, numquam poteſt eſſe licita. Numquam igitur licitum erit, fidem, etiam tantum exterius negare, ne ad evitandam quidem mortem & dira ſupplicia. Habetur enim Matth. cap. X. *Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo*. Et hoc conſtat etiam ex perpetua Traditione & praxi Eccleſiæ, quæ id ut graviſſimum crimen ſemper habuit. Damnavit enim Helceſaitas ut hæreticos, qui dicebant id licere, dummodo fides in corde retineatur: & graviſſimis pœnis illos multabat, qui fidem in perſecutionibus exterius tantummodo negabant, ut acerbiſſimæ morti ſe ſubtraherent. Præterea hæc exterior negatio eſt mendacium pernicioſiſſimum in re gravi, iniuriamque infert maximam veracitati Dei, necnon ipſius honori, quod ſervus dedignetur eum ut dominum palam agnoſcere. Quare Catholicus inter-

terrogatus de ſua religione, graviter delinqueret, ſi negaret ſe non eſſe Chriſtianum, vel Catholicum, aut Papiſtam; quia negaret ſe veram Chriſti fidem tenere: vel diceret ſe eſſe Turcam, vel Iudæum; vel ex aliqua alia Secta; quia hoc ipſo negaret ſe eſſe Catholicum, quod eſt veram Chriſti fidem negare. Si autem interrogatio eo pertineret, ut interrogans ſciret, eſſet ne Hollandus, Anglus, vel alterius nationis: tunc ſi reſponderet interrogatus, ſe eſſe Lutheranum, ideſt Anglum aut Hollandum, nullo modo fidem negaret; cum de fide nullus eſſet ſermo. Sacerdos etiam vel Religioſus rogatus, num ſit Sacerdos vel Religioſus, peccaret quidem negando, quia mentiretur: non tamen fidem negaret; quia mendacium non eſt fidei negatio, ſed conditionis aut actionis cuiuſdam, ſine qua poteſt quis eſſe Catholicus.

§. XXIII.

De licita vel illicita fidei diſſimulatione.

Tria ſunt ſignorum genera. Quænam licita.

Nota, tria eſſe ſignorum aut veſtimentorum genera. Alia quæ ſunt moria patriæ, ut veſtis talaris colorata in regionibus Orientalibus. Alia ſigna ſunt inſtituta ad profitendam Sectam, vel ad cultum reddendum inſtitutori Sectæ, vel ad ſignificandum honorem magiſterii in tali Secta. Alia quæ non inſtituta ſunt ad Sectam profitendam, ſed ad eam ab aliis diſtinguendam; ac proinde conceduntur aut imponuntur perſonis tantummodo illius Sectæ, & non aliis; puta pileus Flavi coloris Ferrariæ ad Hebræos ab aliis omnibus diſtinguendos. Signa ſecundi & tertii generis ſecundum probabiliorem Doctorum ſententiam vetita ſunt fidelibus ſub mortali, non obſtante quocumque damno & periculo; quia ſicuti qui verbo ſe declarat Iudæum vel Turcam, iuxta omnes peccat lethaliter; ſic lethaliter peccabit qui talem facto ſe prodit. Hæc enim eſt actio oppoſita exteriori Fidei Confeſſioni, & gravis fidei iniuria; immo ſaltem indirecte & facto exterior fidei negatio. Quomodo igitur poteſt eſſe immunis a peccato?

Falſam religionem ſimulare numquam licet.

Numquam licet, etiam cum periculo fortunarum & vitæ, falſam religionem ſimulare: nec proinde actiones exercere, vel ſignis aliquibus uti, quæ ex ſe, vel ex lege, vel communi uſu ſunt profeſſio exterior falſæ religionis (ut genuflexio, thurificatio coram Idolo, oratio ad Maumedem) licet fiant ſimulate & ad evirandam diram mortem. Hoc conſtat ex perpetuo ſenſu & praxi Eccleſiæ, quæ ſemper abhorruit a ritibus externis infidelium, & gravibus pœnis affecit eos, qui tantum ſimulate idola adorabant, vel libellum a Magiſtratu infideli recipiebant, quo ſignificaretur, licet falſo, ſe ſatisfeciſſe edicto ſacrificandi idolis. Nam ſicuti eodem præcepto affirmativo fidei præcipitur internus aſſenſus, & externa confeſſio; ita præcepto negativo prohibetur ſalſæ fidei internus aſſenſus, & quævis externa profeſſio: quæ intrinſece mala eſt, utpote mendacium facti in re maximi momenti. Et licet ſimulate hoc fiat; tamen qui hoc exercet, falſam religionem facto exterius profitetur. Facto enim & opere negat ſe eſſe Chriſtianum, dum ſe oſtendit Mahumedanum v. g., Iudæum, vel cuiuſcumque falſæ religionis ſectatorem.

Dices. Laudatur Iehu *IV. Reg. cap.* x. quod ſimulaverit ſe velle ſacrificare Baal: & Eliſæus permiſit Naaman Syro adorare in templo Remmon. *Ibid.* cap. v. Igitur aliquando non eſt illicitum ſimulare falſam religionem. Reſp. Iehu laudatur, quod cultum Baal deſtruxerit, non quia ſe velle ſacrificare ſimulaverit: immo eius ſimulatio vocatur a S. Auguſtino lib. de Mendac. cap. II. *Impium mendacium*. Neque Eliſæus permiſit Naaman adorare Idolum per ſimulationem, ſed ſolum incurvare ſe, ut Rex illi inniteretur, dum coram idolo genufleteret: quia Naaman obſequium hoc tenebatur præſtare Regi, qui ſolebat, ſive in foro, ſive in templo, inniti humero alterius, & quem de more non poterat Naaman ſuſtinere, ſi ipſe, Rege genuflectente, rectus ſtaret. Unde in tali caſu debebat ſe inclinare ut Regem ſuſtineret; ac proinde exercebat obſequium dumtaxat civile erga Regem, & minime religioſum erga Idolum: idque omnibus adſtantibus ſatis iam compertum erat. Eliſæus igitur ſolum permiſit Naaman exercitium officii civilis Regi exhibendi, etiam dum hic ſua veneraretur Idola. Quare ſemper illicitum eſt & mortale cœnam manducare cum hæreticis, vel communicare in propriis hæreticorum ſacris cæremoniis vel precibus, etiamſi quis hoc faceret, ad iniuriam & odium Patris vitandum, & ne forte ab ipſo exhæredaretur. Quia cum hæc ſint ſigna falſæ Religionis; id faciens cenſeretur cum iis communicare in falſa religione, illamque facto & ſigno externo virtualiter profiteri: & ſic veram fidem virtualiter exterius negaret. Similiter graviter contra fidem peccaret qui intereſſet conventibus & concionibus hæreticorum; præcipue ſi extaret edi-

ctum Principis, obligans omnes incolas ad eiuſmodi conventus & conciones in ſignum falſæ religionis. Quod ſi Princeps hoc ſolum præciperet titulo honoris exhibendi ſuæ Sectæ, immo ſi, etiam ſecluſa tali lege, præcipue data opera & frequenter iiſdem conventibus intereſſent fideles; adhuc ageretur, vel ſaltem grave adeſſet periculum agendi contra fidei Catholicæ profeſſionem in favorem falſæ religionis: quia in utroque caſu ad ea cum ipſis convenire, eſſet cooperari ad falſæ ſectæ commendationem & ad auctoritatem ipſi conciliandam; quod cenſetur a vera fide defectio, vel defectionis ſimulatio. Quinimmo talis communicatio magnum periculum afferret ſubverſionis, vel ſcandali: ac proinde ob utramque rationem etiam cum diſcrimine vitæ ab ea eſt cavendum. Et revera Paulus V. bis reſcripſit Anglis, hoc non licere. Cæterum his exceptis circumſtantiis, nempe edicto Principis, periculo ſubverſionis, & ſcandalo, P. Antoine & Habertus docent, nullum eſſe peccatum, ob aliquam iuſtam cauſſam ingredi hæreticorum templa, ibique eorum conciones audire: non ut cum illis habeatur communicatio; ſed ad obſervandum quid ibi agatur vel prædicetur. Notat hic tamen Sanchez, quod mera curioſitas non ſufficit ut licite quis eiuſmodi conciones audiat; ſed requiritur aliqua gravis cauſſa, contra alios, qui, ſecluſo ſcandalo, contrarium ſentiunt.

Intereſſe nuptiis aut funeribus infidelium & hæreticorum; ubi ſimul commorantur fideles, & conſuetudo invaluerit mutuo ſe invitandi, Salmanticenſes cum aliis quos citant, non iudicant illicitum: dummodo tamen non communicent in aliquo ritu ſacro, & nulla ſit ſcandali ſuſpicio; & dummodo, addit recentior Theologus, recuſare invitationem haberetur ut offenſa. Famuli, milites, aliique herum infidelem aut hæreticum ex debito ſui muneris ad ſua templa comitantes, ibique ſtantes capite detecto, aliaque ſigna reverentiæ hero ſuo exhibentes, non agunt illicite: quia hoc faciunt non in reverentiam idoli aut ſacrorum illorum, ſed dumtaxat ſui heri, cui illum civilem cultum præſtare tenentur. Huius rei exemplum ſupra iam vidimus in Naaman Syro, cui Eliſæus permiſit ut talem cultum ſuo Principi deferret. Conſulendi tamen ſunt, ut, quamprimum poſſint, de alio hero ſibi proſpiciant: cum in gravi periculo verſentur, ne aliquando humano reſpectu compulſi agant quod graviter Chriſtianæ repugnet religioni.

Famuli comitantes infidelem herum ad ſua ſacra, non agunt illicite.

Item excuſaretur Catechumenus, qui conſtitutus in extrema neceſſitate ſuſcipiendi baptiſmatis, nec valens ſumere a Catholico, illud ab hæretico aut alio apoſtata peteret, deficiente quolibet alio magis idoneo, qui illud adminiſtraret; quamvis eorum templa adire compelleretur: ſicuti non peccaret fidelis in eadem neceſſitate poſitus, petens ſacramentalem abſolutionem a quocumque Sacerdote, ſi alius idoneus abſit. Concedit enim Concilium Tridentinum ſeſſ. XIV. cap. VII. quod tunc a quibuſvis peccatis, & a quolibet Sacerdote abſolutionem obtinere licitum ſit. Qui tamen ſimulate thus coram idolo incenderet, animum ad Chriſtum dirigens, graviter quidem peccaret contra negativum fidei præceptum, ſed fidem non amitteret: utpote qui mente firmiter adhæret revelationi divinæ per Eccleſiam propoſitæ.

Infidelium veſtibus num uti liceat.

Licet uti veſtibus & ſignis quæ ſunt inſtituta ad diſtinguendam nationem, uti fit in Anglia & in aliis hæreticorum locis: de ſignis vero & veſtibus inſtitutis & ordinatis ad falſam religionem profitendam, qualis eſt tobalea alba apud Turcas, vel Romæ pileus flavus Iudæorum, utpote quæ infideles a fidelibus diſtinguunt, nemo ſane inficiabitur, iis uti non licere; dummodo non adſit iuſta cauſſa occultandi fidem. Tunc enim iis utens ſine iuſta cauſſa, cenſeretur fidem negare, aut velle videri illius deſertor: quod eſt intrinſece malum; cum illis tunc uti cenſeatur, ut ſe a fidelibus diſtinguat.

Chriſtiani tertii ſæculi, qui libellatici dicebantur, peccarunt contra fidem.

Qui tempore perſecutionis, numerata pecunia, ab infideli Magiſtratu ſibi familiari libellum emeret, quo ſignificaretur, quamvis falſo, ipſum obtemperaſſe impiis Imperatorum edictis (ut factum fuit in perſecutionibus quæ exarſerunt tertio Eccleſiæ ſæculo, a quibuſdam Chriſtianis, qui ideo vocati fuerunt *Libellatici*) peccaret contra fidem: quia ſimularet falſam religionem. Hinc graves expoſtulationes S. Cypriani *Epiſt.* XV. *ad Presbyt. & Diacon.* & Tertulliani *lib. de fug. in perſecut.* cap. XII. & XIII. adverſus libellaticos, quos graviſſimi ſceleris reos & veluti idololatras improbarnnt.

Num Catholici poſſint in regionibus hæreticorum carnes comedere diebus vetitis.

Item contra fidem peccaret, qui tranſiens per hæreticorum regiones, carnes comederet certis diebus præcepto Eccleſiaſtico vetitas, ſuppoſito quod Princeps hæreticus in odium religionis Catholicæ præcepiſſet veſci eiuſmodi carnibus: quia in hac hypotheſi illa carnium comeſtio ſignum eſſet falſæ Religionis. Hinc Eleazarus mori maluit, quam carnibus ſuillis lege veteri interdictis veſci *II. Machab.*

Digitized by Google

cab. cap. VI. ſecluſo vero hoc caſu, ob graviſſimum motivum vitæ tuendæ, vitandæque perſecutionis, aut alio ſimili, dummodo omnis ſcandali ſuſpicio tollatur religioniſque contemptus, licitum eſſet diebus vetitis eas comedere: quia lex humana non obligat cum tam gravi detrimento; & multæ poſſunt eſſe cauſſæ diſpenſantes ab abſtinentia a carnibus. Unde nullo modo tunc cenſetur comedens profiteri falſam Sectam; ſed tantum anteferre præceptum naturale de graviſſimo detrimento evitando, legi poſitivæ de abſtinendo a carnibus: cum præceptum naturale prævaleat poſitivo.

§. XXIV.

De fuga capta a Chriſtiano tempore perſecutionis.

Licet aliquando in perſecutione fugere.

Tempore perſecutionis licet Chriſtiano fugam arripere, aut ſe occultare, ſi ex tali fuga nullum fidei detrimentum in aliis, vel ſcandalum ſequatur; ut *Matth.* cap. x. colligitur: *Cum vos perſecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam.* Id etiam confirmat exemplum Apoſtolorum, S. Athanaſii, aliorumque ſanctorum hominum, qui fugerunt. Præterea id conſtat ex ipſius Eccleſiæ iudicio, quæ nimiæ ſeveritatis & erroris arguit Tertullianum, quia quemlibet fugientem damnaret. Etenim ſic fugiens fidem non negat; quinimmo quodammodo profitetur: non enim fugeret, ſi fidem non retineret. Et tantum abeſt quod fugiens in dictis circumſtantiis peccaret, ut potius abſque neceſſitate aut utilitate manens, eſſet culpandus. Inquit enim S. Thomas 2. 2. quæſt. CXXIV. art. 1. ad 3. *Non debet homo occaſionem dare alteri iniuſte agendi.* Hæc tamen fuga illicita eſſet ei, cuius præſentia neceſſaria eſt ad alios in fide confirmandos: quia ita exigit charitas. Et eo vel maxime, ſi ex officio ad hoc teneatur; ut ſi Paſtor ſit, hic enim debet manere etiam cum periculo vitæ: quia tunc agitur de periculo honoris Dei & ſalutis proximi. Secus vero dicendum eſſet, ſi illius fuga utilior ſit bono communi & ſubditorum: nam in tali caſu charitas fugam poſtulat.

Cum igitur profeſſio fidei facienda ſit, nec omitti poſſit ſine gravi culpa, quando neceſſaria eſt & utilis; nempe quando adſit motivum gloriæ Dei, & decoris Chriſtianæ fidei: extra hoſce caſus confeſſio publica fidei non ſemper eſt laudabilis & licita; immo aliquando reprehenſibilis & illicita; ſcilicet ſi quis ſine ulla neceſſitate, publica fidei confeſſione temere ſe exponeret periculo ſuppliciorum, quæ forte perferre non poterit: quia tunc imprudenter ſe exponit periculo negandæ fidei. Item ſi per eam infidelibus præbeatur occaſio peccandi, fidemque perſequendi; nam tunc per illam impediretur maius bonum; immo inferretur magnum periculum ac damnum proximo & religioni. Unde illud Matth. cap. VII. *Nolite dare ſanctum canibus, neque mittatis margaritas veſtras ante porcos: ne forte conculcent eas pedibus ſuis; & converſi dirumpant vos.* Sic D. Thom. ad 3. addens. *Sed ſi utilitas fidei aliqua ſperetur, aut neceſſitas adſit: contempta perturbatione infidelium, debet homo publice fidem confiteri.*

§. XXV.

De præcepto eccleſiaſtico externæ profeſſionis fidei.

Præter præceptum affirmans divinum palam fidem confitendi, de quo dictum eſt, aliud præceptum eccleſiaſticum datur, quo plures in dignitate conſtituti urgentur fidem ſuam publice profiteri. Atque primum omnium exſcribenda ſunt quæ hac de re præcipit ſacra Tridentina Synodus. Porro *ſeſſ.* XXIV. *de reform cap.* XII. hæc decernit. *Proviſi etiam de beneficiis quibuſcumque curam animarum habentibus, teneantur a die adeptæ poſſeſſionis ad minus intra duos menſes in manibus ipſius Epiſcopi, vel eo impedito, coram generali eius Vicario ſeu Officiali, orthodoxæ ſuæ fidei publicam facere profeſſionem, & in Romanæ Eccleſiæ obedientia ſe permanſuros ſpondeant ac iurent.* Hoc præceptum, ut notant gratias *III. Part. de benefic cap.* III. *num.* 23. Barboſa *de Poteſt. Epiſcop. III. Part. allegat.* LXI. *num.* 12. & alii, obligat ſub mortali. Hanc ordinationem ad Canonicos cathedralium ſacra Synodus extendit his verbis: *Proviſi autem de canonicatibus & dignitatibus in Eccleſiis cathedralibus, non ſolum coram Epiſcopo, ſeu eius Officiali, ſed etiam in Capitulo idem facere teneantur; alioquin prædicti omnes proviſi, ut ſupra, fructus non faciant ſuos, nec illis poſſeſſio ſuffragetur.* Quocirca quando Epiſcopus non eſt in Capitulo, bis emittere debent hanc profeſſionem: videlicet coram Capitulo, & coram Epiſcopo. Et ſi emittatur coram Capitulo, Sede vacante; iterum emittenda eſt coram Vicario Capitulari, ut ſecundum probabiliorem vult Barboſa *loc. cit. num.* 18. Hinc Canonicus promotus in Eccleſia non Cathedrali, ſed tantum Collegiata, non tenetur ad hanc profeſſionem; neque

Omnes animarum curam habentes tenentur fidei profeſſionem palam edere.

Item Canonici cathedralium.

Coa-

Coadiutores Canonicorum cathedralium; neque Capellani aliique proviſi beneficio ſimplici in illis Eccleſiis; quia de nullo iſtorum Concilii decretum loquitur. Sic ex laudatis auctoribus. Item Patriarchæ, Primates, Archiepiſcopi, Epiſcopi, & alii omnes, qui de iure vel conſuetudine Concilio provinciali intereſſe debent, tenentur in prima Synodo provinciali, in qua ipſi interfuerint, hanc profeſſionem emittere. Id inculcat Tridentina Synodus ſeſſ. xxv. cap. II. de reform. *Præcipit igitur ſancta Synodus Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis omnibus, qui de iure vel conſuetudine Concilio provinciali intereſſe debent, ut in ipſa prima Synodo provinciali poſt finem præſentis Concilii habenda, ea omnia & ſingula quæ ab hac Synodo definita & ſtatuta ſunt, palam recipiant; necnon veram obedientiam ſummo Romano Pontifici ſpondeant & profiteantur; ſimulque hæreſes omnes a ſacris canonibus & generalibus Conciliis, præſertimque ab hac eadem Synodo damnatas, publice deteſtentur & anathematizent. Idemque in poſterum quicumque in Patriarchas, Primates, Archiepiſcopos, Epiſcopoſque promovendi, in prima Synodo provinciali in qua interfuerint, omnino obſervent.* Reſpectu Epiſcoporum extat etiam Bulla Gregorii XIV. data anno MDXCI. die xv. Martii, cuius initium eſt, *Onus apoſtolicæ ſervitutis*. Hæc Bulla præcipit fidei confeſſionem iuramento firmatam, cuius formula habetur in Pontificali Romano iuſſu Clementis VIII. edito. Extendit inſuper decretum iſtud ſacroſancta Synodus pauſo infra ad omnes univerſitates, ſtudia generalia, eorumque magiſtros, doctores, divinique verbi interpretes & concionatores. Quam ordinationem protendit Pius Papa IV. in ſuo *Motu proprio*, cuius initium eſt, *Iniunctum nobis*, ad omnes Ordinum regularium & militarium Prælatos; & S. Pius V. in ſua conſtitutione quæ incipit, *In ſacroſancta*, fuſius clariuſque ipſam extendit. Iubet enim, omnes doctores, magiſtros, regentes, concionatores, & cuiuſcumque facultatis profeſſores; fidei profeſſionem emittere: additque præceptum omnibus principibus & rectoribus, cuiuſvis gradus aut dignitatis exiſtant, ne permittant, ullum ex præfatis publicis profeſſoribus docendi provinciam ſuſcipere, niſi poſt emiſſam profeſſionem; ſub pœna Antiſtitibus interdicti ab Eccleſiæ ingreſſu, aliis vero excommunicationis latæ ſententiæ & privationis dignitatum &c. declarans præterea, electiones & promotiones factas eſſe nullas. Clara ſunt hæc omnia, & penes tum Theologos, tum Canoniſtas communia. Verum de Prælatis regularibus diſſident auctores, in duaſque abeunt ſententias. Docent aliqui, ex conſuetudine iam præſcripta ipſos non videri ad hanc profeſſionem obſtrictos: & ita dicunt etiam declaratum fuiſſe a ſacra Congregatione. Plures vero, quos refert Barboſa *loc. cit. num.* 7. innixi bulla Pii IV. quæ incipit, *Iniunctum nobis*, contrarium ſentiunt. Et revera ſi Bullis ſtandum ſit, vera eſt hæc ſententia: Prælati enim regulares conſtituti ſunt in eccleſiaſtica dignitate, cui annexa eſt cura animarum; neque apparet unde eximi poſſint, niſi probetur conſuetudo contraria legitime præſcripta. Advertendum denique, hanc fidei profeſſionem faciendam eſſe perſonaliter, & non per procuratorem, ut ex laudatis bullis manifeſte conſtat.

Rurſus Patriarchæ, Primates, Archiepiſcopi, & Epiſcopi.

Necnon univerſitates facultatis profeſſores; & Ordinum regularium & militarium Prælati.

CAPUT II.

De vitiis fidei oppoſitis.

§. I.

De infidelitate.

Cum fides theologica ſit virtus, qua per mentis obſequium directe tendimus in Deum, qui huiuſce virtutis eſt primarium obiectum, ſecundum totum ſuum eſſe, ideſt ſecundum omnes infinitas perfectiones, quæ proprie & unice divinitati conveniunt, profitendo illum agnoſcere ut ſupremum ſolumque univerſorum numen, dominum, proviſorem, redemptorem, remuneratorem, & iudicem; necnon ut vera accipere quæcumque in ſanctis ſuis Scripturis revelavit, atque per ſuam Eccleſiam propoſuit; iure ac merito omnis receſſus ſeu error voluntarius mentis noſtræ, vel in toto, vel in parte circa agnitionem ipſius divinitatis, ſive circa ea quæ revelavit, eſt rebellio contra ipſum Deum, quæ communi nomine *Infidelitas* appellatur; ac proinde vitium & crimen, quod directe fidei theologicæ adverſatur, & in hoc ſenſu infidelitas hic a Theologis uſurpari ſolet.

Infidelitas igitur eſt *deficientia, ſeu vera fidei carentia*. Hæc generatim accepta tripliciter diſtingui ſolet: in negativam ſcilicet, privativam, & poſitivam ſeu contrariam. Infidelitas negativa eſt carentia fidei in iis qui de fide nihil umquam audierunt. Huiuſcemodi infidelitas non eſt illis voluntaria neque in ſe; utpote in ſe non cognita: neque

Infidelitas generatim quid & quotuplex.

quo in alio; quia nil faciunt infideles illi, unde cognoſcant aut cognoſcere poſſint, ſequi infidelitatem illam. *Infidelitas privativa* eſt fidei carentia in eo, cui ſufficienter fides annunciata fuit, ut credere poſſit & debeat; & qui tamen credere omittit, tametſi nec poſitive diſſentiat, nec ullum errorem fidei contrarium admittat: quod verificari poteſt in homine per naturale lumen de Dei exiſtentia convicto, & necdum ullis erroribus imbuto. *Infidelitas poſitiva* ſeu contraria, eſt carentia fidei in eo qui non ſolum non credit revelatis; ſed veritates fidei poſitive negat, ipſas reiiciendo ipſiſque poſitive diſſentiendo, vel etiam tenet & aſſerit poſitive errorem fidei contrarium. Infidelitas negativa, cum ſit involuntaria, eſt inculpabilis, & rigoroſe loquendo non eſt proprie infidelitas; non ſecus ac mera & inculpabilis iuſtitiæ carentia, non eſt iniuſtitia proprie dicta: ac proinde, inquit continuator Tournely, hæc diviſio infidelitatis, licet ut communiter recepta retineri poſſit, non eſt tamen accurata. *Infidelitas privativa* & poſitiva, utraque eſt grave peccatum; cum ſuper utramque cadat divinum damnationis iudicium Io. cap. 3. *Qui non credit, iam iudicatus eſt*. Nam & infidelitas privativa eſt culpabilis omiſſio neceſſarii medii ad ſalutem, de quo medio tenentur inquirere qui de eodem aliquid audierunt; & poſitiva gravem continet iniuriam, ac contemptum primæ veritatis, ſeu auctoritatis Dei revelantis.

Variæ ſpecies Infidelitatis poſitivæ.

Infidelitatis poſitivæ variæ ſunt ſpecies, nempe Paganiſmus ſeu Idololatria, Mahumetiſmus, Atheiſmus, Iudaiſmus, Hæreſis & Apoſtaſia.

Paganiſmus ſeu Gentilitas ac Idololatria, quæ iam unum ſonant & idem, eſt falſa, & ſuperſtitioſa Religio, qua homo, relicta agnitione atque cultu veri Dei, in creaturam hæc transfert; ideſt Idololatria

Definitio Idololatriæ.

eſt adoratio creaturæ tamquam Dei habentis in ſe vim divinam opitulandi ex natura ſua, independenter ab alio. Hic eſt enim verus character Deorum Gentilium quos appellarunt Genios, Heroes, &c. tamquam virtute, ac dignitate divina præditos, qua poſſent auxiliari hominibus, auctoritate, poteſtate, & voluntate propria independenter a nutu alicuius ſupremi Numinis iuxta Paganorum Theologiam. Quamvis enim pleroſque Deos ab aliis Diis progenitos finxerint, & multos etiam homines, ut Æſculapium, Imperatores, alioſve aliqua prærogativa, aut arte inſignes inter Deos retulerint; in illis tamen crediderunt ineſſe naturam divinam per propagationem ipſius naturæ divinæ, non ſecus ac propagatur natura humana. Unde in his crediderunt ineſſe vim quamdam divinam per propagationem. Idololatriæ Religio, ſeu ſecta dicitur etiam Paganiſmus, ideſt colentes plures Deos. Fidei chriſtianæ hæc infidelitas adverſatur, quæ relicto veteri, & novo Teſtamento, non ſolum non agnoſcit verum Deum, qui ibi prædicatur, ſed nullum inſuper agnoſcit Redemptorem, qui venerit, aut venturus ſit; cum tamen eius in veteri vaticinetur adventus, & in novo manifeſtetur hunc Redemptorem iam adveniſſe. Ita hoc non minus horrendum, quam ſtultum ſcelus, ante Chriſti adventum in animis Nationum omnium prævaluerat, ut excepto Iudæorum populo, qui tamen ab hac teterrima lue non ſemper ſe mundum ſervavit, reliquæ gentes omnes involutæ eſſent tenebris Idololatriæ. Immo illa gens cenſebatur magis exculta, quæ ob multitudinem varietatemque falſorum Numinum ſuperſtitioſior erat in ſua Religione. Et quia a vetuſtioribus ſæculis peſtis hæc irrepere cœpit, idcirco valde incertum eſt tempus ſeu Epoca, ex quo ſua ſumpſerit primordia.

Incertum eſt Idololatriæ initium.

Si loquamur de initio morali, ſeu de eo quod cauſa fuit, & ratio quare induceretur ſuperſtitioſa Gentilitas, ſeu Idololatriæ Religio, ac potius ſecta, iuxta Sanctos PP. ut habet S. Athanaſius *Orat. contra Gentes n.* 8. 9. S. Auguſtinus *de Civit. Dei*, & alii, fuit peccatum, humani cordis corruptela, ambitio, inordinatus amor oblectationum, independentiæ &c. Donec enim ſervarunt homines prima rationis ſemina, amoris ac timoris erga Deum, debitum ipſi obſequium præſtitere, & ab hac monſtruoſa ſuperſtitione reddendi Creaturæ cultum debitum Creatori ſe continuere. Sed ex quo habenas laxarunt proprio arbitrio, & voluntati, ſtatim ſibi Numina elegerunt pravis ſuis concupiſcentiis conformia, quæ potius foverent illecebras, quam timore & auctoritate eas cohiberent. Circa vero initium reale ac naturale Idololatriæ, nempe quo tempore, & apud quas Gentes incœperit hæc impia ſuperſtitio; cum res vertatur circa negotium valde in ſuis circumſtantiis obſcurum, de quo haberi nequeunt niſi coniecturæ & multum incertæ Traditiones, perdifficile eſt aliquid certum conſtituere. Non deſunt, ut Rabini, qui volunt Idololatriam locum habuiſſe etiam ante Diluvium, ſeu in prima Mundi ætate, quæ opinio recepta non fuit a Patribus; ſed aliqui eorum, præcipue S. Epiphanius l. 1. de

Digitized by Google

de Hæreſibus credidere, Sarug Thares, vel Tharis nurum, & ſeptimum poſt Noe, auctorem fuiſſe Idololatriæ. Verum de hac ſententia nullum extat documentum. Cæteroquin Scriptura Ioſuæ 24. maniſeſtiſſime ait, Tharen Patrem Abrahami, & Nacoren infectos fuiſſe Idololatrico cultu; immo aliquando ipſum Abrahamum; ex quo credi poteſt hanc ſuperſtitionem fuiſſe multo antiquiorem in mundo, dum tempore Abrahami ita excreverat, ut Ioſephus Antiquit. Iudaic. l. 1. c.9. dicere videatur, hoc malum tunc fuiſſe univerſale, ex quo, addit, Abrahamum primum fuiſſe qui auſus ſit affirmare non eſſe niſi unum Deum, & univerſum totum opus fuiſſe manuum illius. Aliqui tamen, inter quos Caſſianus *Collatione* 8. cap. 21. & Lactantius l. 2. *de Falſa Religione* volunt, eum qui apud quoſdam idem eſt ac Zoroaſter, quam famoſum antiquitati, tam poſteris ignotum, inventorem fuiſſe Idololatriæ, quam aiunt diſſeminaſſe inter Phœnicios & Cananeos, & ex his ad alias nationes profluxiſſe. Cum hoc tamen ſine aliquo ſtabili ſtatuant fundamento, non merentur certam fidem. Suſtinent alii, Ninum, alias dictum Belum, Regem Aſſiriorum primum fuiſſe qui cœperit divinum honorem hominibus tribuere; ſed cum incertum ſit Idololatriam cœpiſſe a cultu divino erga homines, immo oppoſitum veroſimilius videatur, hinc Ninus haberi non poteſt prior Gentilitatis auctor. Alii tandem tradunt ut communiorem ſententiam ac probabiliorem, Nembrotum, cujus opera dicitur incæpta Turris Babelicæ conſtructio, fuiſſe promotorem Patremque Idololatriæ. De hoc enim ait Ioſephus *Antiquit. Iudaic. lib.* 1. *cap.* 5. eum fuiſſe, qui ſuſcitaverit homines contra Deum, & inter Chaldæos ignis cultum induxerit; & a Chaldæis ac Phæniciis communicata fuit ſuperſtitio Ægyptiis, & ab Ægyptiis diffuſa eſt inter Græcos, & tandem inter Romanos. Prius cœperunt venerari aſtra, & elementa, poſtea homines, tandem animalia & inſenſibilia etiam inferiora. Coluerunt ut divinitates aſtra & elementa, quia quid mirandum conſpiciebant in perpetuo & ordinato eorum motu, in rutilante eorum ſplendore, & quia ea cenſebant utilia vitæ ac conſervationi animalium & vegetabilium, & eo magis, quia hujuſcemodi divinitates nullo vinculo ſuos cultores gravabant, ideſt nihil præcipiendo nihil vetando, nullum frenum pravis eorum concupiſcentiis iniiciebant.

Rationes vero quæ moverunt homines ad extendendum divinum cultum erga alios homines, multæ fuere, ut aliquando amor. Sic ex amore ſponſæ erga Sponſum orta eſt occaſio, quare in univerſo Oriente induceretur ſuperſtitioſus cultus erga Adonem Veneris ſponſum; Patris erga Filium, ut contigit in Senetante Ægyptio, qui curavit ut ejus filius ab intempeſtiva morte ſibi ereptus inter Deitates collocaretur. Aliquando vel honor, & exiſtimatio erga Principes, vel gratitudo erga Artium inventores ob ingentem utilitatem quam attulerunt, ut honorem & gratum animum eis rependerent, qui præclaris geſtis commendabiles ac benemeritos ſe reddidere, cujuſmodi fuere præcipue inventores artium, quæ humanæ vitæ neceſſariæ erant, unde maximæ, & viventibus, & poſteris utilitates venerunt. Et ne vituperarentur apud alios qui eos cernerent divino honore proſequi homines, qui proxime e vivis deceſſerant, evulgabant, eorum animas probabiliter rediiſſe ad aſtra, unde ad animanda in terris humana corpora deſcenderant. Hinc elementa, cœlum, aſtra, planetæ & coſtellationes, hujuſmodi Heroum nomine appellari & agnoſci cœperunt. Præter homines divinum cultum habuere præcipue apud Egyptios animalia etiam perniciosiora: hinc nomina animalium coſtellationibus tribuerunt. Et quia illis Gentibus difficillimum videbatur per unicam divinitatem omne regi poſſe univerſum; idcirco in quocumque univerſi particulari regimine, immo in ſingulis artibus ac membris corporis agnoſcebant particularis divinitatis directricem providentiam. Singulæ divinitates propriis nominibus diſcernebantur, ut Iovis, Saturni, Martis, Mercutii, Veneris, Iunonis, Minervæ, Caſtoris, Pollucis, Calliope, Perſei &c.

In Idololatriæ exordio non habebantur Templa, Altaria, Sacrificia, Simulacra & tot Cæremoniæ, quæ omnia paulatim in ejus progreſſu inducta fuere. Et quoad ſimulacra hæc cœperunt a re aliqua, quæ nullum ſive hominis; ſive animalis veſtigium haberet. Hinc juxta Clementem Alexandrinum in ſua Orat. *ad Gentes*: Scitæ prioribus temporibus adorabant ſuum Martem in uno enſe erecto: Arabes deformem petram; & aliæ Nationes arboris trunco cultum tribuerunt. Poſt inventionem artium picturæ, & ſculpturæ, conſtrui cœperunt falſorum Numinum imagines, & ſimulacra; immo hoc magnum præbuit incrementum Idololatriæ, quia imagines & ſimulacra, quæ politiori ſtudio elaborata erant, tantam ſibi vindicatunt apud homines

nes eſtimationem, ut minus difficile redderetur, credere in iis divinitates quas repræſentabant habitare. Ne tamen aeris intemperie atque inclementia imagines ac ſimulacra ita eleganter efformata & exculpta læderentur, conſtrui cœperunt templa, ubi integra ab omni iniuria ſervari poſſent. Hoc autem fuit occaſio, quare poſtea etiam Altaria conſtruerentur & exinde ſacrificia variis cæremoniis, iiſdem falſis Divinitatibus tribuerentur, non ſolum animalium, ſed vegetabilium quoque, & libaminum. Templa vero & altaria, quæ gentes ſuis falſis Numinibus dicabant, ſæpe erexerunt in montibus, ſylvis, & nemoribus, quæ loca ideo ſacra habebantur, & colebantur, ut habetur 3. Regum de Salomone, qui Fanum conſtruxit pro ſuis mulieribus alienigenis, Idolo Moab in monte quod eſt contra Ieruſalem.

Præter ſuperſtitionem cultus verſabantur Gentes etiam in aliis pœne innumeris vanis ſuperſtitionibus, ut obſervationum artis magicæ, quam ſtudioſe excolebant maxime quoad divinationes, quas exquirebant ex oraculis Dœmonum in ſuorum Idolorum ſtatuis, necnon ex permultis aliis ſignis, ſtellarum ſcilicet, elementorum, animalium &c. Hinc habebant in hoc divinationis officio ſuos particulares miniſtros, ut præcipue habetur de Romanis, quos Aruſpices vocabant, & hoſce in graviſſimis negotiis de futuro illorum exitu conſulebant.

§. II.

Diviſio Idololatriæ.

Idololatria alia eſt interna, ideſt mentalis, qua in animo, ſeu ex falſa opinione honor divinus creaturæ exhibetur, dum illi ex ſua natura ineſſe vis divina creditur. Alia eſt externa, qua divinus cultus tribuitur creaturæ, quæ tamen non creditur Deus. Huiuſcemodi erat Idololatria adorantium Statuam Nabucodonoſoris, & idololatria adorantium Dæmonem ob ſpem aliquid obtinendi, cum tamen ſciant Dæmonem eſſe iniquiſſimum ſpiritum. Alia pura eſt, nempe quæ eſt ſine errore intellectus circa naturam divinam, & ſic coincidit cum Idololatria externa. Alia mixta, & ea eſt, quæ coniunctum habet errorem intellectus, cuiuſmodi eſt omnis Idololatria mentalis. Huiuſcemodi eſſet Idololatria, qua quis homini ſcelerato, puta Imperatori per Apoteoſim tribueret cultum divinum, credens homini impio vim quamdam opitulandi poſt eius mortem conceſſam eſse, licet cum dependentia ab ipſo Deo ſupremo Numine. Alia materialis, & eſt adoratio Creaturæ, quam homo invincibiliter credit eſse Deum, ut factum fuit in D. Ioanne Apoc. 19. qui exiſtimans Deum eſſe, qui ſibi apparebat, cecidit ante pedes eius ut adoraret eum; & ut fieret ſi quis adoraret Hoſtiam, putans eam eſſe conſecratam, dum revera conſecrata non eſt. Alia formalis, & ea eſt, qua quis adorat creaturam tamquam Deum, quam ſcit, aut poteſt ſcire non eſſe Deum, vel aliquid divinum. Et hæc ſatis erit hic prælibaſſe, ut dignoſcatur natura, initium, progreſſus impiæ idololatricæ ſuperſtitionis, ac proinde quantum huiuſcemodi mendax Religio ſit Deo iniurioſa, cui aufert divinitatem ipſam cultumque ei debitum, ut reddatur Creaturæ; quapropter nemo non videt quam Fidei chriſtianæ opponatur, & exinde quam grave ſcelus ſit Idololatria, in quo dari non poteſt parvitas materiæ.

§. III.

De Atheiſmo.

Atheiſmus eſt impium, ac quammaxime execrabile excogitatum a profunda quorumdam perditiſſimorum hominum malitia, qui plus nimio ſæculi illecebris addicti, ut omnem timorem ex animo penitus executerent, e medio tullerunt ſuperiorem intelligentiam bonorum operum remuneratricem, ac malorum vindicem, qualis eſt Deus; & licet fortiter reclamaret eorum ſynderesis, contra eiuſdem ſtimulos conati ſunt eum negare, ſi non rationis ſenſu; (cum ratio ignorare eum minime poſſit) ſaltem violenta pravorum affectuum aſſertione, iuxta illud Prophetæ; *Dixerunt in corde ſuo, non eſt Deus*; ita ut liberius effrenatis concupiſcentiis poſſent indulgere. Atheiſmus, ut iam patet, eſt ſcelerum omnium graviſſimum. Quid Atheiſmus?

§. IV.

De Mahumetiſmo.

Mahumetiſmus eſt falſa Religio ſubdole inducta a Mahumete qui fuit famoſus impoſtor & Pſeudo-propheta ortus in Arabia ex Patre Ethnico, & matre Iudæa, utroque ex ignobiliori gente progenito. Vir morum valde perditus, cum matrimonium iniiſſet cum muliere vidua cuiuſdam divitis mercatoris Arabi, cuius famulatu ſe dederat, ex inopi divitiis affluens, utpote ſuperbus, & mendax, capta occaſione ex opulentia ſuum nomen Quid Mahumetiſmus,

Digitized by Google

men magnificare curavit, & mediante ſubdola Religione in mendaciis conflata, viam ad principatum ſibi aperire. Unde inita familiaritate eum quodam Hæretico Iacobita nomine Baptiſtæ, cum Sergio Monacho Neſtoriano, & quibuſdam Iudæis, horum opera ſuum conflavit Alcoranum, in quo Religionem, ſeu novam ſectam ex Iudaiſmo, variiſque hæreſibus conſarcinatam induxit, in qua corruptæ carni blandiens, ideſt carnalibus concupiſcentiis, brevi temporis intervallo pœne innumeros aſſeclas & profeſſores ad eam traxit. Is vi armorum plures populos cum Arabia ſibi ſubegit, & quoſcumque impiæ ſuæ legi ac tyrannidi dare ſe renuebant, igne, ferroque perſequebatur. Religionis prætextu uſus eſt ad augendam potentiam & imperium; & quia morbum patiebatur epilepſiæ, ut efficacius fidem ſibi captaret, quoties a tali morbo correptus erat, columbam habebat, quæ ſic aſſueſcerat, ut interea aurem ipſi vellicaret; unde eius diſcipuli crederent Angelum Gabrielem ſub ſpecie columbæ illum divinitus alloqui. Obiit anno Chriſti 631. & Mechæ, quæ Civitas eſt Arabiæ, ſepultus eſt. Hinc incipit Æra ſeu Hegira Mahumetanorum. Poſt eius mortem ſecta longe lateque per Palæſtinam, Syriam, Ægyptum, Perſiam, Græciam ſimul cum Imperio diffuſa eſt. Sic Zonaras, Ioannes Damaſcenus, Iſmael Polydorus, Virg. de Inventione rerum &c.

Alcoranus igitur ex articulo Arabico *Al* & nomine *Coraxon*, quod vel lectionem vel collectionem ſignificat, eſt liber conſcriptus totam continens Mahumetanorum Religionem], ſeu ſectam coacervatam ex mutuatis partim a Iudæis, partim a Chriſtianis Hæreticis; ita ut participet & de Iudaiſmo, quatenus aliquos Iudaicos ritus Mahumetani obſervant, circumciſionem ſcilicet & abſtinentiam a carne ſuilli, & ſanguine; & de chriſtiana, quatenus unum Deum cum Chriſtianis & Iudæis agnoſcunt & prædicant, quem creatorem Mundi profitentur, ſolum colendum, invocandum, remuneratorem bonorum, malorum iudicem. De Chriſto magnifice loquuntur, ipſum nempe a Divino Spiritu auxilium atque teſtimonium habuiſſe, Prophetam fuiſſe excellentiſſimum; ſed negant Deum eſſe, ac Filium Dei, cum negent Deum Filium habere. In multis lex Mahumetana ſibi contradicit, quod ut nimis longum hic exponere brevitatis gratia omitto, remittendo lectorem ad eos, qui hæc ex profeſſo pertractant, & præcipue ad Natalem Alexandrum in ſua *Eccle. Hiſt. Tom. 5. ſæculo* 7. Dicam tamen ſibi contradicere legem Alcorani; quia lex illa Evangelium divinum agnoſcit & prædicat, nec tamen ipſum ſequendum proponit; immo in multis ipſi adverſatur. Etenim tradit inter alia inimicorum vindictam; dum Evangelium eam vetat. Multa eum Evangelio tribuit Chriſto, quæ vero Deo conveniunt, & eum tamen Deum eſſe negat. Permittit adulterium, vagamque cum quacumque placuerit copulam, quod Evangelium interdicit. Multa Deo, quæ ipſi indigna ſunt tribuit. Innumeris tandem ſcatet mendaciis, quæ contradicunt legi tum Moſaycæ, tum Evangelicæ, quæ noſtrum non eſt hic ſigillatim demonſtrare. Et res facile videri poteſt in cit. Natali Alexandro, necnon in aliis, qui hoc fuſe pertractant. Ad propoſitum enim præſens ſatis eſt generatim indigitaſſe Mahumetanæ ſectæ falſitatem & diſſonantiam a Chriſtiana Fide, ut deprehendatur eius profeſſionem eſſe revera graviſſimum crimen, quod chriſtianæ Fidei opponitur, unde maxima iniuria Deo irrogatur, & in hoc quoque peccato ſemper in ſe valde gravi dari non poteſt parvitas materiæ.

Nota quod cum permulta poſt obitum Mahumetis extarent Alcorani commentaria, Moliavia Caliphia Babilonicus in conventu acto Damaſci ad tollendam eorumdem commentariorum diſſonantiam, ſex doctiſſimos viros ex tot aliis ſelegit, ipſiſque ſuper hoc ſummatim ſcribere iuſſit, ut quiſque quod optimum cenſeret exponeret, & ſic emendatior fieret compillatio, cæteris commentariis pro eorum diſperſione in flumen proiectis, vetita ſeveriſſime omni contradictione. Unde ſex illi libri prodiere, qui dicuntur *Alcoranum*. Nihilominus tamen quatuor inde ortæ ſunt ſectæ. Prima quarum & maxime ſuperſtitioſa Melichi Doctoris Ethiopes & Arabes: 2. quæ dicitur Immeniana traditioni Alii conformis, & magis rationi conſona Perſas. 3. Omari & libertima Turcas. 4. tandem ſimpliciſſima Odemani Tartaros habet ſectatores.

§. V.

De Iudaiſmo.

Quid Iudaiſmus.

Iudaiſmus eſt Religio, quæ hactenus temere colitur ac ſervatur a deſcendentibus Iudæorum, quibus olim eam tradidit Deus ad futuram ſuam Eccleſiam præfigurandam, & ut per eam ſe diſponeret ac præpararet Gens illa ad recipiendum venturum Meſſiam, qui, ut iam antiquis ſuis Patribus promiſe-

miſerat Deus, ex ipſis, & inter ipſos naſciturus erat in Mundo, ut & ipſos, & univerſum Orbem a vinculis mortis & inferni, quæ in Adæ peccato contraxerant, redimeret. Quare Iudæi ſunt populus ille ex ſemine Abrahæ propagatus, quem Deus, ex aliis omnibus tenebris Idololatricæ ſuperſtitionis obcæcatis depravatiſve, ſpeciali favore ſibi elegit, ut eum verum Deum agnoſceret & coleret iuxta leges & ritus, quos, dum ex Ægypti captivitate eum liberavit, per Moyſem ipſi præſcripſit, ac in poſſeſſione terræ Canaan illum conſtituit, ſicut promiſerat Abraham, Iſaac, & Iacob. Et cum iam, ſicuti per multos Prophetas, quos idem itidem inter ipſos excitavit, prædixerat, ac in multis figuris præſignaverat, in plenitudine temporis Meſſias ad ipſos venerit; quia eum recipere noluerunt, eum temporali Regno, quo ſpoliati fuere ſub Romanis Imperatoribus Tito, & Veſpeſiano (unde profugi poſtea & captivi alienis Principibus ſubiiciuntur) amiſerunt Regnum etiam ſpirituale, ſeu Sacerdotium, veramque Religionem, dum Moſayca, in qua cum affectata pertinacia perſeverant, per Meſſiæ adventum, quem adhuc venturum credunt, antiquata fuit, & abrogata, ac proinde nunc falſa eſt & mortifera. Etenim cum illa olim data fuerit ad figurandum Chriſtum & Eccleſiam, per Chriſti adventum & Eccleſiæ fundationem expiravit & evanuit; unde nonniſi falſo quod præſens eſt, ut futurum cenſeri poteſt & credi.

Iudaiſmus igitur eſt Infidelitas ſeu falſa Religio eorum, qui admittunt vetus tantum Teſtamentum, novum pœnitus reiiciunt; agnoſcunt quidem verum Deum Creatorem Cœli & terræ, illum tamen non agnoſcunt ut Meſſiam, qui in veteri Teſtamento ſeu in lege Moſayca olim prædicebatur & præſignabatur venturus; & cum revera iam venerit, veniſſe eum negant, & exinde Evangelium reiicientes adhuc legem ſervant in his quoque, quæ figuræ erant & ſymbola Meſſiæ venturi: unde ſicuti antea gloriam Deo reddebant illius legis obſervantia & cultu: ita nunc quando per ipſius adventum impletæ ſunt figuræ, ea legis obſervantia eſt ipſi maximæ iniuriæ & offenſæ; ac proinde ſi ea lex olim bona fuit, nunc mala eſt, & animæ mortifera, non ſecus ac omnes aliæ ſectæ, quæ chriſtianæ Fidei adverſantur. Unde Iudaiſmus eſt graviſſimum ſcelus Fidei oppoſitum, quod ſicuti aliæ Infidelitates parvitatem materiæ non admittit.

§. VI.

De Hæreſi.

Hæreſis eſt altera ſpecies infidelitatis, in qua ad differentiam Paganiſmi & Mahumetiſmi admittitur doctrina etiam Teſtamenti novi; ſed non tota; idcirco eſt Infidelitatis ſpecies, qua doctrina novi Teſtamenti reiicitur non ex toto, ſed tantummodo ex parte.

Licet loquendo ſecundum præſentem ſtatum veræ Religionis, videatur hæreſis agnoſci in his, qui in lege Evangelica ſecundum aliquam partem novi vel veteris Teſtamenti in ſua fide deficiunt; id tamen ſtatui nequit in aliis etiam ætatibus, immo etiam in falſis ſectis reſpectu eorum qui verum Deum agnoſcebant, cuiuſmodi fuere præcipue Philoſophi; cum cæteroquin extiterint hæreſes, ut notat S. Epiphanius in ſuo opere contra hæreſes, & ex ipſo facto iam conſtat, etiam in præteritis Mundi ætatibus. Plures ætates ſive Epochæ Mundi a ſcriptoribus ſacris, ſicuti habetur in S. Epiphanio, & alibi, ſtatuuntur. 1. a Creatione Mundi ad tempora Noe, ſeu univerſalis Diluvii. 2. a Noe uſque ad conſtructionem Turris Babelicæ. 3. a Turris Babelicæ ædificatione uſque ad Serucum Filium Reu filii Phaleci. 4. a Seruco ad Abraham. 5. ab Abrahamo ad exitum populi Iſraelitici ex Egypti captivitate, ideſt ad Moyſem & legem, quam Deus ex Monte Syna in duabus lapideis tabulis conſcriptam tradidit populo per eumdem Moyſem. 6. a Moyſe ſeu a lege tradita ad Chriſti adventum. 7. a Chriſti adventu ad finem Mundi. In prima Mundi ætate, ideſt a Mundi creatione ad Diluvium, quæ barbariſmus dicitur a S. Epiphanio, eo quod gentes illæ nullam haberent legem ſcriptam, nullumque ſcriptorem, immo nec ullum inter ipſos conſenſum, ita ut quiſque pro ſuo modulo ſeu arbitrio vitam inſtitueret, ſi credamus S. Epiphanio, nulla in ea ætate fuit hæreſis, ſed ſola regnabat pietas & impietas. In ſecunda pariter, a Diluvio ſcilicet ad Turris Babilonicæ ædificationem, ac ab ipſa turris ædificatione ſeu linguarum diviſione ad Serucum Sciticum, eumdem vivendi inſtitutum tenuere Nationes. A Seruco vero ad Abraham, ait S. Epiphanius, quinimmo univerſim uſque ad Moyſem, paucis præcipue ex Abraham deſcendentibus exceptis, regnavit ſuperſtitio. A tempore vero Moyſis, ſeu a lege data excipiebatur inter alias gentes populus Iſraeliticus, qui deſcenderat ab Abrahamo, Iſaac, & Ia-

& Iacob, quem Deus a Gentilitate, ſeu ſuperſtitione aliorum Populorum ſegregavit, ſibique elegit, ad veram ſui agnitionem & cultum, dando ipſi leges & ritus, quibus ei fideliter ſerviret, & ſancta, atque pura Religione coleret; quamvis hic quoque ex propria malitia, aliquando ad Gentium ſuperſtitionem declinaverit, ut habetur variis in locis divinæ Scripturæ, ubi per Prophetas ſæpe de hoc ſcelere eum Deus redarguit, ac pro tali impietate mulctavit. Poſt tempora legis ſcriptæ ſequitur poſtrema ætas, quæ eſt ab adventu Chriſti ideſt Meſſiæ ad Mundi finem.

Hæreſes fuere etiam tempore Idololatriæ apud Philoſophos.

Ex quo regnare cœpit ſuperſtitio, ſeu Idololatria, cœperunt etiam hæreſes, quia cum aliqui fuerint inter Gentiles, qui veri Dei aliqualem cognitionem haberent, & præcipue ſapientes, non in toto, ſicuti ſe habet, de eo ſenſerunt, aut erraverunt circa ordinem ab ipſius providentia in rebus aliquibus ſtatutum. Credebant verum Deum Magi Perſæ, ſed credebant ſimul duos eſſe Deos, unum auctorem boni, alterum mali, quem errorem ſuſcitarunt poſtea prioribus Eccleſiæ ſæculis Manichæi. Sic errarunt Pytagorici ſeu Peripatetici, qui excogitarunt mutuam animarum tranſmigrationem ab uno ad aliud corpus, ſine ulla diſtinctione rationabilium vel irrationabilium. Volebant nempe animam hominis in eius morte tranſire ad animandum etiam corpus bruti, & e converſo animam bruti corpus hominis. Volebant item ab Luna ſurſum omnia eſſe immortalia, & inferiora mortalia, & tandem voluit Pytagoras ſe Deum haberi. Plato plures admiſit Deos ab uno progenitos, admiſit pariter Uxorum communicationem, necnon cum Pitagoricis animarum tranſmigrationem. Stoici dixerunt hunc Mundum aſpectabilem eſſe Deum. Verum aliqui ſententiam temperarunt ſtatuendo, Deum, ſeu mentem, animam eſſe ipſius Mundi. Dicebant Carnem omnem interire, & animas ad alia corpora animanda tranſire. Epicuræi tandem excogitarunt omnia conſtitui ex fortuito atomorum, ideſt minutiſſimorum corpuſculorum concurſu. Summum bonum ſtatuebant in voluptate, Deum ac providentiam omnino ſuſtulerunt.

Hæreſes tempore legis Moſaycæ.

In Synagoga, nempe in Iſraelitico Populo, in quo fundaverat Deus, ut alias diximus, veram Religionem, utpote quæ verum Deum ſicuti eſt agnoſcebat, atque reverebatur; non ſecus ac ex eorum malitia aliquando irrupit inter illos Idololatria; ſic contra veritates per Prophetas a Deo ipſis revelatas, Hæreſis quoque zizania irrepſit, & variæ inter ipſos ortæ ſunt quorumdam hæreſum ſectæ, quæ ab eorum profeſſoribus nomenclaturam ſumpſere, Samaritanorum nempe, Scribarum, Phariſæorum, Sadducæorum, Eſſenorum, Nazareorum, Herodianorum, & Hemorobaptizatorum.

Samaritani illi fuere qui negabant reſurrectionem carnis & angelum ac ſpiritum. Scribæ erant legis periti rigidi obſervatores Traditionum, & Rituum ſuperſtitioſorum, quos a lege non didicerant. Phariſæi affectabant ſanctitatem vitæ, obſervatores ipſi quoque rituum ſuperſtitioſorum, præcipue in veſtibus & eorum ornamentis. Sadducæi, ſic dicti ſunt ob exactam iuſtitiam quam affectabant. Samaritani ex genere negabant carnis reſurrectionem, & angelum, ac ſpiritum. Eſſeni ideſt procaciſſimi, omnia faciebant ex præſcripto legis, ſed reiciebant aliquos ex poſterioribus Prophetis. Nazarei prorſus interdicebant uſum carnis, ac ideo ab animatis ſe abſtinebant. Hi quædam opera Moyſis, ipſius eſſe, non credebant. Herodiani profitebantur Herodem eſſe Chriſtum, eique nomen, & dignitatem affigebant. Hemorobaptiſtæ, volebant neminem ſalvari poſſe ſine quotidiana ablutione. Ita ex S. Epiphanio l. r. *de hæreſib.*

Quidquid tamen ſit de erroribus qui contra veras Fidei doctrinas invaluere inter Gentiles & Iudæos; hæreſis tamen ſecundum omnem ſuam rationem & ampliſſime identidem graſſavit in ſtatu legis evangelicæ, ideſt tempore Religionis Chriſtianæ, cum maximo ipſius Religionis, & animarum detrimento. Ex quo enim ſplendeſcere cœpit lumen chriſtianæ Fidei in Mundo, communis humani generis hoſtis teterrimam hæreſis zizaniam callide in quorumdam valde infirmæ Fidei animis inſeruit; ideſt in ipſo chriſtianæ Religionis ortu conatus eſt obnubilare veritatum Fidei fulgorem opera horum impiorum hominum, qui vix illius profeſſores, facti ſunt ab ipſa exortes, & ſinum ipſius Eccleſiæ, quam ut matrem elegerant ac amplexi erant, ſuis blaſphemiis tentarunt impie crudeliterque diſcerpere. Vix inceperant S. Apoſtoli ſuis prædicationibus Evangelii lucem per orbem diffundere, quod inter priores qui nomen ſuum naſcenti Fidei dederant quidam extitere, qui non acquieſcentes Apoſtolorum auctoritati a quibus lac chriſtianæ veritatis ſuxere, captioſe eas explicando graviſſimos errores contra ipſas autumarunt, & ſimpliciorum Fidelium animos hiſce corruptis doctrinis ſubverterunt. Huiuſmodi fuere Simon Magus, Menander, Ebion,

Ebion, Cerinthus, Baſilides, Saturninus, Nicolaus Diaconus, a quibus in ipſis Eccleſiæ incunabulis ortæ ſunt ſectæ Simonianorum, Menandrianorum, Ebionitarum, Cerinthianorum, Nicolaitarum &c. Sic ad iſtorum exemplum ſucceſſere illi pene innumeri novarum hæreſum inventores, a quibus poſtea per quælibet chriſtianæ Religionis ſæcula, imperita fuit, vexata, & diſcita in propriis ſuis viſceribus Eccleſia; quæ nihilominus contra tot acerrimos hoſtes vigens, firma, ac incontaminata ſemper permanſit & permanet in veritate ſuæ doctrinæ; quia, ſicuti Chriſtus Dominus ipſius auctor, Caput, & Sponſus pollicitus eſt, nunquam fieri poteſt, ut portæ inferi adverſus eam, nempe contra veritates Fidei prævaleant, & in omni Orbis plaga ſemper plurimos habuit, & habet fideliſſimos profeſſores paratos, & promptos etiam cum vitæ diſcrimine & veram Fidem in ſe ipſis ſervare, & contra ipſius hoſtes ſtrenue tueri. Non cenſeo texere hic hæreticorum omnium ſeriem, quos omni ævo Eccleſiæ peperit internus, & quia nimis longum eſſet, & quia noſtrum non eſt hæc particulariter exponere. Iam fuſe de his habetur in Eccleſiaſtica Hiſtoria. Hiſce igitur prælibatis, quæ ſatis eſſe poſſunt pro hiſtorica naratione hæreſum, ſit.

Quid hæreſis?

Hæreſis ſecundum etymologiam nominis Græci idem importat ac electio ſecundum D. Hieronymum in *cap. 5. ad Galat.* unde abſolute loquendo idem eſt ac ſecta, & proinde accipi poteſt in bonum & malum ſenſum, niſi ex conſtanti Eccleſiæ praxi determinata fuiſſet ad exprimendam erroris electionem. Hinc, ut notat D. Thom. 2. 2. *q. 11. art. 1.* cum hæreſis nomen ex Græco electionem importet, eo quia hæreticus

Definitio hæreſis.

eligat ſuum ſeqni iudicium contra iudicium Eccleſiæ, iure merito definiri poteſt *error voluntarius intellectus, liber, ac pertinax contra aliquam doctrinam & veritatem Fidei catholicæ, in eo qui Fidem chriſtianam recepit*. Hæreſis igitur eſt aſſenſus intellectus voluntarius, elicitus cum advertentia ad errorem, & cum pertinacia in ipſo, ſeu obſtinatione, conſiſtente in deliberata voluntate diſſentiendi alicui doctrinæ ſeu veritati catholicæ, quam diſſentiens ſcit propoſitam eſſe ab Eccleſia de fide tenendam, ipſique ut talem eſſe propoſitam.

Dicitur *contra aliquam doctrinam & veritatem*, quia omnes reicere eſt potius Apoſtaſia, quam hæreſis; utraque quarum incurri nequit niſi ab eo qui catholicam Fidem profeſſus ſit, alias eſſet Paganus vel Iudæus. Ad incurrendam igitur hæreſim formaliter debet eſſe error in intellectu, nempe erroneum iudicium intellectus directe oppoſitum alicui veritati revelatæ, & ut talis ab Eccleſia ſufficienter propoſitæ.

Quid ad hæreſim formaliter incurrendam.

Quare non cenſendus eſſet vere & formaliter hæreticus, qui ſine iudicio oppoſito Fidei, externe tantum voce Fidem negaret, ſeu hæreſim aliquam proferret, tametſi etiam iuramento eam firmaret: peccaret hic quidem lethaliter peccato ſcandali, blaſphemiæ hæreticalis, & periurii, & auditores tenerentur eum denunciare, ac in foro externo hunc haberet Eccleſia ut hæreticum. Coram Deo tamen non eſſet hæreticus; quia talis actus non habet malitiam hæreſis, neque in foro conſcientiæ incurreret pœnas ſpirituales contra hæreticos, excommunicationem videlicet reſervatam, quæ indicta eſt tantummodo contra veram formalemque hæreſim. Error inſuper debet eſſe voluntarius ac deliberatus; quia hæreſis eſt graviſſimum ſcelus, & nullum datur peccatum niſi voluntarium. Hinc qui ſine plena deliberatione inſufficiente ad mortale hæreſim aut mente conciperet, aut ore etiam proferret, non eſſet formaliter hæreticus; ſicuti talis pariter non eſſet, qui ex metu & etiam malitia thus adoleret Idolo, aut Chriſti corpus conculcaret, interius tamen perſeveraret ſentire iuxta ſenſum catholicum, non ſecus ac antea ſentiebat; quia nulla eſt hæreſis ſine voluntario diſſenſu catholicis veritatibus: eſſet quidem reus graviſſimi peccati. Quocirca nec interius hic incurreret pœnas latas contra hæreticos, ut docent comm. Theologi. Merito tamen in foro exteriori pœnis hæreticorum mulctaretur; quia hæreticus iudicatur qui ſe ut hæreticum gerit, dum Eccleſia in foro contentioſo, ſeu externo iudicat de ſolis externis. Item qui graves patitur tentationes infidelitatis & blaſphemiæ contra Deum & Sanctos, nec eſt hæreticus, nec ut talis præſumendus; eam hæretici hoſce motus non inviti, ſed volentes experiantur, & huiuſmodi tentationes, ut monet S. Bonaventura opere *de profect. Relig. l. 2. cap. 3.* contemnendæ ſunt, eodemque modo cum iis agendum, ac ſi non ſentirentur. Error inſuper ſeu errori aſſenſus, ut per ipſum incidatur in formalem hæreſim, debet eſſe cum pertinacia. Ita comm. poſt S. Auguſtinum Epiſt. 162. Nam Fides amittitur per hæreſim, non per errorem ſimplicem, ut patet in aliquibus ſanctis, qui errarunt circa aliquas Fidei veritates. Ad pertinaciam vero non requiritur ut error obſti-

nate defendatur; ſed ſatis eſt quod menti concipienti errorem obſiſtat Eccleſiæ auctoritas illum errorem reprobantis, oppoſitumque definientis de fide, & quod a tali Eccleſiæ definitione mens diſſentiat, ideſt in concepto errore permaneat. Et hoc verum eſt, etiamſi, ut vult P. Antoine cum Cano & aliis, diſſentiat, ſeu errorem contrarium teneat, non ut contradicat Eccleſiæ, ſed ex quovis alio motivo; nam hoc ipſo reſiſtit auctoritati Eccleſiæ infallibili, & teſtimonio Dei ſufficienter propoſito, quando diſſentiens ſcit, doctrinam cui diſſentit, teneri ab Eccleſia ut fide certam, vel quia ei ſufficienter proponitur ut doctrina Eccleſiæ, ſeu ut a Deo revelata. Ita docet S. Auguſtinus l. 4. contra Donatiſtas cap. 16. *conſtituamus.... unum eorum id ſentire de Chriſto quod Photinus opinatus eſt.... exiſtimantem ipſam eſſe catholicam fidem. Iſtum nondum hæreticum dico, niſi manifeſtata ſibi doctrina catholica Fidei reſiſtere maluerit, & illud quod tenebat elegerit*. Sic pariter D. Thomas explicat pertinaciam in errore ſufficientem ad hæreſim 2. *p. q.* 32. *art.* 4. ubi ait pertinaciam in hoc conſiſtere, quod quis ſciens teneat aliquid contra id quod eſt ab Eccleſia definitum, ſive neget id definitum eſſe, ut negare ſolent Hæretici, ſive de definitione non curet. Quare Hæretici ſunt 1. qui ſic propriæ ſcientiæ adhærent, ut parati ſint ab ea non recedere, tametſi ab Eccleſia damnetur. 2. qui formam iudiciorum Eccleſiæ ita diſponunt, ſeu tot impoſſibiles conditiones eidem apponunt, ut quandocumque velint, negare queant Eccleſiam locutam eſſe. 3. qui contra determinationem Eccleſiæ ſentiunt, parati ſolum ſuam retractare ſententiam, quando argumentis convincantur. Tales ſunt etiam qui credunt Fidei capita non ob Eccleſiæ definitionem, ſed ob evidentiam rationum, quam ſibi affulgere putant, alias non crediturí. Hi enim nec piam habent de noſtris myſteriis affectionem, nec credunt ob formalem credendi rationem, nempe ob divinam veracitatem, quæ ea revelavit, & ob auctoritatem Eccleſiæ, quæ ut talia eadem credenda proponit.

Ex oppoſito vero nec eſt, nec cenſendus hæreticus qui errat ex ignorantia, non tamen affectata, ſed animo parato ad credendum id omne quod Eccleſia credit, ubi primum eius doctrina ipſi proponatur, quamvis peccet contra præceptum ſciendi res Fidei; quia deeſt pertinacia. Eſt tamen hæreticus, qui errat in Fide ex ignorantia affectata quam habet, vel quia parvi momenti eſſe iudicat quæ Eccleſia proponit credenda, cum tunc auctoritatem Eccleſiæ deſpiciat, nec credat illam, qualem Fides eſſe docet; vel ut liberius erret in fide, nec ſubiici velit auctoritati Eccleſiæ, quia tunc error eſt illi voluntarius cum pertinacia, cum velit errare in fide, nec auctoritati Eccleſiæ ſubmitti velit. Ita P. Antoine cum aliis.

Nota in tali propoſito 1. quod adhuc hæreticus ſit ille, qui definitioni Eccleſiæ ſibi ſufficienter propoſitæ non acquieſcit, licet proteſtetur ſe putare talem non eſſe definitionem Eccleſiæ, quam acceptaret ſi ſciret talem eſſe; quia revera adhuc reſpuit pertinaciter Eccleſiæ auctoritatem, quippe quæ ſit illi ſufficienter propoſita, ut illam acceptare teneatur. Enim vero ad hæreſim non requiritur ut quis credat aliquid proponi ab Eccleſia habente auctoritatem infallibilem in proponendo, & veritati propoſitæ diſſentiat; quia cum hoc iudicio impoſſibilis eſt diſſenſus; alioquin falſum crederet id quod ſimul crederet proponi ab Eccleſia non potente proponere falſum, quod eſſet aperte ſibi contradicere. Hinc hæreticus eſt qui dicit: credo omnia, quæ credit Eccleſia, ſed non credo hoc tale dogma, quod puto non proponi nec credi ab Eccleſia, ſi taliter ei proponatur Iudicium Eccleſiæ circa tale dogma, ut non poſſit niſi imprudenter illud negare, vel de eo dubitare.

Nota 2. hæreſim incurrere qui adhæret propoſitioni quam Eccleſia damnavit tantummodo ut falſam aut temerariam; quia eo ipſo cenſet Eccleſiam circa huiuſmodi errare poſſe, quod eſt hæreticum.

Nota 3. ad incurrendam hæreſim non aſſentiendo veritati fidei, requiri, quod illa ab Eccleſia propoſita ſit; ita ut ſi quis diſſentiret revelationi privatim ſibi a Deo factæ, & ſufficienter propoſitæ, fortaſſe hæreſis crimen non eſſet, ut volunt permulti contra alios; eo quod obiectum fidei Theologicæ cui dumtaxat diſſentire hæreſis dicitur, eſt revelatio divina, non quomodocumque, ſed tantum ut ab Eccleſia propoſita. Quare veritates illæ, quæ in revelationibus privatis & ſibi ſufficienter a Deo propoſitis creduntur, non creduntur Fide Theologica, ſed Fide divina communiter dicta. Sola enim Fides Theologalis dirigitur ab Eccleſiæ propoſitione, qua mediante ſuam Deus regit Eccleſiam. Quare diſſentiens revelationibus privatis ſufficienter ſibi a Deo propoſitis licet graviter peccaret, quia ſibi a Deo ſufficienter ſunt propoſitæ, cenſuras tamen contra hæreticos non incurreret. Sic P. Fulgentius.

Ex

Digitized by Google

Ex parte ſubjecti ſeu perſonæ, ad hoc ut hæreſis incurratur, ſcilicet ut vere & proprie quis dici poſſit hæreticus, requiritur ut ſit Chriſtianiſmi profeſſor, ſeu Fidei in Chriſtum, ut ait S. Auguſt. l. 18. *de Civit. Dei* cap. 51. ubi hæreticos vocat eos, qui ſub vocabulo chriſtiano doctrinæ reſiſtunt chriſtianæ: non tamen requiritur Baptiſmus ut quis ſit hæreticus in foro Dei, cum Eccleſia habuerit pro hæreticis eos etiam qui non erant Baptizati, ſaltem valide, ut Paulianiſtæ, qui verum Baptiſmi ritum non ſervabant, ut conſtat ex Innocentio I. *epiſt.* 22. Requiritur tamen Baptiſmus in foro Eccleſiæ ad ſubeundas pœnas hæreſis, cum nemo ſit eius ſubditus niſi per Baptiſmum, ut habemus ex Concil. Trid. ſeſſ. 14. cap. 2.

§. VII.

De dubio in Fide.

Cum dupliciter poſſit mens de re aliqua dubitare, poſitive nempe per actualem & deliberatam mentis dubitationem, & negative per ſuſpenſionem mentis inter aſſenſum & diſſenſum; idcirco dubium de rebus Fidei poteſt eſſe vel poſitivum vel negativum. Tunc circa ea quæ ſunt de Fide poſitive dubitatur, quando quis deliberate dubitat de aliqua Fidei veritate ſufficienter propoſita, iudicando eam eſſe incertam; ideſt veritates propoſitas ab Eccleſia poſſe eſſe ambiguas. Dubitatur negative quando quis ſuſpenſus remanet circa aliquam Fidei veritatem inter aſſenſum & diſſenſum. Et hoc dupliciter contingere poteſt, vel ſuſpenſione imperata a voluntate, & deliberate volita ob vim quam ſibi faciunt motiva Fidei oppoſita; vel ſuſpenſione non imperata, & volita ob dicta motiva oppoſita, neque ob metum errandi ſi aſſentiatur, ſed propter aliud motivum, nempe mente alio divertendi.

Deliberate dubitans dubio poſitivo circa veritatem aliquam Fidei ab Eccleſia ſufficienter ſibi propoſita, iudicando eam eſſe incertam, & falſam eſſe poſſe, hæreticus eſt. Omnes ita ſentiunt cum S Thom. q. 10. art. 5. Et in cap. 1. *de Hæret.* habetur; *Dubius in Fide infidelis eſt*, & Concil. Later. V. *ſeſſ.* 8. damnat ut hæreticum qui aſſerit & dubitat animam hominis eſſe mortalem, quia talis iudicat, veritatem quam proponit Eccleſia ut revelatam, non eſſe certam, auctoritatemque Eccleſiæ in proponendis rebus Fidei non eſſe infallibilem, ideſt errare poſſe. Idem dicito de eo qui dubitat dubio negativo primo loco explicato, ſeu per deliberatam ſuſpenſionem aſſenſus propter contraria motiva, cum hic iudicet æqualis valoris motiva contraria, ut timeat præbere aſſenſum Eccleſiæ, ideoque hanc iudicat non eſſe infallibilem in rebus Fidei. Dubitans vero de rebus Fidei dubio negativo ſecundo loco expoſito, dummodo non inſtet præceptum affirmativum de actu Fidei eliciendo, non videtur graviter peccare, & multo minus eſſe hæreticus, cum nullum eliciat iudicium Fidei oppoſitum, ſive formaliter, ſive æquivalenter: etenim non ſuſpendit actum metu errandi, nempe non inductus a vi motivorum oppoſitorum, ſed vel ut mentem aliis rebus applicet, vel ne mentem multum vexet ac defatiget, aut ne phantaſiam excruciet ſi forte ſit ſcrupuloſus, ſive ob quodvis aliud honeſtum motivum.

Dicitur notanter de dubio *circa articulum Fidei ſufficienter ſibi propoſitum*; nam his qui nati ſunt & educati inter hæreticos, ideoque catholicam Religionem ignorant, dubitare licet donec inſtruantur, & motiva ſeu argumenta credibilitatis Fidei catholicæ ſufficienter & recte apprehendant; quia in his dubium non eſt cum pertinacia, ſed ordinatur ad melius penetranda Fidei ſundamenta. Additur quoque *deliberata dubitatione*; quia alias non incurritur peccatum, ſicuti ſit in iis qui putant ſe dubitare de rebus Fidei, eo quod hæreticæ cogitationes & blaſphemiæ in eorum mente excitentur, cum iſti ſerio illas deteſtentur. De iis, qui licite dubitare poſſunt.

Dubitans deliberate de rebus Fidei, ſi dubium ſigno externo manifeſtet, utrum incurrat in pœnas contra hæreticos latas controvertitur inter DD. Affirmant alii; alii negant, ut inter alios Ludovic. Engel. in Colleg. Iuris Canonici *tit de Hæret. n.* 2. qui probabile cenſet hunc non habere hæreſim conſummatam.

§. VIII.

De diviſione Hæreſis.

Hæreſis alia eſt formalis, & eſt ea de qua agimus, & explicatur in definitione; alia materialis, & eſt error, quem quis ignorans habet contra Fidem, ſeu error quo quis aliquid credit contra Fidem, ignorans id eſſe contra Fidem. Si verſetur in hoc errore qui habet debitum ſciendi, reus eſt ignorantiæ vincibilis lethalis, ſecus ſi non ſit in debito ſciendi. Hæreſis, quam quis profert ſciens eſſe talem, ſed eam intus in animo non tenens, eſt quidem hæreſis materialis, ſed vera blaſphemia hæreticalis, & lethaliter pec-

cat qui eam profert, immo auditores tenentur eum denunciare. Alii diſtinguunt hæreſim formalem ab obiectiva, & hoc ſenſu hæreſis formalis eſt actus illius qui non credit; obiectiva vero eſt ipſum obiectum quod male creditur, vel negatur. Inſuper hæreſis formalis alia eſt interna & pure mentalis, quæ deliberate mente concipitur ac in animo retinetur, ita ut nullo ſigno externo fiat manifeſta; alia interna ſimul & externa, & ea eſt quæ & intus in mente concipitur, & extra ſigno aliquo exteriori ſufficienter manifeſtatur: & talis manifeſtatio contingere poteſt dupliciter, vel publice quando audientibus aliquibus profertur, & tunc dicitur omnino per ſe manifeſta, vel occulte quando ſignificatio exterior erroris mente concepti fit occulte, ideſt nemine audiente, vel vidente, & tunc dicitur manifeſta per ſe & occulta per accidens. Hæreſis formalis interna ſimul & externa, alia eſt partialis, quæ circa aliqua tantummodo capita Fidei verſatur; alia totalis, quæ eſt ipſamet Apoſtaſia, ſeu error voluntarius & pertinax contra omnem Fidei Chriſtianæ veritatem & doctrinam. Unde hæreſis & Apoſtaſia ſpectatæ prout important receſſum a Fide, ſpecie non diſtinguuntur, ſed duntaxat ſecundum magis & minus, ut communiter in Schola D. Thomæ; tametſi eadem Apoſtaſia, ſi conſideretur quatenus importat converſionem ad Paganiſmum vel Iudaiſmum, ſpecie diſtinguatur ab hæreſi.

§. IX.

De Pœnis latis contra Hæreticos.

Pœnæ contra Hæreticos aliæ temporales, aliæ ſpirituales. Pœnæ ſtatutæ contra hæreticos formales & externos duplicis ſunt generis; aliæ temporales, nempe bonorum confiſcatio, infamia, ſi hæreſis ſit notoria, ex ea proveniens, inhabilitas ad honores, officia & quæcumque, pœna exilii, Carceris, ac ipſius mortis, ut in utroque Iure in tit. *de Heret.* Aliæ ſpirituales, quæ magis ſunt ad præſens noſtrum inſtitutum; cum ſit diſciplinæ æthicæ Theologicæ ea reſpicere, quæ ordinem dicunt ad ſpirituale bonum, vel malum animæ.

Variæ ſunt pœnæ latæ a Iure Can. contra Hæreticos; ideſt Excommunicatio maior, quam incurrunt Hæretici iure antiquiſſimo Eccleſiaſtico. Hæc olim erat ſententiæ ferendæ, nunc vero ipſo iure eſt ſententiæ latæ, necnon Papæ reſervata in Bulla Cœnæ Domini, quæ quotannis tali die promulgari ſolet: Irregularitas: Infamia Iuris, ſi hæreſis ſit notoria: Privatio Beneficiorum, & Dignitatum, cap. 12. *de Heret. in* 6. Item privatio Iuriſdictionis ſpiritualis, cap. *audivimus* 24. q. 1. & cap. *Aperte* ibi: Item ſepulturæ eccleſiaſticæ *cap.* 2. *de Heret. in* 6. ubi etiam excommunicantur, qui hæreticos tradunt ſepulturæ Eccleſiaſticæ.

Adverte, quod credentes etiam Hæreticis, eorumdem receptores, defenſores, fautores incurrunt ipſo facto in excommunicationem maiorem, & privantur Eccleſiaſtica ſepultura cap. 13. *de Heret.* ex Generali Concil. Lateran. IV.

Conditiones requiſitæ Ad incurrendam excommunicationem ob hæreſim. Ad hoc vero ut quis incurrat ob hæreſim in excommunicationem quatuor requiruntur conditiones; ſcilicet 1. ut ſit hæreticus formalis non tantum materialis; idcirco hic (ſcilicet hæreticus materialis) poteſt abſolvi a proprio Parocho, licet vigeat conſuetudo in aliqua Eccleſia, ut hæretici etiam materiales mittantur ad eos qui habent facultatem abſolvendi hæreticos. 2. quod ſignis externis hæreſim ſufficienter manifeſtet: Qui enim hæreſim mente ſola concepit, ac profitetur, eſt quidem hæreticus coram Deo, non tamen in foro Eccleſiæ, neque excommunicationem incurrit; ſicuti neque illam incurrit in foro conſcientiæ & coram Deo, qui hæreſim exterius tantum profitetur ſive occulte, ſive publice, dum mente & animo eam non tenet, immo eam reiicit. Igitur ad incurrendam excommunicationem requiritur, quod hæreſis cum advertentia mente concipiatur, & exterius ſufficienter manifeſtetur, ſive palam, ſive in ſecreto ut nemini illa innoteſcat; quia licet hæreſis illa cuique ſit ignota, quando exterius ſignificata ſit, ſeu expoſita, ſubiici poteſt iudicio Eccleſiæ, & eſt mere per accidens, quod a nullo ea ſciatur. Quare tametſi mentalis hæreticus occultus puniri nequeat in foro externo ſeu contentioſo, per ſententiam particularem & temporalem, cum ad tale iudicium requiratur cognitio cauſæ ordine iudiciali per teſtes &c. poteſt tamen mulctari per ſententiam medicinalem, & mere ſpiritualem iuris, ad quam cognitio cauſæ non requiritur; tunc enim pœna huiuſmodi conditionate inſertur, nempe in hypoteſi quod ab aliquo tale delictum tali motivo perpetretur. Requiritur 3. quod actio externa, qua hæreſis manifeſtatur, ſit peccaminoſa mortaliter; unde non ſufficit ad incurrendam cenſuram, ſi quis hæreſim exprimat, ut petat conſilium, vel ut melius informetur; quia talis actio non eſt mala ſeu peccaminoſa; quin immo actus bonus, quem non punit Ec-

Digitized by Google

cleſia. Tandem quod manifeſtet ſuam hæreſim animo eam aſſerendi ſeu profitendi; nam excommunicatio lata eſt propter externum peccatum hæreſis informatum ab hæreſi interna. Quamobrem ſi lapſus interne in hæreſim Lutheri carnes comedat diebus ab Eccleſia vetitis ex gula, non incurrit in excommunicationem; quia hic tali actu committit peccatum contra intemperantiam, non contra Fidem. Aliter vero dicendum, ſi per talem comeſtionem ſuam intrinſecam hæreſim aperire velit, tunc enim excommunicationem incurreret.

§. X.

De Communicatione cum Infidelibus, & præcipue cum Hæreticis.

Communicatio cum Infidelibus alia Religioſa, alia Civilis.

Duplex eſt communicatio inter homines, Religioſa nempe una, quæ habetur in rebus ſacris, ac ad Dei cultum pertinentibus; altera Civilis, quæ datur in rebus ad Civilem, politicamque ſocietatem ſpectantibus. Communicationem in rebus ſacris cum Infidelibus vetitam eſſe iam patet, ex eo quod ſine macula atque nota infidelitatis non licet cum illis communicare in eorum ſuperſtitioſo cultu, ritibus ſcilicet, orationibus, ſacrificiis, &c. nam talis communicatio eſt quædam exterior approbatio falſæ Religionis, ac proinde veræ Religionis virtualis negatio. Unde tota difficultas occurrere poteſt circa communicationem in Civilibus, quia circa communicationem in Matrimoniis celebrandis, dicetur fuſe ſuo loco. Quoad communicationem igitur mere Civilem, regulam habemus manifeſtam in epiſt. 2. Ioann. ubi ſic legitur; *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite eum recipere in domum, nec Ave ei dixeritis*, & ita monet Apoſt. Rom. 16. ubi recordatur fugiendum eſſe conſortium eorum, qui diſſentientes a doctrina Chriſti ſpiritualis ruinæ offendicula ponunt. Quare ex utroque Apoſtolo ſaltem frequens & intima communicatio cum quovis Infideli ſive Pagano, ſive Iudæo, ſive Hæretico interdici videtur; eo quia ſit valde periculoſa, & præcipue cum hæreticis & Iudæis, quorum ſectæ habent aliquam analogiam cum Religione chriſtiana; nam ſive ex amicitiæ affectu, ſive ex ſubdola eorum collocutione, ſive in aliquibus chriſtianis ex nimis laxa eorum conſcientia, perdifficile eſt ut communicando cum hoc hominum genere, talis communicatio non redundet in detrimentum propriæ Fidei, aut pietatis fidelis communicantis, præcipue indocti, quia facile indocti trahuntur in non leves dubitationes, immo aliquando incidunt in apertas errorum approbationes. Hinc Eccleſia præcipue quoad Iudæos præ cæteris magis chriſtiano nomini, & Religioni infeſtos, quoad decem capita prohibuit cum ipſis communicare. Videlicet ne Chriſtiani cum Iudæis familiariter verſentur, præcipue cohabitando ſimul, veſcendo eorum azimis, & in conviviis accubando, in balneis lavando, ipſis famulando, ac medicamina ab iiſdem recipiendo, eorum Medicis utendo, vel eorum filios ablactando, vel in eorum domo alendo, communicando in hæreditatibus; necnon etiam ob decorem Chriſtianæ Religionis vetitum fuit, ne officia publica eis committantur: ſic habetur in corpore Iuris Can. *tit. de Iudæis*. Canonum prohibitio intelligitur etiam reſpectu Mahometanorum, ut notat Suarez diſp. 18. *ſec.* 6. & quia de his etiam aliquando exprimitur in Iure, & quia militant eædem rationes periculi, ac reſpectu Iudæorum.

Circa ſupradictas prohibitiones communicandi cum Iudæis (& ſic intellige de aliis ſectis etiam hæreticorum) aliqua obſervanda ſunt cum laudato Suar. *diſp.* 18. *ſect.* 6. quod ſicuti non licet famulo cohabitare in domo heri Iudæi: ita probabilius, ait Recentior, non licet hero chriſtiano tenere ad cohabitandum in domo ſua famulum Iudæum; cum idem immineat periculum ſaltem reſpectu aliorum de familia a lege prævitum. 2. circa convivia vetari quod non fiant ex condicto, & data opera, tam ad ſua accedendo, quam ad propria invitando; non vetari vero, ſi in itinere, vel aliquo accidentali eventu contingat. 3. circa azimorum eſum interdici ne fiat more Iudaico & cum ſcandalo, aut eiuſcemodi circumſtantiis. 4. quoad balnea ne fiant ſimul data opera, ſecus vero in accidentali eventu ob ſanitatem procurandam, vel alio modo ſimili. 5. quoad medicamina ea permittuntur ſolum in caſu neceſſitatis, quando alia non adſint ſufficientia. Hæc tamen lex in magnis etiam Civitatibus nunc non habet certam vim; cum Prælati, qui ſupponuntur hoc non ignorare, nunquam obſtiterint, nec obſtent. 6. Circa medicamenta intelligenda eſt lex quoad miniſtrationem & applicationem, non autem quoad emptionem eorumdem a Iudæis, quia emi poſſunt, non ſecus ac alia utenſilia ab ipſis emuntur. 7. circa ablactationem eorumdem filiorum intelligitur de officio nutricis permanenter in eorum domo; ſecus autem ſi extra eorum domos mu-

lier chriſtiana lac aliquando eis præbeat, ne parvulus fame pereat, aut alio rationabili motivo, ut probabilior tenent ſecundum Suar. Sylveſtr. alioſve. Neque ſecundum eumdem Suarezium & Azor. licet mulieri Chriſtianæ hoc officium præſtare permanenter in propria domo; cum ob frequentes viſitationes coniunctorum infantis adſit periculum familiaritatis & ſpiritualis damni. 8. Famulatus eſt vetitus ſive fiat commorando in domo, ſive extra domum, dummodo ſit diuturnus. Quocirca non vetitum eſt opificibus laborare pro Iudæis, aliiſve Infidelibus, & eorum agros colere, eis iumenta locare; cum hic proprie non ſit famulatus, nec facilis via ad inducendam familiaritatem cum eis vetitam. 9. circa hæreditatem non tantum prohibetur ne Communitas Iudæorum hæres fiat, aut legataria, ſed neque particulares perſonæ, quamvis teſtatoris eſſent conſanguineæ; cum lex inſtituta fuerit in favorem Religionis Chriſtianæ. Conceditur igitur communicatio cum Infidelibus in contractibus ſimpliciter, dummodo evitetur periculum familiaritatis; & ſi contractus ex natura ſui hanc induceret, dimittendus eſt.

§. XI.

De Diſputatione cum Infidelibus.

Quæ diſputatio cum infidelibus illicita.

Nota, diſputationem de rebus Fidei dupliciter inſtitui poſſe, aliam formaliter, quæ fit ad defendendum aut perſuadendum alteri id quod ab eo negatur, aliam materialiter, quæ fit cum duo idem credunt ſolumque exercendi ingenii gratia diſputant. Hic autem non habetur ſermo de materiali, quæ per ſe & abſolute licita eſt ratione obiecti, finis, & circumſtantiarum, quando, & animo catholico fiat, & eo inſtituatur fine, ut Fidei veritates profundius inveſtigentur, & fortius contra Hæreticos defendantur. Cavendum tamen ne, huiuſmodi diſputationes habeantur lingua vulgari coram indoctis circumſtantibus, qui, ut notat D. Thom. facile difficultates perſpiciunt, non ſic vero ſolutiones, vel ne ex aliqua diſputantium dubitatione procedant; alioquin peccarent tamquam dubii in Fide, & infideles, ut notatur a cit Doct. Angel. & ſic concertatio alias licita, mala fieret per accidens. De ſola igitur diſputatione formali diſceptatio inſtituitur. Unde hiſce præmiſſis.

Non licet præcipue Laico etiam docto diſputare de rebus Fidei; quia vetitum eſt in Iur. Can. cap. 2. *de Hæret. in 6.* Canon tamen non tenet in caſu neceſſitatis, nempe ſi deeſt Clericus doctus qui Fidem tueatur contra hæreticum, qui Fideles pervertere conaretur. Quinimmo in tali caſu teneretur, ut ſaltem proximi ſaluti, & honori Fidei deſpectæ conſuleret. Item vetitum eſt Iure naturali cuilibet indocto etiam Clerico: Nam cum Fidem recte tueri non valeat, & valide obiecta diluere, talis concertatio firmaret hæreticos in ſuis erroribus, & dubia in Catholicis excitaret, ac exponeret res Fidei periculo contemptus. Pariter illicita eſt omnis diſputatio de rebus Fidei coram catholicis indoctis & ſimplicioribus; quia ineſt periculum, ne illi auditis hæreticorum fallaciis vacillent in Fide. Etenim difficilius eſt percipere ſolutionem obiectionum contra res Fidei, utpote obſcuras, & rationem naturalem nimium aſcendentes, quam ipſas obiectiones, quæ ab ipſa naturali ratione deſumuntur. Excipe, niſi ſimpliciores ab hæreticis ad concertandum extimularentur. Quare aliquando licita eſt diſputatio cum Infideli etiam hæretico, ſi conditiones requiſitæ ſerventur. Et 1. ex parte diſputantis, in quo duo requiruntur; unum videlicet quod eam habeat in Fide firmitatem, atque conſtantiam, ut nullum adſit periculum ne diſputationis occaſione dubii quidpiam aut tentationis patiatur, alias fieri poſſet ut excideret a Fide, dum in aliorum animis Fidem inſinuare conaretur. Alterum, ut ſit Doctus & capax, quantum ad hoc munus ſuſtinendum exquiritur, quæ capacitas metienda eſt ex adverſariorum viribus; nam quo magis illi docti ſunt, eo plus ſcientiæ requiritur ad habendam cum illis diſputationem. Secunda conditio ſe tenet ex parte illius, cum quo diſputatio ineunda ſit, nempe ſi ei profutura prudenter iudicetur, nam regulariter loquendo vanum eſt cum his diſputationem inſtituere, qui non ex ignorantia, ſed ex malitia in errorem incidunt, quia nihil magis verentur, quam ne a ſua cæcitate illuminentur. Tunc enim diſputatio non ſolum infructuoſe agitur, ſed immo cum ſcandalo, quatenus Infideli obiicitur occaſio prolabendi in nova peccata per obſtinatam proprii erroris defenſionem. Dixi *regulariter loquendo*; quia eſt permiſſa, aut etiam neceſſaria diſputatio cum hæreticis. 1. ſi ſperetur auditores hæreticos converſuros. 2. Catholicos in fide, a qua forte deficerent, confirmandos. 3. Hæreticos ipſos deinceps fieri timidiores, nec tam audacter catholicos inſultaturos.

Ex parte auditorum requiritur, ut ipſis noce-

nocere non poſſit, quod maxime cavendum; cum ſecus auditores tranquilli in Fide, ex argumentis contra Fidem proponendis facile commoveri poſſent; quia rudes ſunt & imperiti. Item quando locus eſt timendi, ne perturbari incipiant, cogitando ea in dubium revocari, de quibus nunquam dubitaverant; cum hic ſit primus gradus ad hæreſim introducendam. Si tamen ſint viri ſimplices & probabiliter provocadi ſint, vel provocentur ab hæreticis, & timeri poſſit, ne ex ſilentio noſtro cauſſa, quam catholici tuentur, infirma videatur, tunc ineunda eſt coram iis diſputatio, ut ſaltem in confuſo intelligant, cauſſam Fidei & Eccleſiæ ſuis gravibus niti fundamentis, licet non ab omnibus hæc intelligi queant.

Ex parte tandem modi requiritur modeſtia ſincerusque veritatis amor in diſputante, adeo ut adverſarios plus moribus vincat, quam rationum pondere. Quare exulari debent iniuriæ, æmulatio, & quidquid ſuperbiam contentionem, & contemptum ſapit, ſeu ſpirat. Neceſſarium quippe eſt ne diſputatio ſuo fructu vacet, ut ille, contra quem diſputatur, libenter audiat.

§. XII.

Num liceat cogere infideles ad fidem?

Qui Infi. dicesi Nota, Infideles, alios non eſſe baptizatos, ac proinde minime Eccleſiæ ſubditos, ut ſunt Turcæ aliique Mahumetani, Gentiles &c. alii baptizati ſunt, ut Hæretici, & Apoſtatæ; qui cum per baptiſmum ingreſſi ſint in Eccleſiam ac cum ipſa coniuncti, nomenque ſuum Eccleſiæ dederint, facti ſunt ex eius corpore ipſique ſubditi. Hiſce præhabitis ſit.

Circa Infideles baptizatos, ſive hæretici ſint, ſive Apoſtatæ, proculdubio cogi poſſunt ad Catholicam Fidem ſuſcipiendam, legeſque Eccleſiaſticas ſervandas, licet ſive in infantia, ſive in adoleſcentia eſſent compulſi per metum ad baptiſmum; quia Baptiſmus ſubdit Eccleſiæ in his quæ ad Religionem, ac ſpiritualem æternamque ſalutem pertinent. Unde tota difficultas verſatur circa Infideles non baptizatos, cuiuſmodi ſunt Gentiles, Mahumetani, Iudæi, omneſque alii, qui per Baptiſmum non ſunt Eccleſiæ addicti, ac eius iuriſdictioni ſubiecti.

Infideles non baptizati etiam ſubditi Principibus chriſtianis, revera non poſſunt directe cogi ad catholicam Religionem ſuſcipiendam. Et hoc patet tum ex cap. 3. de *Baptiſm.* & cap. 9. *de Iudæis*, tum ex praxi Eccleſiæ, quæ nunquam uſa eſt cogere aliquem ad Fidem, nec per ſe, nec Principum auctoritate, quamvis facile hoc conſequi potuiſſet per religioſiſſimos Principes, præcipue per Magnum Conſtantinum, Theodoſium, aliosve; quia Eccleſia nullum ius tenet ſuper non baptizatos, & Fides catholica ac Baptiſma ſuſcipi debent voluntarie, alias ficte & ſacrilege ſuſciperentur. Nec obſtat illud Chriſti Lucæ 14. *compelle intrare*; cum hoc intelligendum ſit de vi exhortationis, atque ſuaſionis, minime vero coactionis & violentiæ.

Notatum fuit, *directe* Principes cogere non poſſe Infideles ſubditos ad Chriſtianam Religionem amplectendam; nam hoc poſſunt *indirecte*, idest vetando illis cultum Idololatriæ, quia poſſunt prohibere quod repugnat legi naturali, idcirco eos compellere poſſunt ad illa, quæ ſpectant ad publicam honeſtatem, ſeu ad vivendum ſecundum rectam rationem. Itidem eos cogere poſſunt ad audiendam Fidei doctrinam, ipſis negando ius commorandi in ſuo ſtatu, vel privilegia, gratiaſque aliis conceſſas, ſi audire renuant, vel maius tributum ab ipſis exigendo; non tamen plus iuſto. Et revera Gregorius XIII. conſtitut. 9. ſtatuit, Iudæos cogendos eſſe a locorum Ordinariis ſub pœna Interdicti commercii cum Fidelibus, aliiſque pœnis. Inſuper Eccleſia cogere poteſt Infideles per Chriſtianos Principes, ne impediant Prædicationem Evangelii, ac Fidei propagationem; cum ius habeat Fidem per totum Orbem prædicandi; Marci 16. *Prædicate Evangelium omni Creaturæ*.

§. XIII.

De lectione Librorum Hæreticorum.

Lectio librorum, qui conſcripti ſunt ab Hæreticis, & contraria Fidei continent, iure naturali iis vetita eſt, quibus imminet periculum perverſionis, cuiuſmodi ſunt infirmi in Fide, & præſumentes in rebus Fidei parum eruditi; immo & quamplurimis eruditis viris, qui interdum infirmiores ſunt in Fide ſimplicibus ipſis, & rudioribus; idcirco a tali lectione cavere debent. Quiſque enim tenetur ex charitate effugere periculum morale peccati, & amittendæ ſalutis; & etiam ſecluſo periculo viri etiam docti & firmi in Fide vitare debent lectionem librorum Hæreticorum, quando ſimpliciter & abſolute vetita eſt ab Eccleſia; cum hoc faciat etiam, præter periculi evitationem, in pœnam & odium hæreſis, & hæreti-

Digitized by Google

reticorum. Et Lex fundata in præſumptione periculi ligat omnes non exceptos. Lectio & retentio librorum hæreticorum vetita eſt in Bulla Cœnæ & in Indice edito a Pio IV. & ab aliis ſummis Pontificibus ſub pœna excommunicationis, & ubi nec Bulla, nec Index ſunt recepti, ut in Gallia, & alibi, ſemper tamen eſt vetita ſub pœna peccati lethalis, niſi excuſet parvitas materiæ, qualis eſſet legere paucas lineas, ideſt decem, duodecim, & minus etiam; cum hæc poſſint continere materiam ſubverſionis: peccaret vero qui decem lineas legeret, ſciens in his paucis lineis hæreſim contineri, aut approbationem hæreticæ propoſitionis. Ita in detentione talium librorum datur parvitas materiæ excuſans a mortali; quando retinens non habeat in animo diutius eos retinendi.

Nota: nomine libri hæretici prohibiti intelligitur ille, qui vel in toto, vel in aliqua ſui parte errores continet contra Fidem. Item liber Hæreticus dicitur ille, qui fuit compoſitus ab hæretico, licet hæreſim non contineat. Liber vero prohibitus ille eſt, qui indice librorum prohibitorum continetur, a quocumque fuerit editus. Tandem ſub nomine libri hæretici prohibiti ſecundum uſum Patrum & ſtylum Curiæ Romanæ comprehenditur Scriptura etiam brevis, puta Concio, Oratio, Epiſtola, ſi de Religione tractent, cum ſæpe non tantum æquale, ſed etiam maius periculum in his, quam in libro grandiori contineatur. Item libri continentes propoſitiones hæreticas, hæreſim ſapientes, male ſonantes, temerarias. In libri prohibitione omnis etiam eius pars vetita remanet, quamvis nullum in ſe contineat errorem, præcipue quando prohibitus ſit in pœnam & deteſtationem erroris & hæreticorum.

Non eximitur a culpa & a cenſura qui licet librum per ſe non legat, audit tamen ab alio, qui ipſius iuſſu & opera eum legit: cum ita cenſeatur ipſe per alium legere, iuxta tritum axioma & regulam iuris 72. in 6. *quando enim quis facit per alium, eſt perinde ac ſi faceret per ſemetipſum.*

Legens, ſicuti retinens, ad incurrendam cenſuram debet ſcire librum illum eſſe prohibitum. Unde excuſat eum a Cenſura ignorantia invincibilis, & ſecundum plurimos etiam vincibilis, dummodo non ſit affectata. Notat tamen hic Recentior, quod quando lex non exigat ut quis ſciens, data opera &c. faciat id cui annexa eſt excommunicatio, ipſa incurritur etiam per ignorantiam vincibilem, & ſola invincibilis excuſare poteſt. Quoad legentem volunt aliqui quod cenſura non incurratur, ſi legens nihil omnino intelligat linguam, ſeu idioma in quo liber ſcriptus eſt. Qui legentem caſu audit, peccat quidem mortaliter; ſed non incurrit cenſuram niſi longiuſcule hoc faciat; quia tunc adeſt periculum ſubverſionis.

Retinentes librum vetitum ſine licentia, etiamſi ad merum ornatum retineant, vel ob antiquitatem, vel tantum ut commodatum, vel in domo aliena; cenſuram incurrunt, quia omnes iſti prudentum iudicio vel effective vel moraliter retinere cenſentur. Item retinentes ad confutandum; item qui retinet, etſi nunquam legere velit, neque ullum adſit periculum; quia lex ſubſiſtit etiam ceſſante periculo ſubverſionis in particulari.

Libri prohibiti tradendi ſunt Inquiſitoribus, & ſi iſti deſint, Epiſcopis, quibus onus incumbit illos comburendi, qua facultate nemo privatus uti poteſt; eo quod Pius IV. in ſua Bulla quæ incipit; *Cum Meditatio*, id vetat in virtute S. Obedientiæ. Unde comburens propria auctoritate, peccat lethaliter contra tale præceptum; niſi ob ignorantiam excuſaretur; ut docent communiter DD. Alii volunt non incurri excommunicationem.

Libri prohibiti vendi aut donari non poſſunt ulli, etiam habenti facultatem eos retinendi; nam eo ipſo quod ab aliquo retineri nequeunt, hic privatur omni iure in illos libros, & applicantur per modum confiſcationis S. Inquiſitioni, ſolo fine ut ab Inquiſitore publice comburantur in auctorum infamiam & deteſtationem.

Bibliopola nequit licite emere & vendere libros prohibitos, quia ita moraliter diſſeminaret errores, & multis præberet occaſionem peccandi; & quamvis decipiatur emendo, non aliter ac qui falſam monetam accepit, nequit liciteeam impendere, & eidem revendere non licet; quia eſt merces in ſubſtantia defectuoſa, & prohibita. Nomine autem Bibliopolæ intelliguntur omnes qui in tali opere concurrunt, ut Dominus, Operarii, & ille, cuius expenſis imprimitur.

Tranſcribens talem librum cenſuram incurrit, non ſecus ac legens, & imprimens. Item cenſuram incurrunt, qui librum hæreticum ut talem, & ut opus hæretici laudant, defendunt, verbo, facto, aut ſcripto, qui impediunt ut inquiſitori tradatur. Non incurrit vero qui ſolummodo laudat in libro

in-

by Google

ingenium auctoris, ſtylum, libri eruditionem, aliquidve utile in eo. Incurreret vero qui exercendi ingenii gratia ſcripto librum illum defenderet, vel oretenus ſolius diſputationis gratia.

Tres in Indice ſunt Claſſes librorum prohib to rum. Quoad Claſſes vero librorum prohibitorum tres ſunt in indice; in 1. continentur libri indicati, ſed prius Auctores. In 2. non tam auctores quam libri, eo quod eorum auctores ſint catholici; prohibentur vero, eo quia doctrinam ſanam non contineant, puta quia vel doctrina eſt hæretica, vel falſi dogmatis ſuſpicionem generet. Cenſura tamen circa hos pro legentibus & retinentibus non eſt reſervata. Alii vero, quorum doctrina non ſana in eo conſiſtir, quod ſit aut contra aliorum famam, aut obſcœna contra pudicitiam, aut continens propoſitiones laxas in materia morali, aut aliquid ſimile; hi vetiti ſunt tantummodo ſub mortali, non ſub cenſura.

§. XIV.

De Apoſtaſia.

Definitio Apoſtaſiæ. Apoſtaſia eſt *receſſus totalis a Fide Chriſtiana per Baptiſmum recepta*, ad differentiam hæreſis, quæ eſt defectio ab aliquo Fidei articulo. Unde tunc eſt vera Apoſtaſia a Fide, cum quis non in partem, ſed in totum deſerit ſuſceptam Chriſtianam Fidem, ſe convertendo ad Paganiſmum, Iudaiſmum, vel Mahumeriſmum. Quare cum Apoſtaſia ſit etiam hæreſis, hinc ſubiicitur pœnis iiſdem, ac hæreſis.

Præter hanc vero datur alia Apoſtaſia quæ triplex eſt, nempe ab obedientia proprii Superioris, reſiſtendo ipſius iuſtis præceptis; ab Ordine Clericali, qua ſacris Ordinibus initiatus deſerit habitum clericalem, ut vitam laicalem ſequatur; a Religione, qua Religioſus profeſſus dimiſſo habitu Religionis redit ad ſtatum vitæ Sæcularis cum animo non redeundi. Hinc dici nequit Apoſtata qui cum licentia Superioris exit a Monaſterio, eiectus a Religione, electus ſecundum Canones ad Epiſcopatum; aut qui ſine licentia Superioris ad certum tempus vagatur, ſed ſpectato iure communi hic potius dicendus eſſet fugitivus; quamvis hic quoque ſecundum Conſtitutiones quarumdam Religionum ſubiiceret iiſdem pœnis, quibus mulctantur Apoſtatæ.

§. XV.

De modo recipiendi Hæreticos reſcipiſcentes.

Quandocumque quis ab hæreticali ſecta Lutheri, Calvini, vel a quavis alia ſe convertere ſtatuat ad lumen catholicæ veritatis, antequam ad Fidei profeſſionem, & ad Sacramentalem Confeſſionem admittatur, prius in neceſſariis Fidei catholicæ ſufficienter inſtruendus eſt; alioquin non pauci ficte accederent ob timorem Sæcularis poteſtatis, aliamve ob cauſſam, nec hi diu in Fide catholica permanerent, ſed in priſtinos laberentur errores. 2. Hæreticus reſcipiſcens ſuam hæreſim debet abiurare, ſicuti ordinatur atque ſtatuitur in iure Canonico cap. *Si quis voluerit* & cap. *Saluber.* 1. q. 7. Hæc autem abiuratio fit coram Sacerdote & teſtibus emittendo publicam Fidei profeſſionem, quatenus præſcriptum habetur in Ritualibus Diœceſanis aliiſque libris, qui de huiuſmodi materia pertractant. 3. tandem facta iſta Fidei profeſſione poſt præviam, ut diximus, ſufficientem inſtructionem, reſcipiſcens ab hæreſi admittitur ad Sacramentum Pœnitentiæ & communionis. Si tamen reperiatur reus materialis hæreſis, aut ex gravi alia cauſa non incurriſſe excommunicationis ſententiam contra hæreticos latam, is abſolvi poteſt a quocumque Confeſſario; nam Summus Pontifex ordinarie nullum peccatum ſibi reſervat, cui annexa non ſit excommunicatio ſibi reſervata, qua ſublata, ideſt ob ignorantiam vel aliam quamvis cauſſam non contracta, quilibet Confeſſarius ab hæreſis culpa abſolvere poteſt. Nihilominus in praxi attendenda eſt conſuetudo locorum, iuxta quam etiam materialis hæreſis rei ad eos pro abſolutione mittuntur, qui tali potiuntur facultate, quod ſi hæreſis fuit formalis, & Confeſſarius non teneat facultatem pro abſolutione ab excommunicatione ob hæreſim contractam, tunc mittat pœnitentem ad eum, qui habet huiuſmodi facultatem, vel ipſe ſpecialem licentiam petat ab Epiſcopo vel eius Vicario.

§. XVI.

De Abſolutione ab Hæreſi.

Circa hæreſim publicam indubitatum eſt, nec Epiſcopos, nec Prælatos Regulares poſſe ſuos ſubditos a tali culpa abſolvere. Quocirca tota difficultas verſatur circa hæreſim internam, & occultam. Ab hæreſi mere interna, & nullo ſufficiente ſigno exterius ex-

expreſſa, ſeu manifeſtata certe ſecundum communem Theologorum abſolvere poteſt quilibet Confeſſarius approbatus, eo quod talis abſolutio nec reſervetur Pontificis, niſi quando habeat annexam cenſuram, quæ non cadit ſuper hæreſim mere internam. Super hæreſim vero occultam ſecundum communiorem Theologorum Epiſcopus, nec Regulares Prælati abſolvere poſſunt, etiam non obſtante facultate quæ a Trid. Concil. Epiſcopis conceſſa videtur ſeſs. 24. cap. 6. *de Reformat.* Eo quia per Bullam Cœnæ ſit ipſis adempta; ut innuere videtur Cenſura lata ab Alexando VII. contra propoſitionem, quæ numero eſt tertia inter ab ipſo damnatas, in qua contrarium aſſeritur. Circa vero hæreſim exterius ſignificatam, ſed revera animo non aſſertam, ſeu quando interne non habetur talis error; cum excommunicatio afficiat veram hæreſim, quæ talis eſſe nequit ſine errore in intellectu; hinc probabilius tenent aliqui, hanc quoque abſolvi poſſe a quolibet Confeſſario. Verum quia hæc eſſet vera blaſphemia hæreticalis, quam ut plurimum Ordinarii ſibi reſervant, hinc hæc quoque hæreſis externa reſervata eſſet non quidem Pontifici, ſed Ordinario qui eam reſervavit; ideo non habens facultatem abſolvendi a reſervatis, non poteſt ab hac abſolvere niſi facultatem ab Epiſcopo expoſtulet. Hæreſis vero mente concepta & occultiſſime exterius ſignificata, ita ut crimen non ſit publicum, abſolvi poteſt a Sac. Congregat. Pœnitentiariæ, quæ ſolummodo concedere ſolet facultatem pro foro conſcientiæ Sacramentali, non pro foro externo iudiciali, cui reum expoſitum relinquit. Inquiſitores plerumque abſolvunt a vinculo excommunicationis, poſt tamen præmiſſam abiurationem, qua excommunicatione ſublata pœnitens abſolvi poteſt a quocumque Confeſſario approbato; immo aliquando poſſunt facultatem hanc aliis delegare. In articulo mortis omnes conveniunt, poſſe quemcumque Confeſſarium, immo quemcumque Sacerdotem, etiam degradatum & hæreticum in defectu Confeſſarii approbati abſolvere a tali crimine, ſive occultum ſit, ſive publicum, iuxta Tridentinum ſeſs. 14. can. 7.

§. XVII.

De obligatione quam habent fideles denunciandi hæreticos apud Iudices rerum Fidei.

Quilibet Fidelis tenetur denunciare Iudicibus Fidei hæreticum tam publicum quam privatum, etiam antequam ulla præmittatur fraterna correctio & admonitio, licet firma eſſet ſpes quod per talem correptionem emendaretur; quia præceptum S. Inquiſitionis per generalia edicta Pontificia auctoritate impoſitum denunciandi hæreticos, ſtatim obligat ſine ulla prævia correptione. Finis enim iudicialis denunciationis, non eſt ſola Fratris emendatio, ſed correptio publica, & aliorum Fidelium ſecuritas. Præter quam quod licet privatæ correptus emendetur, alii tamen quos forſan pervertit, ſine publica ipſius correptione in errore permanebunt.

§. XVIII.

De iis qui a Denunciatione excuſantur.

Non tenetur 1. denunciare Hæreticum qui in confeſſione Sacramentali ipſius agnovit errorem; quia magna iniuria fieret Sacramento, ac ipſum nimis redderetur hominibus formidabile: ideirco eoſdem ab ipſo retraheret. 2. Non tenetur hæreticus denunciare ſe ipſum iuxta regulam Iuris in cap. *Quod aliquando* de Pœnit. diſtinct. 1. *Non dico ut te prodeas*; nullus enim cogitur agere contra ſe ipſum. Tenetur quidem etiam cum damno & periculo vitæ Filius accuſare Patrem, Frater Fratrem, aut ſororem, Maritus Uxorem, & e contra, ut habetur Deuteronom. cap. 13. ubi Deus loquendo de lapſu hominum in Idololatriam, iubet, ut filii ipſi, conſanguinei &c. ipſos Patres &c. ſine ulla miſericordia denuncient; *non miſerearis ut occultes eum*. Dixi illos teneri ſe invicem accuſare, etiam cum damno & periculo vitæ; quia agitur de damno communi, quod maximum parit peccatum Hæreſis. Tenetur inſuper Fidelis denunciare hæreticum occultum etiam emendatum; quia præceptum denunciationis non eſt impoſitum ob ſolam correptionem delinquentis, ſed præcipue ob correptionem publicam, & ut vitetur periculum perverſionis aliorum; & quia licet hæreticus externe videatur emendatus, forſan adhuc permanebit intus in ſuo errore.

Licet vero aliqui ſentiant non teneri Fideles accuſare Cardinales, Epiſcopos, Archiepiſcopos, Patriarchas, Nuntios, alioſve Pontificis Officiales, eo quia in cap. *Inquiſitores de Hæreticis in 6.* & in Extravaganti *Cum Matthæus de Hæreticis* inter communes, videantur exempti ab Inquiſitorum iuriſdictione, & eorum crimen Papæ ſit reſervatum, nihilominus contrarium tenendum eſt; ideſt tales, omneſque alii exempti denun-

nunciandi ſunt; quia Inquiſitores, ut clare colligitur ex cap. *Inquiſitor de Hæret. in 6.* habent Iuriſdictionem ad accipiendam denunciationem contra quoſcumque Hæreticos; & hac via facilius impeditur damnum ob hæreſim Eccleſiæ imminens; cum ad Inquiſitores ſpectet, necnon illis facile ſit mittere denunciationem ad Sedem Apoſtolicam, cui perfectum reſervatur iudicium in caſu controverſiæ.

Non tenetur tamen Fidelis denunciare eum, quem ſolummodo ex levibus indiciis ſuſpicatur hæreticum, vel ſi a parum Fide dignis hoc audivit; quia Sac. Inquiſitio eſt prudentiſſima in ſuis edictis, & abſque ſufficienti fundamento non intendit, quod quis periculo infamiæ exponatur. Similiter præceptum denunciationis tenet circa hæreticum proprium ac pertinacem, non vero circa eum, qui ex lapſu linguæ, ignorantia, metu, incuria hæreſim protulerit; quia iſti ſunt tantummodo materialiter hæretici, de quibus certa ſpes eſt, quod etiam per privatam correptionem emendentur, & a veneno diſſeminando ſe abſtineant. Hoc tamen intellige, dummodo aliquo modo deprehendatur horum materialitas circa hæreſim. Alias curreret obligatio etiam pro his denunciandis.

Omittens denunciare eos quos denunciare tenetur, incurrit in pœnam excommunicationis ſententiæ ferendæ ſecundum ius commune in Extravaganti *Excommunicamus*. Secundum vero edictum S. Inquiſitionis incurrit ipſo facto, ſeu latæ ſententiæ & reſervatam, a qua nullus poteſt abſolvi niſi prius denunciet. Et denunciare renuens fit ſuſpectus de hæreſi, & hæreticorum fautor; idcirco ſubiectus pœnis, quæ contra hoſce lata ſunt. Hoc tamen intellige, ſi ſine iuſta cauſa excuſante non denunciaverit, aut veritatem in Iudicio occultaverit vel negaverit; ſic DD. communiter, quos hic citant Salmantic.

§. XIX.

De Delictis ſuſpectis de Hæreſi.

Suſpicio eſt opinio mali ex levibus indiciis proveniens, quæ ſi ſint probabilia, faciunt ſuſpicionem probabilem, per quam pervenitur ad præſumptionem, alias dicitur iudicium temerarium. Quare ſuſpicio differt aliquo modo a præſumptione, & indicio; quia ſi ſuſpicio eſt opinio oriens ex levibus indiciis, præſumptio eſt coniectura proveniens ex indiciis ſeu ſignis gravibus & veriſimilibus; indicium vero ſeu ſignum eſt cauſſa tum ſuſpicionis, tum præſumptionis. In noſtro vero caſu ſuſpicio & præſumptio pro eodem uſurpantur. Quare ex iure ſuſpicio ſeu præſumptio de hæreſi tripliciter accipitur, id eſt levis, quæ oritur ex levibus coniecturis, & hæc levi tollitur defenſione, ut v. g. ſi aliqui reperiantur celebrare occulta conventicula vita vel moribus a communi Fidelium converſatione deviantes. Vehemens, quæ oritur ex magnis argumentis & indiciis, ex quibus plerumque infertur, quod talia dicens vel faciens ſit hæreticus; ut ſi quis defenderet, occultaret, viſitaret, reciperet tamquam fautor aliquem hæreticum. Vehementiſſima, ſeu violenta, quæ oritur ex indiciis, verbis, aut factis, quæ cogunt ad credendum, ſic facientem vel loquentem, eſſe hæreticum, ut in cap. *Accuſatus, de Hæreticis in 6.* ut e. g. ſi aliquis communicet cum hæreticis in iis, quæ ad ritum eorum pertinent, vel tranſeat ad eorum ſectam; qui publice aſſerit propoſitiones hæreticas, qui Idola adorat &c. Suſpicio de hæreſi levis, vehemens, vehementiſſima.

Præter crimina ſupradicta alia pariter ſunt, quæ pariunt hæreſis ſuſpicionem, ut ſi Coniugati vivente altero coniuge nuptias contrahant: quia qui Sacramentis abutitur, ut fieret in hoc caſu, eſt in Fide ſuſpectus; idcirco nunc tale crimen ad ſolum tribunal S. Inquiſitionis ſpectat. Item, qui actiones frequentat, ac vitam ducit, quæ ex natura ſua parere habet vehementem ſuſpicionem hæreſis v. g. quia nunquam, aut valde raro Miſſam audit, aut diebus Ieiunii ſine ulla neceſſitate ſemper aut fere ſemper carnibus veſcitur. Clerici in Sacris Ordinibus conſtituti, Religioſi ſolemniter profeſſi, Scholares ipſi Societatis Ieſu, qui poſt biennium vota ſimplicia emittunt; ſi Matrimonium ſive publice, ſive ſecreto contrahant.

Item ſuſpicionem dat hæreſeos, qui cum non ſit Sacerdos celebrat Miſſam, aut Sacramenta miniſtrat; quia hic videtur male ſentire de Sacramentis, & præcipue cum Wiclefo & Calvino, qui docent, omnes etiam laicos eſſe poſſe Sacramentorum etiam Euchariſtiæ aut Pœnitentiæ Miniſtros.

Circa vero ſigillum Confeſſionis frangentes controvertitur inter DD. num etiam iſti reddantur in Fide ſuſpecti; ſed maior pars convenit, hoc non eſſe indicium hæreſeos, dummodo deliquens non habeat contrarium errorem, videlicet non teneri ad illud ſervandum, & errorem ſuum defendat.

Ita Sodomia ac Beſtialitas ſecundum Theologos ſunt indicia quæ ſuſpectam reddunt Fi-

Fidem delinquentis; quia ut docet D. Chryſoſtomus Homil. 4. in Epiſt. ad Rom. 1. & D. Thom. ibidem lect. 7. & 8. hi præſupponuntur male ſentire de animæ immortalitate, de divina providentia, pœnis inferni, ac divina omnipotentia. Alia pariter ſunt delicta, quæ reos Fide ſuſpectos reddunt, ut ſollicitatio ad turpia in Sacramentali Confeſſione, Magia, Aſtrologia Iudiciaria, Sortilegia, Maleficia &c. Sed quia pleraque horum opponuntur virtuti Religionis, ideo de illis agemus quando de vitiis Religioni oppoſitis, & hic ſolummodo de Confeſſariis ſollicitantibus in Confeſſione ad turpia ſermo habebitur.

§ XX.

De Confeſſariis ſollicitantibus Pœnitentes in Confeſſione ad turpia & inhoneſta.

Inter ea quæ reddunt aliquem vehementer ſuſpectum de Hæreſi, eſt Confeſſarii ſollicitatio ad turpia in Sacramentali Confeſſione, ſive occaſione Sacramentalis Confeſſionis; idcirco quandonam hoc contingat, procul dubio tenetur pœnitens hunc Inquiſitoribus denunciare. Videndum nunc tamen, quando, ideſt in quibus caſibus Fideles ad id teneatur, & quando a tali onere excuſentur. Et licet difficultas materiæ exigat ut res fuſe pertractetur, ne exeamus extra propoſitum inſtitutum brevitatis ſequendæ, quæ ſolum neceſſaria ſunt in lucem prodere ſtudebo.

Contra hoc enorme facinus quamplurima & graviſſima exiere decreta tum Sanctiſſimorum Pontificum, tum Tribunalis S. Inquiſitionis; inter quæ præcipue ſunt Bulla Pii IV. ad Archiepiſcopum Hiſpalenſem Hiſpaniæ contra hæreticam pravitatem Inquiſitorem Generalem, quæ incipit; *Cum ſicut nuper*. Decretum Clementis VIII. quo dictam Bullam confirmat, necnon declarat, omnes Chriſtifideles teneri denunciare huiuſcemodi delinquentes ad Tribunal S. Inquiſitionis, quod incipit *in Nomine Domini amen*. Bulla pariter S. Pii V. ad Inquiſitorem Generalem in Regnis Portugalliæ, quæ incipit; *Dilecte Fili*; in qua facultatem eidem impertitur procedendi contra Sacerdotes reos tanti criminis. Haſce Bullas refert Leander tract. 5. *de Pœnit.* Denique Bulla Gregorii XV. qua Bullas omnes confirmat, & habetur in tom. 3. Bullarii Cherubini pag. 318. column. 2. & incipit *Univerſi Domini gregis*.

§. XXI.

Explicatur quid ſit ſollicitare, ſeu allicere ad actus inhoneſtos, & quando intelligitur Sacerdos ſeu Confeſſarius ſollicitare.

Quid ſollicitare in præſenti propoſito.

Sollicitare in caſu noſtro idem eſt ac provocare ad actus illicitos, ideſt ſigno aliquo exteriori, ut verbis, precibus, tactibus & nutibus amatoriis allicere, movere, & tentare ad actus inhoneſtos & venereos, ſive inter ſe, ſive cum aliis perpetrandos. Sacerdos ac Confeſſarius, qui Pœnitentem ſive fœminam, ſive maſculum ad huiuſmodi turpes actus ſollicitat ſeu provocare conatur, ex citatis Decretis ſummorum Pontificum, & Sacræ Tribunalis Inquiſitionis, denunciandus eſt Inquiſitoribus vel Epiſcopis, ubi Sacræ Inquiſitionis Tribunal non extet; ita communiter DD.

Notatur *Sacerdos* disiunctive a Confeſſario; quia licet ſimplex Sacerdos ſollicitans non habeat poteſtatem Iuriſdictionis, habet tamen poteſtatem Ordinis; unde in caſu neceſſitatis abſolvere poteſt a peccato quocumque etiam Papæ reſervato, & eo vel maxime quod ex Bulla Gregorii XV. denunciandus ſit etiam qui ſimulat audire Confeſſiones. Quocirca incideret talis Sacerdos in pœnis ſollicitantium; quia revera confeſſionem ſimulat, & æque ac Confeſſarius iniuriam facit Sacramento Pœnitentiæ, ad quam ſufficit ipſius Sacramenti inchoatio. Si vero pœnitens peccatum revelet ſolummodo ob conſultationem, nec ſollicitatio fiat in Confeſſionali, videtur Sacerdos in tali caſu non denunciandus; quia conſultatio non eſt Confeſſio Sacramentalis, nec fit in loco deputato ad excipiendas Confeſſiones. Quod ſi talis Sacerdos ſit interpres Pœnitentis, & hunc in eodem actu confeſſionis ſollicitet, diſcrepant DD. num cadat in pœnas ſollicitantium & ſit denunciandus. Sed probabilior videtur non incidere in eiuſmodi pœnas, nec eſſe denunciandum; quia interpres, ut talis, non eſt Confeſſarius, nec Sacerdoti aſſimilatur, ad quem pertinet reverentia Sacramenti; ſed potius ſe tenet ex parte pœnitentis, licet teneatur ad ſigillum; idcirco non incurrit pœnas contra ſollicitantes impoſitas, & per conſequens non eſt denunciandus. Similiter ſi Clericus aut laicus ſe Sacerdotes & Confeſſarios ſimulantes pœnitentem ſollicitent in actu Confeſſionis, aut immediate ante, vel poſt, licet ex vi Decreti Gregorii XV. denunciandi non ſint; tamen ſunt denunciandi ex vi Decreti generalis

ralis

Digitized by Google

ralis Inquiſitorum, & præcipue ex conſtitutione Gregorii XIII. quia iſtorum Fides hac ſacrilega fictione ſuſpecta redditur; cum Sacramentis abutantur non minus quam qui abutuntur Hoſtia conſecrata ad Theſaurum inveniendum. Ad hoc tamen ut hoc incurrant, neceſſe eſt ut abſolutionem pronunciaverint.

Pœnitens ſollicitans Confeſſarium non eſt denunciandus; quia Decreta loquuntur de Miniſtro, non vero de pœnitente ſollicitante, & ut iam dictum eſt alias, leges pœnales non ſunt extendendæ ad ſimiles caſus, etſi eadem, vel ſimilis currat ratio.

De ſollicitata per tertiam perſonam. Confeſſarius ponens laicum in Confeſſionali ad audiendas Confeſſiones cuiuſdam mulieris, ut ſe Confeſſarium fingens eam ſollicitet, ut cum ipſo Confeſſario rem habeat, non eſt denunciandus, dummodo in actu ſollicitationis, vel in actu Confeſſionis, ſive proximi ad Confeſſionem, ſive in Confeſſionali non fuerit præſens, alias eſſet denunciandus non minus ac ſi dediſſet mulieri ſcripturam ſollicitationis domi legendam: quia tunc ſollicitaret aliquo mediante tamquam inſtrumento. Non eſt denunciandus Confeſſarius, qui caſu audiens Confeſſionem quam mulier quædam apud alium Confeſſarium faciebat, ex eo quia cognoverit eam proclivem eſſe ad peccata carnis, ipſam immediate poſt Confeſſionem ſequens, inhoneſta ab eadem requiſierit, quia licet iniuriam inferat Sacramento, non eam tamen infert ut confeſſarius, ſed ut extraneus. Non tenetur ſollicitans ſe ipſum denunciare; quia nemo tenetur prodere ſe ipſum.

§. XXII.

De verbis, ſeu actionibus turpibus, ac venereis, quæ in Decretis prohibentur, tamquam provocantia ad carnalia.

Cum plura in hoc titulo contineantur, idcirco operæ prætium eſt ut diſiunctim de iiſdem agatur. Quare dicendum 1. Confeſſarium ſollicitantem ad actus etiam venialiter inhoneſtos, qui in materia luxuriæ leves cenſeri poſſint, ut puta tangere manum fœminæ, mammillam, contorquere illius digitos, aut faciem velicare (de quorum venialitate tunc præſcinditur) eſſe denunciandum; quia in ordine ad ſollicitationem non datur parvitas materiæ; dum prædictæ actiones ſemper graviter lædunt reverentiam Sacramenti, & ſic gravia ſunt ſacrilegia. Similiter Confeſſarius laudans pulchritudinem & ornatum pœnitentis; quia mulieres, facile his verbis ad libidinem excitantur, & quia hi actus ſunt inhoneſti in tali loco, ubi abiecta omni ſermonis levitate ſancte ſancta tractanda ſunt. Et eo magis hoc verum eſſet, ſi in ea laudanda diceret, quod ob eius pulchritudinem eam acciperet in uxorem ſi eſſet liber; quia verba hæc callide ad venerea alliciunt. Itidem ſi daret pœnitenti in Confeſſionis tribunali inſolitum donum, ut diſſuadeat a Confeſſione. Utrumque tamen intelligendum, ſi laudatio & munus fiat pravo fine, & per verba quæ incitent ad venerea: alias utrumque eſſet indifferens, nec ulla reitas ineſſet Confeſſario ut denunciari deberet. Denunciandus pariter eſt Confeſſarius, qui pro ſatisfactione Sacramentali iniunxit mulieri ut domi denudata ab ipſo verberetur; vel eidem ſuadeat ut ſibi oſtendat turpia, animo etiam illa ſanandi per medicinæ applicationem a morbo quo cognoverat ex Confeſſione ipſam laborare; quia ambo ſunt tentationes ad turpia. Sic denunciandus eſt Confeſſarius, qui in Confeſſione manifeſtet pœnitenti ſe tunc voluntarie polluiſſe; quia eſt multum commovens ad copulam. Ita qui inſtigat fœminam ut alium ad copulam admittat, vel inducit pœnitentem ut filiam ſuam proſtituat, vel ut aliam ſuadeat ad fornicationem, quia omnia hæc ex verbis Bullæ prohibentur, *qui cum pœnitentibus illicitos & inhoneſtos ſermones, ſive tractatus habuerint; qui perſonas, quæcumque illæ ſint, ad inhoneſta ſive inter ſe, ſive cum aliis quomodolibet perpetranda, in actu Sacramentalis Confeſſionis ſollicitant.* Hæc ſunt verba Bullæ.

Denunciandus quoque eſt Confeſſarius, qui proxime ad Confeſſionem fœminam aliqua arte in ſomnum induxit, vel naturaliter deliquio deprehenſam, in ſomno vel deliquio carnaliter cognovit, vel tactus habuit inhoneſtos; quia vere opere ſollicitat, cum habuerit proxime ad Confeſſionem tractatus cum pœnitente vetitos in Bulla Gregorii XV. Item Confeſſarius, qui in Confeſſione mulieri tradidit cartam domi legendam, in qua ad turpia ſollicitat, quia tunc ſollicitatio incipit in traditione cartæ, & completur in lectione.

Confeſſarius ſollicitatus ad copulam divertens ad tactus, & amplexus, vel ſollicitatus ad ſodomiam divertens ad naturalem copulam, eſt nihilominus denunciandus; & hoc conſtat ex verbis ipſis Bullæ in qua dicitur, *qui cum pœnitente illicitos, & inhoneſtos ſermones vel tractatus habuerit.* Ideirco ſequitur, quod Confeſſarius ſollicitatus

De ſolli citante in aliis ſacra. mentis:

tus ſit denunciandus ſi conſentiat, quidquid in contrarium alii dicant, præcipue poſt Conſtitut. Greg. XV. Non vero denunciandus eſt Confeſſarius, qui ſollicitat in miniſterio aliorum Sacramentorum, ut Matrimonii, Euchariſtiæ &c. dummodo in hiſce Sacramentis adminiſtrandis, non ſimulet, aut fingat Sacramenta miniſtrare; quia cum ſit lex pœnalis, non eſt extendenda ad alios caſus, quos ipſa non exprimit. Sic non eſt denunciandus Inquiſitoribus, qui in adminiſtrando Sacramento Pœnitentiæ ſollicitat ad alia peccata. Uterque tamen eſt denunciandus ſuis Prælatis, ut pro tanta irreverentia ſacramentis illata corrigatur.

§. XXIII.

De Caſibus comprehenſis in verbis Bullæ Greg. XV. qui in actu Sacramentalis Confeſſionis, ſive antea, ſive poſt immediate, ſive occaſione, vel prætextu Confeſſionis, etiamſi ipſa non ſequatur; &c.

Sollicitatio in actu Sacramentalis Confeſſionis fieri intelligitur, ſi Confeſſarius provocet ad turpia, quando pœnitens iam cœpit confiteri ſua peccata, vel ſe ſignavit ſigno crucis, ut incipiat confeſſionem, & ad hoc accedit ad Confeſſarium paratum ad excipiendas Confeſſiones, ſive ſit in Confeſſionali, ſive alibi; quia tunc cenſetur facta ſollicitatio in actu Confeſſionis.

Hinc denunciandus eſt Confeſſarius, qui deprehendens pœnitentem indiſpoſitum accedere, ad inhoneſta provocat; quia licet non perficiatur Sacramentum, ſollicitatio tamen ſit in loco Confeſſionis, ut habetur in Bulla cit. Greg. XV. *occaſione Confeſſionis*, etiam ipſa confeſſione non ſecuta.

Item denunciandus eſt Confeſſarius pœnitentem ſollicitans, qui ſe imprudenter accenſet animum habuiſſe cum illo peccandi; nam hoc eſt vere ſollicitare in actu Sacramentalis Confeſſionis; Similiter ſi ſollicitet per verba conditionata dicendo, ſi locus permitteret, & iniuria non fieret Sacramento animum meum tibi explicarem; quia huiuſmodi verba ſunt ſufficienter ſollicitativa. Nec ſolum denunciandus eſt, qui in actu confeſſionis ſollicitet, ſicuti præcipiunt decreta Sanctiſſimorum Pii V. & Clementis VIII. ſed ille etiam, qui ſive ante, ſive poſt immediate ſollicitat ex cit. Decretis Gregorii XV. & ſacr. Inquiſitionis. Quod ſi poſt Confeſſionem ad alia opera & actiones antequam ſollicitet ſe divertat, non dicitur poſt immediate Confeſſionem ſollicitare, idcirco non eſt denunciandus. Quare denunciandus eſt Confeſſarius, qui Confeſſionem ſimulans, pœnitentem qui ad ipſum accedit ad turpia provocat, & etiamſi accedat pœnitens ſolummodo ut admoneat hunc Confeſſarium ſe velle in craſtinum confiteri; nam talis ſollicitatio reſpectu primi caſus aliquo modo eſt proxima Confeſſioni, quæ ex ipſa prava mente Confeſſarii non eſt ſecuta, & reſpectu ſecundi, eſt ſimulatio Confeſſionis & in Confeſſionali. Quare ſequitur quod ſit denunciandus iuxta laudata decreta Confeſſarius ſollicitans pœnitentem occaſione & prætextu Confeſſionis: Ideſt quando rogatus a pœnitente ut confeſſionem audiat, divertit pœnitentem ut Confeſſionem differat in aliud tempus, & hac occaſione ad inhoneſta provocat; vel quando ſub velamine Confeſſionis, quæ non ſit, nec principaliter intenditur, Confeſſarius pœnitentem invitat ad turpia, & hoc eſt ſollicitare prætextu Confeſſionis; idcirco quandocumque Confeſſarius ſub tali prætextu ſollicitat, eſt denunciandus. Hiſce principiis quamplurimi faciliter reſolvuntur caſus quoad debitum denunciationis.

Si mulier Confeſſarii amore capta, fingens ſe ægrotam, eum ad ſe confitendam invitet, minitans niſi conſentiant ſe vociferaturam ut ab ipſo oppreſſam; ſi conſentiat Confeſſarius poſtquam incœpta eſt confeſſio, licet ficta, eſt denunciandus, quia aſſentitur ſollicitationi in Confeſſione, vel proxime ad illam, vel ſaltem prætextu Confeſſionis; non vero ſi conſentiat antequam incipiatur confeſſio; quia tunc nulla ſit iniuria Sacramento Pœnitentiæ quod non incœpit, nec hoc ſit reſpectu Confeſſarii *prætextus Confeſſionis*, ut ſpecialiter intenditur a Pontifice. Si vero ambo convenerint, extra tamen locum Confeſſionis, & extra prorſus Confeſſionem, ad venerea domi agenda; & ut liberius paſſioni indulgeant, fœmina vocet Confeſſarium prætextu Confeſſionis, ut citius licentiam exeundi ei Prælatus concedat, ſuſtinent non infimæ notæ DD. non eſſe hunc Confeſſarium denunciandum, eo quia non adſit prætextus Confeſſionis, ſed ſolius ſollicitationis.

Remanet tandem explicandum, quando intelligatur aliquis ſollicitare pœnitentem in Confeſſionali extra Confeſſionem, ut habetur in verbis Bullæ cit. Gregorii XV. Tale igitur ſcelus committitur ſive in Confeſſionali, ſive quocumque alio in loco electo ad Confeſſiones Sacramentales audiendas; & quicumque tali in loco, ſive revera audiendo,

Digitized by Google

do, ſive audire ſimulando, ad inhoneſta provocet, eſt denunciandus. Quare etiamſi pœnitens accedat ad talem locum ſine ulla intentione ſe confitendi, ſed ſolummodo ut loquatur cum Confeſſario de rebus aliis, & a Confeſſario ſollicitetur, Confeſſarius eſt denunciandus utpote ſollicitans in loco Confeſſionis, ſicuti loquitur ſummus Pontifex, quamvis ſit extra occaſionem Confeſſionis, eam tamen ſimulando. Quod ſi in tali loco non ſimulet confeſſionem, ſed ibi ſtet tantummodo ut ſedeat & ſollicitet, tenent Salmantic. in tali caſu non eſſe denunciandum. Similiter eſt denunciandus Confeſſarius licet a fœmina ſollicitetur ad turpia, & conſentiat ob metum quod illi minetur, ſe velle eum accuſare quod ab ipſo fuerit ſollicitata, cum talis metus non ſit cadens in virum conſtantem; quia Tribunal Sac. Inquiſitionis non procedit contra denunciatum ad omnem querelam præcipue mulierecularum. Denunciandus eſt pariter Confeſſarius ſi ipſe & pœnitens conveniant ſimulatione Confeſſionis ut liberius poſſint habere inhoneſtos ſermones. Nam licet ambo conveniant in ſimulatione Confeſſionis, hoc non tollit quod Confeſſarius revera ſit ſollicitans, habendo ſermones inhoneſtos in Confeſſionsli ſimulatione Confeſſionis, quod prohibetur verbis laudati Decreti Gregorii XV.

§. XXIV.

De iis qui tenentur denunciare Confeſſarium ſollicitantem, & de cauſſis aliquos a tali onere eximentibus.

Fœmina, licet ipſa quoque conſentiens ſit ſollicitationi, denunciare tenetur; tum quia lex iuſta, ſicuti iſta eſt, obligat quando poſſit impleri ſine iactura propriæ famæ; tum quia ſi tenetur denunciare Confeſſarium antequam ipſa conſentiat ſollicitationi; tenetur etiam poſt conſenſum, alias commodum reportaret ex delicto; & quia bonum commune præponderat particulari; idcirco fœmina tenetur denunciare etiamſi detrimentum aliquod in propria fama pateretur. Huiuſcemodi onus incumbit etiam cuilibet alio quamvis non ſollicitato, quando certus ſit aliquem Confeſſarium in crimen ſollicitationis incidiſſe; quia ita iubent citata Decreta S. Inquiſitionis. Non currit tamen talis obligatio quando notitia prodierit a fœminis levibus, & fide indignis, ne incurrat periculum proximum infamandi.

Qui ſollicitatus fuit in terris Infidelium, quando pervenerit ad loca fidelium confeſſarium denunciare tenetur; quia leges evulgatæ in curia Romana ſecundum multos ſtatim obligare incipiunt, idcirco nihil officit quod in terris infidelium non ſint promulgatæ. Verum ratio quæ magis mihi arridet eſt, quod cum Confeſſarius ſollicitans ſuſpectus ſit in Fide, & Fides Baptizatum ubique obliget, ideoque ubique Eccleſia ſuper baptizatum ius habeat; hinc eſt, quod ubicumque quis aliquid comittat quod de hoc ipſum ſuſpectum reddat, ſemper delictum eſt intra fines fori Eccleſiaſtici, ac proinde Eccleſia ius habet illud puniendi.

Confeſſarius qui plures ſollicitavit, licet pro ſollicitatione unius punitionem acceperit, non exinde eximuntur alii ab onere illum denunciandi; quia una ſollicitatio eſt ab alia diſtincta, & cum pro qualibet ſit præceptum, omnis diſtincta ſollicitatio conſtituit novum crimen, cui nova pœna debetur.

Confeſſarius ſollicitans eſt denunciandus; etiamſi certo conſtet eſſe emendatum, ut quamplurimi ſentiunt graviſſimi DD. tum quia denunciatio non eſt ſolum ordinata ad emendationem, ſed Pontifices & tribunal S. Inquiſitionis principaliter intendunt in ſuis decretis punitionem, & per hanc tollere malum quod ex ſcandalo huiuſce criminis patitur Eccleſia; tum quia memorata Decreta abſolute, & ſine ulla diſtinctione iubent denunciationem Confeſſarii ſollicitantis; tum denique quia edictum S. Inquiſitionis præcipit ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, ut inter ſex dies ſollicitans denuncietur nulla præmiſſa fraterna correctione, idcirco ſine ulla differentia emendati, vel non emendati. Similiter denunciandus eſt ſollicitans quamvis de tali crimine non eſſet diffamatus, tum quia alias nunquam ſollicitans eſſet denunciandus, & ita illuderentur tot decreta a Summis Pontificibus edita contra ſollicitantes; tum quia denuncians in rebus ad Fidem pertinentibus non tenetur probare crimen de quo aliquem denunciet.

Circa vero perſonas, quæ eximi, vel non eximi poſſunt ab onere denunciandi, & circa cauſſas quibus eximi poſſunt, certum eſt, Uxorem, Sororem, Filium non excuſari nec eximi a denunciando Maritum, Fratrem & Patrem de hæreſi in quam inciderint, ita nec de his quæ generant hæreſis ſuſpicionem, cuiuſmodi eſt ſollicitatio; quia quiſque tenetur accuſare delicta, quæ cedunt in damnum commune, omni privato damno poſthabito. Non excuſatur ſollicitatus a denunciandi- Quinam eximi poſſunt, vel non ab onere denunciandi Confeſſarium ſollicitantem.

ciando, ſi apud ſollicitantem confiteatur de peccato cum ipſo commiſſo, & hoc habetur ex propoſitione damnata ab Alexandro VII. quæ ordine eſt ſeptima. Et cum Confeſſarius ſollicitans non teneatur prodere ſe ipſum monendo ſollicitatum de obligatione denunciandi; hinc eſt, quod non poteſt pœnitentem abſolute ad hoc obligare, ſed ſub aliquo honeſto prætextu illum remittere debet ad alium Confeſſarium qui eumdem abſolvat & moneat de obligatione denunciandi Inquiſitori, vel Ordinario, ubi deeſt Inquiſitor, Confeſſarium qui eum ſollicitavit.

Licet autem excuſetur a denunciando ſollicitantem qui illius crimen cognovit ſub ſigillo confeſſionis, quod in honorem Sacramenti ex naturali iure & divino ſervari debet, non tamen excuſatur, qui ſcit ſollicitationem ſub ſigillo tantum naturali; quia quilibet excuſatur ab hoc ſervando, quamvis iuramento firmatum ſit, quando illius obſervatio cederet in damnum commune; quia ius naturale exigit, ut iuramentum & ſecretum non ſint in damnum commune, alias vinculum eſſent iniquitatis.

Difficultas gravior exurgit circa pœnitentem, qui in denunciatione ſollicitantis prudenter, non vero leviter timet de gravi damno, in vita, fama & rebus temporalibus; eo vel maxime quod hic agitur de obſervantia præcepti poſitivi, quod de natura ſua videtur non obligare cum tanto incommodo. Et cum varie ſentiant DD. quorum alii ſe habent pro parte affirmativa, alii pro negativa, alii mediam viam inter utramque tenent; hinc ne nimis in longum procedatur, cum difficilima ſit reſolutio, remitto ſtudioſum ad graves auctores, qui de re hac ex profeſſo pertractant, & præcipue, ſi ipſis fidem habeat, ad Salmantic. in tract. 27. cap. 4. p. 4. §. 2. a n. 286. ad 292. ubi per extenſum difficultatem ex omni capite diſcutiunt; & eligat quod eum magis perſuadeat.

Circa vero ſollicitationem dubiam pro reſolutione notandum, quod ſi dictum aut factum Confeſſarii ſit certa ſollicitatio, & dubitetur an revera Confeſſarius illud dixerit aut fecerit, non excuſatur pœnitens a denunciatione; etenim cum dubitatio ſit de perſona, & certitudo de delicto, Inquiſitores procedere poſſunt ad cognoſcendum num prædicta perſona illud commiſerit vel non; quia per dubium remanet aliquo modo diffamata. Si vero dubitetur an tale delictum vel factum, de quo certo conſtat Confeſſarium feciſſe aut dixiſſe, ſit ſollicitatio in Decreto Pontificis comprehenſa, excuſatur pœnitens a denunciando; quia cum hoc ſit dubium facti, in tali dubio Confeſſarius eſt in poſſeſſione ſuæ famæ. Et eo vel maxime, quod cum Bulla Pontificis ſit contra ſollicitantes, & ſollicitatio dubia ex parte facti, non ſit ſollicitatio, hæc non ſufficit ad hoc ut Confeſſarius pœnis Bullæ, & pœnitens obligationi a Bulla pœnitentibus impoſitæ ſubiaceant; unuſquiſque enim præſupponitur bonus quando non probetur malus, quod fieri nequit per delicta dubia. Ita laudati Salmantic.

Quod ſi dentur duæ probabiles opiniones, & contrariæ, an dictum tale aut factum ſub prædictis conſtitutionibus ſit comprehenſum; ſi audiantur Probabiliſtæ qui volunt quemlibet ſequi poſſe ſententiam probabilem quam maluerit, præcipue ſi faveat libertati, non curreret obligatio denunciandi. Secundum vero Probabilioriſtas ſi opinio probabilior eſſet, dictum illud, aut factum comprehendi ſub dictis conſtitutionibus, facienda eſſet denunciatio. Si autem opiniones eſſent æque probabiles, tunc oritur verum dubium; hinc ſequi debet quod magis rationi arridet, & eſt tutius, iuxta regulam iuris in 6. *in dubiis potior pars eſt eligenda.*

Et ne aliquid, quantum brevitas permittit, in re tanti momenti deficiat, advertendum, neceſſe non eſſe, ut denunciationi correctio præmittatur, & multo minus eam ſufficere, licet eſſet ſpes emendationis, ad hoc ut tollatur obligatio denunciandi, quæ ſemper viget, nec aliquis a tali onere per officium correctionis fraternæ eximi poteſt. Præter alia vero momenta, quæ hoc probant, adeſt Bulla Alexandri VII. quod prætextu correctionis fraternæ nemo liberari poteſt ab obligatione denunciandi crimina ad Sacræ Inquiſitionis tribunal. ſpectantia. Sic communiter DD.

Denunciatio facienda eſt a Pœnitente quando commode poteſt; & ſi denunciantes eſſent nobiles fœminæ, quæ ſine aliqua infamia adire nequeunt Inquiſitores vel eorum Miniſtros; aut Moniales, quibus extra domum exire non eſt conceſſum, id faciant vel in ſcriptis, vel mediante prudenti & docto Confeſſario, ut Inquiſitores de remedio provideant. *Denunciatio quando facienda ſit a pœnitente.*

Peccat mortaliter quicumque pœnitentes a Sac. Inquiſitionis Tribunali punitos aliis manifeſtet, licet Inquiſitores graviter id non prohibeant; quia quando quis private punitur, ſicuti ſit in Sacr. Inquiſitionis tribunali,

-nali, ſignum eſt, quod Iudex nolit eum infamare; idcirco privatus ſi hoc faciat, reum punitum manifeſtando, lethaliter peccat, & tenetur ad famæ reſtitutionem. Et hæc ſatis ſint in tam perdifficili negotio.

CAPUT III.

De virtute Spei Theologicæ.

§. I.

De multiplici huius nominis acceptione.

CUM vocabulum Spei diverſimode uſurpetur, non abs re erit priuſquam de ea ſermo inſtituatur, varias eiuſdem acceptiones explanare. Spes igitur ſumitur quandoquidem metaphorice, vel pro re ipſa ſperanda, ut Tit. 2. *Expectantes beatam Spem*, vel pro cauſsa efficiente, ſeu principali aut inſtrumentali Spei, ſcilicet pro eo in quo ſperamus, & in hoc ſenſu quando patronum habeamus, vel amicum valde erga nos propenſum, hunc dicere ſolemus, quod ſit ſpes noſtra, nempe ille ſit, per quem conſequi confidimus, quod efficaciter optamus. Ita Deum alloquimur tamquam cauſſam efficientem, & principem cuiuslibet boni quod cupimus Pſalm. 90. *Tu es Domine ſpes mea*, hoc eſt, in tua gratia, in tuo auxilio tota Spes noſtra fundatur. Aliquando accipitur proprie & ut in præſenti propoſito pro actu, vel habitu ſperandi, in quo ſenſu recenſetur Spes cum Fide, & Charitate 1. Corinth. 13 *nunc autem manent tria hæc, Fides, Spes & Charitas.*

§. II.

De Spei natura & obiecto.

Spes proprie dicta accipitur generatim, & ſpecifice. Spes proprie dicta ſpectari poteſt generatim & ſpecifice; alia enim eſt appetitus ſenſitivi, quæ dicitur paſſio, & hæc ſecundum Doctorem Angelicum 1. 2. *q.* 40. *art.* 3. eſt etiam in Belluis. Alia eſt appetitus rationalis, & hæc multiplex eſt, ſicuti multiplex bonum, quod ſperatur. Quare alia eſt ſpes litteratorum qui gloriam ambiunt; alia militum, qui victoriam ſibi proponunt; alia Mercatorum, qui lucrari appetunt; alia Chriſtianorum, qui ad cœleſtem felicitatem anhelant, & hæc eſt vere ac proprie Spes Theologica, quæ tendit in Deum, in quo ſolo ſtat noſtra vera Beatitudo.

Tametſi noſtrum propoſitum ſit hic agere dumtaxat de Spe Theologica, exponemus nihilominus ad clariorem huiuſce rei elucidationem genericam Spei definitionem, quia in hoc tum Philoſophi tum Theologi conveniunt, ut melius deprehendamus quomodo definienda ſit Spes Theologica, circa quam non conveniunt Theologi; nam iuxta regulam communem Scholarum, quæ generi conveniunt, ſpeciei quoque neceſſario conveniunt; itaut quod eſt eſſentiale animali generice ſpectato, eſt etiam eſſentiale ſpeciebus quibus ratio animalis convenit, homini ſcilicet, & brutis.

Definitio Spei generatim ſpectatæ. Spes generice ſpectata communi Theologorum & Philoſophorum conſenſu definitur: *motus appetitus efficaciter tendentis in bonum abſens arduum apprehenſum ut poſſibile*. Dicitur 1. *motus appetitus* ſive ſenſitivi, ſi Spes ſit paſſio, & actus neceſſarius; ſive rationalis, ſi actus ſit libere tendens in bonum mente apprehenſum. Hæc verba demonſtrant, Spem non ſpectare ad intellectum, ſed ad voluntatem; cum ſpes feratur in bonum quod eſt obiectum non intellectus, ſed appetitus ſeu voluntatis. Dicitur 2. *efficaciter tendentis in bonum*, ut diſtinguatur a ſimplici complacentia & volitione inefficaci, quale poteſt eſſe deſiderium inefficax magni lucri, in eo qui non habet copioſas merces; nam Spes eſt deſiderium efficax obtinendi bonum optatum. Dicitur 3. *in bonum abſens*, quo Spes differt ab amore, qui eſt boni præſentis ac abſentis; cum amemus bonum tum præſens, tum abſens; & a gaudio, quod eſt fruitio boni præſentis & poſſeſſi. Spes autem licet procedat ab amore, non poteſt tamen eſſe niſi boni futuri & abſentis ut Rom. 8. *Spes quæ videtur, non eſt Spes*. Dicitur 4. *arduum*, ideſt difficile obtentu, ut ſpes diſtinguatur a deſiderio quod eſt boni abſentis, ſed concepti ut facilis obtentu. Hinc Philoſophi deſiderium reponunt in appetitu concupiſcibili, Spem in iraſcibili, quem ita vocant, quia quodammodo irritatur difficultatibus quibus circumdatum proponitur bonum, impellitur & accenditur ad illas vincendas.

Obiectum igitur materiale Spei, eſt res bona circa quam verſatur ſperans; formale vero, eius bonitas abſens ardua & poſſibilis, quod eſt ratio quare circa eamdem rem bonam illa verſatur. Hiſce prælibatis de Spe generice ſumpta, ſit.

Definitio Spei Theologicæ. Spes Theologica eſt *virtus ſupernaturalis Theologica, per quam certa cum fiducia futuram beatitudinem, ſeu noſtram æternam ſalutem, & media ad eam obtinendam per Dei auxilium expectamus; ſeu ut alii*, Spes Theologica eſt *virtus divinitus infuſa, qua deſi-*

deramus conſequi bonum infinitum ex gratia, & meritis in patria adipiſcendum. Hæc definitio non differt a priori; nam noſtræ ſalutis, & æternæ vitæ bona primario & principaliter conſiſtunt in conſecutione infiniti boni, qui eſt Deus Opt. Max. eiuſque viſione & fruitione beatifica, quam ſolum ex gratia divina & accedentibus meritis noſtris per bonum uſum mediorum, ideſt gratiæ cooperationem comparatis, conſequimur. In priori definitione ſpes dicitur 1. *virtus*, utpote quæ, ſicuti proprium eſt virtutis, facit bonum ipſum habentem ut Pſalm. 33. *beatus vir qui ſperat in eo*, & opus eius bonum; quia cum, iuxta D. Thomam *q.* 17. *art.* 1. opus bonum illud dicatur, quod ſuis regulis eſt conforme, & regulæ humanorum actuum ſint ratio ut remota, & Deus ut proxima; bonus profecto eſt actus ſpei, qui utramque regulam attingit, rationem videlicet, quæ dictat tendendum in ultimum noſtrum finem, & beatitudinem; & Deum, cuius auxilio innititur.

Nec officit quod ſpes inveniatur in peccatoribus, unde concludi poteſt bonum non facere habentem; nam, ſicuti contingit in aliis virtutibus, quando Charitas per peccatum excludatur a peccatore, ſpes quoque bonum facit peccatorem, non quidem ſimpliciter, ſed ſecundum quid, quatenus nempe peccator ut ſperans in Deo, ſicuti decet, ex hoc capite bonus eſt atque laudabilis, licet aliunde vituperabilis.

Dicitur 2. *ſupernaturalis Theologica*, ac proinde a Deo infuſa ut Rom. 15. *Deus autem ſpei repleat vos omni gaudio & pace in credendo;* quia ſpes tendit in Deum ſupernaturaliter poſſidendum: Dicitur 3. *per quam certa cum fiducia futuram noſtram beatitudinem, ſeu æternam ſalutem*; quia per ſpem divinam, veluti fortiſſimam anchoram firmantur viatores tentationibus, & procellis huius vitæ agitati in promiſſis Dei, ideſt ad obtinendum æternæ beatitudinis bonum in Cœlis, quod prius Fide perceperunt. Fiducia noſtra qua æternam beatitudinem expectamus, certa eſt profecto ratione ſui, & quantum eſt ex parte Dei; quia nititur omnipotentia, miſericordia, & fidelitate in promiſſis. Incerta vero eſt reſpectu noſtri, cum certi non ſimus de noſtra cooperatione & perſeverantia ad ſalutem neceſſaria; *neſcit homo utrum amore, an odio dignus ſit; ſed omnia in futurum ſervantur incerta* Eccli. 9. Hinc hortatur Apoſtolus Pilipp. 2. *cum timore & tremore ſalutem veſtram operamini*. Poſſumus tamen, immo debemus ſperare finalem perſeverantiam, cum ad hoc ſufficiat, ut certa ſit conditionate, ideſt ſub hac conditione, ſi non defuerimus gratiæ Dei. Et ſub hac conditione eſt certo futura, ut docet Trid. Synodus *ſeſſ. 6. cap.* 13. Dicitur 4. *& media ad eam obtinendam;* quibus verbis denotatur ſecundarium ſpei obiectum, nempe divina gratia, & bona ſperantis opera, ſine quibus inanis eſt ſpes noſtra, & mera præſumptio, quæ, ut videbimus, eſt peccatum ſpei Theologicæ oppoſitum. Dicitur 5. *per Dei auxilium expectamus;* quia beatitudinem naturæ viribus omnino aſſequi non poſſumus, ut ait D. Angelicus *q.* 17. *art.* 2. Infinitæ virtutis eſt ad infinitum bonum perducere; & quod ſperatur ex adiutorio virtutis alienæ, docet idem S.D. Angel. 1. 2. *q.* 40. *art.* 2. *ad* 1. proprius expectari, quam ſperari dicitur. Spes igitur actualis eſt actus ſupernaturalis quo deſideratur bonum infinitum, Deus; deſiderare enim idem eſt in re ac ſperare, ut notat Sannig. Spes habitualis eſt habitus per ſe a Deo infuſus, actuum ſpei ex auxilio gratiæ elicitivus.

Hinc 1. Spes eſt actus virtualiter duplex, ſeu duobus actibus æquivalens, quorum unus eſt tantum deſiderium efficax beatitudinis, ſive amor Dei ut ſummi noſtri boni; & alter dici poteſt confidentia ſeu erectio voluntatis contra difficultates quæ in proſequenda Beatitudine occurrere ſolent, fundata in auxiliis & promiſſionibus divinis. Idcirco duplex eſt ſpei obiectum formale, ſeu motivum, utrumque quorum unum totale conſtituit; videlicet bonitas Dei relativa, cuius poſſeſſio poteſt nos perfecte beare; quia ut talis eſt motivum noſtri deſiderii: virtus vero adiutrix, ſeu multiplex ipſius Dei perfectio, nempe benignitas, miſericordia, omnipotentia ac fidelitas in promiſſis factis propter Chriſti merita, motivum eſt confidentiæ ſeu erectionis.

Hinc 2. uti facile colligitur, obiectum materiale primarium ſpei noſtræ eſt Deus poſſidendus; Gen. 15. *Ego merce tua magna nimis*. Secundarium vero ſunt media ſalutis a Deo inſtituta, ideſt gratis, & bona opera ex viribus gratiæ peracta, quæ ſi deſint, ſpes eſt mera præſumptio. Bona item temporalia, quatenus per bonum eorum uſum ex Dei gratia conducere valent ad ſalutem; omnia tandem, quæ Oratio Dominica complectitur.

Hinc 3. ad ſpem Theologicam ſpectat timor privationis gratiæ Dei eiuſque poſſeſſionis.

Spem non inveniri in Beatis manifeſte do-

cet

Digitized by Google

cet D. Thomas 2. 2. q. 18. art. 2. quia cum ſpes verſetur circa æternam felicitatem, ſeu bonum æternum, prout eſt poſſibilis eius conſecutio ex auxilio divino, bonum illud non cadit ſub ratione ſpei, niſi ſecundum quod eſt futurum; ideo cum beatitudo iam non ſit futura, ſed præſens, non poteſt ibi eſſe virtus ſpei; & ideo ſpes, ſicuti & Fides, evacuatur in Patria. Neque valet dicere, beatos ſperare gloriam corporis, ac proinde poſſe in ipſis eſſe virtutem ſpei; quia ut reſpondet S. D. ad 4. principale obiectum ſpei eſt gloria animæ, quæ in fruitione Dei conſiſtit, & non gloria corporis; tum quia gloria corporis eſt minima quidem in comparatione ad gloriam animæ; tum quia habens gloriam animæ habet iam ſufficientem cauſſam gloriæ corporis. Neque invenitur ſpes in damnatis, quia ut ait S. D. art. 3. *ad conditionem miſeriæ damnatorum, pertinet ut ipſi ſciant quod nullo modo poſſunt damnationem evadere & ad beatitudinem pervenire... unde patet quod non poſſunt apprehendere beatitudinem ut bonum poſſibile &c.* Spes remanet in peccatoribus non deſperantibus; quia ſpes non deſtruitur directe niſi per deſperationem, & indirecte per infidelitatem; quæ mala non incurrunt peccatores qui non deſperant, nec a fide recedunt. In animabus pariter Purgatorii ſpes remanet, eo quod beatitudo adhuc ſit illis futura & ardua, ut patet; nam licet certitudo, quam de eadem iam tenent, tollat arduitatem correſpondentem humanæ inconſtantiæ, illam tamen relinquit, quæ correſpondet mediis, quibus illam aſſequantur, quæ ſunt atroces illæ pœnæ ſuſtinendæ.

§. III.

De diviſione ſpei Theologicæ.

Spes Theologica licet una ſit ſpecie, utpote quæ unum realiter ac totaliter habeat obiectum formale motivum; accidentarie tamen & ex quibuſdam adiunctis, non ſecus ac Fides, dividitur in ſpem formatam, & informem. Spes formata eſt ſpes coniuncta cum charitate, ut in iuſtis; Spes informis eſt ſpes ſine charitate, ut in peccatoribus. Spes informis dicitur mortua; quia ſeparata a charitate, vel eſt ſine motu & actu, ſicut corpus ab anima ſeparatum; vel ſi operatur, opera eius licet ſupernaturaliter ſint bona, diſponantque ad iuſtificationem, viva tamen non ſunt, nec meritoria æternæ vitæ, ut iam notatum fuit de merito de Condigno. Plerumque vero ſpes informis otioſa eſt, & propter malam conſcientiam ex qua oritur timor qui iniicit diffidentiam; & propter frigus cupiditatis terrenorum; ita enim his ligatur animus & quodammodo glutinatur, ut cœleſtium obliviſcatur; cum nemo certe ſperet bona ſpiritualia niſi vehementer illa deſideret, & non deſideret niſi ea amet. Spes vero formata dicitur viva, tum quia charitas ſe habet ad inſtar ſpiritus vitalis vivificantis, & ponentis in actu virtutes quas informat; tum quia confert bonam voluntatem, inſpirat deſiderium bonorum cœleſtium, ex quo facile conſequitur conatus ad quæque ardua vincenda; tum quia multitudinem operit peccatorum, conſcientiam mundat, & mens bene conſcia fiduciam firmam, ſeu ſpem ſumit, ut 1. Ioann. 3. *Si cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum*; tum denique quia facit nos Dei amicos, & vera amicitia depellit omnem ſuſpicionem ſeu diffidentiam. Quare S. Ambroſius quem citat D. Thom. *q. 17. art.* 8. ſcribens in Lucam cap. 17. ait: *ex Fide eſt Charitas, ex Charitate Spes.*

§. IV.

De differentia Spei a Fide, & Charitate.

Recentiores etherodoxi negant Spem a Fide diſtingui, utpote qui acriter ſuſtineant, veram Fidem nihil aliud eſſe quam certam fiduciam in divinis promiſſis, quam ſententiam ut hæreticam damnant omnes Catholici; ſicuti etiam definitum fuit a Concilio Trid. & ſuo loco Theologi Orthodoxi in ſuis tractatibus dogmaticis valide impugnant.

Quare iuxta communem ſenſum catholicorum, & doctrinam Eccleſiæ, Spes eſt virtus a Fide diſtincta, & conſtat ex Scriptura 1. Corinth. 13. *Nunc autem manent Fides, Spes, & Charitas, tria hæc*; hic Apoſtolus aperte diſtinguit Spem a Fide. Nec obſcure ratio quoque veritatem hanc demonſtrat; Nam illæ virtutes eſſentialiter diſtinguuntur, quæ non ſolum diverſum habent ſubiectum, ſed etiam obiectum formale diſtinctum; ſiquidem habitus hominis & actus ſuam eſſentiam deſumunt ab obiecto formali; unde cum huiuſmodi ſe habeant Fides & Spes; dum Fides eſt virtus intellectualis utpote quæ intellectum informat & ſuum obiectum reſpicit, nempe Deum ut verum, ſeu quatenus eſt prima veritas; Spes autem reſidet in voluntate ut eius actus; cum deſiderare proprium ſit voluntatis, & reſpicit Deum, cuius poſſeſſionem deſiderat, quatenus eſt ſummum bonum & ſupernaturalis no-

noſtra obiectiva beatitudo : Fides , & Spes profecto ſunt duæ virtutes eſſentialiter inter ſe diverſæ,

Spes diſtinguitur quoque a charitate , ut conſtat ex allato Apoſtoli textu 1. Corinth. 13 ubi Spem diſtinguit non ſolum a Fide ſed etiam a charitate , & clarius etiam explicat ſententiam , dum poſtquam diſtincte retulit has virtutes, ſubiungit; *maior autem horum eſt Charitas*. Nihil maius eſt reſpectu ſui ipſius; ſed reſpectu alterius correlativi. Verum quidem eſt, quod Spes & Charitas ambo tendunt in Deum , tamquam eius obiectum , & ut poſſidendum , ſed ſub diverſa ratione formali ; idcirco Spes non æque ac Charitas tendit in Deum poſſidendum , ut in eius obiectum formale ; ſed ſpes tendit in Deum poſſidendum tamquam in obiectum materiale , & charitas in Deum poſſidendum ut in obiectum formale . Quocirca hæ duæ virtutes habent Deum commune obiectum ut materiale , non vero ut obiectum formale . Nam Spes tendit in Deum ut mercedem , & bonum nobis , & talis reſpectus eſt ſpei objectum formale. Charitas vero tendit in Deum ſine ullo intuitu mercedis , ſed ſublimiosi motivo, ideſt quatenus bonum in ſe ; *& qui timet* (ait S. Bernardus lib. *de diligendo Deo* cap. 12.) *& qui cupit , utrique pro ſe agunt.* Et S. Auguſtinus *lib. 3. de Doct. Chriſt. cap.* 10. ait , *Charitatem voco motum animi ad fruendum Deo propter ipſum , & ſe atque proximo propter Deum*. Et S. Chryſoſtom. pluribus in locis ut Homil. 17 *in Epiſt.* ad *Hebræos* docet ſervanda eſſe præcepta non ſolum ſpe mercedis ; ſed etiam amore illius qui legem tulit ; *etiamſi* , inquit , *merces non eſſet propoſita oportet eſſe bonum. Et S.Thom. q. 17. art. 8. Spes* , ait „ *introducit ad Charitatem in quantum aliquis ſperans remunerari a Deo accenditur ad amandum Deum & præcepta eius* . Ita docent etiam alii SS. PP. Spes igitur & charitas diverſum habent obiectum formale, utpote quæ diverſo reſpectu tendant in Deum, Spes quatenus bonum ſperantis, Charitas prout bonum in ſe ; ac proinde licet ſpes & charitas tendant in Deum tamquam in ultimum finem , in eum tamen tendunt ratione protſus diverſa : ac ideo idem habent obiectum materiale, non idem vero , ſed plane diverſum obiectum formale. Unde hæ duæ virtutes eſſentialiter inter ſe differunt.

§. V.

De Spei neceſſitate.

Actus Spei Theologicæ neceſſarii ſunt in Adultis neceſſitate tum medii tum præcepti naturalis , & Divini ad æternam ſalutem conſequendam. Et quoad neceſſitatem medii, eadem plane momenta , quibus ſupra expoſita fuit huiuſcemodi neceſſitas circa fidem , illam clare demonſtrant etiam reſpectu Spei . S. Bernard. Sermon. 10. in Pſalm. 9. ait; *germana Fidei Speique cognatio eſt , ut quod illa futurum credit , hæc ſibi incipiat ſperare futurum* . Quare mos eſt divinarum Scripturarum, Fidem, & Spem ſimul coniungere, non ſecus ac una eademque eſſet virtus; quamvis eſſentialiter iuxta iam proxime dicta ſint diverſæ. Apoſtolus *Hebr.* 11. indirecte includit Spem in definitione Fidei , ibi enim ait ; *eſt autem Fides ſperandarum ſubſtantia rerum* ; & Epheſ. 2 incredulos vocat filios diffidentiæ. Et revera , ſi infirmus diffideret ſe poſſe a Medico ſanari, non ſolum fruſtra crederet ſe poſſe ab eodem ſanari; immo ipſius diffidentia indicium foret ipſum non credere. Quare ſicuti accedentem ad Deum oportet ut is credat quia eſt, & quia pœnitentibus peccata dimittit , deprecantem exaudit , inquirentibus ſe remunerator eſt ; ſimiliter omnino neceſſe eſt ut eadem ſperet , alioquin vana eſſet eius Fides . Etenim Spes neceſſaria eſt , & ad veniam peccatorum obtinendam , ut Proverb. 28. *qui ſperat in Domino ſanabitur* ; & ad alias gratias a Deo impetrandas, ut Iacob 1. *Non ergo æſtimet homo ille* (adde, qui hæſitat diffidentia) *quod accipiat aliquid a Deo*. Ita docet Triden. Synod. *ſeſſ. 6. cap. 6.* Ita SS. PP. S. Ambroſius *lib. de Pænit. cap.* 1. *nemo* , ait , *poteſt bene agere pænitentiam, niſi ſperaverit indulgentiam*. Et S.Auguſtinus *Serm.* 352. alias 27. *inter* 50. *Homilias* cap. 3. docet, Spem non minus neceſſariam eſſe ad conſervandam vitam ſpiritualem , quam reſpirationem ad vitam animalem : *Iudam traditorem* , inquit , *non tam ſcelus quod commiſit , quam indulgentiæ deſperatio fecit penitus interire .... quod fecit in corpore ſuo , hoc factum eſt in anima ipſius* .

Ex omnibus igitur iam dictis facile colligitur , actus ſpei Theologicæ neceſſarios eſſe in Adultis neceſſitate medii ad conſequendam æternam ſalutem. Etenim ſi ad hanc conſequendam neceſſaria eſt neceſſitate medii remiſſio peccatorum, & ad hanc obtinendam eadem neceſſitate, ut iam vidimus,

requi-

Digitized by Google

requiritur in Adultis ſpes, maniſeſtiſſime ſequitur, quod ſine actibus ſpei haberi nequeat æterna ſalus, ac proinde ad hanc conſequendam neceſſaria ſit neceſſitate medii ſpes in adultis; cum illud neceſſarium ſit neceſſitate medii, ſine quo finis omnino obtineri non poteſt.

Demonſtratur altera pars de neceſſitate præcepti tam naturalis quam divini, qua diximus teneri Adultos ad eliciendos actus Spei Theologicæ; & primum quoad præceptum naturale, ex hoc probatur, quod recta ratio exigit, ut utamur mediis omnibus neceſſariis ad ſalutem; cum igitur talis ſit Spes Theologica, profecto tenentur Adulti ex naturali præcepto eiuſdem actus elicere. Tenentur pariter ex præcepto divino, ut patet ex pluribus Scripturarum teſtimoniis: Pſalmo 4. habetur, *ſperate in Domino*; Pſalmo 61. *ſperate in eo omnis congregatio populi*. Eccli. 2. *dirige viam tuam, & ſpera in illum*; & 1. Petri 1. *ſperate in eam, quæ offertur vobis gratiam* & 1. ad Timoth. 6. *præcipe.... neque ſperare in incerto divitiarum, ſed in Deo vivo*. Ita habetur etiam ex SS. PP. præcipue ex S. Auguſt. tract. 85. in Ioann. *de Fide nobis quam multa mandata ſunt, quam multa de Spe*. Et hoc confirmat auctoritas Alexandri VII. qui hanc proſcripſit propoſitionem num. 1. inter damnatas ab eodem Pontifice. *Homo nullo unquam vitæ ſuæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Charitatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium*. Et ratio eſt; quia cum præceperit Deus media omnia ad ſalutem, nec velit ſalvare hominem ſine ſua cooperatione, quæ non ſit ſine Spe, utpote quæ ſit una ex diſpoſitionibus neceſſariis ad ſalutem, certe tenetur Adultus ſe in actibus eiuſdem Spei exercere; dum per actus ſpei voluntas noſtra tendit in Deum ut ſummum ſuum bonum, & erigitur adverſus difficultates, quæ reperiuntur in exercitio virtutum. Porro præceptum Spei obligat non ſolum ad eliciendos ſuo tempore actus Spei; ſed etiam alios ei connexos, & adhibenda omnia neceſſaria media ad ſalutem conſequendam, prohibetque præſumptionem, deſperationem, incuriamque ſalutis.

§. VI.

De tempore, quo tenentur Adulti elicere actum Spei.

Præceptum Spei, non ſecus ac alia præcepta, quatenus eſt negativum de non deſperando, obligat ſemper & pro ſemper; quatenus vero affirmativum, obligat per ſe & ratione propriæ honeſtatis in circumſtantiis omnibus, in quibus diximus antea obligare præceptum affirmativum Fidei, cum eadem ſit ratio & neceſſitas reſpectu utriuſque virtutis. Unde præceptum affirmativum Spei per ſe, & directe obligat, 1. in priori uſu rationis, ex quo quis ſufficienter inſtructus de rebus Fidei, novit æternam beatitudinem, ad quam deſtinati ſumus: quia tunc homo debet tendere in Deum iuxta illud Hebr. 11. *accedentem ad Deum oportet credere quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit*, ac proinde ex eo tempore tendere debet ad ſuam beatitudinem, ad ſuum ſummum bonum, & recte vitam ſuam inſtituere ad illud adipiſcendum. Item quoties verſatur in periculo deſperandi, niſi actu Spei animum ſuum confirmet: nam eodem præcepto tenemur ſperare, & non deſperare. Item ſæpe in decurſu vitæ, ut ſemper homo ſit bene diſpoſitus ad bonum faciendum & peccata vitanda. Tandem in extremo vitæ, ideſt quando adiit grave periculum mortis: quia tunc præcepta, præſertim Deum ſpectantia, maxime urgent; tunc enim maxime in Deum ſperare tenemur, tum ob tentationes eo tempore ingruentes, & mortis dolores, ut eo magis contra huiuſmodi incommoda confirmemur: tum quia tunc potiſſimum eo debemus intentionem dirigere, quo migrandum eſt: nempe ad Deum conſequendum, & in æterna beatitudine perpetuo poſſidendum. Obligat autem per accidens & indirecte, 1. quando ex præcepto elici debeat actus alicuius virtutis, puta Orationis, Pœnitentiæ, quia ſine actu Spei elici non poſſunt. 2. quando aliqua gravis tentatio exagitet, quæ vinci nequeat, niſi animus per actum Spei confortetur, atque roboretur. Tandem actus Spei requiritur ad iuſtificationem peccatoris.

§. VII.

De Cauſſis Spei.

Quatuor recenſentur a Philoſophis, ac Theologis rerum cauſſæ; nempe finalis, efficiens, formalis, & materialis; quæ iam alias explicantur. Ex quatuor hiſce cauſis reſpectu Spei nulla haberi poteſt controverſia, ut notat hic Habertus, niſi circa materialem. Nam ſi loquamur de finali & efficiente, quæ inter cauſſas priorem obtinent locum, omnes iam fatentur, Deum eſſe cauſſam finalem & efficientem Spei Theologicæ. Finalis quidem, quatenus eſt bonus nobis, effi-

efficiens, quia ab ipſo Spes in cordibus noſtris infunditur, cum virtus Theologica haberi nequeat, niſi per infuſionem a Deo impertiatur. Quod attinet vero ad cauſſam formalem, nulla datur quoad Spem ſecundum Habertum, eo quia Spes ipſa ſit forma informans animam, ſive per modum habitus, ſi ſpectetur ut habitualis, ſicuti in infantibus & dormientibus, ſive per modum actus, ſi agatur de ſpe actuali.

Verum quia cauſſa materialis duplex eſt, una ex qua totum conſtituitur, ſeu componitur, ut homo conſtans anima & corpore; alia, in qua tamquam in ſubiecto reſidet forma accidentalis, ut habitus & actus; nulla profecto eſt in Spe cauſſa materialis ex qua; quia cum Spes ſit forma ſpiritualis, non componitur ex aliquo tamquam ex materia, ſicuti ſubſtantiæ corporeæ completæ. Quare tota difficultas verſatur circa cauſſam materialem in qua, ſeu circa ſubiectum in quo inſit Spes. De hoc igitur ſit.

Non datur Spes Theologica niſi in iis qui Fidem habent; nam Spes ex Apoſtolo eſt ſubſtantia, ſeu fundamentum rerum ſperandarum, *Domus Dei* (ait S. Auguſt. ſupra laudatus) *credendo fundatur, ſperando erigitur, diligendo perficitur*; ſublato igitur fundamento, totum ædificium neceſſe eſt ut corruat, nempe ſemota Fide, neceſſe eſt Spem & charitatem perire. Quemadmodum vero paries poteſt eſſe ſine tecto, & fundamentum ſine parietibus, ita Spes ſine Charitate ut in peccatoribus, & Fides ſine Spe ut in deſperantibus. Quamobrem, ut iam diximus, Spes non invenitur in damnatis, & in Beatis, etiamſi inveniatur in animabus in Purgatorio detentis.

§. VIII.

De Effectibus Spei.

Spes Theologica, quæ non mortua, ſed viva ſit per ſibi coniunctam Charitatem, varios ſuos habet effectus, quorum præcipui ſunt 1. Sperantem reddere intentum & ſolertem bonis operibus. 2. Firmare in adverſis. 3. Fugare timorem mundanum. 4. Inſpirare timorem Domini. Et quoad primum Spei effectum etiam inſpectæ ut paſſio, habet excitare atque accendere animos, intentum reddere ſperantem ad opus, ſolertiam exacuere, qua obſtacula vel ſuperet, vel ea quæ ſuperflua viderentur in proprios uſus traducat, ut Proverb. 17. *gemma gratiſſima expectatio præſtolantis, quocumque, ſe vertit prudenter intelligit*; nempe qui aliquid ſibi iucundum gratiſſimumque appetit, & adipiſci peroptat, omnia operatur cum omni prudentia, & circumſpectione, ne quid utilium ad finem intentum excidat. Et facile hoc cernere eſt præcipue in mercatore, qui ſpe lucri in aliquo tali contractu concepta, ita incenditur, ut nihil omittat laboris, ſtudii, & induſtriæ, ut perficiatur. Quod ſi Spes etiam generatim inſpecta tantam vim habet & efficaciam, nemo certo non videt quanto maiori virtute operetur Spes viva, Spes ſupernaturalis Fidelium in qua fuere ſpiritualiter regenerari, ut habemus ex S. Auguſtino in Pſalm. 103. *conc.* 4. *Sub fine: Vita noſtra modo Spes eſt vitæ immortalis*: ad hanc indeficientem æternamque vitam aſpirant, ac tendunt omnis Chriſtianorum cogitatio, & deſideria, teſte Apoſtolo ad Philipp. 3. *Noſtra converſatio in Cœlis eſt*: Secundus effectus Spei Theologicæ eſt tamquam fortis anchora conſtantes reddere in adverſis, ut Apoſt. *Hebræ.* 6. *Confugimus* (in adverſis) *ad tenendam propoſitam Spem, quam ſicuti anchoram habemus animæ tutæ ac firmam*. Hanc ſimilitudinem ducit Apoſtolus a Nautis, qui gravi inſurgente tempeſtate confugiunt ad anchoras, quas ubi in terram defixerint, quantumvis maris fluctibus agitentur, non tamen abducuntur, ac proinde tuta & incolumis a naufragio ſervatur navis. Ita Fidelis procellis ingruentium tentationum, & perſecutionum ventis laceſſitus, ſi confugiat ad divini auxilii Spem, & firmus ad eam ſe teneat, ſecurus minas hoſtium irridebit, atque contemnet. Sic rem expoſuit S. Auguſt. in Pſalm. 64. .... *Sic contra tentationes huius peregrinationis noſtræ Spes noſtra fundata in illa civitate Ieruſalem facit nos non abripi in ſaxa*. Tertius Spei Theologicæ effectus, quando ſit viva, eſt, depellere mundanum timorem, qui ei adverſatur: timor quippe mundanus is eſt, quo quis nimis rebus humanis vinctus, ita ea deperdere metuit, ut ad ea ſervanda ſtudeat divinam legem eludere falſis captioſiſque interpretationibus; immo etiam paratus ſit eam tranſgredi. Huiuſcemodi autem timor certe Spei Theologicæ adverſatur. Et revera tria in Spe Theologica inveniuntur; 1. ſcilicet deſiderium beatitudinis, & conatus ad illam: 2. timor illius amittendæ, qui dicitur timor Dei, & quia eſt donum Dei, & quia eſt timor illius offenſæ, per quam ſolam deperdere poſſumus cœleſtem Beatitudinem: 3. fiducia in Dei bonitate, & Omnipotentia, quæ tria oppugnat timor mundanus: nam qui ab huiuſmodi timore exagitatur, & inordinate con-

concupiſcit temporalia bona, ad ea per concupiſcentiam convertitur & conatur; cum ex oppoſito Spes Theologica ſit conatus ad cœleſtia. Ex tali cupiditate, tamquam ex vitioſa radice oritur timor temporalia bona amittendi, quod quandoque ſine peccato fieri nequit, v. g. periurio, iniuſtitia &c. & ſic timor ſæculi timorem Dei repellit iuxta illud Eccli 23. *Expellit a ſe timorem Dei huiuſcemodi timor*. Tandem timor mundanus ſola nititur prudentia carnis, ac ſcientia ſæculi; idcirco repugnat fiduciæ, qua nititur Spes Thologica, quæ firmos ac fixos tenet chriſtianos in Dei omnipotentia, & miſericordia, iuxta illud Pſalm. 26. *Dominus protector vitæ meæ, a quo trepidabo?*

Quartus effectus eſt inſpirare timorem Domini. Porro timor Dei triplex eſt, nempe ſervilis, quo quis timet a Deo puniri; filialis, quo timetur offenſa Dei; & initialis, quo timetur pœna ſimul & culpa. Timor ſervilis ſic appellatur ad ſimilitudinem ſervorum, qui cum mercenarie ſerviant, ut plurimum non ſtudent niſi propriis commodis, nec eorum (utpote mercenarii) valde intereſt circa res domeſticas, ac proinde vulgo ut in eorum officio contineantur, urgendi ſunt pœnarum minis, ut earum metu atterriti, munia ſua impleant. Hinc timor Dei ſervilis dicitur in peccatoribus, utpote qui ſuis ſerviunt cupiditatibus, & mala ſua voluntate averſi ſunt a Deo, & nihil eius gloria ipſorum refert; idcirco neceſſe eſt ut pœnarum metu deterreantur. In timore igitur ſervili duo diſtinguenda ſunt, unum quod eſt intrinſecum & eſſentiale, nimirum fuga pœnæ; alterum quod eſt extrinſecum & accidentale, ſcilicet ipſa ſervilitas ſeu repugnantia, cum qua peccator Gehennæ metu ſe ab iis continet, quæ inordinate ſeu male concupiſcit. Primum eſt a Deo, alterum a cupiditate & mala voluntate. Et ſicuti Fides vel Spes informis, utraque eadem manens fieri poteſt formata; quia eſſe informe eſt illis virtutibus quid accidentarium, eodem ferme modo timor ſervilis ſpoliari poteſt ſervilitate, & fieri filialis vel initialis; ideſt coniungi cum bona voluntate & charitate. Timor filialis ita appellatur ad ſimilitudinem eorum, qui ex affectu iuſſa parentum implent, nec aliud timent quam ipſis diſplicere. Hic dicitur etiam caſtus; quia caſta Coniux, non minis cohibetur, ſed amore dumtaxat a coniugali infidelitate deterritur; unde hoc ſolum timet, ne minimum afferat Sponſo faſtidium ac diſplicentiam. Igitur timor filialis non ex Spe, ſed ex charitate excitatur; quia reſpicit peccatum ut malum amici; Spes vero ut malum Sperantis, prout nempe eſt impedimentum beatitudinis. Timor initialis ſic vocatur quia eſt initium, ac inchoatio timoris filialis, nec differt a filiali, niſi ut imperfectum a perfecto, non ſecus ac puer a viro, calor remiſſior ab intenſiore. Nam qui operatur ex timore initiali fugit peccatum partim ex amore iuſtitiæ prout peccatum eſt offenſa Dei, partim ex timore pœnæ æternæ: quia cum amor ſit in eo admodum remiſſus, indiget timore ſervili, quo veluti calcaribus incitetur: Hinc ait S. Auguſt. *ubi minor eſt charitas, maior eſt pœnæ timor; ubi maior charitas, minor eſt timor*; perfecta autem & conſummata, cuiuſmodi eſt in Beatis, omnem timorem pœnæ expellit. Circa hunc triplicem timorem, certum eſt, timorem filialem & caſtum bonum & optimum eſſe, utpote qui ſit effectus charitatis, ſicuti docet Doctor Angel. q. 19. art. 10. *quanto aliquis magis diligit aliquem, tanto magis timet eum offendere, & ab eo ſeiungi*. Quare timor filialis remanet in patria, ut Pſal. 18. *Timor Domini Sanctus permanens in ſæculum ſæculi*; quia ibi perfecta eſt charitas. Timor ſummus filialis fuit in Chriſto Domino Iſaiæ 11. ubi ſic habetur: *Replebit eum Spiritu timoris Domini*; quia ſicuti Deum ſumme diligebat, ita eum ſumme reverebatur. Verum advertit S. Thomas loco laudato, non eſſe in Beatis timorem filialem, nec proinde in Chriſto Domino, tamquam fugam mali poſſibilis; ſed per modum averſionis, & deteſtationis, videlicet peccati; ac perfectæ reverentiæ erga Deum; ex qua contremiſcunt Angelicæ poteſtates; quia non apprehendunt peccatum ut malum ſibi poſſibile, quod vitare ac fugere debeant; cum revera ſit ipſis impoſſibile.

Timor initialis prout exurgit ex initio naſcentis charitatis, amoriſque iuſtitiæ, bonus eſt, ut conſtat ex his quæ antea diximus. Quocirca difficultas oriri poteſt tantummodo de timore ſervili, cui adiunctus eſt timor initialis. Nulla tamen eſt controverſia circa ipſam ſervilitatem, quæ, ut ſupra notavimus, eſt extranea & accidentalis, malam eſſe; quia naſcitur ex prava voluntate, & quia eſt formale odium iuſtitiæ ac legis illam præcipientis. De huiuſmodi ſervilitate intelligendus eſt D. Auguſtinus epiſt. 145. alias 144. ad Anaſtaſium, in qua ſic ait; *Inaniter putat victorem ſe eſſe peccati, qui pœnæ timore non peccat; quia etſi non impletur foris negotium malæ cupiditatis,*

ipſa tamen mala cupiditas intus eſt hoſtis : & quis coram Deo innocens invenitur , qui vult fieri quod vetatur , ſi ſubtrahas , quod timetur ? ac per hoc in ipſa voluntate reus eſt , qui vult facere quod non licet fieri , & ideo non facit , quia impune non poteſt fieri.

De timore igitur ſervili , quatenus præciſe eſt fuga peccati , difficultas eſt , num ſcilicet bonus ſit , an malus . Et circa huiuſcemodi timorem , Novatores non diſtinguentes inter ſerviliratem timori adiunctam , ipſumque Gehennæ timorem eſſentialiter ſpectatum , abſolute ſtatuerunt , Gehennæ metum eſſe peccatum , quam impietatem proſcripſit Concil. Trid. ſeſs. 6. can. 8. in quo contrarium de Fide tenendum eſſe definivit. Sic enim habetur in dicto Canone ; *Si quis dixerit , Gehennæ metum , per quem ad miſericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus , vel a peccando abſtinemus , peccatum eſſe , vel peccatores peiores facere ; anathema ſit .* Timor ſervilis ſecundum ſe ſpectatus , de Fide tenendum eſt , bonum eſſe , ut hoc probant maniſeſte teſtimonia Scripturarum Lucæ 12. *timete eum , qui poſtquam occiderit , habet poteſtatem mittere in Gehennam ; ita dico vobis , hunc timete .* Et ſic habetur in permultis aliis ſere innumeris locis , quæ tum ex Pſalmis , tum ex Prophetis afferri poſſent , quæ hic brevitatis gratia omittuntur. Similiter SS. PP. concorditer hoc docent , & præ aliis omnibus ſatis erit quod in medium adducatur auctoritas S. Auguſtini in Pſalmum 127. ubi de timore ſervili ſermonem ſic inſtituit ; *bonus eſt ille timor , utilis eſt , ſed nondum eſt ille caſtus permanens in ſæculum ſæculi* , & ſic etiam alibi . Bonus quidem eſt ille timor ſervilis , quando cohibet malam voluntatem ne in exteriora peccata prorumpat , & homines tenet ſub diſciplina , præparat , ac diſponit peccatores ad iuſtitiam , impellit iuſtos ad perſeverandum in iuſtitia . A timore præcipue pendet rectus ordo & tranquillitas totius humanæ reipublicæ ac ſocietatis ; cum per timorem , tamquam per frænum cogantur homines revereri Superiorum auctoritatem , legibus ſe ſubiicere , iuſtitiam honeſtatemque proſequi .

Timor igitur ſervilis , licet oriatur ex horrore ſeu timore pœnæ , non tamen ex natura ſua talis eſt , ut excludat ſolum conditionate omnem culpæ affectum , videlicet quod placeret culpa , ſi non adeſſet pœna , ut autumarunt memorati Novatores . Etenim hoc verum eſt & contingere poteſt in timore non abſolute ſervili , ſed ſolummodo ſerviliter ſervili ; ſicuti dicitur de huiuſmodi dolore , in quo quis ipſius culpæ pœnitet ſub conditione implicita vel explicita , videlicet quod non diſpliceret culpa , ſi non eſſet pœna . Sed res non ita ſemper ſe habet in timore , præcipue quando licet quis fugiat culpam principaliter ex horrore pœnæ , tamen occaſionaliter ex tali horrore pœnæ movetur ad magis culpam deteſtandam . Et hic timor tantum abeſt quod reprobabilis ſit , quin immo ut proprie initialis potius quam ſervilis eſt maxime honeſtus & laudabilis . Immo licitus eſt talis timor etiam quando quis ex horrore pœnæ vitat culpam reſpiciendo pœnam ut finem immediatum , non tamen alium finem excludendo , ſed ab utroque præſcindendo , nec poſitive pœnam comparando cum culpa , ſed pure præciſive ſe habendo ; & hic timor eſt proprie ſervilis iuxta D. Thomam 2. 2. q. 19. art. 4. ad 3. & de Fide eſt , talem timorem honeſtum eſſe ac laudabilem iuxta definitionem Concilii Trid. ſupra laudati contra dictos Novatores , & mentem Alexandri VIII. qui damnavit contrarias propoſitiones quæ numero ſunt 14. & 15. Ratio quoque doctrinam hanc comprobat ; eo quia ſi timere Inferni pœnas eſt rectæ rationi conſonum , ac ideo honeſtum & laudabile , clariſſime patet , quod vitare culpam ex horrore & metu pœnarum gehennæ , rationi ſit conſonum ac honeſtum & laudabile , non minus ac fugere & timere peccatum ob ſolam eius turpitudinem .

Licet timor initialis & ſervilis honeſtus , de quo proxime diximus , proveniant a divina gratia & Spiritu Sancto , eo quia ad eorum valorem debeant eſſe ſupernaturales , ii tamen non ſunt ille timor qui dicitur donum Spiritus Sancti , cum quælibet perfectio a Deo infuſa nomine doni non intelligatur ; quia donum Spiritus Sancti eſt habitus quidam ſupernaturaliter infuſus , quo homo diſponitur ut ſit prompte mobilis a Spiritu Sancto ; ita D. Thomas 1. 2. q. 68. art. 1. & 2. Quare hæc intercedit differentia inter hos habitus , ſeu inter dona & virtutes , quod habitus virtutis inclinant ad actus rectos rectitudine menſurata per communes regulas rationi vel ſecundum ſe , vel ut lumine ſupernaturali illuſtratæ . Dona vero regulariter per inſtinctum Spiritus Sancti , non coarctatum ad communes regulas prudentiæ naturalis , vel infuſæ ; ſed potius ſuper illas , ad exercendos actus aliquos animum movent , & ut ad hoc ſint diſpoſi-

Differentia inter dona Spiritus Sancti , & virtutes.

tæ

tæ animæ potentiæ, dantur Spiritus Sancti dona & habitus a virtutibus diſtincti.

Timor filialis, & caſtus eſt donum Spiritus Sancti. Timor igitur filialis & caſtus ſolummodo eſt donum Spiritus Sancti, ut ex D. Thoma 2. 2. q. 19. art. 9. quia hic ſolus timor eſt illa habitualis perfectio potentiarum animæ, qua redduntur bene mobiles a Spiritu Sancto. Dicitur timor filialis ſolummodo donum Spiritus Sancti, ad excluſionem timoris ſervilis, non vero initialis, qui diſtinguitur a filiali, non ſecundum eſſentiam, ſed ſolum ſecundum ſtatum, ut charitas perfecta & imperfecta iuxta D. Thomam 2. 2. q. 19. art. 8.

Datur præceptum divinum de timore filiali, & ſervili, ut ex laudato D. Angelico 2. 2. art. 2. Et probatur ex Scriptura, Deuter. 10. *Dominus Deus tuus petit a te, ut timeas Dominum Deum tuum*; ita de filiali. De ſervili vero Matthæi 10. Lucæ 12. *eum timete, qui poſtquam occidit corpus, habet poteſtatem, & corpus, & animam perdere in gehennam*. Num vero hoc præceptum ſit ſpeciale diſtinctum a præceptis aliarum virtutum, quæ tales timores exigunt, ut ſi eos omittat, homo peccet mortaliter, controvertitur inter Theologos. Sed videtur D. Thomas docere q. 22. art. 2. dari ſpeciale præceptum de timore filiali & ſervili. *De timore*, ait S. D. *datur ſpeciale præceptum, ſicuti de dilectione*. Quando vero tale præceptum obliget, regula Spei dat etiam normam circumſtantiarum, in quibus timoris præceptum obligat.

CAPUT IV.

De vitiis oppoſitis Spei.

§. I.

De duplici oppoſitione Spei, nempe per deſperationem & præſumptionem.

CUM quælibet virtus ſuo modo conſiſtat in medio, inter exceſſum videlicet & defectum; idcirco contingit ab ea deſici, ſeu contra eam delinqui ad unum ex illis duobus extremis declinando: idipſum utpote virtus patitur etiam Spes Theologica, cui per exceſſum opponitur præſumptio, per defectum deſperatio. Dixi *per exceſſum* non quidem quod nimium poſſimus in Deo ſperare (Deus enim eſt infinite bonus, omnipotens, fidelis, miſericors &c. ac proinde ex parte obiecti ſui formalis non poteſt fieri exceſſus contra Spem Theologicam) ſed ſolum ex parte actus, ſeu exercitii Spei Theologicæ poteſt fieri exceſſus, in quantum actus Spei exercetur modo indebito. Siquidem Spes Theologica includit iudicium & deſiderium conſequendi æternam beatitudinem modo debito, ideſt ex meritis Chriſti, accedente propria cooperatione. Deſperatio involvit iudicium de ea nunquam conſequenda. Præſumptio ex oppoſito includit iudicium conſequendi æternam ſalutem, ſeu beatitudinem modo indebito, puta, per ſolam Fidem, vel ex meritis pure naturalibus, aut impie vivendo, ut melius infra explanabitur. Unde ſit.

Spei per exceſſum opponitur præſumptio, per defectum deſperatio.

Deſperatio opponitur virtuti Spei per defectum; quia deſperatio eſt diffidentia obtinendi beatitudinem & media ad illam neceſſaria, remiſſionem ſcilicet peccatorum, divinamque gratiam, atque ideo omnem conatum eamdem conſequendi intermittit. Sicuti enim duplex eſt Spei Theologicæ obiectum obtentu poſſibile; primarium, nempe beatitudo, ſeu poſſeſſio Dei, & ſecundarium, ſcilicet auxilia gratiæ & bona opera, quibus tamquam mediis ad beatitudinem pervenitur: duplex pariter eſt deſperationis obiectum obtentu impoſſibile, ſive abſolute, ſive moraliter, hoc eſt nimis difficile, nimirum beatitudo, & media ad illam neceſſaria, puta Dei gratia, pœnitentia, aliaque bona opera: hinc definitur a D. Thoma 1. 2. q. 40. art. 4. *deſperatio eſt receſſus animæ a re deſiderata propter æſtimatam impoſſibilitatem adipiſcendi*: cum e contra Spes ſe habeat ut acceſſus & conatus ad beatitudinem, & ad media, ſcilicet bona opera, quibus Beatitudo obtineri queat. Et hoc ſit, vel quia deſperans iudicat Deum eſſe impotentem, vel quia ex multitudine ſuorum peccatorum credit moraliter impoſſibile eorum veniam impetrare, & ideo deliberat non apponere media ad eam conſequendam: ex quibus conſtat, deſperationem non ſolum eſſe ex genere ſuo lethale peccatum, ſed etiam graviſſimum, gravi iniuria Deum afficiens, & inter cætera maxime periculoſum. Nam 1. deſperans male ſentit de divina miſericordia, & omnipotentia, 2. excedit omnia peccata contra virtutes morales commiſſa, cum opponatur ſpei, quæ eſt virtus Theologica: eſt tamen peccatum minus grave quam odium Dei & infidelitas, ut ex D. Thoma 2. 2. *q.* 20. *art.* 3. Valde periculoſa profecto eſt deſperatio, cum contra eam graves in Divinis Scripturis denunciéntur punitiones. Deſperatio directe opponitur Spei virtuti neceſſariæ neceſſitate tum medii, tum præcepti divini ad æternam ſalutem,

lutem, & retrahit, ac avertit hominem ab ultimo ſuo fine, ſeu a cœleſti beatitudine; ſimulque media omnia ad hanc obtinendam abiicit. Nemo igitur non videt, quam hoc iniurioſum ſit Deo, & maxime animarum perditioni perniculoſum iuxta S. Iſidorum, qui lib. *de ſummo bono* cap. 14. ait, *perpetrare flagitium mors animæ eſt: deſperare autem deſcendere in infernum*. Quandoque deſperatio admiſcetur hæreſi: quando ſcilicet oriatur ex iudicio ſpeculative falſo, ut ſi deſperatus putet Deum non poſſe illum ſalvare, tametſi veniam petat: vel maiora eſſe ſua delicta quam ſit divina miſericordia, ut contigit in Caino & Iuda: vel Deum nolle ipſum ſalvare, quia crudelis, vel decipiens homines ſuis promiſſionibus: vel quia credit cum Novatianis, Eccleſiæ conceſſam non eſſe poteſtatem remittendi graviora peccata poſt Baptiſmum patrata: vel cum Pſeudoreformatis, Deum aliquos antecedenter prædeſtinaſſe ad malum culpæ, & ad ſupplicia æterna. Huiuſmodi autem circumſtantiæ aperiendæ ſunt in Confeſſione. Non eſt vero hæreſi coniuncta, ſi non admixta ſit ullo iudicio Fidei repugnanti, puta ſi quis deſperat, vel nimium timet de ſe, ſeu de ſua imbecillitate, vel quia revera putat Deum non ſibi adfuturum, non quia non poſſit, ſed ob nimiam ſui indignitatem. Immo dantur aliquando huiuſcemodi animi motus, qui revera non ſunt deſperatio, nec voluntarii, ideoque nec graviter ſaltem culpabiles. Nam quandoquidem accidunt violentæ tentationes, graves afflictiones, & inconſolabiles mœſtitiæ, quibus interdum animæ cruciantur; ita ut omni ſpe deſtitutæ videantur. De his certe non procedunt hactenus dicta circa deſperationem, quia hi ſunt potius timores & anguſtiæ excitatæ a Diabolo, vel ex turbatione quadam, vel etiam complexione melancholica provenientes, abſque vero & deliberato conſenſu voluntatis. Super his tamen prudenter invigilare debent Confeſſarii, huiuſmodi afflictas perſonas in Domino paterno zelo conſolando, eiſque oſtendendo, talia culpa vacare quandiu eis voluntas non aſſentiatur, ac proinde eas adhortando, ut cognita propria infirmitate, atque demeritis ſeſe iniiciant in ſinum divinæ bonitatis & miſericordiæ; firmiter fidentes in meritis ſalutiferæ Paſſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti, & ſimul non obſtantibus quibuſcumque afflictionibus & mœroribus minime deſinant bene, ſeu pie, ac chriſtiane operari.

Quantum attinet ad alterum peccatum oppoſitum Spei Theologicæ per exceſſum, quod eſt præſumptio, recte definitur cum D. Thoma 2. 2. q. 21. art. 1. *Præſumptio eſt inordinata confidentia in divina miſericordia*; ſeu ut alii, *inordinata fiducia obtinendi a Deo beatitudinem, aliter quam ipſe ſtatuit eſſe obtinendam*. Inordinata equidem eſt huiuſmodi præſumptuoſa Spes: 1. quando quis ad obtinendam gloriam aut gratiam non innititur divinæ miſericordiæ vel omnipotentiæ, ſed propriis naturalibus humanis viribus, ideſt operibus mere naturalibus; ſicuti faciebant Pelagiani impugnanti a D. Auguſtino, qui præſumebant poſſe propriis viribus ſine ſupernaturali divinæ gratiæ auxilio omnia præcepta ſervari, & æternam beatitudinem mereri. 2. quando quis inordinate innititur divinæ miſericordiæ & omnipotentiæ, ut ſi ſperet, ſeu expectet quæ Deus negare ſtatuit, puta ſi ſperet beatitudinem, æternamque ſalutem conſequi ſola Dei miſericordia & liberalitate ex Chriſti meritis ſine propria pœnitentia & cooperatione, ideſt ſine propriis meritis per bona opera ex gratia comparatis, ut contingit in Lutheranis, aliiſque Hæreticis, qui per ſolam Fidem in Chriſtum, ſeu fiduciam in Chriſti promiſſis, abſque ullis bonis operibus ſperant beatitudinem æternam adipiſci, quod Concil. Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 9. appellat inanem hæreticorum fiduciam; vel ſtatuat perſeverare in peccatis, ſuiſque indulgere cupiditatibus, quandiu bene valet, & ſic pœnitentiam ad mortem differat, ſperans in illo articulo Deum ſibi nihilominus fore propitium, ac proinde tunc ſe pœnitentiam acturum, ut fit in multis peccatoribus; quia promiſſum audiunt in Ezechiel. cap. 33. *impietas non nocebit ei* (impio) *in quocumque die converſus fuerit ab iniquitate ſua*. Præſumptio extenditur etiam ad tentationem Dei, de qua ſuo loco.

Tertium addit peccatum contra Spem Theologicam P. Antoine, ſcilicet incuriam propriæ æternæ ſalutis; & ad hanc docet pertinere eam animi abiectionem, qua quis vellet bonis terrenis perpetuo frui; & magis amat bona creata, quam poſſeſſionem Dei.

Præſumptio & incuria ſalutis ſunt per ſe mortalia, quia opponuntur virtuti Spei, & divinæ bonitati, miſericordiæ, vel potentiæ, vel gloriæ, vel ordinationi aut iuſtitiæ ſunt graviter iniurioſæ.

Præſumptioni, ſicuti iam diximus de deſperatione, aliquando, ſcilicet in aliquo caſu admiſcetur crimen hæreſis, ut quando quis confidit ſe poſſe ſalvari ſine neceſſaria pecca-

catorum pœnitentia, vel abſque meritis bonorum operum, vel ſpiritualem ſalutem conſequi ſine auxiliis divinæ gratiæ. Quare diligenter advertere debent Confeſſarii ut videant, an poſſint, nec ne præſumptuoſos abſolvere. Aliquando enim præſumptio hæreſi non admiſcetur, ut dum quis data opera differt pœnitere & perſeverat in peccatis, confidens quod nihilominus Deus futurus ſit ſibi propitius. Item ſi ſperans gloriam, licet nolit recedere a peccato, habet tamen propoſitum ante mortem a peccatis reſcipiſcendi; hic enim non proprie peccatum præſumptionis committit, cum non deſtruat motivum Spei; nam huiuſmodi peccatores non inordinate præſumunt per erroneum dictamen rationis quod gloria detur ſine meritis, ſed potius cupiunt ſe a prava vita ad honeſtam traducturos; idcirco fere numquam peccatum committunt præſumptionis proprie ſumptæ, & multo minus hæreſis.

Nota, quod quando præſumptio involvit hæreſim, corrumpit Spem, non deſtruit Fidem in qua Spes fundatur. Si vero hæreſim non involvat, non deſtruit ſpem, quia non tollit obiectum Spei, cum non deſperet, ſed inordinate ſperet, licet ſit actus contra præceptum Spei.

Tam deſperatio quam præſumptio communiter, ut vidimus alias, connumerantur inter peccata contra Spiritum Sanctum.

In hiſce peccatis, non ſecus ac in peccatis contra Fidem, non datur parvitas materiæ. Quare ſolummodo ex defectu plenæ advertentiæ poſſunt eſſe venialia; non ſecus ac excuſari poſſunt ab hæreſi, quando ex ignorantia deſperans vel præſumens ignorat illud iudicium eſſe hæreticum, aut inadvertenter ei adhæret. *Præſumptio*, ait D. Thomas art. 4. *eſt peccatum minus quam deſperatio, quoniam magis proprium eſt Deo miſereri & parcere quam punire*; deſperans enim tollit divinam miſericordiam, præſumens ſolam punitionem. Duæ ſunt præcipuæ cauſſæ deſperationis, ut agnoſcuntur a D. Angelico, nempe luxuria & Acedia, quia ex affectu delectationum terrenarum faſtidit homo bona ſpiritualia, nec ſperat ea quaſi quædam bona ardua, & ſecundum hoc deſperatio cauſatur a luxuria; & quia Acedia eſt triſtitia quædam deiectiva ſpiritus, ideo per hunc modum deſperatio ex Acedia generatur.

CAPUT V.

De virtute Charitatis erga Deum.

§. I.

De Natura Charitatis.

NUlli certe mirum videbitur, quod non ſolum poſtquam egimus de fide, & ſpe inſtituatur pertractatio Charitatis, ſed etiam poſtquam actum eſt de actibus humanis, de Conſcientia, de peccatis; Charitas enim eſt *culmen domus Dei*, quæ ut ait D. Auguſt. *Fide fundatur, Spe erigitur*; necnon regula eſt, qua omnes actiones noſtræ ad Deum ultimum noſtrum finem ordinantur, & rectam conſcientiam reddit per affectum in Deum, ac virtutem præbet remediis peccatorum, ut ſpiritualem nobis reſtituant ſanitatem. Ubi amor Dei ardeat in cordibus noſtris, recte animus ſentit, iuſte operatur; perfecte ſe dolet de commiſſis erroribus, & viribus omnibus ad ultimum finem convertitur, a quo peccando receſſerat. Quare ait Apoſtol. 1. Timoth. 1. *Finis præcepti eſt charitas*; & Rom. 13. *Plenitudo legis eſt dilectio*.

Charitatis nomen non levem patitur ambiguitatem in ſua ſignificatione; dum varias & oppoſitas quoque, bonam nempe & malam ſignare poteſt dilectiones. Sumitur enim 1. pro amore pravo & inhoneſto, cuiuſmodi eſt dilectio meretricis; 2. pro amore bono & honeſto ſed in ordine naturali, qualis eſſe poteſt affectus erga propriam uxorem, erga amicum &c. 3. pro amore illo, quo diligimur a Deo *in charitate perpetua*. Tandem pro amore ſupernaturali quo, Deum proximumve actu, vel habitu diligimus. Fere omnia hæc genera amoris expoſita habentur in S. Auguſtino ſerm. 349. *de Charitate*, ubi ſic habetur; *Charitas alia eſt divina, alia humana, alia humana licita, alia illicita.... licita eſt humana charitas, qua uxor diligitur, illicita, qua meretrix, aut uxor aliena &c.* Hic autem agitur de ſola charitate in poſteriori ſenſu, nempe de ſupernaturali dilectione Dei & proximi. Charitatis nomen diverſimode accipi poteſt.

Verum cum Deus ſupernaturaliter diligi poſſit & propter ſe, ideſt ut bonus in ſe, & propter nos, ſeu ut bonus nobis; non hic poſterior qui eſt amor concupiſcentiæ; ſed prior eſt verus amor, qui ad charitatis virtutem pertinet. Hinc Charitas ut virtus, ideſt ut habitus conſiderata & accepta definitur *habitus ſupernaturalis a Deo infuſus*

ſui, *quo diligimus Deum ſuper omnia amore ſupernaturali benevolentiæ*, *ſeu ob motivum ſuæ bonitatis*, *& proximum propter ipſum*. Charitas dicitur *habitus*, quia charitas eſt virtus, ac proinde habitus, dum charitas facit hominem ſimpliciter & ex omni parte bonum, quod eſt proprium habitus. Facit hominem ex omni parte bonum, quia excludit omne peccatum ſaltem grave, & omnes alias virtutes perficit atque informat; dum habitus alii virtutum, quicumque illi ſint, non faciunt hominem bonum niſi ſecundum quid & inadequate: *Supernaturaliter infuſus*; quia Charitas talis & tanta eſt virtus, ut propriis viribus comparari nequeat, ſed a Deo cum gratia infunditur iuxta illud Apoſtoli Rom. 5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum*. Unde facile eſt intelligere ex hoc, erroneam eſſe opinionem Magiſtri Sententiarum, contendentis charitatem eſſe ipſummet Spiritum Sanctum; nam charitas iuxta Trident. ita cordibus noſtris infunditur, ut iis inhæreat: porro ipſa ſubſtantia Spiritus Sancti cordibus nec inhæret, nec, ut accidens, inhærere poteſt, ac proinde Charitas eſt influxus amoris infuſus in cordibus noſtris, ideſt Charitas non eſt ipſemet Spiritus Sanctus, ſed effectus ab ipſo Spiritu Sancto in nobis productus. Hinc pluries diſtinguit S. Auguſt. Charitatem qua Deum diligimus, a Charitate quæ Deus eſt, cuius divinæ bonitatis per Charitatem participes efficimur. Dicitur *quo diligimus Deum ſuper omnia*, ad denotandum quod principale obiectum illius ſit Deus ut bonus in ſe, & propterea diligendus ſuper omnia. Deus vero duplici modo diligi poteſt ſuper omnia, *intenſive* ſcilicet, cum voluntas in eum maximo conatu tendit, & *appretiative*, cum eadem voluntas Deo tam plene, tamque firmiter adhæreat, ut nihil magis timeat quam ei diſplicere, & ab eo ſeparari. Dicitur *amore ſupernaturali benevolentiæ*, ſeu ob motivum ſuæ bonitatis, ut denotetur primarius actus charitatis, qui eſt amor amicitiæ, qui in hoc diſtinguitur ab amore Spei ſeu Concupiſcentiæ, quia per hunc amorem ſpei aliquid amamus propter noſtram commoditatem & utilitatem; amore vero Charitatis amamus aliquid, nempe Deum propter eius bonitatem. Hinc amor Charitatis revera eſt ille ipſe amor, qui dicitur benevolentiæ, quo nimirum alteri bene volumus, & facimus quantum in nobis eſt, non noſtri, ſed illius gratia. Et hoc patet exemplo Patris familias, qui ſuppeditat alimenta Filio amore benevolentiæ; pabulum iumentis amore concupiſcentiæ; quia primum facit in gratiam ipſius Filii; ſecundum vero in gratiam ſui, ideſt ob proprium commodum. Subiungitur tandem, *& proximum propter ipſum*; nempe propter ipſum Deum, ut denotetur ſecundum obiectum Charitatis, cum obiectum Charitatis adequatum ſeu integrum & completum conſtet ex amore Dei & amore proximi.

Per charitatem diligimus proximum propter ipſum.

Quare ex communi ſententia obiectum Charitatis primarium eſt Deus, ſecundarium vero nos ipſi & proximus; quia eodem habitu charitatis diligimus Deum, nos ipſos, & proximum. Cum enim per charitatem amamus Deum amore amicitiæ, hinc & primario ipſum amare debemus, cum quo per charitatem amicitiam contrahimus; & ſecundario quæ ad ipſum ſpecialiter pertinent, ſcilicet creaturas intellectuales beatitudinis capaces, quales nos ſumus & proximus. Obiectum vero formale ſeu motivum eſt ipſe Deus ut bonus & perfectus in ſe, ſive bonitas infinita, quæ abſolute eſt complexio omnium perfectionum poſſibilium; idcirco cum charitas habeat obiectum omnium præſtantiſſimum, idemque perfectiſſimo modo attingat, ideſt propter ſe ipſum, eſt virtus omnium excellentiſſima, ut 1. Corinth. 13. *Maior autem horum eſt Charitas*. Et Coloſſ. 3. *Super omnia Charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis*.

Ex his colligitur, Charitatem ſpectatam in genere actus, eſſe actum amoris benevolentiæ, quo Deum ſuper omnia propter ſe, & noſmetipſos, ac proximum ſicut nos propter Deum amamus. Is autem benevolentiæ actus eſt ſimul actus amicitiæ. Ad amicitiam enim quatuor requiruntur. 1. ut amor ſit benevolentiæ erga amicum, ridiculum enim eſt dicere, ait S. Thomas hic *art.* 1. quod aliquis habeat amicitiam ad vinum, vel ad equos, quos propter ſe amat. 2. ut amor ſit mutuus. 3. ut notus ſit utrique amanti, ac proinde ut natus ſit ex amore actuali, qui ſaltem virtualiter perſeveret. Nam ne ipſi quidem iuſti dicere poſſunt eſſe amicos eorum, quos nondum amarunt, etſi omnibus iuſtis inſit generalis amor charitatis erga omnes homines. 4. ut fundatus ſit in communione bonorum, quia inter amicos omnia ſunt communia: Hæ autem conditiones apprime conveniunt Charitati, ſive qua Deus hominem diligit, ſive qua homo Deum amore proſequitur. Charitas enim in utroque, in Deo ſcilicet & homine, ut iam diximus, eſt amor benevolentiæ; nam licet

Deus

Deus referat ad ſui gloriam bonum quod vult homini, non tamen refert tale bonum ad gloriam ſuam ex affectu proprii commodi; quaſi propriam, non autem hominis utilitatem intendat, ſed quia aliter non poteſt ordinate velle bonum homini, eo quod neceſſario ipſe eſſe debeat rerum omnium finis. Unde ut vera adſit Dei ad hominem amicitia, ſatis eſt ut gratias, quas Deus hominibus impertitur, has propter ipſorum commodum iiſdem tribuat. Er equidem Scriptura veram Deum inter & homines amicitiam pluribus in locis innuit, ut Pſalm. 138. *Nimis honorificati ſunt amici tui Deus*. Et Ioann. 15. *Vos amici mei eſtis*. Item amor inter Deum & hominem mutuus eſt, ut conſtat ex Ioann. 14. *Qui diligit me, diligetur a Patre meo, & ego diligam eum*. Pariter talis amor manifeſtus eſt tum Deo, qui illum infundit in hominum animis, tum hominibus, qui licet certitudine non omnimoda, morali tamen agnoſcunt ſe Deo adhærere; unde alii cum Apoſtolo dicere poſſunt: *certus ſum, quia neque mors, neque vita poterit me ſeparare a charitate Dei*; alii cum S. Auguſtino, non dubia, ſed certa conſcientia: *Domine amo te. Percuſſiſti cor meum verbo tuo, & amavi te*. Sic habet S. D. l. 10. Conf. cap. 6. Cognoſcit autem moraliter homo Deum a ſe amari iuxta illud Apoſtoli; *ipſe enim Spiritus teſtimonium reddit Spiritui noſtro, quod ſumus Filii Dei*. Tandem amor ille importat bonorum communicationem; quia quidquid iuſtus habet a Deo, hoc in Deum refundit ſecundum illud 1. Paralip. 29. *Tua ſunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi*.

Diviſio Charitatis in habitualem & actualem.

Charitas dividitur in habitualem & actualem, ut iam patet ex dictis. Actualis vero dividitur in perfectam, quæ multos habet intenſionis gradus, & in imperfectam, quæ pauciores habet. Imperfecta Charitas dividitur a quibuſdam in eam quæ eſt ſuper omnia, qualis ineſt iis, qui in remiſſo gradu iuſti ſunt, & eam quæ non eſt ſuper omnia, qualis ei ineſſe poteſt, qui pauperi ſtipem erogat propter Deum, & tamen mortalem ad Creaturas affectum conſervat. Huiuſcemodi tamen miſericordiæ actus, ſecundum Tourneleium nec procedunt ab habitu Charitatis Theologicæ, nec pro amore eſſentialiter vero haberi poſſunt, niſi amor ſit ſuper omnia.

§. II.

De Præcepto Charitatis erga Deum.

Extat ſpeciale præceptum charitatis.

Habemus ſpeciale præceptum Charitatis, & ab omnibus aliis diſtinctum diligendi Deum. Nam legimus Matthæi 22. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo* &c. Et 1. Timoth. 1. *Finis præcepti charitas*. Cum enim Deus ſit obiectum ſumme amabile propter ſe, & finis ultimus rerum omnium, non potuit ſapienter non præcipere Creaturæ amoris capaci & liberæ, ut ſe ipſum ſuper omnia propter ſe amet. *Amor enim fini debitus eſt*, (ait D. Thomas,) *ob rationem boni quod per ſe habet*.

Præceptum Amoris Dei, cum negativum ſit, ac affirmativum, nempe cum vetet odium Dei & eius præcipiat amorem; certum eſt, hoc præceptum prout eſt negativum obligare omni quovis tempore; quia nunquam licitum eſſe poteſt odio habere Deum, quem tot tantiſque rationibus amare tenemur. Immo prohibet quoque pro quovis momento temporis omnem generaliter Dei offenſam, cum omnia peccata ſint contra charitatem habitumque eius deſtruant. Nam per quodlibet peccatum ſi non formaliter odio habetur Deus, poſtponitur tamen creaturæ, ac proinde ſaltem virtualiter, & interpretative contemnitur. Hoc autem præceptum diligendi Deum Charitatis virtute, quatenus eſt affirmativum, certum eſt (non ſecus ac alia præcepta affirmativa) non obligare ſemper & pro ſemper; obligat tamen ſæpiſſime. Non obligat ſemper & pro ſemper, ut comprobat D. Thomas, qui hoc demonſtrat comparando præceptum Charitatis cum præcepto honorandi parentes. Etenim ibi ait; *iſta eſſe duo præcepta affirmativa non obligantia ad ſemper, ſed poſſunt pro diverſis temporibus obligare: Unde poteſt contingere quod aliquis implens v. g. præceptum de honoratione Parentum, non tunc tranſgrediatur præceptum de omiſſione modi Charitatis*. Et hac ratione utitur S. D. ibidem ad hoc comprobandum. Si præceptum Charitatis obligaret pro ſemper, ſeu ſi modus Charitatis caderet ſub præcepto erga omnes cuiuſcumque virtutis actus, quiſquis eliceret actum virtutis ſine Charitatis imperio, peccaret mortaliter, quia ut expreſſe docet D. Angel. *quicumque non ſervat præceptum Charitatis quo tempore obligat, peccat mortaliter*: ſed hoc eſt inconveniens & adeo inconveniens ut hæreticum ſit; nam alias homo nunquam peccaret niſi mortaliter. Igitur præceptum Cha-

Digitized by Google

Charitatis non obligat ſemper, & pro ſemper.

Amor Dei plures debet habere conditiones.

Præceptum hoc Charitatis ut affirmativum eſt, obligat profecto certis temporibus ad eliciendum actum internum ſupernaturalem amoris Dei ſuper omnia propter ſe, ut Matthæi 22. *Diliges ex toto corde*: idcirco amor, qui primo mandato præcipitur, plures debet habere conditiones, quas alii alias recenſent, & quatuor numerari poſſunt. 1. debet eſſe internus & verus ac proprie dictus, quia alioquin non poteſt eſſe ex toto corde, iuxta ſenſum verborum Evangelii, *Diliges ex toto corde*, quæ verba in proprio ſenſu ſignificant internum dilectionis affectum, qui iuxta PP. & DD. ſit amor benevolentiæ. 2. efficax & in opere univerſalis: nam Charitas non eſt mera de divinis perfectionibus complacentia, ſed affectus voluntatis efficaciter movens ad faciendum id omne, quod ſine peccato ſaltem gravi omitti nequit, & e contra. Quocirca verus Dei amor continet propoſitum actuale, vel virtuale omnibus Dei mandatis adhærendi iuxta illud 1. Ioann. 5. *Hæc eſt Charitas Dei, ut mandata eius cuſtodiamus*. Quæ verba non ſunt intelligenda in ſenſu formali, quaſi executio aliorum Dei mandatorum ſatis ſit ad implendum Charitatis præceptum, ſed ſenſu cauſali. Quia cum verus amor nunquam ſit otioſus, movet & quaſi trahit adimpletionem totius divinæ legis. 3. ſummus appretiative: eo ſenſu, quod nihil amplius diligere debeamus quam Deum, ut admonuit Chriſtus Dominus Matthæi 10. *Qui amat patrem, aut matrem pluſquam me, non eſt me dignus*. Et equidem id exigit ſumma Dei amabilitas, cui amor noſter ſaltem appretiative proportionatus eſſe debet: ita ut vi talis amoris homo Deo ut ſumme bono, & amabili adhæreat ſuper omnia, propter ſe, ipſi bona omnia velit, & ea faciat, quæ Deus graviter ſaltem exigit, & malit omni bono privari, omneque malum pati, quam Deum ſaltem graviter offendere 4. gratuitus. *Cauſſa diligendi Deum, Deus eſt*, ait D. Bernard. lib. de diligendo Deo .... *non ſine præmio diligitur Deus, etſi abſque præmii intuitu diligendus ſit .... Verus amor præmium non requirit, ſed meretur*. Et in hoc amor Charitatis diſtinguitur ab amore concupiſcentiæ, nempe quia prior Deo propter Deum adhæret, non vero poſterior.

Nota; homines ſecundum communem omnium Theologorum, ex præcepto Charitatis diligendi Deum, non teneri ad ipſum amandum ſuper omnia intenſive; eo quia intenſio ſit profecto ſolum accidentalis virtuti Charitatis, ita ut ſine illa maiori intenſione præceptum Charitatis ſervetur quantum ſatis ſit, ut amor ipſius ſit efficacior quam amor cuiusliber alterius obiecti. Quod autem præcipuum eſt in Charitate, eſt, ut ſit efficax erga Deum, ideſt quod affectu & opere, ut iam diximus ſupra, ſumma & ſuperiori appretiatione creaturis omnibus quantumvis intenſive dilectis, præferatur; nam præceptum de diligendo Deo ex toto corde omnes intelligunt de totalitate appretiationis non intenſionis, & appretiatio non conſiſtit in conatu, ſed in libera prælectione & prælatione. Verum quidem eſt, quod quando amor erga creaturam obſiſtit amori Dei appretiative ſummo, tunc opus eſt maximo conatu voluntatis, ut Deus ſuper omnia ametur.

§. III.

De tempore, quo Præceptum Charitatis obligat ad amandum Deum.

Licet Præceptum Charitatis, quatenus affirmativum non obliget ſemper & pro ſemper, non pauci tamen ſunt caſus, in quibus ſecundum ſaniorum Theologorum iudicium præceptum Charitatis obligat; videlicet in quibus vi huiuſce præcepti tenemur actus Charitatis elicere. Et primo tenetur homo elicere vi talis præcepti actum amoris Dei ſub mortali a primo uſus rationis momento, nempe in principio vitæ ſuæ moralis; unde ſtatim ac ratio ei eluceſcit non ſolum per actum Fidei tenetur agnoſcere ſuum Creatorem, ſed etiam actu Charitatis cæteris omnibus eum præferre. Ita docent permulti, inter quos D. Thomas, cui videtur aſſentiri S. Franc. Saleſius *l. 10. De amore Dei* cap. 6. & Alexander VIII. qui oppoſitum damnavit ut hæreticum anno 1690. *die* 24. Auguſti in Theſi, in qua dicebatur de ultimo fine qui eſt Deus, *hunc, hominem non teneri amare neque in principio, neque in decurſu ſuæ vitæ moralis*.

Quando tenemur amare Deum ſub mortali.

Recta enim ratio dictat quod Creatura rationalis, ubi primum, moraliter loquendo, adepta ſit tantum uſum rationis ut poſſit habere ſufficientem Dei notitiam, quam quiſque tunc ſibi comparare debet, (ut ex S. Thoma 1. 2. *q.* 89. *art.* 6.) tenetur amare Deum ut rerum omnium finem ultimum, propter quem facta ſunt omnia, & ad quem proinde ſe, ſuaque omnia ac totum vitæ curſum referre debet, & ideo implere primum, & maximum mandatum per dilectionem Dei ſuper omnia propter ſe. Nam præcepta, quando

non

non determinant tempus, cenſentur obligare pro præſenti, ſeu quam primum commode impleri poſſunt; alias uſque ad mortem differri poſſet eorum obſervantia. Cæterum inſtantes in primo uſu rationis tenentur diligere Deum, eo modo cuius illa ætas eſt capax iuxta indolis, & mentis maiorem, aut minorem idoneitatem. Hinc notanter dictum fuit *ubi primum moraliter adepti ſint ſufficientem uſum rationis*, nempe in principio ſuæ vitæ moralis, cum res non ſit intelligenda de primo inſtanti mathematice accepto, ſed moraliter, ita ut admittenda ſint reflexio, diſcurſus, & cætera omnia quæ ad deliberandum, & eligendum poſtulantur. Si autem inquiras, cui compertum eſſe poterit ſe talem actum debito tempore præſtitiſſe, aut omiſiſſe? Sapientiſſimi Caietanus, & Navar. affirmant, quod optime ſe gerent Fideles omnes, ſi in Confeſſione de huiuſmodi omiſſione conditionate ſe accuſent. Hinc nemo non videt quantum hoc movere debeat Confeſſarios, Paſtoreſque animarum, ut moneant Parentes, Magiſtros, Tutores, quanta cura parvulis ſuis Deum prout ſuper omnia amabilem proponere debeant, ut ſenſim adoleſcente iam ratione habiles, prompti reddantur ad veræ Charitatis actum efformandum. Item, ut in dubio, an officio huic ſatisfecerimus in infantia, deponamus peccatum hoc, quod multi contra multos gravem eſſe putant, apud Confeſſarium, ut Caiet. Navar. & Pont. docent eſſe deponendum.

Secundo: Præceptum hoc affirmativum ex dudum laudato Alex. VIII. urget etiam iuxta omnes in articulo, & etiam probabili periculo mortis, tametſi recepta ſint Sacramenta. Nihil enim eſſe poteſt rationabilius, quam hominem imminente vitæ ſuæ termino, ad ſuæ ſalutis auctorem ſe toto corde convertere, eumdemque totis viribus diligere, necnon æternæ propriæ ſaluti proſpicere, ad quod efficaciſſime confluit ſupradictus actus dilectionis erga Deum. Et equidem ſi unquam neceſſarius eſt actus charitatis, tunc maxime eſt ad muniendum cor contra graviores tentationum procellas, quæ in hoc inſtanti præcipue deſæviunt. Iure igitur merito Paſtores, & Confeſſarii ſecundum Eccleſiæ diſciplinam magna ſolertia ſtudent, ut morientes, & in periculo mortis conſtituti, Fidei, Spei, & Charitatis actus eliciant, & redduntur graviter culpabiles ſi huiuſcemodi actus in morientibus excitare negligant.

Tertio: quando ob ingruentem gravem tentationem periculum imminet labendi in mortale niſi eliciatur Charitatis actus, quia tunc neceſſaria eſt Præcepti obſervatio, quia ex charitate Dei tenemur evitare eius offenſam, & media amplecti quæ ad illam effugiendam neceſſaria videntur.

Quarto: cum neceſſarius eſt contritionis actus, puta ſi quis Confeſſarii copiam non habens, Sacramenta miniſtrare, aut ſacrum facere debeat; & ratio eſt, quia actus contritionis actum charitatis includit.

Quinto: Habertus addit, Orationem Dominicam vel mendaciter recitari, vel non recitari ſine aliquo Charitatis actu. Etenim non aliud exprimunt hæc verba *Sanctificetur nomen tuum*, niſi nos Deo ante omnia ſummam gloriam expetere; & rurſus illa alia *fiat voluntas tua*; quia, ut ait S. Cyprianus, *Voluntas Dei eſt, quam Chriſtus & docuit & fecit . . . . . . Deum toto corde diligere*. Ita cit. P. l. *de Orat. Dom.* Igitur ne ex illis ſimus, de quibus ſcriptum eſt: *dilexerunt eum in ore ſuo, & lingua ſua mentiti ſunt ei*, neceſſe eſt, ut cor amorem eliciat, quem lingua exprimit.

Sexto: Præceptum dilectionis Dei ſæpiſſime obligat etiam extra caſus adductos in decurſu vitæ, ut evincitur tum ex ipſa natura Charitatis, quæ eſt finis omnium præceptorum & actionum, idcirco identidem neceſſe eſt ut in eiuſmodi exeat affectionem; tum ex verbis ipſis, quæ præcepto adiuncta ſunt, quibus nobis Deus præcipit ut ipſius amorem ſæpe in animo habeamus, ut Deuteronomii 6. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua &c.* Quare omiſſio amoris Dei per notabile tempus includit contemptum divinæ amicitiæ. Hinc Innocentius XI. damnavit propoſitiones n. 6. & 7. quæ contrarium dictant.

Quoties vero Præceptum hoc infra annum obliget, non facile determinari poteſt; valde enim diſcrepant ſuper hoc DD. Suarez vult hoc præceptum, ſicuti alia affirmativa, obligare ne illius actus nimium differantur; & quod regula pro eorum debita frequentia accipienda ſit ab aliquo prudenti viro. Cenſent alii, quod ſaltem ſemel in anno teneamur talem actum elicere ſub mortali, ſicuti iam de Fide ſupra dictum eſt. Aliis vero permultis placet, ſæpius quam ſemel in anno tale præceptum obligare. Extant enim ſæpius in Scripturis urgentiſſima verba pro hoc præcepto ſæpius adimplendo. Deuteronom. enim 6. alias citato cum expoſuiſſet Deus per Moyſen præceptum *Diliges Dominum Deum tuum* ſubdit, *eruntque*

verba

verba hæc quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo; & meditaberis in eis ſedens in domo tua, & ambulans in itinere, & dormiens, atque conſurgens, & ligabis ea quaſi ſignum in manu tua &c. Serio perpendat prudens & doctus vir, ait P. Cunielatus, an his verbis adeo urgentibus & præceptum hoc inculcantibus, nos ſatisfacere poſſimus ſemel tantum in anno illud exequendo. Nam ſi ex 1. *Ioann.* 3. *qui non diligit manet in morte*; profecto qui ſemel tantum in anno diligit non eſt procul a morte, niſi forte iam obierit; quis enim habitum conſervari poſſe cenſebitur, qui uno dumtaxat ſingulis annis actu foveatur? Etenim licet Charitas habitus ſit infuſus, non acquiſitus; infunditur tamen, conſervatur, & perficitur in Adultis a Deo dependenter a noſtris actibus auxilio divino elicitis, tamquam a diſpoſitionibus proximis ab ipſo Deo requiſitis ad eumdem actum infundendum, conſervandum & augendum; ut docet S. Thomas cum communi Theologorum. Hactenus citatus auctor. Quare Cardenas cenſuit non contemnendam ſententiam Scoti, qui docet, Adultos obligari ad actus Charitatis pluries in anno, & precipue ſingulis diebus dominicis & feſtis ſolemnioribus; immo feſtis ſingulis, præcipue dum Sacri celebrationi aſſiſtitur. Nam cum identidem huiuſcemodi actus eliciendi ſint, ac tempus ſtatuendum ſit ex iudicio prudentum, videtur prudens deſignatio temporis diebus cultui divino dicatis, cum peroptimus cultus ſit actus Charitatis. Et cit. Cardenas iudicat mortaliter delinquere, qui intra integrum menſem actum Charitatis omittit. Et non incongrue, quia peroptabile eſt, ſicuti a piis timoratiſque viris fieri ſolet, ut ſingulis diebus, immo ſingulis etiam horis actus amoris charitatis exercerent homines erga Deum. *Non enim amaritudinem habet* iuxta monitum Spiritus Sancti Sapientiæ 8. *converſatio illius, nec tædium convictus illius, ſed lætitiam & gaudium.*

Præceptum hoc per ſe obligat quoties accidat vehemens tentatio odii Dei, ut patet ex dictis de Fide; quia tunc per ſe ſtricte obligat præceptum, quando grave imminet periculum illud violandi; ſicuti contingeret in allata tentatione; & hoc præceptum obligat etiam aliquando per accidens ratione aliarum virtutum, ut antea notatum fuit, cum ſermo haberetur de præcepto Fidei; cum Charitas forma ſit omnium virtutum.

Docent aliqui, Præcepta Fidei, Spei, Charitatis eſſe in aliquo ſenſu ſupernaturalia ex parte obiecti & ſuorum actuum, quia impleri nequeunt niſi per actus ſupernaturales, quatenus Deus elevavit hominem ad ſtatum ſupernaturalem per actus ſupernaturales conſequendum. In aliquo vero ſenſu ſunt naturalia, ideſt ex parte obligationis; quia eo ipſo, quod Deus hominem elevavit ad finem ſupernaturalem, ſine alio novo præcepto, & ex natura rei, tenetur homo ad eliciendos actus ſupernaturales, quibus ſuum ultimum finem conſequatur. Idcirco lex naturalis in ſuppoſitione elevationis obligat ad tales actus ſupernaturales.

Ex præcepto Charitatis tenemur omnes actiones noſtras generatim ad Deum referre iuxta S. Auguſtinum l. 1. *de Doct. Chriſt.* cap. 22. *Hæc regula dilectionis*, ait S. D. *divinitus conſtituta eſt*. S. Auguſtino conſonat D. Angelicus 1. 2. q. 100. *art.* 10. *ad* 2. *ſub præcepto Charitatis continetur ut diligatur Deus ex toto corde, ad quod pertinet ut omnia referantur in Deum*; ſubiungens, quod ſine hoc non poteſt homo Charitatis præceptum implere. Et revera non poteſt amari Deus ut finis ultimus rerum omnium ſicuti tenemur, niſi etiam omnia ad ipſum referantur. Tenemur vero omnes actiones noſtras generatim ad Deum referre tunc ſolum, quando urget præceptum amandi Deum propter ſe ut finem ultimum rerum omnium. Idcirco non tenemur omnes actiones ſigillatim elicere ex motivo, ſeu affectu Charitatis; alias omnia Infidelium opera, immo etiam Fidelium, dum manent in ſtatu peccati, eſſent peccata, quod eſt error ab Eccleſia damnatus. Similiter deteſtatio peccati ob metum pœnarum eſſet mala, quod repugnat tum Concil. Tridentino ſeſſ. 6. can. 8. & ſeſſ. 14. cap. 4 tum S. Auguſtino, qui in ſuis Commentariis ſuper Pſalmum 127. contrarium docet. Hinc Alexander VIII. damnavit propoſitiones n. 10. & 11. in quarum prima reſpuebatur ut malum, odium peccati elicitum ob pœnam ipſi imminentem, & in altera damnabantur ut mala opera facta ſine Fide & Charitate ſupernaturali. Actus enim eliciti ex motivo aliarum virtutum ſunt boni, & liciti, alioquin non eſſent actus virtutis, & evidens eſt, omne bonum honeſtum, eſſe honeſte diligibile propter ſe, cum conſentaneum ſit rationi amare, quod rationi, naturæque rationali conſentaneum eſt, ut tale.

Ex præcepto Charitatis tenemur referre actiones noſtras ad Deum.

Verum quando non referimus per Charitatis affectum actiones noſtras ad Deum, tunc tenemur eas ad eius Gloriam referre, vir-

virtualiter, ſeu implicite, & ex intentione, ſeu natura operis, ſcilicet agendo ex motivo alicuius virtutis & honeſtatis, ut ex Apoſtolo 1. Corinth. 10. *Sive manducatis, ſive bibitis, ſive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*. Et ly *facite*, quod ſonat imperium, denotat hoc eſſe de præcepto, non ex conſilio, ſicuti aliqui putant. Nam debemus Deo omnes operationes noſtras ex titulo Creatoris, & Redemptoris, & vi eius ſupremi dominii, ex quo omnes actiones noſtræ magis Deo debentur, quam opera ſervi cuivis Domino temporali. Et eo vel maxime, quod omnes ſemper tenemur agere propter aliquem finem honeſtum, & ideo ex motivo alicuius virtutis. Ergo ad gloriam Dei, ad quam omnis honeſtas & actus virtutis ex natura ſua ordinatur, tamquam ad regulam, fontem, ac finem omnis honeſtatis. Sic P. Antoine.

§. IV.

De neceſſitate Charitatis ad merendum.

Ad hoc ut opera meritoria æternæ vitæ eliciant Fideles, ſatis non eſt quod gratia habituali præditi ſint, necnon habitu Charitatis; ſed requiritur inſuper actus aliquis Charitatis, quo ſaltem virtualiter huiuſcemodi opera ad honorem gloriamque Dei ordinentur. Dicitur notanter, *ſaltem virtualiter*, ne videamur exigere directionem actualem Charitatis, quæ eſt longe perfectior, & a viris piis quantum fieri poteſt curanda; ſed exigitur virtualis ſaltem, quæ nempe ex anteriori dilectionis & directionis actu formali erga Deum elicito in voluntate remaneat. Sic ſemper docet S. Thomas, & in 2. ſentent. diſt. 38. q. 1. art. 1. ad 4. & in diſputatis q. 2. *de malo* art. 5. ad 11. nec non in commentariis ſuper 1. ad Corinth. cap. 10. lect. 7. quam auctoritatem ut nimis longam brevitatis ſtudio omittere cenſui, remittendo lectorem ſi cupiat eam perlegere ad cit. opus ſententiarum diſt. 40. q. 1. art. 5 ad 6.

Ex his ergo colligitur non ſufficere meram coexiſtentiam habitus charitatis, quæ donec in actum nullum exeat, nullam profecto ordinationem in Deum confert; ſufficit tamen virtualis ordinatio ex eo procedens, ut notavimus, qua homo Charitatis actum eliciens, ſe, omniave ſua in amorem Dei & gloriam ordinet; qui actus tametſi tranſeat; relinquit tamen in voluntate determinationem ex qua cætera virtualiter directa cenſeantur. Verum nota, directionem hanc non eſſe interrumpendam, quod dupliciter contingere poteſt, 1. cum perſona mortaliter peccando ab ultimo fine ſe avertit, & tunc dicta ordinatio reſpectu cuiuſcumque actionis licet bonæ & virtuoſæ, totaliter ceſſare cenſetur; & non innovatur niſi peccator ſive per Sacramentum Pœnitentiæ, ſive per actum perfectæ contritionis, ſive per actum dilectionis efficacis Dei ſuper omnia iterum iuſtificetur. Hi duo actus poſteriores, nempe contritionis, & dilectionis Dei Sacramentum Pœnitentiæ in voto includunt. 2. prædicta directio interrumpitur non totaliter, ſed tantummodo reſpectu alicuius actionis quæ ad Deum referri nequit, videlicet per veniale peccatum, & tunc ceſſat reſpectu illius actionis, reſpectu vero aliarum actionum quæ ad Deum referibiles ſunt, perſeverat. Adverte inſuper, actualem directionem ſæpe ſæpius ſeu identidem innovandam eſſe; quia impreſſio relicta in voluntate ab actuali directione plus minuſve perdurat, iuxta gradum fervoris, quo fuit elicita; ita ut, niſi renovetur, ex ſe detinere poſſit. Quare optimum eſt eam ſaltem quotidie innovare; ideo a piis renovatur ſæpius etiam in die; & quidam ex quadam vere laudabili conſuetudine, quotieſcumque aliquam novam actionem aggrediuntur, eam innovant, unum aut alterum horum uſurpando: *Nomini tuo da gloriam: ſoli Deo honor & gloria*. Certum eſt enim, gradum meriti eo magis augeri, quo directio Charitatis in Deum eſt actualior.

Directio actionum noſtrarum in Deum interrumpitur dupliciter.

CAPUT VI.

De vitiis oppoſitis Charitati erga Deum.

§. UNICUS.

De his quæ præcipue Charitati adverſantur.

Duo ſunt præcipua vitia quæ directe opponuntur virtuti Charitatis prout per hanc virtutem tenemur Deum ſuper omnia diligere, videlicet odium Dei, & inordinatus amor Creaturarum. Et quoad primum, obſervandum, quod dividitur in odium abominationis, & in odium inimicitiæ. Primum eſt illud, quo impius Deum averſatur non in ſe ipſo, ſed ſecundum ſuas diſpoſitiones ſeu qualitates, quas experitur ſuæ pravæ voluntati oppoſitas; vel quia ipſi denegatur conſecutio eorum quæ cupit, vel quia malis gravatur, vel orbatur obiectis quæ inordinato amore proſequitur: quapropter exci-

excitatur in eius animo malignus affectus contra Deum, quo illum abominatur tamquam ſibi malum & nocentem, & hoc odium abominationis eſt odium non perſonæ, ſed ipſius qualitatum: huiuſcemodi odium in Deum eſt peccatum quidem horribile; ſed longe horribilius eſt odium inimicitiæ ſeu perſonæ, cum hoc ſit affectus malignus in ipſum Deum, quo eum in ſe ipſo averſatur, eique malum peroptat, ac nollet ipſum eſſe; & hoc propriiſſime eſt odium Dei. Huiuſce vitii immanis deformitas exponitur a D. Thom. 2. 2. *q.* 34. *art.* 2.

Ex his colligitur, quod motus omnis malignæ affectionis contra Deum, ſive verbis expreſſus, ſive corde retentus, dummodo deliberatus ſit, ad Dei odium ſpectat. Hinc convicia, quæ non raro proferunt irati homines contra Deum, blaſphemiæ, obmurmurationes contra eius providentiam, bonitatem, & iuſtitiam, maledicta orta ex averſione Dei & maligno in Deum affectu, quibus contra ipſum furorem ſuum evomere volunt, ad hanc ſpeciem horribilis peccati proprie pertinent. Et revera iam in ſpecie blaſphemiæ aut ſimplicis aut hæreticalis &c. recenſentur.

Alterum vero vitium quod directe opponitur Charitati Dei, eſt inordinatus amor creaturarum, talis tamen, ut formaliter, ſeu affectu formali homo creaturam aliquam Deo præferat, ita ut Deo formaliter poſtpoſito creaturam eligat ut ipſa fruatur, eamdem formali affectu Deo anteponendo. Dicitur notanter *formaliter*, & *affectu formali*; nam ſi loquamur interpretative, hoc fit ab omni qui mortaliter peccat, prout practice finem ultimum in Creatura poſſit; ad hoc enim ut peccans incidat in odium Dei, requiritur quod affectu formali Deum poſthabeat, ac eidem delectationem, vindictam &c. formaliter præferat. Hoc putant DD. contingere in eo, qui ſciens & volens paratum ſe exhibeat ad legem Dei tranſgrediendam in quocumque genere, ut ſibi, aut alteri creaturæ ſatisfaciat; nam, cum huiuſmodi peccatum non pertineat ad ullam particularem ſpeciem peccatorum, nullique particulari virtuti advertetur, merito cenſetur ſpecialiter pugnare contra Charitatem quam Deo debemus. Odium graviſſimum ſemper ſcelus eſt Charitati oppoſitum, ideoque ſemper mortale; utpote quod numquam ob parvitatem materiæ fieri poſſit veniale, dum quodlibet odium Dei graviter opponitur Charitati.

CAPUT VII.

De Præcepto Charitatis erga proximum.

§. I.

De obligatione Charitatis erga proximum.

Altera pars Virtutis Charitatis eſt dilectio Proximi iuxta illud Matth. 22. *Diliges Dominum Deum tuum .... & proximum tuum ſicut te ipſum.* Unde manifeſtiſſime patet, præceptum, quo ex Charitate dilectio præcipitur, duo reſpicere, Deum videlicet, ac proximum, ut habetur Matth. eit. cap. 22. *ſecundum autem* (mandatum) *ſimile eſt huic: diliges proximum tuum ſicut te ipſum*, & alibi etiam in Evangelio. Ineſt igitur præceptum ſpeciale diligendi proximum amore benevolentiæ, quo velimus ei bonum, prout bonum eius eſt.

Præceptum de dilectione proximi obligat ad actum formale amoris, ideſt ut proximum formaliter amemus non tantum exteriori actu, ſed etiam interiori, quia per talem amorem neceſſe eſt ut ei bene velimus, quod fieri nequit ſine actu interiori benevolentiæ, cum exteriores utpote ſeiuncti ab interiori ſint mera mendacia eum amorem ſignificantia, quo animus caret. Hinc Innocentius XI. damnavit propoſitiones n. 10. *non tenemur proximum diligere actu interno & formali*, & n. 11. *Præcepto, proximum diligendi ſatisfacere poſſumus per ſolos actus externos.*

Præceptum hoc reſpicit omnes creaturas rationales, quæ nobiſcum capaces ſunt eiuſdem beatitudinis; nam ii omnes & ſoli amari poſſunt & debent affectu divinæ ſeu Theologalis Charitatis, iiſque poſſumus ac debemus deſiderare omnem felicitatem propter Deum ſummum bonum beatificans, in cuius communicatione & capacitate fundatur dilectio Charitatis. Idcirco actus hic includit Angelos, beatos, animas in purgatorio detentas, necnon omnes ſinguloſve Viatores ſive iuſti ſint, amici, conſanguinei, catholici, ſive peccatores, inimici, extranei, & infideles; quia hi omnes ſunt capaces communicandi nobiſcum eamdem beatitudinem æternamque hæreditatem quam beati iam poſſident; ideoque omnes univerſaliter homines ſine ulla exceptione amare debemus amore amicitiæ, ac benevolentiæ, ordinate ad unionem, quam ad invicem habere debent Fratres, & cohæredes. Particulariter vero eos determinate, quibus opem

ferre

Google

ferre debemus, vel eos erga quos odium deponi nequit niſi ſigillatim actu interno diligantur. Excipiuntur vero homines damnati & Dæmones, quibus non poſſumus velle ſicuti exigit affectio Charitatis, ac benevolentiæ, præcipue æternam beatitudinem, a qua per iuſtum Dei iudicium ſunt penitus excluſi, ideoque repugnat hic amor charitati erga Deum, qua eius iuſtitiam approbamus. Sic S. Thomas q. 25. art. 11.

Præceptum hoc quatenus affirmativum obligat amare proximum propter Deum amore benevolentiæ affectivo & effectivo, ſicuti nos ipſos amamus, non tamen ſecundum æqualitatem, ſed ſecundum ſimilitudinem ſeu proportionem, ut ait *D. Thom.* 2. 2. *q.* 44. *art.* 7. ſcilicet quod velimus, & curemus quantum poſſumus, proximo, in illius neceſſitatibus bonum idem, quod nobis velle debemus & rationabiliter volumus, ac præcipue & primario æternam ſalutem, & felicitatem, necnon media neceſſaria ad eam obtinendam; ſecundario vero bona temporalia neceſſaria ad convenientem vitam corporalem, & prout ex auxilio gratiæ ad vitam æternam conducunt.

Dixi *ſicut nos ipſos*, ita ut homo vi talis amoris velit proximo ſuo id omne quod ſibi vult, non tamen, ut iam notavimus, ſecundum plenam dilectionis æqualitatem, ideſt non eodem intenſionis gradu: nam quiſque plus quam alienæ, ſuæ propriæ ſaluti conſulere debet. Quocirca nemo peccare poteſt, ne quidem venialiter, ut ſuum proximum a peccato mortali retrahat ac coerceat. Certe prudentes Virgines quæ oleum ſuum partiri cum fatuis recuſarunt, nunquam inculpatæ fuerunt ſe debitum fraternæ Charitatis violaſſe.

Ad legitimam proximi dilectionem tria præſcribuntur a S. Thoma ibidem. 1. ut ſit *iuſta*, 2. ut ſit *vera*, 3. ut ſit *ſancta*. Ita enim, & non aliter dilectio proximi aſſimilabitur ei, qua quiſque ſemetipſum diligere tenetur. Ut autem dilectio Proximi ſit *iuſta* requiritur, ut aliquis non condeſcendat proximo in aliquo malo, ſed ſolum in bonis: ſicut & ſuæ voluntati ſatisfacere debet homo ſolum in bonis. Ut ſit *vera* neceſſe eſt, ut procedat ab animo benevolo, ſeu quod idem eſt ſecundum D. Thomam, *ut non diligat aliquis proximum propter propriam utilitatem, vel delectationem, ſed ea ratione quod velit proximo bonum, ſicuti vult bonum ſibi ipſi .... nam cum quis diligit proximum propter ſuam utilitatem vel delectationem, non vere diligit proximum, ſed ſe ipſum.*

Ut tandem hæc dilectio ſit *ſancta*, neceſſe eſt, ut ſicuti noſmetipſos propter Deum, ſic & proximum propter Deum diligamus cuius eſt imago; & propter ipſius gloriam, cuius capax eſt. Hinc S. Auguſt. *de moribus Eccleſiæ* cap. 16. & ſerm. 335. ait, *ille veraciter amat amicum, qui Deum amat in amico, aut quia eſt in illo, aut ut ſit in illo*; quare, ut ex his colligit S. D. amicitia, qua Sponſus Uxorem, Pater Filium. Propinqui Cognatos, familiaris familiarem ſuum diligit, licet honeſta ſit, toto tamen cœlo differt a Charitate, qua proximum diligere tenemur vi illius præcepti, *Diliges proximum tuum ſicut te ipſum*; nam diligens proximum, quia conſanguineum, benefactorem, benevolentem, diligit quidem amore naturali, & honeſto, ſed non Charitate; multo minus qui proximum diligit, quia genio ſimilem, quia affabilem, quia lepidum &c. hic enim non diligit charitate, ſed amore quodam ſenſibili, & ut plurimum venialiter culpabili; nam tales amicitiæ nedum humanæ, immo nec brutorum quidem naturæ vires ſuperant. Igitur ut proximum Sancto Charitatis amore diligamus, ac ei ſimili, quo nos diligere tenemur, utriuſque dilectionis motivum idem eſſe debet, idem finis, & idcirco illud omne bonum proximo curandum eſt, quod nobiſmetipſis rationabiliter velle poſſumus & debemus, ac præcipue æterna beatitudo, ac omne id quod ad eam conſequendam conferre valeat.

Ex his veræ legitimæque Charitatis characteribus facile videre eſt, perraro hoc naturalis & Evangelicæ legis præceptum impleri. Nam ut voluptuoſos, aleatores, mulierum amaſios, temporalibus fortunis inhiantes viros, alioſve id genus prætermittam, non pauci ſunt etiam ex aliis, qui in amicis ſuis, vel ipſa eorum vitia, vel propriæ libidinis illecebras inquirunt, cum valde in uſu ſit, ut Patres in filiis, Cognati in cognatis ſanguinem ament &c.

Præceptum hoc Charitatis proximo debitæ obligat, ut ſæpe in vita eliciamus actum internum amoris ſupernaturalis erga ipſum. Duplex enim, ut ſupra notavimus, diſtinguitur amor proximi, affectivus nempe, qui in benevolo affectu voluntatis erga proximum conſiſtit; & effectivus, qui eſt effectus ipſe a prædicto affectu exterius erumpens: Præceptum autem, Charitatis fraternæ ſæpius ad utrumque obligat. Si enim ex una parte conſideretur ſollicitudo, qua Chriſtus præceptum hoc in Evangeliis, & per Apoſtolos in eorum Epiſtolis inculcavit,

Duplex amor proximi benevolus, & effectivus.

& ex alia parte frequentes occaſiones, quæ occurrunt dilectionem hanc exigendi, expendantur, quiſque cordatus inferet, identidem, plurieſque fore dilectionem hanc exercendam. Unde omiſſis ſpeculativis inquiſitionibus circa frequentiam fraternæ Charitatis erga proximum per anni decurſum, certum eſt, hominem ex præcepto charitatis fraternæ teneri ad amorem effectivum proximi, quoties proximus ſive ſpiritualiter ſive corporaliter indigeat ut opem ei feramus, ſicuti infra dicetur agendo de eleemoſyna, & Correctione fraterna. Sæpius quoque ex eodem præcepto tenemur ad amorem affectivum, ac proinde non ſemel tantum, ſicuti aliqui voluit, ſed ſæpius in anno, ſicuti iam dictum fuit de actibus Fidei, & amoris erga Deum. Et ratio eſt, tum quia præceptum dilectionis fraternæ ſimile eſt præcepto dilectionis Dei; tum quia Oratio Dominica quæ pro omnibus fundi debet, immo ſæpe frequenterque eſt fundenda, ut ex ipſa eius lectione patet, pie & utiliter dici ſeu recitari nequit ſine aliquo Charitatis ſaltem latius ſumptæ impulſu; hæc vero charitas etiam latius accepta utpote diſponens ad charitatem proprie acceptam, ad hoc præceptum dilectionis pertinet, ut habetur ex S. Thoma. Verum ex his, quæ in progreſſu dicenda ſunt, magis magiſque res eluceſcet.

Unum adnotare hic liceat, nempe ex tot Theologis qui rem hanc pertractant, vix unum eſſe, qui ſtatuat ſeu definiat quanto tempore actus huiuſcemodi amoris ſine culpa veniali vel mortali differri poſſit. Regulam hanc ſtatuit auctor Ethicæ Amoris tom. 2. *l.* 4. *n.* 111. & 113. ut quoties proximo ex præcepto Charitatis opem ſive ſpiritualem ſive corporalem exhibere tenemur; quoties etiam ipſius ſpirituales infirmitates comportare debemus; toties nos ex interno affectu Charitatis id facere oporteat. Hæc lex ſi ſtricte obliget, profecto dicendum erit ſingulis ferme paſſibus præceptum charitatis obligare; nam ut animadvertit Card. Bona *in principiis vitæ Chriſtianæ* part. 2. §. 43. *Tot ſunt hominum miſeriæ tam ſpirituales, quam corporales, ut vix greſſum movere poſſimus, vel oculos vertere, quin multi occurrant ope noſtra indigentes.*

De obiecto formali charitatis erga proximum. Objectum formale ſeu motivum amoris Charitatis erga proximum, ut clare ex jam dictis patet, eſt infinita Dei bonitas abſoluta, ſeu amabilitas, quæ ſicuti movet ad amorem Dei, movet etiam ad proximi dilectionem propter ipſum Deum; eo quia ad ipſum Deum pertineat, & Deus amet omnes homines etiam peccatores dum ſunt in via; cum ipſis quoque velit ſummum bonum, ideſt ſui ipſius poſſeſſionem & gloriam, media ipſis elargiendo ad eam obtinendam, aliaque bona, & vult ut ipſos amemus.

Hoc Præceptum quatenus negativum, ſcilicet ne unquam velimus, optemus, inferamus proximo quodvis malum ſive ſpirituale, ſive temporale, quatenus malum, ſine juſta cauſa & auctoritate, obligat pro ſemper, ideſt pro quovis tempore; nempe pro ſemper vetat odium proximi, omneſque actus oppoſitos benevolentiæ, qua affectu Charitatis eum proſequi debemus. Et hoc maniſeſtiſſime patet; quia oppoſitum nimis evidenter adverſatur præcepto divino Chriſti toties in Evangeliis repetito. Dixi *quatenus malum, & ſine iuſta cauſa*; quia aliquando complacere de ipſius malo, quatenus vel publicum bonum, vel eius ſpiritualis utilitas, vel quidpiam ſimile id poſtulat; dummodo fiat ſine averſione perſonæ, poteſt eſſe licitum. Dixi *& auctoritate*; quia licet publica auctoritate inferre illi aliquod temporale malum, ideſt punitionem ob finem bonum, nempe ob correctionem & exemplum aliorum &c. ſemper tamen ex motivo iuſtitiæ. Cæteroquin numquam licet odiſſe aliquem, quantumvis impium, ob diſplicentiam perſonæ, ideoque numquam licet gaudere de ejus malo, irritari de ejus bono.

Duæ regulæ generales, una a divinis ſcri- Duæ generales regulæ hujus amoris.
pturis, altera a naturali lumine rationis habentur huiuſce præcepti, nempe ut eſt affirmativum: *omnia quæcumque vultis, ut faciant vobis homines* (intellige rationabiliter) *& vos facite illis* Matthæi 7. Ut eſt negativum: *quod ab alio noles fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias.*

§. II.

De obligatione ex vi Præcepti Charitatis diligendi inimicos.

Odium, ſicuti antea jam vidimus dum ageremus de odio contra Deum, aliud eſt abominationis, quo quis aliquem averſatur, non in ſe ipſo, ſed ſecundum pravas qualitates quibus ille afficitur, alterum inimicitiæ, quod eſt affectus malignus in aliquem, quo ipſum in ſe ipſo averſatur, malumque ei optat, ac nollet ipſum eſſe; & hoc propriiſſime eſt odium. Odium igitur abominationis reſpectu inimici duplicem terminum habere poteſt, nempe vel perſonam inimici, vel qualitatem malam perſonæ. Habet pro

ter-

Digitized by Google

termino perſonam, quando averſamur perſonam tamquam quid diſplicens & amore noſtro indignum, ac proinde perſonam ipſam abominamur: habet pro termino qualitatem perſonæ, quando non perſonam in ſe, ſed prout prava qualitate affectam, averſamur, unde revera averſio terminatur ad qualitatem quæ eſt in tali perſona, neutiquam ad perſonam, averſando ipſam, quia eſt iniuſta, maligna &c. Primum ſemper eſt mortale, ſecundum ſi recte ſumatur, & cum vera præciſione, de ſe eſt indiferens. Odium Inimicitiæ ſeu malevolentiæ proximi, eſt deliberatus voluntatis actus, quo volumus ac optamus malum proximo; quia hunc apprehendimus ut nobis noxium, vel de malo ipſius complacemus, & tale odium inimicitiæ procedere ſolet ex odio abominationis. Hiſce poſitis ſit.

Cum homines nobis inimici, nobis ſint proximus, eo quia hi quoque ſocietate nobis coniuncti ſint, utpote qui ſint nobiſcum capaces æternæ conſequendæ ſalutis; erga hoſce pariter æque ac erga alios, urget præceptum Charitatis; quod non ſolum vetat ſub gravi, ne unquam proximus inimicus odio habeatur ſive odio abominationis perſonæ, ſive odio inimicitiæ, ſed præcipit etiam ut eum amore affectivo proſequamur. Vetat equidem Charitas odium abominationis perſonæ erga inimicum, quia tale odium eidem Charitati directe adverſatur; cum Charitas obſtringat omnes diligere perſonam cuiuſcumque ſui proximi, tametſi inimici, quatenus eſt imago Dei, Chriſti ſanguine redempta &c. Si autem averſeris proximum ob pravam qualitatem, ideſt ſi in illo ſit tibi odioſa illa tantummodo prava qualitas, & minime perſona, iam patet hoc malum non eſſe; quia qualitas illa meretur odio haberi: valde tamen cavendum eſt, vel ne putetur qualitas illa prava, eo quia corrupto noſtro genio opponitur, cum alioquin ſit bona; vel ne odium de qualitate tranſeat in perſonam, quod præſertim tempore iræ, & exardeſcentis animi maxime periculoſum eſt. Quamobrem a fortiori proximus inimicus non debet odio haberi odio inimicitiæ, quod cum præcipue habeat reſpicere perſonam, multo magis opponitur Charitati; ita ut, niſi parvitas materiæ ſeu mali optati perſonæ excuſet, ſemper ſit mortale. Hinc non licet cuipiam ex odio ipſius malum deſiderare; poteſt tamen alicui etiam laudabiliter optari malum temporale; nimirum ſi optetur ex ſincero vel converſionis eius, vel boni communis affectu, cum ſcilicet iudicatur eius converſionem aut commune bonum alia via moraliter procurari non poſſe. Hoc ſenſu oramus Deum, *ut inimicos S. Eccleſiæ humiliare dignetur*: & hæc oratio verus eſt Charitatis actus, tum erga inimicum, qui ignominia impletus facilius convertetur ad Dominum; tum erga Eccleſiam, cui pacem tranquillitatemque ſuppliciter deprecamur. Hic tamen duo ſolicite attendenda ſunt. 1. imperfectos, qui in hac materia non pauci ſunt, ab huiuſmodi deſideriis abſtinere debere propter morale periculum, ne quis vindictæ appetitus obrepat. 2. etiam dum odio habemus vitium inimici, conditionem hominis non eſſe ſpernendam, immo æſtimandam eſſe iuxta illud Auguſtini ſuper illud Pſalmi 138. *Quid eſt perfecto odio oderam illos? oderam in eis*. ait S. D. *iniquitatem eorum, & diligebam conditionem tuam, ideſt quod a te acceperant*..

Porro obligatio, ne odio habeamus proximum inimicum, oritur ex præcepto negativo Charitatis, quæ odium erga proximum inimicum ſtrictiſſime vetat: ſed urget ex alia parte etiam præceptum affirmativum, ut offenſa ab illo accepta eidem remittatur; & ex ſincero corde amore proſequatur. Unde.

Ex præcepto Charitatis quiſque tenetur ſub gravi remittere inimico offenſam poſitiva remiſſione, quoties graviter homo ad odium contra inimicum tentationem patitur; quia tunc maxime urget Chriſti præceptum Matthæi 5. *Diligite inimicos veſtros*: ubi notandum, quod non dixerit, ne odio habeatis, ſed diligite, ut remiſſionem poſitivam declararet; ſicuti explicat D. Hieronymus in Com. Quando igitur exagitet gravis tentatio odii, vel vindictæ &c. tunc ad evitandum imminens periculum peccandi, vi præcepti affirmativi Charitatis, actum poſitivæ remiſſionis elicere tenemur.

Verum ut melius percipiatur ad quid ſub mortali teneamur: adverte, diſtinguendum eſſe inter offenſam, iniuriam & damnum. Offenſa eſt irritatio voluntatis proximi ſine cauſſa; unde ipſi occaſio præbetur ad indignationem; licet ius nullum eidem violetur, puta quando quis petit aliquid commodato, & ſine ulla cauſſa ab altero ipſi denegatur; hoc eſt ſimplex offenſa; quia ſine iuſta cauſſa denegatur, & alioquin ius nullum violatur. Quod ſi fiat cum aliqua iuris læſione, ſimplici offenſæ additur ſimul iniuria, ut contingit, cum repetenti commodatum, ſine iuſta cauſſa a commodatario reſtitutio denegatur. Si autem huic iniuriæ damnum quo-

quoque addatur, in tali caſu evadit offenſa iniurioſa & damnoſa, e. g. ſi commodans ex eo quod habere non potuit a commodatario rem commodatam, compulſus fuit facere expenſas, quas cæteroquin non feciſſet. Hiſce præmiſſis.

Offenſus 1. tenetur offenſam ex corde remittere; iniuriam autem & damnum remittere non tenetur, ſed inculpate repetere poteſt reintegrationem in honore ſi fuerit læſus, & damnorum, ſi quæ fuerint illata; dummodo tamen talis integratio minime petatur ex livore & affectu vindictæ, ſed ſincero animo inducendi æqualitatem ab iniuria & damno violatam. Quod læſus teneatur offenſam remittere, patet ex verbis Chriſti Matthæi 6. *Si non remiſeritis hominibus peccata eorum, nec Pater veſter cæleſtis dimittet vobis peccata veſtra*. Immo ſi offenſam remittere non teneatur læſus, ad nihilum profecto obligabit præceptum. Quod vero ex altera parte non teneatur honoris iacturam, nec damnum in propriis rebus remittere, ex eo conſtat, quod hæc ſint violativa ſui iuris, cui cedere non tenetur. Nihilominus tamen quando horum læſio eſt levis, ſicuti illam remittere indicium eſt animi vere remittentis, ita inſiſtere pro reintegratione eſt argumentum non leve ſuſpicandi quod ea exigatur ex vindicta. Quare tunc incumbit prudenti Confeſſario inducere talem offenſum ad eam remittendam.

Quod tandem ex vi præcepti affirmativi Charitatis teneamur etiam ſincero corde inimicum diligere, maniſeſtiſſime patet ex præcepto Chriſti Domini Matthæi 5. qui traditioni, quam Iudæi afferebant de proximo diligendo, & inimico odio habendo, ſubiungit, inimicos etiam eſſe diligendos: ſic enim in laudato capite legitur: *Audiſtis quia dictum eſt: diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis: diligite inimicos veſtros, benefacite iis, qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos*. Verba hæc iuxta Eccleſiæ & Patrum interpretationem verum præceptum continent; *grave præceptum diligite inimicos*, (ait S. Aug.) *ſed grande præmium .... audiſti opus, expecta mercedem*. Per illud autem præceptum non ſolum exterior, ſed poſitivus interior charitatis affectus erga inimicos imperatur: 1. quia vox *diligite* diſtinguitur a voce *benefacite*; ac proinde ſi hæc externum, illa interiorem Charitatis motum ſignificat. 2. quia ibidem præcipitur oratio pro inimicis, quæ vera eſſe nequit ſine interiori animi affectu. Tandem quia hic præcipit Chriſtus aliquid, quod Phariſæi neceſſarium non putabant: Verum neque negabant, neque negare poterant Phariſæi, exteriorem actum charitatis præcipi in lege: Habetur enim inter alia Exodi 23. *ſi videris aſinum odientis te iacere ſub onere, non pertranſibis, ſed ſublevabis cum eo*. Sic etiam unanimes ſentiunt SS. PP. pro quibus omnibus ſatis erit afferre S. Auguſtini auctoritatem, qui ſermone 5. *de luct. Iacob.* ait, *Dilige inimicum tuum, dicit Dominus. ...., res in corde eſt ... Deus videt ſi diligis*. Igitur non viſum eſt S. Doctori, præcepto de inimicis diligendis per actum mere exteriorem ſatisfieri poſſe.

Quare cum probatio Dilectionis exhibitio ſit operis, cum inimici noſtri ut noſtri proximi vere diligendi ſint, hinc id omne quod debemus proximo, iiſdem quoque præſtare debemus, ſcilicet ex charitate tenemur erga inimicos ad ea omnia officia tum particularia quæ pro ſpirituali ſive corporali aliorum bono, & ſalute præſtare debemus, tum communia quæ præſtare debemus aliis eiuſdem ſtatus; ut Chriſtiano quæ a quovis Chriſtiano debentur, a Concive Concivi, a Cognato Cognatis &c. quæ dicuntur ſigna communia reſpective; ita ut ſemper parati ſimus eis exhibere dilectionis ſigna, non obſtante quacumque offenſa nobis illata, etiamſi veniam non petant; immo in odio contra nos perſiſtant, ut habemus Eccleſiaſt. 10. *Nihil agas in operibus iniuriæ*; idcirco nunquam licet eis malum velle quatenus malum, ut antea notavimus, nec de malo eorum ut malo gaudere, nec de eorum bono triſtari.

Tenemur eos non excludere ab actu charitatis interno, quem generatim elicimus erga proximos, immo tenemur in particulari hos determinate diligere quoties adſit periculum, ne propter gravem iniuriam ab illis acceptam eos oderimus, ac iiſdem malum optemus; quia tunc amor eſt remedium neceſſarium ad præcepti obſervantiam.

Debemus inimicis benefacere; pro iiſdem orare in particulari quidem quando urget neceſſitas, & extra neceſſitatem in communi, idcirco non licet excludere inimicum a communibus orationibus, eleemoſyna, reſalutatione, reſponſione ad interrogata, expoſitione mercium & venditione. Hæc enim ſunt beneficia communia ac proinde ſigna communia amoris erga proximum. Ita D. Thomas 2. 2. q. 25. art. 9. Unde ab hiſce excluſio eſt vindicta illicita privato, & ſignum odii ſcandalum præbens, graviſque violatio charitatis.

Cir-

Circa vero ſalutationem inimici antequam ipſe ſalutet, in hoc non conveniunt Theologi. Alii enim excuſant a culpa non ſalutantem inimicum quando prius ab ipſo non ſalutetur. Volunt enim id non eſſe ſpeciale benevolentiæ ſignum, cum non omnes teneamur primi ſalutare. Alii e contra ſanius ac probabilius cenſent lethale, non ſalutare inimicum niſi prius ſalutemur ab ipſo, præcipue ſi antea conſueverimus nos primi eum ſalutare; nam tunc omiſſio ſalutationis eſt indicium internæ inimicitiæ: niſi forte aliqua notabilis circumſtantia ſecus facere prudenter compelleret. Et revera omittere ſalutationem eſſet lethale, ſi in gravem inimici iniuriam hoc redundaret, ſi ex hoc ſcandalum oriretur, ſi ſpes adeſſet animum inimici ſalutatione conciliare. In hiſce caſibus igitur tenetur offenſus primus inimicum ſalutare, aut alloqui, quando antea hoc facere conſueverat. Quocirca non videtur excuſandus, niſi prudenter prævideatur hoc benignitatis officio inimicus abuſurus.

Si inimicus exhibeat offenſo ſpecialia dilectionis ſigna, tenetur offenſus conſimilibus officiis correſpondere per ſe loquendo; ita ut ea omittendo ſignificaretur animus non ſufficienter pacatus. Eadem quoque ſunt exhibenda inimico conſtituto in caſu neceſſitatis, ſicuti docet D. Thom. ſupra relatus 2. 2. *q. 25. art. 9.* Immo exhibenda ſunt quandocumque neceſſaria æſtimentur ad gravem odii tentationem cohibendam, necnon ad evitandum ſcandalum, ſi ex eorum denegatione ſecuturum prævideatur. Duo igitur præ oculis ſemper habenda ſunt in memoratis ſignis, aut negandis, aut exhibendis, videlicet interior intentio, & exterior ſignificatio. Etenim quoad internam intentionem manifeſte patet, quod illa negare, quæcumque illa ſint, ex deliberata abominatione perſonæ, ſive animo illum graviter affligendi, irridendi, aut exacerbandi, ſemper eſt lethale; eo quia huiuſcemodi animus ſeu intentio directe, & notabiliter opponatur præcepto charitatis, licet forſan ſignum quod denegatur ſecundum ſe notabile non ſit. Circa vero ſignificationem exteriorem, omiſſio huius ſignificationis, tametſi deſit intentio mortaliter prava, mortalis erit, ſi ex eadem omiſſione graviter contriſtetur inimicus, irritetur, ſcandalizetur, & in inimicitia obdureſcat; ſi aliis occaſio ſit ſcandali; quia in his circumſtantiis huiuſcemodi omiſſio graviter Charitatem lædit, niſi aliqua interveniat circumſtantia, quæ prudenter compellat ad potius retinenda pro aliquo tempore memorata ſigna, quam ad eadem exprimenda. Verum in tali caſu optimum erit ut conſulantur viri docti, ac pii, ut evitetur violatio tam gravis præcepti; & iuxta exemplum Chriſti Domini Magiſtri noſtri, in hiſce caſibus melius eſt ſemper abundare, quam parce ſe gerere.

§. III.

De modo tenendo in ineunda reconciliatione.

Cum quiſque omnimode teneatur curare ut impleatur præceptum Charitatis de mutua dilectione quæ inter proximos intercedere debet, ac proinde nec occaſionem quis præbere debeat quod violetur, nec impedimenta apponere, ne violata reſtituatur; hinc qui proximum graviter offendit procul dubio tenetur ſub mortali quamprimum moraliter prudenterque poſſit, illis humiliationibus, ſatisfactionibus, aut reſtitutionibus ſe ſubmittendo, quæ a prudentibus & Chriſtianis viris reſpective opportunæ iudicabuntur, procurare reconciliationem. Sic communiter ſentiunt DD. Quare non tenetur offenſor ad compenſationem longe maiorem, niſi forſan ex Iudicis ſententia in pœnam eidem imponeretur; immo ne quidem tenetur ad æqualem actu exhibendam, quando moraliter certus eſſet quod illa ab offenſo reiiceretur: in huiuſcemodi enim caſu ſatis eſſet ut ſuam promptitudinem animi ad eam exhibendam, quandocumque illi placuerit, eidem ſignificaret. Offenſor non videtur teneri ad veniam perſonaliter petendam, niſi quando alia ſufficiens ſatisfactio non adeſſet; quod iudicio prudentum, attenta conditione perſonarum, locorum, conſuetudinum, & offenſionum, mature decernendum eſt; dummodo tamen a Iudice non obligaretur. Si duo ſe invicem offenderint, & offenſæ prudentum iudicio æquales cenſeantur, neuter veniam petere tenetur; tenentur tamen ſe invicem reconciliare, ſigna ſpecialis benevolentiæ, vel immediate per ſe ipſos, vel mediate per amicorum interpoſitionem viciſſim exhibendo. Prior vero ad hæc ſigna præſtanda eſſe debet, qui aut ætate eſt iunior, aut conditione inferior, &c. Quod ſi quoad omnia æquales eſſent, tunc conſulendi ſunt periti in arte inimicitias reconciliandi. In reconciliationibus, ut veræ ſint, ſemper præſupponitur interior animi reconciliatio, ac ſincera interior pœnitentia de offenſa irrogata.

Qui ab aliquo offenſam aliquam paſſus eſt, tenetur ſub mortali ad internam animi reconciliationem, nedum negativam, cum nunquam licitum ſit velle malum inimico; verum etiam poſitivam, oſtenſam actu interno remittendo iuxta præceptum Chriſti Domini, quo præcipitur reconciliatio actu poſitivo interno amoris & remiſſionis, *Diligite* (hæc ſunt verba Chriſti Domini) *inimicos veſtros*, *benefacite iis, qui oderunt vos*. Hæc enim verba nedum ſignificant depoſitionem odii, & ſpiritus vindictæ, ſed etiam actum poſitivum dilectionis & benevolentiæ, necnon beneficentiæ quoad ſigna communia aut ſpecialia reſpective, ſicuti ſuperius dictum eſt. Hæc autem omnia præſtanda ſunt ab offenſo erga ſuum inimicum, licet ipſe in inimicitia perſeverare vellet. Ita communiter DD. Quoad reconciliationem vero externam, ad hanc tenetur offenſus ſub mortali, quando offenſor petat reconciliari condignas ſatisfactiones exhibendo, ac eidem offenſo ſpecialis benevolentiæ ſignis eandem debet ſignificare. Dixi *ſignis ſpecialis benevolentiæ*, quia ad ſigna communia etiam ante tenebatur. Quod ſi offenſus ſit longe conditione ſuperior, poſſet hic, non ad vindictam, ſed tantummodo ad validiorem offenſoris correptionem fraternam, reconciliationem differre, ſed in hoc uti debet conſilio docti, ac pii Theologi. Inſuper cavendum videtur, ne nimis intempeſtive reconciliatio petatur, nempe ſtatim ac gravis offenſa illata fuit: etenim videretur tentatio nimis violenta humanæ imbecillitati, aiunt DD. aliqui, obſtringere offenſum ad hanc exteriorem reconciliationem adhuc flagrante facinore. Dicitur notanter *ad hanc exteriorem*; quia ad interiorem negativam, & ſtatim, & ſemper quiſque tenetur; immo & ad interiorem poſitivam, caſu quo exponeretur periculo proximo labendi in actus internos odii, vindictæ &c. Cæterum quoties offenſor reconciliationem cum ſuis opportunis circumſtantiis petat, nequit eam læſus denegare, ſive differre ſub mortali, ſicuti omnes communiter docent, ut ſupra diximus, & ratio eſt, quia tunc eam denegare eſt omnino irrationabile, & repugnat Chriſti præcepto; & eſt manifeſtum argumentum ſeu ſignum interioris odii & malevolentiæ.

Quomodo vero ſe gerere debeat offenſus, dum offenſor incidit in manus Iudicis, ideſt num poſſit inſtare apud Iudicem ut puniatur: Regulam præſcribit D. Angelicus 2. 2. *q.* 108. *art.* 1. videlicet quando offenſor ſit publicus malefactor, occiſor, fur &c. poſſe offenſum ex mera, & ſimplici intentione boni communis, publicæ quietis, iuſti aliorum malefactorum terroris cooperare ad ipſius offenſoris punitionem; non poſſe vero animo chriſtianæ charitati contrario cooperari ſui inimici malefactoris punitioni, ex ira e. g. ex privata ſatisfactione ſui furoris, aut alio ſimili motivo. Unde cum non ſit adeo facile ut læſus, præcipue dum adhuc indignatio fervet, rectum habeat animum erga dictum ſuum offenſorem; idcirco maxime eo tempore conſcientiæ ſuæ cautius proſpiciet, ſi poſitive non cooperetur eiuſdem punitioni, ſed permiſſive ſe habeat, & quidem ſolo communis boni intuitu, relinquendo Iudici munus ſuum implere.

Non tenemur remittere inimico debitam ſatisfactionem honoris, *famæ*, *pecuniæ*, ſicuti antea notavimus; quia hoc non eſt vindicta, ſed iuris uſus. Etenim læſus ius habet ad congruam ſatisfactionem, & tale ius per legitimam poteſtatem proſequendi. Et hæc compenſatio non expetitur ut malum inimici, ſed quatenus in noſtrum iuſtum bonum cedit; & malum noſtrum iniuſtum expellit. Ideo licet eum convenire actionibus tam civilibus pro ſatisfactione damni, vel iniuriæ illatæ; quam criminalibus, vel ob publicum bonum, ne aliis noceat, vel ne impunita maneant crimina cum Reipublicæ damno. Si inimicus huiuſcemodi ſatisfactionem offerat, quæ prudentum iudicio æqua ſit, tenemur ex Charitate eam acceptare, nec tunc licet iudicem interpellare, dummodo tamen non ſit Reipublicæ noxius, nec periculum inſit ut alios etiam offendat.

Vindicta facta privata auctoritate malum pro malo reddendo, ſemper eſt illicita; quia talis vindicta eſt non tantum contra Charitatem, ſed etiam contra iuſtitiam; quia eſt uſurpatio alterius, ſeu ſuperioris poteſtatis, ad quam ſolum ſpectat punire; & quiſque ius habet ne puniatur ab eo qui nullam tenet ſuper ipſum auctoritatem & iuriſdictionem. Quinimmo iuxta antea dicta, illicita eſt vindicta etiam facta auctoritate iuſta & legitima, ſi ſumatur ut eſt inimici malum; quia eſt actus odii nunquam liciti.

§. IV.

De Ordine in Charitate ſervando.

Quod ordo Charitatis reſpectu diligendorum ſervandus ſit, utpote qui cadat ſub præcepto, extra omnem controverſiam communiter ſentiunt omnes Theologi cum D. Thoma loco cit. art. 8., & eo vel maxime quod ab ipſa divina Scriptura præſcribitur, præcipue Cantic. 2. *Ordinavit in me Charitatem* & S. Auguſtinus *lib. de doct. Chriſt. cap.* 27. ſic docet: *ille dumtaxat juſte, & ſancte vivit, qui ordinatam dilectionem habet; ne amplius diligat quod minus eſt diligendum, aut æque diligat, quod vel minus, vel amplius diligendum eſt:* Et ratio eſt; quia obiecta diligenda & optanda non ſunt inter ſe æqualia, & Deus vult ut aliquos, nempe qui nobis coniunctiores ſunt, plus diligamus. Ad tollendam vero omnem æquivocationem notare oportet, duplicem ordinem in dilectione ſervandum eſſe, unum circa perſonas, alterum circa res, ſeu bona. Circa perſonas tenetur homo prius amare Deum, poſtea ſe ipſum, tandem proximos. Circa vero bona diligibilia, ideſt optanda ac volenda nobis & aliis, tres ſunt ordines: primum tenent bona ſupernaturalia, gratia ſcilicet, virtutes, merita, gloria æterna. Secundum bona corporis ſeu naturalia, ſanitas membrorum, incolumitas &c. Tertium tenent bona temporalia ſeu exteriora, nempe fama, honor, dignitates iuſte acquiſitæ, pecuniæ ſtatui cuiuſque decentes. Item obſerva, quod inter bona generaliter bonum totius ſeu commune præferendum ſit bono partis & particulari.

Duplex ordo ſervandus eſt in dilectione.

Tenetur homo prius & magis Deum quam ſe ipſum, & proximum diligere; tum obiective, tum appretiative, tum etiam intenſive in aliquo ſenſu: Etenim aliquem magis obiective diligere eſt ei maius bonum velle, ſive per complacentiam, ſive per deſiderium: maius vero bonum Deo velle debemus per complacentiam, ſcilicet magis in infinitis eiuſdem perfectionibus complacere, de iis amplius gaudere, & de earum (liceat dicere) poſſeſſione Deo gratulari debemus; & per deſiderium; quia maiorem gloriam quam cuilibet vel omnibus ſimul creaturis, ei velle & optare tenemur iuxta illud Apoſtoli Rom. 16. *Soli Deo honor, & gloria.* Plus autem unum quam quævis alia ille æſtimative diligit, qui ita affectus eſt, ut malit cætera omnia amittere, quam hoc unum; ſic autem debet homo Deum diligere, ut velit mundum totum potius quam Deum perdere, iuxta illud Chriſti Matthæi 10. *Qui amat Patrem, aut Matrem pluſquam me, non eſt me dignus.* Et ratio eſt manifeſta, quia ſi amare debemus Deum ſuper omnia, profecto non poſſumus eum diligere ſuper omnia, niſi amor ſit appretiative maior quocumque alio amore. Nam ille ſolum eſt amor vere & integre ſuper omnia, per quem ſic obiecto alicui adhæremus, ut non ſolum nihil ei præferamus, vel adæquemus, ſed omnia quoque ad eum tamquam ad finem cur referamus. Quod vero diligere debeamus Deum ſuper omnia, ideſt ſuper omnes creaturas & ſupra nos ipſos etiam intenſive; hoc intelligendum eſt non de amore intenſive ſummo, quod non convenit dilectioni finitæ, quæ ſemper creſcere poteſt, ſed intelligendum eſt in hoc ſenſu, ut quoties urgeat præceptum amandi Deum, toties maiori fervore in eum tendere debeamus, quam in quodlibet aliud obiectum; quia iubemur Deum diligere quanto poſſumus conatu & fervore, ſcilicet ex totis viribus, & ex tota fortitudine. Et revera ſi Deum ſuper omnia diligere debemus appretiative, ita certe eum diligere non poſſumus, niſi etiam intenſive eum diligamus; quia amare Deum ſuper omnia appretiative, quando talis amor mendax non ſit, neceſſario importat amorem Dei, amore quocumque creaturæ intenſiorem.

Tenetur homo prius Deum, quam ſe ipſum & proximum diligere.

Poſt amorem erga Deum, unuſquiſque magis ſe ipſum diligere abſolute tenetur quam proximum. Ita D. Thomas *q.* 26. *art.* 4. & *q.* 44. *art.* 8. *ad* 2. Et hoc probat illud Matthæi 22. *Diliges proximum tuum ſicut te ipſum.* Hic enim amor ſui proponitur pro regula & exemplari amoris erga proximum; regula autem eſt prior ac potior regulato, ideoque præceptum diligendi ſe ipſum includitur in præcepto dilectionis proximi. Quare quilibet in ſpiritualibus bonis debet magis ſe ipſum diligere quam proximum, ita ut ſibi prius velit, & comparet gratiam Dei, amicitiam, virtutes, æternamque beatitudinem, quam cuilibet alteri; cum bona hæc omnium maxima ſint, & ſumme neceſſaria. Ideoque ante omnia propriæ ſpirituali ſaluti noſtræ incumbere, & conſulere debemus.

Quiſque plus abſolute debet diligere ſe ipſum, quam Proximum.

Urgente quacumque corporali neceſſitate æquali non tenemur ſubvenire potius alteri privatæ perſonæ quam nobis ipſis; ideſt prius nobis ex charitate providere debemus quam aliis, niſi occurrat motivum alterius vit-

virtutis; quia iuxta Domini præceptum non tenemur diligere proximum pluſquam nos ipſos, ſed tantum ſicuti nos ipſos, & ne quidem æqualiter, ut iam vidimus, ſed ſolum proportionaliter. Unde S. Auguſtinus *lib. de mendacio cap. 6.* ait: *ſi pro illius temporali vita, ſuam ipſam temporalem perdat, non eſt iam diligere ſicut ſe ipſum, ſed pluſquam ſe ipſum, quod ſanæ doctrinæ regulam excedit*; & ita docet etiam D. Thomas 2. 2. *q. 26. art. 5. ad* 3. Dixi conſulto *privata perſona*; nam id laudabile eſſet pro tuenda vita Principis, vel alterius perſonæ publico bono admodum utilis; quia tunc intervenit motivum alterius virtutis; immo quiſque ſubditus pro bono reipublicæ tenetur certo periculo vitam propriam exponere. Nam membrum ſeu quælibet pars periculo exponi debet pro conſervatione totius corporis. Sic cenſent alii cum D. Thom. licere aliquando propriam vitam exponere pro conſervatione vitæ alterius proximi, non tamen ob bonum vitæ proximi, quam nemo debet propriæ vitæ præferre, ſed ob ſpeciale virtutis exercitium, quando in aliquibus circumſtantiis exurgit ex alio titulo; ut ſi vita illius pro quo propria exponitur ſit utilior ad promovendam gloriam Dei, vel ſi hoc fiat pro Parente, vel inſigni Benefactore ad ſtrenuum opus pietatis & gratitudinis, quia actus Chriſtianæ virtutis qui in talibus circumſtantiis exercentur ſunt maius bonum, quam vita temporalis propria.

Tenetur quiſque ex Charitate magis diligere proximum in ſpiritualibus, quam ſe ipſum in corporalibus. Cum enim quiſque teneatur diligere proximum ſicut ſe ipſum, & quilibet in ſe ipſo magis diligere debeat animam quam corpus; idipſum dici debet reſpectu proximi; quia anima etiam proximi ſecundum rectam rationem magis amabilis eſt, quam corpus proprium. Anima enim eſt imago Dei, divinæ particeps bonitatis quæ eſt obiectum formale Charitatis, & æternæ beatitudinis capax. Unde debemus etiam cum periculo vitæ corporalis propriæ ſubvenire ſaluti ſpirituali proximi poſitæ in extremo periculo, niſi per opus noſtrum ſuccurratur, dummodo ſit ſpes illum iuvandi; quia cum bonis noſtris omnibus temporalibus illa pretioſior ſit, idcirco illis præferenda eſt. Ita communiter DD. & ſententia hæc firmatur exemplo ac doctrina Chriſti, qui ſicuti diligendo nos dedit ſemetipſum hoſtiam pro nobis ideſt pro noſtra æterna ſalute; ſic nobis præcepit quod eodem modo alios diligamus dando vitam noſtram pro aliis, *nos debemus pro fratribus animam ponere*. Etenim tenemur amare proximos ſicut nos ipſos, qui in periculo noſtræ æternæ ſalutis, vitam & omnia temporalia bona exponere debemus ut ipſi provideatur.

Idcirco tenemur baptizare infantem moriturum cum propriæ vitæ damno & periculo, ſi alius deſit qui hoc faciat. Itidem ſi cognoſcamus aliquem qui extet in peccato mortali interficiendum eſſe in ſomno, & nihil ipſo de hoc ſciente, vitæ ipſius periculo ſubvenire debemus; dummodo prudenter iudicemus illi profuturum; nam cæteroquin nemo tenetur ad opus prorſus inutile cum tanto damno. Similiter tenemur ſuccurrere cum periculo etiam vitæ Communitati in gravi ſpirituali neceſſitati conſtitutæ: quia gravis neceſſitas communitatis æquivalet neceſſitate extremæ privati. Nam in gravi neceſſitate communitatis probabiliter multi pereunt niſi ſubveniatur; ideoque graviſſimum eſt malum hoc cui ſuccurrendum eſt etiam cum vitæ periculo. Quare ſi quis hæreſim alicubi diſſeminaret, debemus etiam cum vitæ periculo impedire ſi poſſimus, & alius non impediat. Sicuti etiam ſi in perſecutione vel hoſtili incurſione plebs aliqua careret Sacerdote, & gravi periculo eſſet expoſita peccandi, currit obligatio etiam cum periculo vitæ ei ſubveniendi, & ita ad omnes ſimiles caſus ratio eadem eſt extendenda; dummodo tamen hæ verificentur conditiones, nempe quod ſit ſpes prudens tuam operam illis profuturam; quod inde grave damnum non ſequatur, puta ſi ut uni aſſiſteres, multos æque indigentes deſerere compellereris; dummodo ſalus animæ tuæ gravi non exponatur periculo; dummodo neceſſitas ſpiritualis proximi ſit extrema; quia in gravi tantum neceſſitate ſpirituali videtur nimis dura huiuſcemodi obligatio. Sic reſpective docent doctiſſimi ac graviſſimi DD. Suarez. Sot. Navar. aliique, & ea intelligenda ſunt de obligatione ex ſolo titulo Charitatis procedente. Quare

Strictius profecto urget titulus iuſtitiæ; Paſtores namque animarum, Epiſcopi nempe, Parochi & quicumque alii quibus animarum cura ex officio incumbit, hi omnes tenentur nedum in neceſſitate earum extrema, ſed etiam in gravi exponere propriam vitam pro ſpirituali ovium ſalute; ipſi enim ad hoc præcipue proviſi ſunt redditibus, ac ſtipendiis conducti ſunt. Nihilominus tamen ipſis quoque Paſtoribus nonnulla quoad hoc eis conceditur œconomia; ne ſcilicet vitam inconſiderate prodigant, ut ex-

inde

Digitized by Google

inde alii plurimi adiutoribus deſtituti, evidenti animæ periculo relinquantur: quamobrem ita ſubvenire tenentur periclitantibus, ut quatenus neceſſitas patitur, etiam aliis indigentibus præſto eſſe poſſint.

Obligatio curandæ etiam cum vitæ periculo proximorum ſalutis fortius ſtringit, quando ex meo delicto ſalus animæ proximi certo aut probabili periculo relicta fuerit, puta ſi alteri hæreſim ſuaſiſſem, ac ipſe ob hoc catholicam Fidem reliquiſſet; etenim tunc tenerer etiam cum periculo vitæ catholicam fidem eidem perſuadere. Item ſi aliqua obſtetrix, vel quia Athea, vel Saga, vel ob aliquod aliud motivum invalido Baptiſmo infantes baptizaſſet; hæc profecto etiam cum vitæ diſcrimine hoc graviſſimum ſcelus manifeſtare teneretur, tum ad conſulendum illorum ſaluti, quos invalide baptizaverat, tum ad præcavenda damna ſpiritualia pene innumera, quæ animabus aliis imminerent, ſi aliqui illorum non baptizatorum Sacerdotio initiarentur, Confeſſionibus excipiendis deſtinarentur, ad Epiſcopatum promoverentur. Etenim nemo profecto ambigere poteſt, naturalem vitam huiuſcemodi indignæ tot tantiſque animarum damnis fore poſtponendam, ac proinde hanc declarationem a Confeſſario graviter eidem inculcandam.

§. V.

De ordine dilectionis ſervando erga Proximos inter ſe.

Circa talem ordinem ſecundum ſententiam D. Thomæ loco cit. art. 7. ſanctiores amore complacentiæ ſeu amore mere affectivo magis diligere debemus quam alios; quia ſunt Deo coniunctiores amici, ac ſecundum ſe amabiliores. Ipſis etiam debemus velle maiorem gloriam ſecundum maiorem gratiam ſanctificantem quam poſſident, quæ eſt gloriæ menſura.

De ordine in amore proximi.

Quoad amorem vero affectivum & ſimul effectivum, quo ſcilicet aliis effective benefacimus, conſanguinei ſecundum varios gradus in pari neceſſitate aliis quamvis melioribus quoad bona temporalia & ſpiritualia præferendi ſunt; quia ad hoc inclinat charitas propter naturalem coniunctionem, quæ ut prior, ac aliis omnibus præſuppoſita ordine naturæ, firmiorque & immobilior, utpotequæ, in natura ipſa fundata ſit, priorem locum poſtulat in dilectione quoad bona amicia appetibilia. Ordo enim Charitatis non invertit ordinem naturæ, immo illum perficit. *Cum omnibus prodeſſe non poſſis* (ait S. Auguſt. lib. 1. *de Doct. Chriſt.* cap. 28.) *his potiſſimum conſulendum eſt; qui conſtrictius tibi iunguntur.* Et ita docet etiam S. Thom. cit. loco art. 8.

Poſt hos autem cæteri ſecundum varios gradus coniunctionis, affinitatis, amicitiæ, ſocietatis præferendi ſunt extraneis. Etenim quam ipſa dictat magis diligendos coniunctos ratio extraneos, magis coniunctiores, quam minus coniunctos, & a charitate ipſa ad talem ordinem ſervandum inclinamur. Reipublica tamen, & Patria præferenda ſunt parentibus, quæ huiuſce totius ſunt partes; quia ſicuti totum parti, ſic bonum totius bono partis præferendum eſt.

Inter conſanguineos vero propinquiores cæteris paribus ſunt anteponendi. Etenim ſicuti conſanguinei ob naturalem coniunctionem pluſquam alii ſunt diligendi, propinquiores ob maiorem naturæ vicinitatem plus quam minus propinquos, cæteris paribus, diligere debemus. Inter Conſanguineos autem qui nobis æque coniuncti ſunt, digniores ſunt præferendi, ſcilicet habentes in Cognatione aliquam eminentiam plus diligere debemus; quia hoc ipſo maiorem merentur dilectionem.

Quare ex conſanguineis Genitores in neceſſitate extrema, quando vita periclitetur, præferendi ſunt Filius & Uxori aliiſque omnibus, ut ex S. Thom. q. 26. art. 11. Hi enim præter communionem ſanguinis & coniunctionem propter quam filius eſt aliquid Genitorum, habent eminentiam principii, utpote qui ſint principium noſtri eſſe, quod eſt ſummum beneficium, nec non fundamentum ad omnia alia beneficia recipienda. Extra tamen neceſſitatem extremam, & quando agatur de proprio ſtatu ſervando, Uxor & filii non emancipati, ut multi ſentiunt, præferendi ſunt parentibus propter arctiorem in victu, & vitæ communis ſocietate coniunctionem. Ita inſinuare videtur S. Thomas 2. 2. *q. 26. art.* 9. ubi poſtquam ſtatuit quod ex parte diligentia filius magis quam Pater diligendus ſit, ad 2. docet: *quod Filiis magis debetur cura proviſionis:* ubi ly *magis* intelligendum eſt per comparationem ad Genitores, de quibus in articulo ſciſcitabatur. Quoad Uxorem vero dicitur Matthæi 19. ex Gen. 2. *Dimittet homo patrem, & matrem, & adhærebit Uxori ſuæ.* Quæ intelliguntur quoad amorem ſenſibilem, & intenſivum, quoad cohabitationem, & quoad conſervationem ſtatus. Hoc enim exigit familiarum bonum & Reipublicæ. Quare Pater cæteris paribus

bus præferendus eſt Matri, quia utpote prima cauſſa generationis, eſt cauſſa principalior & nobilior eſſe noſtri naturalis, & eſt caput familiæ, cui ſpectat cura liberorum, idcirco maior honor ei debetur & amor. Uxor filiis eſt præferenda; quia eſt una caro cum marito, & principium liberorum, ac proinde etiam Uxor quoad prædicta capita Genitoribus erit præferenda; immo in pari neceſſitate etiam filiis. Idcirco in aliquo gravi periculo vitæ filius tenetur Patrem præ omnibus aliis liberare, uxorem præ filiis. Filii cæteris omnibus præferri debent, quia cum a ſubſtantia parentum procedant, ſunt ipſis coniunctiores; Fratres cognatis, propter viciniorem Carnis coniunctionem.

Circa vero extraneos, meliores aliis ſunt præferendi; quia ob maiorem ſanctitatem ſunt magis Deo ſimiles ac coniuncti, & ideo prius eſt amabilis iuſtus peccatore, Fidelis infideli ob maiorem ſpiritualem coniunctionem. Similiter perſona publica, vel bono communi valde utilis locum habere debet a privata; quia bonum commune utpote multorum præferendum eſt bono privati, quod eſt unius vel paucorum. Sic etiam benefactores præferre debemus aliis.

Hæc tamen intelligenda ſunt in pari neceſſitate. Nam extraneus in maiori neceſſitate conſtitutus præferri debet propinquo longe minus indigenti. Ita extraneus in gravi ſpirituali neceſſitate præferendus eſt conſanguineo gravem neceſſitatem corporalem patienti. Tunc enim neceſſitas extranei maior eſt ob indigentiam boni magis neceſſarii, & charitatis præceptum non obligat ad benefaciendum aliis niſi in caſu neceſſitatis; ideoque cum teneamur diligere proximum in ſpiritualibus magis quam nos ipſos in temporalibus; ita magis tenemur diligere extraneum in ſpiritualibus, quam conſanguineum in temporalibus. Unde conſulenda eſt prudentia, ut illi amore effectivo & operoſo anteferantur in pari neceſſitate, & quando omnibus ſubveniri non poteſt, illi præferendi ſunt, qui attentis circumſtantiis perſonarum, temporum, locorum &c. ſunt digniores.

Obligatio porro ſervandi hunc ordinem ex genere ſuo gravis eſt, eo quia naſcatur ex præcepto Charitatis graviſſimo, cuius etiam materia & finis gravis eſt.

§. VI.

De operibus ſeu officiis Charitatis.

Actus Charitatis ſecundum D. Thomam hic *q. 27. art. 1.* alii ſunt interni, videlicet amor, gaudium, pax animi, & miſericordia. Alii externi, ideſt beneficentia, fraterna correctio, & Eleemoſyna. Amor non ſumitur hic paſſive, ſed pro actu quo voluntas noſtra Deum proſequitur & proximum; de quo iam ſupra. Gaudium vel ſumitur pro ſenſu lætitiæ de divinis bonis; quatenus in Deo ſunt iuxta immutabilem & infinitam ipſius perfectionem; vel ſumitur pro ſuavi affectu animæ in bono divino per amorem poſſeſſo quieſcentis. Quocumque ſenſu gaudium accipiatur, nunquam in præſenti vita, ſed in futura ſolum perfectum erit, cum facie ad faciem Deum videbimus, & replebitur in bonis deſiderium noſtrum. *Pax animi*, quam S. Auguſtinus *l. 19. de Civit Dei cap. 13.* vocat ordinis tranquillitatem, conſiſtit in duplici unione orta a Charitate, prior quarum noſtrum inferiorem appetitum ſuperiori ſubmittit, atque coniungit, & ſuperiorem Deo; poſterior vero voluntatem noſtram, eorum cum quibus nobis agendum eſt voluntati conſentaneam facit. Miſericordia eſt efficax compaſſio alienæ miſeriæ, eiuſque præſertim, quam quis involuntarie patitur, cum voluntate nempe miſeros ſuccurrendi. Quatuordecim a Theologis miſericordiæ opera recenſentur: ſeptem corporalia, videlicet infirmum viſitare, potare ſitientem, eſurientem paſcere, captivum redimere, veſtire nudum, colligere hoſpitem, mortuum ſepelire. Totidem quoque ſunt ſpiritualia, ideſt dubitanti conſilium dare, corrigere peccantem, ignorantem docere, conſolari triſtem, offendenti remittere, oneroſum ſuſtinere, pro omnibus orare: Priora exprimuntur hoc verſu.

Quid miſericordia.

Viſito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.

Poſteriora hoc alio. *Conſule, plecte, doce, ſolare, remitte, fer, ora.*

Hæc ſpiritualia miſericordiæ opera non in ſola mente conſummantur, ſed ad exteriores charitatis actus, & ad tres ſupra ſignatos revocari poſſunt.

Beneficentia eſt actus exterior, quo ex Charitatis affectu beneficium alteri conferimus; ſic S. Thom. quem adeat, qui pleniorem horum ſcientiam percipere exoptet 2. 2. q. 28. & ſeq. Immo conſulere poteſt etiam

Digitized by Google

iam inſignem eius interpretem Sylvium; nobis hic ſatis erit agere de Eleemoſyna, & fraterna correctione, iuxta aliorum ſtylum.

§. VII.

De Eleemoſyna.

Cum dilectio Charitatis ſit dilectio benevolentiæ ac beneficentiæ; hinc poſtquam actum eſt de ſubiecto, obiecto, actu principali dilectionis ac illius ordine, cum inter actus beneficentiæ includatur Eleemoſyna, & hæc opus ſit permaxime neceſſarium Charitatis, operæ pretium eſt de hac peculiariter agere.

Eleemoſyna idem ſonat quod Græce *miſeratio*, cum miſeratio derivetur a Miſericordia non ſecus ac & Eleemoſyna, ut ex D. Thoma 2. 2. *q.* 33. *art.* 5. ubi eleemoſynam definit; *opus, quo datur aliquid indigenti ex compaſſione propter Deum.* Dicitur *ex compaſſione*: & hoc denotat motivum formale ſpecificum miſericordiæ: Additur *propter Deum*, ut denotetur Eleemoſynam imperatam eſſe a Charitate, cui miſericordia ſubiicitur, & Eleemoſynam non ſolum actum eſſe moralem, ſed etiam meritorium vitæ æternæ. Igitur Eleemoſynæ nomen dupliciter ſumitur, ideſt vel latius pro omni actu miſericordiæ, vel ſtrictius pro eo actu quo aliquid ex miſericordia datur, iuxta allatam D. Thomæ definitionem. Eleemoſyna hoc ſenſu accepta multiplici nomine exprimitur in Scripturis; Nam aliquando vocatur iuſtitia, ut Matthæi 6. *Attendite ne faciatis iuſtitiam* (vel ut legit Chryſoſtomus *Eleemoſynam*) *veſtram coram hominibus*: Et Pſalmo 111. *Diſperſit dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi.* Quandoque appellatur gratia, ut Eccli. 17. aliquando benedictio, & ſæpius Charitas &c.

§. VIII.

De Præcepto Eleemoſynæ.

Nota 1. Manichæi ſenſiſſe videntur, Eleemoſynam nequidem conſuli, nedum imperari; cum teſte S. Auguſtino l. 20. *contra Fauſt.* cap. 16. interdicerent panem mendicanti porrigere.

Nota 2. triplicem eſſe Proximi indigentiam, ideſt alia eſt *extrema*, ut quando imminet mors, vel mutilatio, niſi ei ſuccuratur. Alia *gravis*, quando niſi proximo ſubveniatur, non poteſt evitare grave malum, ut captivitatem, gravem infamiam, amiſſionem ſtatus vel dignitatis, iacturam notabilem bonorum, magnam miſeriam, quæ reddat vitam graviter moleſtam. Alia *communis*, quæ aliquem parit incommodum in neceſſariis ad vitam, vel ſtatum; non reddit tamen vitam graviter moleſtam habita ratione ſtatus, & conditionis patientis, qui notabiliter non decidit a ſtatu ſuo; ita ut laborando, aut cum aliqua ſollicitudine, ac anxietate indigentiis ſuis providere valeat. Et hæc eſt neceſſitas pauperum, qui communiter emendicare ſolent, aut illorum, qui ut ſe, ſuoſque ſuſtentent, duro labori operam dare coguntur: nec illi emendicando, nec iſti laborando decidunt a proprio ſtatu.

Hæc intellige reſpectu illorum quibus elargienda eſt Eleemoſyna. Alia tria notanda reſtant, quæ obſervanda ſunt ab iis, qui Eleemoſynam elargituri ſunt, ſuper bona quæ iſti poſſident. Nam hæc triplici modo conſiderari, ac dici poſſunt neceſſaria, vel ſuperflua. Alia enim neceſſaria ſunt naturæ ſeu vitæ, ſine quibus vita noſtra, nec aliorum quibus cura nobis incumbit, conſervari poteſt. Alia dicuntur neceſſaria ſtatui, ſine quibus perſona ſecundum præſentem ſuum ſtatum, ac ſuorum iuſte acquiſitum convenienter vivere non poteſt. Et hæc alia ſunt neceſſaria ſtatui ſimpliciter, ſine quibus a ſtatu decidendum eſſet: Alia neceſſaria ſtatui ſecundum quid, ideſt quoad decentiam, ſine quibus licet ſtatus abſolute conſervaretur, non conſervaretur tamen ea honeſta decentia, qua conſervari conſuevit. Idcirco neceſſarium ſtatui complectitur omne id quod requiritur ad onera familiæ ſuſtinenda, ad conveniens famulatitium, ad filios alendos, filias dotandas, honeſtas donationes faciendas, ad hoſpitalitatem, ad honeſtas recreationes, immo ad talem ſtatum conſervandum in quolibet calamitoſo caſu probabiliter eventuro, quales ſunt infirmitates, ſterilitates, bella, quæ probabiliter evenire ſolent. Dicitur *probabiliter*; quia attendi non debet ad omnes caſus etiam poſſibiles. Idemque intellige etiam de neceſſariis ad vitam. Sic D. Thomas 2. 2. *q.* 32. *art.* 5. *ad* 3. Deduces igitur, duos eſſe ſuperfluitatis gradus, ideſt ſuperfluum naturæ & vitæ, ſine quibus vita propria & ſuorum congruenter ſuſtentari poteſt: hæc tamen non ſunt ſuperflua ſtatui. Et ſuperfluum ſtatui, ſine quo ſtatus proprius & ſuorum decenter conſervari poteſt. Unde

Certum eſt apud omnes, quod qui habet ſola neceſſaria ad ſuam & ſuorum vitam ſuſtentandam, non tenetur ſaltem ſub mortali elargiri eleemoſynam proximo, quem æqua-

Digitized by Google

qualis neceſſitas urget, ita ordine Charitatis exigente. Etenim quiſque ſuam ſuorumque vitam poteſt & ordinarie debet aliis præferre, ſicuti ratio Charitatis poſtulat; niſi tamen perſona indigens neceſſaria ſit bono communi, quod ſemper privato præferendum eſt. Quinimmo certum eſt pariter, quod qui habet tantum neceſſaria vitæ & naturæ pro ſe & ſuis, non poteſt illa ſibi ſuiſque ſubtrahere, ut aliis ſubveniat etiam in extrema neceſſitate conſtitutis; ob rationem eamdem. Similiter in pari neceſſitate gravi aliorum, nemo tenetur alios præferre ſibi & ſuis, ſicuti etiam in communibus pauperum neceſſitatibus nemo bona ſua requiſita ad ſtatum ſuum conſervandum & pro neceſſitatibus quæ prudenter timeri poſſint, erogare tenetur.

Cæterum extra omne dubium eſt apud omnes doctores dari præceptum divinum naturale & poſitivum obligans ſub mortali elargiri eleemoſynam, ideſt cæteris paribus ſuccurrere proximum in ſuis indigentiis; ut patet ex Matthæi 25. & 1. *Ioann.* 3. quia eo ipſo quod lex divina Charitatis graviter obligat quemcumque amare proximum ſicut ſe ipſum, obligat ut eo indigenti ſubveniamus. Nam amare proximum eſt ei bene velle & pro viribus bene facere quando noſtro eget auxilio; unde ſi tale officium omittatur, Charitas ſervari non poteſt, uti patenter docet S. Ioannes loco citato, *qui habuerit ſubſtantiam huius mundi & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo Charitas Dei manet in eo?* Sic docent etiam communiter SS. PP. ut inter alios S. Gregorius Nazianz. Orat. 16. *Mandato*, inquit, *divino atque exemplo moveri ad eleemoſynam debemus*, & S. Thomas 2. 2. *q.* 32. *art.* 5. Patribus conſonat Ius Canonicum diſtinct. 86. *cap.* 21. his verbis: *paſce fame morientem .... ſi non paviſti occidiſti*. Immo natura ipſa conſonat, præcipiens tum ut membra ſeſe invicem iuvent, tum ut egeno faciamus id quod nobis in eodem rerum ordine poſitis fieri vellemus. Quamobrem manifeſtiſſime patet, Eleemoſynæ largitionem iure humano, divino, atque etiam naturali mandatam eſſe.

Præceptum eleemoſynæ extenditur ad opera omnia miſericordiæ.

Præceptum elargiendi eleemoſynam ad quævis opera miſericordiæ, ac auxilia ſive temporalia ſive ſpiritualia, quando his proximus indiget, extenditur. Fundatur enim in charitate qua proximum ſicuti nos ipſos diligere debemus; ac ideo ei facere, quidquid rationabiliter nobis fieri optamus, ſive quoad bonum corporale, ſive ſpirituale. Cum enim homo conſtet ex anima & corpore, ſecundum utrumque auxilio noſtro indigere poteſt. Hinc lex Charitatis quæ nos obligat ad eum amandum amore benevolentiæ, non minus vult nos ſollicitos pro ſpirituali eius bono, quam pro corporali; immo cum anima eiuſque æterna ſalus ſint longe corpore præſtantiores, charitas exigit ut potiorem curam habeamus ſalutis ſpiritualis proximi quam vitæ corporalis. Unde quidquid dicitur de Eleemoſyna corporali, multo magis intelligendum eſt de ſpirituali: Neceſſitas autem ſpiritualis, non ſecus ac corporalis, triplex eſt, extrema, videlicet quando ſine ſubſidio noſtro proximus non valet ſibi neceſſaria ad ſalutem providere; gravis, quando tametſi ſine nobis talia ſibi procurare poſſit, nequit tamen ſine magna difficultate, vel incurrit in graviſſimum periculum peccandi ob paupertatem, ignorantiam vincibilem, pravam conſuetudinem, vel occaſionem fortiter ad malum alicientem; communis, quando non ſine gravi difficultate ſibi providere poteſt.

§. IX.

De tempore, ſeu circumſtantiis in quibus præceptum Eleemoſynæ obligat.

Nota, ut quis ad Eleemoſynæ largitionem teneatur, requiri, ut proximi miſeriam ſublevare queat; & ut eamdem cognoſcat, ſive diſtincte, ut cum Mendicus ſtipem efflagitat; ſive modo generali, quomodo cognoſcitur eos qui in carceribus includuntur multis indigere. Quin & Prælati, Paſtores, aliique, qui ex officio multitudini providere debent, inquirere tenentur, num aliquis e ſubditis ſuis indigeat. Si vero non geramus curam aliorum, non oportet, ait D. Thomas hic *q.* 33. *art.* 2. *ad* 4. & alibi, nos quærere quibus ſtipem impendamus, ſed ſufficit quod impendamus eis, qui nobis occurrunt; quod intelligendum eſt, ſuppoſito quod ii quibus ex officio cura pauperum incumbit, ea diligenter fungantur; alias enim vera eſt hæc regula, quam tradit Nat. Alex. quod non obviis tantum pauperibus eroganda eſt eleemoſyna, ſed pauperes ſunt quærendi, & illis maxime ſubveniendum, qui præ verecundia petere non audent.

In extrema proximi neceſſitate omnes tenemur ei ſuccurrere non ſolum de ſuperfluis ſtatui, ſed etiam de neceſſariis ad decentiam; immo quodammodo etiam ad integritatem ſtatus; quia charitas ordinata vult, ut ſupra decentiam, & integritatem proprii ſtatus vitam proximi diligamus, & utramque

que huic præferamus. Nam omiſſio decentiæ vel integritatis ſtatus non reddit hominem miſerum, nec aliquo gravi periculo expoſitum; & quilibet prudens talem iacturam facile patietur ad ſervandam propriam vitam. Idcirco in tali neceſſitate proximi quilibet tenetur ei ſubvenire etiam cum gravi diſpendio bonorum, detrahendo de ſui ſtatus ſplendore, ornatu, integritate, famulorum numero, aliiſque impenſis.

In gravi proximi neceſſitate ei ſuccurrere tenemur ſub mortali de bonis ſuperfluis: ita communiter; nam omnes ex Charitate qua proximum ſicut noſmetipſos amare debemus, & ei facere quod rationabiliter nobis fieri vellemus, tenemur præcipue quando poſſumus ſine gravi noſtro incommodo eum a gravi malo liberare; immo in ejuſmodi neceſſitate eidem ſuccurrere tenemur etiam de bonis aliqualiter ad decentiam ſtatus neceſſariis, ut conſtat ex citato textu 1. *Ioan.* 3. alias non diligeremus proximum ſicut noſmetipſos, ut ex Charitate tenemur, nec ei faceremus quod nobis ipſis rationabiliter fieri vellemus. Etenim tali debito adimplere non poteſt, qui dum valet ſine ſuo gravi incommodo, proximum a gravi malo liberare negligit. Quiſque enim vellet malo valde gravi liberari cum aliquo incommodo alterius, longe minori, cujuſmodi eſt aliqua diminutio decentiæ ſtatus, puta de ſplendore convenienti, de lautiori menſa, pretioſa ſupellectili, ut notat S. Thomas *in* 4. *diſt.* 15. *q.* 2. *art.* 4. qui ſub neceſſitate urgenti comprehendit etiam gravem. Sententiam hanc confirmat oraculum Innocentii XI. qui proſcripſit propoſitionem n. 12. dicentem: *Vix in ſæcularibus invenies, etiam in Regibus ſuperfluum ſtatui; & ita vix aliquis tenetur ad Eleemoſynam, quando tenetur tantum ex ſuperfluo ſtatui*. Igitur inveniri poteſt, & ſæpe invenitur ſuperfluum ſtatui, & ſermo quidem eſt de præſenti ſtatu, de quo tantum in re hac agunt Theologi. Etenim ſi attendendum eſſet ad inſatiabilitatem humanæ ambitionis, quæ ſemper aſcendere & progredi cupit, hæc ſane nunquam reputaret ſe ſuperfluum habere. Quare ſi proximo in neceſſitate extrema conſtituto ſub mortali ſuccurrendum eſt nedum ex ſuperfluis ſtatui, ut ſupponitur, verum etiam ex neceſſariis ad decentiam, & ſplendorem ſtatus; immo etiam ex neceſſariis aliquomodo ad integritatem ſtatus, ſecundum communiorem, & probabiliorem; attendant igitur qui commoditatibus pollent, ne obcæcati ab eorum inſatiabili cupiditate, vel ambitione ſplendoris omittant ſubvenire indigentiis proximi, ſicuti ex præcepto ſub gravi tenentur. Hic tamen advertendum, neminem teneri procurare proximo extreme indigenti media inuſitata & extraordinaria; cum ad id neque pro vita propria teneatur. Item non tenetur inquirere proximos extreme indigentes quando non ſit Epiſcopus, Parochus, Preſidens &c. hi enim ad hoc tenentur ex iuſtitia; aut niſi prudenter dubitaret aliquem extrema neceſſitate laborare; tunc enim quiſque illum inquirere tenetur, ne ſe exponat periculo omiſſionis gravis. Neque ut ſuccurrat proximo extreme indigenti tenetur decidere a ſuo ſtatu iuſte acquiſito v.g. de ſtatu nobilis ad ſtatum plebei, vel famuli, de ſtatu Mercatoris, opificis, ad ſtatum mendici; ſed neque tenetur ad notabilem iacturam ſtatui inferendam ſine ſpe quod eamdem reintegrare poſſit; cum ad id nemo teneatur, neque pro vita propria conſervanda: Unde neque ad hoc tenetur pro vita proximi. Omnes hujuſcemodi exceptiones communes ſunt apud DD. Bannez 2. 2. q. 32. *art.* 6. *dub.* 2. in reſponſ. ad 1. alteram addit limitationem, nempe quod quis neque ex bonis fortunæ valde notabilem ſummam, puta tria vel quatuor millia aureorum ad tollendam a proximo neceſſitatem extremam erogare tenetur; quia, ait, licet vita hominis nobilior ſit quam totus cenſus, nihilominus ad bonum publicum quod magis diligendum eſt, magis valet illa quantitas ſubſtantiæ & pecuniæ, quam vita alicuius. Unde homo privatus non tenetur pro conſervatione propriæ vitæ, ac proinde nec alterius privatæ perſonæ tantum ſuum cenſum expendere, utpote quod ſit inſtrumentum virtutis ad bonum publicum conſervandum & defendendum.

Sæpe inveniri poteſt & invenitur ſuperfluum ſtatui.

Nemo tenetur procurare proximo extreme indigenti media extraordinaria.

Non levis difficultas oriri hic poteſt, videlicet num conſtitutus in extrema neceſſitate tam notabilem ſummam ab aliquo ſibi ſurripere poſſit, ut ab illa neceſſitate evadat? Ad hoc reſpondendum cum diſtinctione, nempe ſi ille a quo ſummam illam ſurriperet vel in extremam, vel in graviſſimam neceſſitatem reduceretur, licite auferre non poſſet, eo quod inumaniter ageret, & contra ius; quia non eſt providendum propriæ neceſſitati cum æquali vel quaſi æquali gravamine proximi, qui primus ius habet ad percipiendum ex rebus propriis utilitatem & commodum; etenim in extrema neceſſitate omnia ſunt communia, quoad neceſſarium uſum, ſalva iniuria Domini æquali,

vel

vel quaſi æquali neceſſitate laborantis, vel certo moraliter laboraturi.

Si quis impie negaverit ſuccurrere extreme indigenti, non tenetur caſu quo ille evadat talem ſuam indigentiam, ad reſtituendum ei quod denegaverat. Sic ut probabiliorem tenent Navar. Suar. cum aliis, quia cum debitum reſtitutionis non reſultet niſi ex violationæ iuſtitiæ, cum denegans ſubſidium extreme indigenti non peccet contra iuſtitiam, ſed tantummodo contra Charitatem, utpote qui non privaverit extreme indigentem iure aliquo quod ille haberet in re, ſed tantummodo ad rem; neque aliquid ab eo abſtulerit quod ille haberet in ſua poteſtate; manifeſtiſſime ſequitur, denegantem ſubſidium extreme indigenti non violaſſe iuſtitiam, & exinde non teneri ad reſtitutionem. Quod ſi e contra quis impediret extreme indigentem, ne re aliena uteretur, cum peccaret in hoc caſu contra iuſtitiam, nempe contra ius, quod extreme indigens actu habet ne impediatur; teneretur illum liberrati ſuæ reſtituere, ut re aliena uti poſſet, & ut vult Bannez, teneretur huiuſcemodi impediens ad ſupplendum pro eo quod ille indigens ſibi accipere poterat.

Qui dum extreme indiget re utitur aliena, ſi aliquid de eadem poſt evaſionem ab illa neceſſitate ſuperſit, vel tota etiam perſiſtat, uſu non conſumptibilis, ſicuti eſſet equus ad fugiendum a morte, ſive a captivitate, res illa quæ ſupereſt, ſuo Domino reſtituenda eſt; quia neceſſitas illa non confert indigenti dominium ſeu ius in rem, ſed in uſum tantummodo rei illius. Quare ſi totam uſu conſummat v. g. panes, triticum &c. ad nihilum tenetur de eo quod neceſſario conſumpſit, quia circa illud dominium uſus habebat.

Subvenire per eleemoſynam ex ſuperfluis vitæ & ſtatui etiam neceſſitatem communem ſeu ordinariam pauperum, eſt debitum grave; ita communiter. Etenim præceptum eleemoſynæ non reſtringitur in Scriptutia ad ſolas neceſſitates extremam & gravem, ut clare oſtenditur Matthæi 25. ubi Chriſtus proteſtatur in extremo iudicio condemnaturum eos, qui fame ac ſiti laborantibus, nudis, infirmis &c. neceſſariam ſubventionem non contulerunt: *Eſurivi, ſitivi* &c. quæ verba important etiam ſolam communem neceſſitatem; cum fames &c. ſitis communis ſit pauperibus omnibus. Teſtimonio Evangelii adiungitur etiam doctrina Apoſtoli 1. *Timoth. 6.* Unde licet divites ſint domini ſuperfluorum reſpective ad alios homines, non ſunt tamen reſpectu Dei, cuius ſunt diſpenſatores, qui bona hæc illis contulit, ut ea in pauperes expenderent. Ideoque ex SS. PP. Hieronymo, Auguſtino, Gregorio, Baſilio, Chryſoſtomo, Thoma citatis a P. Antoine hic, ſuperflua impendi debent in pauperes non ſolum ex charitate, ſed etiam ex iuſtitia. Alias ſi ſuperfluis non ſublevarentur pauperes, hi inciderent in neceſſitatem gravem, immo & extremam, & grave detrimentum inferretur Reipublicæ, pondus tam grave relinquendo eidem alendi tot pauperes. Quare lethaliter delinquit, qui nullo modo aut non ſufficienter ſuccurrit ex ſuperfluis, neceſſitatibus etiam communibus pauperum, cum præceptum Eleemoſynæ urgeat præcipue in vita, ac proinde qui dum vivit relinquit proximum in anguſtiis miſeriæ, non excuſatur eo quod in morte bona pauperibus relinquat. Unde auctor ſupplementi Theologiæ *Tournely* ſupponit multos eſſe divites qui contra præceptum eleemoſynæ peccent ob præſentem bonorum ſuorum abuſum, vel ob male providam eorumdem bonorum in futurum reſſervationem, vel quia diſpergunt pecunias in ſuperba ædificia, aureos currus, hortos regales; vel quia ſplendide epulantur, expendentes patrimonium circa ſupellectilem, ſtatuas, gemmas, & reliquum familiæ apparatum, immemores anguſtiæ qua innumeri pauperes gravantur, & negligentes ſecundum ſuum debitum eorumdem miſeriis ex eorum ſuperfluis, quæ in tot vanitatibus inſumunt, ſubvenire.

Licet vero dives poſſit per ſuperflua ad altiorem ſtatum ſuam elevare conditionem ad quem aptus eſt: non poteſt tamen niſi prius præcepto ſatisfecerit Charitatis, pauperes a ſuis neceſſitatibus ſublevando. Circa vero quantitatem Eleemoſynæ dandæ, certo neceſſe eſt, quod tanta ſit ut ſufficiat ad levandam proximi neceſſitatem, ſicuti patet ex ratione & fine præcepti Eleemoſynæ. Et quidem ab uno etiam & eodem danda eſt ſi poſſit, & alii non poſſint, aut nolint dare.

Quare ex his ſequitur, quod ſi pauper ab alio ſubveniatur, non tenemur tunc ei ſuccurrere: quia tunc pauper ſubſidio noſtro non indiget. Si vero alii nobis ditiores non præbent pauperi levamen, debemus nos idem auxilium ei præbere. Tunc enim eget pauper ope noſtra, non ſecus ac ſi ego unus tantum poſſem ei auxilium præbere. Nec opus eſt, ut pauperis neceſſitas mihi evidenter innoteſcat, ſed ſufficit ut prudenter iu-

iudicare poſſim adeſſe, nec certo ſciam quod alter ei collaturus ſit opem.

Parochi, Prælati aliique Superiores vi ſui officii, ut ante notavimus, perquirere debent neceſſitates tum corporales tum ſpirituales ſuorum ſubditorum; quia cum erga illos vicibus parentum fungantur, ex officio cura illorum ad eos ſpectat.

Eadem obligatio qua alii premuntur ut per Eleemoſynam ſecundum ſupra expoſitas circumſtantias proximi indigentiæ ſuccurrant, eſt, ut opera quælibet, qua proximus egeat, gratis ei exhibeatur, v. g. opificium, labor, auxilium, patrocinium &c. Etenim eadem eſt ratio ac de pecunia, & alimentis præſtandis. Hinc colligitur quam facile omiſſionem mortalem incurrere poſſint Medici, Advocati, Opifices &c. qui proximum graviter opera eorum indigentem & ab aliis certo prudenter non ſubveniendum, licet ab eo enixe expoſcantur, prætereunt, nullum ſubſidium ei conferentes.

§. X.

De modo ſatisfaciendi Præcepto Eleemoſynæ per Mutuum, Venditionem, vel alium oneroſum contractum.

Neceſſitas extrema duplex. Certa regula circa hoc præſcribit nequit, niſi prius advertatur duplicem eſſe neceſſitatem extremam, abſolutam unam, videlicet quando egens ita re aliqua indigeat, ut tunc non habeat illo in loco, nec alibi bona ſufficientia ut rem cuius eget, ſi ei detur, alio tempore reddere poſſit, nec ſpes habeatur moraliter certa ſe ea aliquando habiturum; alteram reſpectivam, quando licet extreme indigeat, habet tamen bona aliqua ſufficientia, vel ſpem quod ſine difficultate ſit ea poſtea habiturus, vel ex pingui hæreditate, vel ex proprio labore & induſtria. Hiſce igitur poſitis ſit.

Quando proximus ſit in neceſſitate extrema abſoluta non ſatisfit præcepto Eleemoſynæ dando ei Eleemoſynam mutuo, aut ſub alia oneroſa conventione; quia cum in extrema neceſſitate iure naturali debita ſit proximo ſuſtentatio, eleemoſyna gratuito illi eſt danda: unde in tali neceſſitate gratis proximo ſuccurrendum erit ab his, qui poterunt vel pecunia, vel æquivalenti, & etiam patrocinio, medicatura, alioque opere eidem proximo abſolute neceſſario. Hinc in tali caſu tenentur Advocati patrocinari, Medici inviſere, Pharmacopolæ dare pharmaca præſertim ordinaria, & ſic dicito de aliis; quia mutuum dari nequit ubi rationabiliter exigi, vel prævideri nequit accepti redditio. Et quidem, ſi ex conſtanti Eccleſiæ doctrina eleemoſyna cadit ſub præcepto, in neceſſitate abſoluta gratuito dandum eſt; cum ſola gratuita donatio ſit proprie eleemoſyna: Nam dare mutuum, commodare, vel credito vendere, non eſt proprie eleemoſynam elargiri.

Si vero neceſſitas extrema ſit tantummodo reſpectiva, ſatisfieri poteſt præcepto eleemoſynæ mutuando, aut ſolutione dilata vendendo. De hoc Divina Scriptura præbet exemplum, & in Tobia, qui Gabello egenti non gratis, ſed mutuo dedit decem talenta argenti, & in Iacob, qui fratri eſurienti cibum vendidit; & ratio ipſa hoc demonſtrat; nam hic abſolute non eſt pauper, nec neceſſitas reſpectiva facit omnia communia quoad dominium, ſicuti abſoluta; ideoque ad hoc ut ſatisfiat præcepto eleemoſynæ ſufficit ut ſublevetur hic egens eo modo quo indiget, nempe ei mutuando, vel ſolutione dilata vendendo, quia hoc ſolo indiget, & hoc ſolum ei ſatis eſt ad levamen ſuæ neceſſitatis. Quare dum Agricolæ frumentum non habent quod ſerant, nec pecuniam unde emant, ſatis vulgo erit eis vel commodare, vel credito vendere. Item ſi non deſperetur eum qui indiget aliquando ad meliorem fortunam eſſe reverſurum, ſive ope pinguis hæreditatis quam conſequi poteſt ſi forte plures moriantur, ſive ope laboris non inſoliti, tunc extrema eius neceſſitas ſatis ſublevatur per mutuum.

§. XI.

De quibus bonis facienda ſit Eleemoſyna.

Circa hoc ut certiſſimum præmitti poteſt, illos dumtaxat teneri ad eleemoſynam, qui bonorum quæ poſſident ſive miniſtrant dominium habent; quia eleemoſyna facienda eſt ex ſolis bonis propriis, & quæ pendent a libera noſtra adminiſtratione, non vero ex bonis alienis, niſi ex Domini conſenſu. Nemo enim donare poteſt quod ſuum non eſt, vel cuius alienatio eſt ei vetita; dummodo tamen proximus in neceſſitate extrema abſolute conſtitutus non ſit; quia tunc omnia quoad uſum ſunt communia; idcirco tunc qui non habet ex propriis, ex bonis etiam aliorum eleemoſynam elargiri poteſt. Extra vero talem caſum ex bonis alterius, ex iis nempe quorum dominium & liberam adminiſtrationem non habemus, Eleemoſynam elargiri non poſſumus ſine iniuria Domini. Et ita præſcribitur in divina Scriptura, Quid poſſint Famuli circa Eleemoſynas.

ra; Proverb. enim 3. ſic habetur, *Honora Dominum de tua ſubſtantia*. Quare Famuli, & Ancillæ extra neceſſitatem extremam nequeunt facere Eleemoſynam ex bonis dominorum, niſi legitime conſenſum eorum aut ratihabitionem præſumant; quia alioquin donarent alienum, quod non licet. Poſſunt tamen ſervi ex his quæ ſua ſunt dare: Immo & ad id tenentur, non ſecus ac omnes alii, quando, & eo modo quo urget præceptum ſubveniendi proximo per eleemoſynam. Propria autem ſervorum ſunt ea, quæ habent vel ex donis, vel ex pretio, quo conducti ſunt. Etenim etiam hi qui nihil habent in bonis, ſed e labore ſuo victum ſibi comparare debent, ex iis quæ ultra ſuas neceſſitates retinent ab Eleemoſyna eroganda non eximuntur ab Apoſtolo *Epheſ.* 4. ubi dicit ait: *Qui furabatur, iam non furetur: magis autem laboret operando manibus ſuis quod bonum eſt, ut habeat unde tribuat neceſſitatem patienti*. Hi tamen quorum tota fortuna eſt vel labor, vel famulatus, ſtipendium procul dubio plus in futurum ſervare poſſunt, quam habentes annuos reditus, qui ſibi ſemper adfuturi ſunt.

Quid uxores? *Uxor vero ex bonis viri diſpoſitioni ſubiectis*, docet D. Thomas hic art. 8. ad 2. *Eleemoſynas dare non debet ſine conſenſu viri, vel expreſſo, vel præſumpto, niſi in articulo neceſſitatis, & aliquas Eleemoſynas communes, & modicas, de quibus ſatis ei conſtare poteſt, quod viro placeret ſi neceſſitatem pauperis inſpiceret*. Quod ſi Uxor habeat alia præter dotem vel ex proprio lucro, vel quocumque alio licito modo, poteſt dare eleemoſynas, etiam non quæſito aſſenſu viri, moderatas, tamen ne ex eorum ſuperfluitate vir depauperetur; ſic ibi citat. D. Angelicus. Navarrus, Bonacina, aliive addunt, poſſe Uxorem, ſi propria bona, vel ex legato, dono, arte &c. non habeat, facere de bonis viri moderatas Eleemoſynas ad placandum Deum iratum, aut contra familiam, aut contra virum in profundo iniquitatum prolapſum: item ad ſuccurrendum propriis Genitoribus, aut filiis indigentibus ex priori marito ſuſceptis; immo ulterius addunt aliqui, etiam propriis fratribus. Et revera convenientiſſimum hoc videtur; & quia circa hæc maritus exiſtimari poteſt non invitus; & quia id redundat etiam in decorem mariti, qui, ut iam ſupponitur, bona habeat; cum reſultet in eiuſdem dedecus, perſonas ita Uxori coniunctas mendicare, ſeu laceras ac ſeminudas apparere. Si tamen hoc a Marito ei expreſſe interdiceretur, Uxor obtemperare debet, tum ex debito de alienis bonis non diſtribuendi, tum ad domeſticas rixas, diviſioneſque avertendas, ne pax coniugalis domo exulet.

Quid Filii Familias. Filius familias ex bonis caſtrenſibus, aut quaſi caſtrenſibus etiam parentibus invitis facere poteſt Eleemoſynam; non vero poteſt communiter ex bonis parentum. Ratio prioris eſt: quia circa bona prioris generis dominium habet, non vero in bona alterius generis. Dicitur *communiter*: quia poteſt Filius *dare pauperi panem, & huiuſmodi, quæ non inferunt ſenſibile damnum, de quibus ſatis conſtare poteſt, quod parentibus placeat*. Sic D. Thomas *in* 4. ubi ſupra. Item ſi Filius abſit ſtudiorum cauſa, vel parentum negotia gerat, tuta conſcientia poteſt eas eleemoſynas erogare, quas ſolent alii eiuſdem conditionis filii, & generaliter eas omnes, quas bona fide credit placere parentibus; quod dicendum de iis etiam, quæ filius ſibi parce vivendo, reſervet: Nam huiuſce proprietatis capax eſt. Ita Sylvius, & Nat. Alex. Num vero filius poſſit largiri pauperibus, quod ex ludo acquiſivit? Reſpondet Sylvius cum diſtinctione, nempe vel pecunia quam filius familias ludo expoſuit paternæ adminiſtrationi erat ſubiecta, & tunc parta ex ludo ipſi videtur paternæ adminiſtrationi ſubiacere, non ſecus ac ea, quæ lucri principium fuit; idcirco non poſſe erogari in pauperes ſine conſenſu tacito ſaltem Patris; vel erat bonum proprium filii, & tunc iam ex dictis apparet eleemoſynam a Filio fieri poſſe.

Quid Religioſi. Religioſus item Beneficiatus nec ullam habens adminiſtrationem cui annexa ſit facultas elargiendi eleemoſynam, nullam elargiri poteſt ſine expreſſa vel tacita Superioris licentia, qualem cenſetur habere iter faciens, vel in ſtudiis verſans extra Monaſterium ex pecuniis ei datis, vel probabiliter præſumpta ut docet antea laudatus D. Angel. Licentia autem huiuſcemodi Superioris præſumitur, cum pauper magnam patitur neceſſitatem, nec recurri poteſt ad Superiorem; Item ſi id ferat conſuetudo Religionis ſufficienter a Superioribus approbata, pios in uſus impendere poteſt Religioſus ea, quæ ſibi ab amicis, aut a Conſanguineis donantur. Item ſi Religioſus Beneficium habeat aliquod Parochiale, vel aliud non incorporatum Monaſterio cum plena adminiſtratione, tunc etiam ſine licentia Prælati de reditibus beneficiorum poteſt Eleemoſynas in pauperes erogare: quia poteſtas vel potius obligatio elargiendi eleemoſynas ex bonis beneficii eſt muneri ſuo annexa; omnis enim titulus beneficii canonice obtenti tribuit facultatem impen-

gen-

Digitized by Google

pendendi reditus in congruam ſui ſuſtentationem & opera pia; cum is qui eſt beneficii adminiſtrator ſit quoque adminiſtrator fructuum. Sic ſentiunt Navar. Sylv. cum aliis pluribus. Addit Grandin, Religioſum poſſe de his, quæ ſibi ſubtrahit ex ſua ſuſtentatione dare pauperibus, dummodo tamen illud non eſſet ſibi vetitum. Verum alicui non videtur hæc ſententia conſona veritati; quia id quod Religioſus ſibi ſubtrahit non eſt ipſius, ſed remanet Monaſterii. Igitur non poteſt ut bonum proprium donari, niſi ita a Superioribus ſaltem tacite permiſſum ſit; & ſic ſentit Sylvius hic art. 8.

Quid Tutores & Curatores ex bonis, quæ administrant. Tutores pariter & Curatores volunt multi, facere poſſe modicas eleemoſynas ex bonis quæ adminiſtrant; cum hoc quoque ad rectam adminiſtrationem ſpectet, & cedat in bonum pupilli, & minoris, qui conſentire tenentur. Similiter pupillus, ac minor facere poſſunt Eleemoſynas, quas alii eiuſdem facultatis, & conditionis facere ſolent, præcipue ſi ex eorum bonis nullæ fiant a tutore, & curatore. Tunc enim Tutor, & Curator diſſentire non poſſunt; & in hoc differunt pupilli & minores a filiis familias, quod illi habeant dominium ſuorum bonorum. Non poſſunt tamen facere eleemoſynas maiores; quia non habent liberam bonorum ſuorum adminiſtrationem.

Circa eos vero qui non ſolum poſſunt, immo etiam tenentur eleemoſynam elargiri, præcipue ratione bonorum quæ poſſident, quales ſunt perſonæ Eccleſiaſticæ, antequam aliquid ſtatuatur, prius advertendum occurrit cum Theologis, bona Eccleſiaſticorum alia eſſe patrimonialia, quæ ſucceſſione, donatione, labore, aut propria induſtria acquiruntur. (De bonis Eccleſiaſticorum.) Alia quaſi patrimonialia, quæ obveniunt intuitu alicuius Eccleſiaſtici miniſterii, ut Prædicationes, Miſſæ, Sacramentorum adminiſtrationis. Alia denique mere Eccleſiaſtica, quæ percipiuntur ex Beneficio, ut ſunt annui redditus ac fructus ex decimis aut Capellaniis accepti. Hæc tamen diſtributio bonorum Eccleſiaſticorum in bona mere Eccleſiaſtica, & quaſi patrimonialia optima mihi non videtur, cum quicumque proventus & utilitas quæ percipitur ex officio ſpirituali Eccleſiæ, ut ſunt ea quæ percipiuntur ex Prædicatione, Miſſæ celebratione, Sacramentorum adminiſtratione, non ſecus ac ea quæ percipiuntur ex beneficio parochiali, canonicali, aut capellania, omnia ſint bona æque Eccleſiaſtica, ac proinde eidem conditioni ſubiacere debeant. Pro bonis quaſi patrimonialibus mihi videntur potius ea intelligenda eſſe, quæ percipiuntur ex aliquo temporali officio, ut Ludimagiſtri, Cantoris, Secretarii &c. Et ita recte currere poteſt ſententia Theologorum de bonis patrimonialibus, & quaſi patrimonialibus, circa quæ docent Theologi cum D. Thoma 2. 2. *q.* 185. *n.* 7. eodem modo Eccleſiaſticos teneri quoad eleemoſynas ac ſæculares; & ex his bonis ditare poſſunt conſanguineos &c. ſicuti alii ſæculares; quod revera videtur dici non poſſe de proventibus ex ſpiritualibus Eccleſiæ miniſteriis, utpoteque cum dentur a Fidelibus tantummodo ad honeſtam ſacri Miniſtri ſuſtentationem, non veluti in ſtipendium operis impenſi, quod eſſet ſimoniacum, ſunt bona non ſecus ac alia mere Eccleſiaſtica. Dixi *quod eſſet ſimoniacum*, quia hoc eſſet accipere aliquid temporale tamquam pretium boni ſpiritualis; omnia enim memorata miniſteria, Prædicationis ſcilicet, Miſſæ celebrationis, Sacramentorum adminiſtrationis ſunt officia, & opera vere ſpiritualia.

Quid Eccleſiaſtici circa eleemoſynarum debitum. Eccleſiaſtici omnes, qui bona poſſident vere Eccleſiaſtica provenientia ſive ex beneficio, ſive ex aliquo ſpirituali miniſterio, ut Pontifex ipſe, Epiſcopi, omneſque alii qui Beneficia poſſident, Prædicatores, Sacramentorum miniſtri, tenentur impendere in Eleemoſynis pauperibus quidquid honeſtæ eorum ſuſtentationi ex eiuſdem bonis ſuperſit: ita definitum habetur in Concil. Trid. ſeſs. 21. Et talis obligatio reſultat ex ipſo naturali iure, a quo nec Pontifex quidem diſpenſare poteſt. Quare omittens talem diſtributionem convertendo hoſce ſuperfluos redditus in uſus profanos, quicumque illi ſint, peccat mortaliter contra ius naturale & poſitivum.

Prælati item Regulares ex bonis ſuperfluis ſuſtentationi Monaſterii facere debent Eleemoſynam; nam quamvis non ſint Domini bonorum Monaſterii; cum dominium ſit penes communitatem; ſunt tamen adminiſtratores cum facultate ea prudenter diſpenſandi, & cum debito ſuperflua in Eleemoſynas pauperibus elargendi. Ita D. Thom. 2. 2. *q.* 32. *art.* 8.

Cum igitur inſit debitum ex præcepto elargiendi eleemoſynam, ſequitur, Iudices compellere poſſe ſuos ſubditos, qui iuxta regulas ſupra expoſitas ad hoc tenentur, ut debitum ſuum impleant. Sic Caiet. Sylveſt. &c. quia Iudices poteſtatem habent ad exequendum quidquid ad bonum comune conducit, ſicuti eſt pauperibus eleemoſynas elargiri. Idcirco ex prudentiſſimo Reipublicæ regimi-

Digitized by Google

gimine factum eſt, ut per totum orbem conſtructa ſint Xenodoxia, ubi Mendici Civium pietate aluntur, & in eorum infirmitatibus curantur.

§. XII.

De iis quibus elargienda eſt Eleemoſyna, & de iis, qui eam poſtulare poſſunt.

Eleemoſyna, quæ ordinara eſt a lege Charitatis ad pauperum indigentiam ſubveniendam, danda eſt cuicumque egenti ſive iuſto, ſive peccatori, ſive hic amicus ſit, ſive inimicus, vivus aut defunctus, cum miſericordia ad omnes generatim ſe extendat, qui revera ita pauperes ſunt, ut etiam cum proprio labore, vel ſaltem ſine magno ſui ſtatus dedecore victum ſibi comparare non poſſint. Alias eleemoſyna eſſet otii fomentum. Quare vagabundis non eſt facienda niſi in neceſſitate extrema. Advertendum tamen, nullum poſſe ſibi præſumere, pauperes, qui ſibi occurrant, eſſe vagabundos, & ex tædio laboris eleemoſynam mendicare. Quin potius credendum eſt eam ex neceſſitate poſtulare: *Quia Charitas non cogitat malum*, niſi forte evidentes coniecturæ contrarium ſuadeant. Ulterius magis tenemur ſuccurrere indigentiis vivorum exiſtentium in extrema aut gravi egeſtate, quam defunctis, ob ſpirituale periculum cui vivi ſunt expoſiti, non vero animæ purgatorii, quæ iam in tuto poſitæ ſunt. Sic Salmatic.

Quid ut eleemoſyna peti licite & recipi poſſit.

Ad hoc vero ut tuta conſcientia Eleemoſyna recipi poſſit neceſſe eſt, ur illam quæritans, & accipiens revera ſit indigens. Alias ſi quis ſimulata paupertate Eleemoſynas extorqueret, & hæ largæ eſſent, peccaret mortaliter; quia hoc cederet in damnum eorum, qui revera ſunt pauperes, nec non defraudaret intentionem elargientis, quæ eſt ſublevare proximi miſeriam. Num vero hi teneantur ad reſtitutionem non conveniunt Theologi. Salmatic. contra aliquos veriorem cenſent eſſe ſententiam eorum, qui hunc a tali onere immunem iudicant ob multas rationes ac paritates, ut in iiſdem videre eſt tract. 21. cap. 4. punc. 3. §. 2. n. 32. & præcipue quia Eleemoſyna fit pauperi non propter ſe ipſum, ſed propter Deum; ita ut Deus ſit cauſſa finalis; miſeria vero pauperis ſolummodo impulſiva. Quare cum ſit vera donatio, dominium transfertur quando vera eſt cauſſa finalis, licet falſa ſit impulſiva, ut communiter DD. Hinc fictus pauper acquirit ſuper donatas eleemoſynas verum dominium (non ſecus ac ille, qui ſe fingendo Regis amicum largum donum acciperet; qui huius muneris fieret verus dominus) ideoque non tenetur acceptas eleemoſynas reſtituere; dummodo tamen qui Eleemoſynam largitur non intelligat ſe vero pauperi velle illam elargiri. Quidquid tamen ſit de accipiente tales eleemoſynas reſpectu illorum qui eas contulerunt; ſi tamen cauſſa fuit, ut hac ſuperflua eleemoſynarum collectione damnum paſſi ſint alii pauperes, certe mihi videtur quod ob defraudationem fraudolenter factam aliis pauperibus, iniuſte erga eos ſe geſſerit, qui ius habebant fundatum in propria egeſtate eas percipiendi, idcirco reſpectu horum teneatur ad reſtitutionem, nempe quod ex Eleemoſynis cumulavit erogare debeat in pauperes, ut ipſis reſtituatur quod iniuſte impeditum & ablatum fuit.

Si quis vero ſe ſimularet Magnatem aut Epiſcopum per vim ab Hæreticis e propria ſede expulſum, & ob talem fictionem nimis pinguem eleemoſynam reportaret v. g. centum aureorum & ſimilia, revera teneretur illam reſtituere; quia ob eius magnitudinem non cenſetur voluntarie talis eleemoſyna donata. Quibus vero facienda ſit hæc reſtitutio, cenſent DD. poſſe fieri tam donanti; quia illius res eſt, quam pauperibus; quia præſumitur Dominus perſeverare in ea voluntate donandi.

Hic ſolent DD. tractare de diſtributionibus faciendis a teſtamentario eleemoſynarum quæ in teſtamento ſunt ſibi commiſſæ, & quamplurimi de hoc agunt citati hic a Salmatic. qui de hoc tantum docent, quod ſi exurgat contentio ſuper electione pauperum, res devolvitur ad Epiſcopum, & ſi diſtributio facienda ſit ex diſpoſitione Teſtatoris in Religioſos, mendicantes, ſeu pauperes, Moniales ſunt præferendæ Religioſis eiuſdem ordinis: Eo quia Moniales ob eorum clauſuram & imbecillitatem a iure reputetur locus magis pius & pauperior. Si vero aliter res ſe haberet, nempe quod monaſterium Monialium magis quam illud Religioſorum redditibus abundaret; tunc ſecundum voluntatem teſtatoris diſtribuenda eſt commiſſa Eleemoſyna inter Religioſorum conventus eiuſdem Ordinis.

Sequitur de Quæſtoribus Eleemoſynarum, & de Religioſis Mendicantibus.

Quæſtores eleemoſynarum ſecundum Barboſam *part. 3. de poteſt. Epiſcopi allegat. 6.* ſunt qui emendicando Eleemoſynas utilitatem ſibi quærunt, & cum tales quæſtores

non

non raro falſas reliquias, indulgentiaſque diſpenſent, ac prædicent cum gravi dedecore Chriſtianæ Religionis; idcirco huiuſcemodi quæſtores prohibiti fuere a iure Canonico in cap. *Cum ex eo de Pœnit. & Remiſſ.*, a Clemente II. eodem titulo. Et quia hæc illis ſatis non fuerunt ad tale damnum impediendum, ſacra Tridentina Synodus occurrit ſuo Decreto ſeſſ. 21. cap. 9. *de Reformat.* ubi conata eſt pœnitus talem pernicioſum abuſum tollere, non obſtante quacumque lege, ac conſuetudine etiam immemorabili. Ex hoc tamen non ſequitur, non licere alicui Fideli ſibi, vel alicui pio loco eleemoſynas emendicare; quia per Concilii Decretum, ſicut in ipſo videri poteſt, ſolummodo prohibetur eas emendicare, prædicando, aut publicando Indulgentias, aut aliquo alio utendo ad homines terrendos eleemoſynaſque extorquendas. Quare permulti docent Theologi, Epiſcopos vetare poſſe Quæſtores, donec eis conſtet fieri ſine huiuſmodi ſimulationibus.

Religioſi vero qui ſecundum ſuas Regulas ab Eccleſia approbatas vivunt ex emendicatis eleemoſynis, unde Mendicantes appellantur, vi ſuorum privilegiorum non poſſunt impediri ab Epiſcopis, nec a quovis alio cuiuſcumque ſtatus ac conditionis ne eleemoſynas quærant.

§. XIII.

De Correctione fraterna, & eius diviſione.

Definitio correctionis fraternæ.

Correptio ſeu correctio eſt ſecundus effectus externus Charitatis, ſive Eleemoſyna ſpiritualis, qua per monita, & exhortationes curamus removere proximum a peccato, & licet Correctio & correptio inter ſe diſtinguantur, cum Correptio ſit fratris ad fratrem, Correctio vero Prælati ad ſubditum, uſus tamen invaluit ut utraque pro eadem ſignificatione accipiatur, nempe pro correctione fratris ad fratrem, qua monendo, exhortando, ac reprehendendo fratris emendatio intenditur, tametſi effectus non ſequatur.

Correctio, alia Fraterna; alia iudicialis.

Hæc autem Correctio alia eſt proprie Correctio fraterna, quæ adhibet remedium peccato in quantum eſt malum peccantis; alia iudicialis, quæ adhibet remedium peccato delinquentis, ſecundum quod eſt in malum aliorum, & præcipue in nocumentum boni communis propter ſcandalum. Quare prima eſt actus Charitatis, & fieri poteſt ab omni perſona particulari; altera iuſtitiæ vindicativæ, & fieri debet a Superiore. At de prima, ideſt de correctione proprie fraterna utpoteque ad moralem diſciplinam propius accedat, agitur in præſenti.

Omnes tenemur ad correctionem fraternam ex præcepto naturali, & divino.

Ad Correctionem fraternam proximi omnes tenemur ex præcepto naturali & divino, ut patet tum Eccli. 19. *Corripe proximum ne forte iteret*, & Matthæi 18. ubi Chriſtus Dominus ſic univerſaliter præcipit; *Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum*: unde Innocentius III. cap. 12. *de Hæret.* ait: *Fratrem peccantem occulte corripere unuſquiſque tenetur ſecundum Regulam Evangelicam*. Et S. Thomas 2. 2. q. 33. art. 1. ait, *Correptio, quæ tendit ad emendationem fratris delinquentis per ſimplicem admonitionem pertinet ad quemlibet Charitatem habentem, ſive ſit ſubditus, ſive Prælatus*. Ratio manifeſtiſſime patet, quia eadem obligatione, qua proximum diligere tenemur, eadem etiam tenemur quantum moraliter poſſumus peccatum ab eo removere. Et quidem; ſi lex charitatis iubet ſubvenire proximi miſeriæ ſaltem gravi, a fortiori hoc iubet dum proximus patitur miſeriam peccati, quæ eſt maxima; & dum agitur de ſpirituali ſalute, quæ eſt in magno periculo, niſi in tali miſeria ſuccurratur per correctionem ad vincendas illecebras peccati, pravam deliberationem ſuæ voluntatis ob ignorantiam, aut inadvertentiam vincibilem.

Præceptum hoc corrigendi proximum de quacumque mortali culpa non emendata, quæ eſt graviſſimum malum, obligat ſub peccato ex genere ſuo mortali, ut communiter ſentiunt DD. Nam ſi tenemur ſub mortali ſubvenire proximo in magna corporali neceſſitate; multo magis peccat qui non ſuccurrit in neceſſitate ſpirituali, ut ait D. Auguſtinus epiſt. 109. de regimine Monaſtico. Dicitur *ex genere ſuo*; quia ex inadvertentia, vel tepiditate eius omiſſio aliquando poteſt eſſe venialis, ut ex D. Thoma 2. 2. *q. 33. art. 2. ad* 3. Et cum hoc præceptum ſit affirmativum, licet ſemper obliget, non obligat tamen pro ſemper, ſed data occaſione & opportunitate.

Materia huius præcepti correptionis communiter loquendo ſunt peccata mortalia; quia hæc dumtaxat afferunt animæ proximi notabile nocumentum, ut colligitur ex illo Matthæi 18. *lucratus es fratrem tuum*, ubi denotatur per mortalia periiſſe. Non pauci tamen ſentiunt, etiam peccata venialia eſſe aliquando materiam huiuſce præcepti, & præceptum etiam reſpectu eorum obligare ſub mortali, quando videlicet coniiciunt nu-

minem in proximum periculum ſpiritualis ruinæ; ut ſi quis domum ſuſpectam ingrediatur, vel cum mulierculis familiaritatem frequentet; ſed in hoc caſu materia correctionis, ſcilicet peccatum proximi, eſſet potius mortale, quam veniale. Cæterum quidquid ſit, certum eſt, quemque teneri ſub veniali corrigere ſuos proximos de peccatis venialibus habitualibus, non vero de iis quæ committuntur ex fragilitate; nam ex una parte patitur homo per talia peccata aliquam ſpiritualem ruinam, & ex altera parte eum peccata venialia ex fragilitate ſint fere innumera & cognitu difficillima; impoſſibilis eſſet materia correctionis. Quare videtur obligatio correctionis fraternæ quoad hæc peccata non urgere. Tenetur quiſque profecto per ſe loquendo corrigere ſuos proximos ex præcepto de venialibus habitualibus, eo quia charitas exigat, ut quodvis proximi malum, licet exiguum, impediamus, ac tollamus, præcipue cum facillime, & ſine ullo incommodo hoc præſtare poſſimus; non ſecus ac vetat, ne malum ullum quantumvis leve ei inferamus; & hæc obligatio revera probabilius eſt, quod eſſe non poſſit niſi ſub veniali, ob parvitatem materiæ, dummodo non adſit grave periculum, ne ex venialibus ſequatur mortale, vel magnum ſcandalum, vel grave damnum ſpirituale ordini Religioſo; idcirco ſentiunt DD. Superiores Religionum teneri ſub mortali impedire ac corrigere culpas veniales, per quas notabiliter læditur vigor & nervum diſciplinæ Religioſæ; quia talis læſio eſt grave malum. Dicitur *per ſe loquendo*; etenim ſæpe non eſt obligatio reſpectu venialis, cum talis correctio potius obeſſet quam prodeſſet, præcipue Sæcularibus; niſi fiat erga aliquem ſollicitum ſuæ perfectionis, vel familiarem, vel ab eo cui ratione ſui officii incumbit præcipue proximi cura. Quare non tenentur Magiſtratus ſub mortali per ſe loquendo corripere venialia ſuorum ſubditorum, niſi quando ex his, puta ex immoderato luſu, aut luxu veſtium &c. turbaretur publica pax, quam eorum eſt ſervare.

Præceptum correctionis obligat omnes indiſcriminatim. Hoc præceptum de correptione fraterna obligat omnes, & ſingulos indiſcriminatim etiam æquales, inferiores, laicos, peccatores, quando utiliter & ſine ſuo gravi damno corrigere valeant. Sic communiter cum D. Thoma 2. 2. q. 33. *art.* 4 juxta illud Matthæi 18. ſupra laudatum; *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum*; hæc enim obligatio oritur, ut ſupra notavimus, ex charitate & miſericordia, quæ ſicuti ad corporalem eleemoſynam, ita ad ſpiritualem obligat. Quare ſi abſque ulla diſtinctione ſuperioris vel inferioris prior præcipitur, ſic & ſecunda; nam ad correctionem, non requiritur iuriſdictio, ſed ſufficit coniunctio charitatis, quæ in omnibus ineſſe debet reſpectu cuiuſcumque.

Peccatum præteritum ſi emendatum ſit non eſt amplius materia correctionis; quia finis fraternæ correctionis, ad diſtinctionem iudicialis, eſt tantum emendatio, ut ex D. Thom. 2. 2. q. 33. *art.* 6. idcirco inutilis eſt correctio quando iam culpa emendata ſit. Si vero non ſit emendata, debent fideles fratrem corrigere. Qui enim eſt in miſeria peccati præcipue mortalis, quæ omnium eſt maxima, patitur gravem ſpiritualem neceſſitatem ut ei ſubveniatur.

Cognitio delicti corrigendi debet eſſe moraliter certa. Circa vero cognitionem delicti in fratres, ut exurgat obligatio correctionis, debet eſſe moraliter certa, alias potius obeſſet quam prodeſſet. Ita communiter. Immo ſi deeſſet cognitio moraliter certa quod proximus certo moraliter peccaverit aut peccaturus ſit, per ſe loquendo eſſet correptio iniurioſa. Quare ſi cognoſcatur per rumorem auditum aut alia dubia ſigna peccatum fratris & perſona ſit particularis, non eſt corrigenda. Dixi *per ſe loquendo*; nam ſi tale delictum, licet non certe cognitum, vergeret in præiudicium Eccleſiæ, Reipublicæ, vitæ proximi, & alias ſpes eſſet quod ſuſpectus delinquens non ægre ferat correctionem, etiam cum ſola ſuſpicione poſſumus illum corripere, & hoc maxime valere debet reſpectu Superiorum, aliorumque, qui animarum curæ præſident. Etenim hi etiam in dubio tenentur ſecundum D. Thomam inquirere de veritate facti, ut purificato dubio corripiant delinquentem, vel ſi dubium perſeveret, alia remedia præſervativa adhibere poſſint ne eveniat.

Peccata pariter, quæ fiunt ex ignorantia licet invincibili contra ius naturale omnes tenentur corripere; quia licet delinquens tunc non peccet niſi materialiter, operatur tamen quod eſt intrinſece malum, quod permitti non poteſt, non corrigendo, ſine gravi culpa. Quod ſi ignorantia invincibilis ſit contra ius poſitivum, tunc admonitio ſpectat ad ſolos Prælatos, Parentes, Magiſtros, Confeſſarios; quia his incumbit ex officio ſpecialis directio ſubditos illuminando, quod ſecundum aliquos non pertinet ad privatos. Alii vero probabilius e contra contendunt, etiam tunc teneri privatos ex charitate ad correctionem. Omnia tamen

hæc

hæc intelligenda ſunt ſecundum prudentiæ regulas: unde correctio nullo modo facienda eſt, quando ex illa deſperatur profectus in proximum; ſed potius maius nocumentum timetur ex illa, ut ex S. Auguſtino in cap. *Si quis de Pœnit.* diſt. 7. *Si ſcirem non tibi prodeſſe, non te admonerem, non te terrerem.* Si vero ignorantia ſit vincibilis & culpabilis, extra omnem controverſiam non ſolum Prælati, Parentes, Confeſſarii &c. ſed omnes generatim tenentur corripere delinquentem.

§. XIV.

De iis qui corrigere debent, & de iis qui ſunt corripiendi.

Ex his quæ hactenus diximus iam colligitur quinam ſint ii, qui tenentur ad fraternam proximi correctionem, nempe omnes ſive Superiores ſint, ſive inferiores, ſive æquales; quia cum correctio fraterna ſit actus Charitatis, & cum quiſque ad Charitatem & fraternam dilectionem reſpectu cuiuſcumque teneatur; idcirco præceptum de Correctione omnes indiſcriminatim obligat.

Unde peccatori etiam occulto incumbit onus fraternæ correctionis, ut ex D. *Thoma* 2. 2. *q.* 33. *art.* 5. Quia correctio ad homines pertinet in quantum in eis viget rectum rationis iudicium, quod manet etiam in peccatore. Dixi *occulto*, cum hoc non conveniat peccatori publico; quia indignus eſt ut alios corrigat, qui peccatum & forſan gravius commiſit, ac ideo ipſe quoque indiget correctione.

Concionatores vero, & Iudices Eccleſiaſtici, dum ipſi ſunt in peccato, licet ex officio peccata populi reprehendant, non peccant mortaliter; quia talis actio non eſt ita ſacra, ut a peccatore fieri nequeat. Etenim correctio fraterna eſt quædam ſpiritualis eleemoſyna, quæ ut licite fiat non eſt neceſſe ut exhibens ſit in gratia, ſicuti hoc non exigit eleemoſyna corporalis. Si vero Concionator aut Iudex ſuis peccatis proximum ſcandalizent, ad hoc ut illum corrigant debent ſaltem exterius illa deponere, eum ſemper teneantur ſcandalum devitare. Cæterum ſi non ſcandalizent, non tenentur de ſuo peccato pœnitere ut licite corrigant. Nam pœnitentia non eſt medium ex ſe ad correctionem ordinatum, vel ad ſummum eſt medium extraordinarium.

Concionatores corrigere debent peccata publica exemplo Chriſti Domini & S. Ioann. Baptiſtæ, licet ob delinquentium obdurationem de fructu deſperent. Nam ſemper eſt ſpes quod aliquis convertatur. Defectus vero Superiorum & Eccleſiaſticorum, dummodo in fide non errent, alioſque a fide non avertant vel notabiliter moribus ſcandalizent in aliis, a Concionatoribus non ſunt publice corrigendi; quia talis correctio parit infidelibus ſcandalum potius quam ædificationem; idcirco talis correctio plus erit nocumenti quam profectus.

Superiores vero qui ex tali titulo ad correctionem tenentur ſunt Prælati erga ſuos ſubditos, Parentes erga filios, Maritus cum Uxore, Dominus cum ſervis & famulis, Magiſter cum Diſcipulis, Tutor cum pupillo, Curator cum minore, Parochus erga ſuas oves, & Confeſſarius erga Pœnitentem; nam his omnibus incumbit ſpecialis ſuorum ſubditorum cura, ac proportionabiliter ſpirituali eorum ſaluti providere. Hanc vero Superiorum obligationem de fraterna ſuorum ſubditorum correctione putant alii eſſe ex ſola Charitate miſericordiæ, & ſolum ad iudicialem eos teneri ex iuſtitia. Alii vero, cum hoc ſit onus Superioribus incumbens ex vi ſui officii, ſuſtinent eſſe etiam ex iuſtitia.

Prælati autem & Magiſtratus ex vi maioris obligationis quam habent ad correctionem erga ſuos ſubditos quam erga alios, qui ſubditi non ſint, eo quia ex officio ad eos ſpectet omnia exequi quæ reſpiciunt ſpiritualem directionem ſuorum ſubditorum; non ſolum pro iudiciali correctione tenentur inquirere etiam per ſpeculatores, prudentiæ tamen, charitatis, iuſtitiæ, veritatis amatores, & vero præditos zelo, ſuper vitam, moteſque ſuorum ſubditorum, verum etiam pro correctione fraterna, quæ ex præcepto ipſis incumbit; quia reſpectu primæ partis Prælati & Magiſtratus ex vi officii tenentur ad eam diligentiam exhibendam, quæ neceſſaria eſt ad rectam muneris adminiſtrationem. Ex parte vero ſecundæ partis, nempe correctionis fraternæ; quia Patri, & Iudici licitum eſt inquirere de vita filiorum & ſubditorum per media ſpecialia quæ ratio prudentiæ dictat. Hæc tamen inquiſitio non eſt licita ſubditis reſpectu ſuorum Superiorum, quia turbaretur pax Reipublicæ & Communitatum. Inquiſitio facienda a Superioribus de vita & moribus ſuorum Subditorum in locis publicis per vigiles ſpeculatores, pendet a regulis prudentiæ, ſcilicet quod adhibeatur ſumma cura, attentio, diligentia in electione horum ſpeculatorum; cavendo præcipue ne tales ſint qui ad id ſponte ſe offerant: Etenim implent hi au-

Digitized by Google

res Superiorum fabellis, mendaciiſque, quibus incendio inſufflant & pacem turbant. Tutius igitur erit ut Prælati per ſe frequentent loca, ubi ſubditi delinquere ſolent, ut illi terreantur, & occaſionem fugiant peccatorum, vel ſocium prudentem, & obſervantem illis præbeant, qui ſi aliquid videat indecorum, eos fraterne corrigat, & ſi id non ſufficiat, Prælatum admoneat. Semper tamen illicitum eſt Prælatis per media extraordinaria ſubditis inſidiari, nec debent eſſe nimis ſuſpicioſi, nec nimis ſubditorum exactores; quia qui nimis emungit elicit ſanguinem.

Circa perſonas corrigendas opus non eſt longius inquirere, cum ex iam dictis pluſquam clare hoc pateat. Igitur corrigendi ſunt fratres omnes, idcirco proximi, cum quibus omnibus ſine diſtinctione & differentia fraternitatem habemus, ſive Fideles ſint, ſive Infideles; quia omnes creati ſunt ad æternam gloriam. Unde omnes ſunt lucrandi pro æterna vita, & licet infideles non ſortiantur nobiſcum fraternitatem per gratiam, eam tamen ſortiti ſunt per naturam. Ita Communiter. De aliis vero qui corrigendi ſunt, ut ſunt Subditi, Filii &c. iam ſatis clare ſupra actum eſt dum ſermo habebatur de iis quibus incumbit particularium perſonarum correctio.

§. XV.

De tempore, quo præceptum Fraternæ correctionis obligat, & quando Fideles a tali onere excuſantur.

Circa tempus quo præceptum de correctione fraterna obliget, tres conditiones communiter ab auctoribus aſſignantur; ſcilicet ut proximus ſit in gravi ſpirituali neceſſitate; ut ſine gravi noſtro incommodo poſſimus ei ſuccurrere; ut tandem ſperetur fructus ex tali correctione. Et circa primam ſupponendum eſt, correctionem fraternam ordinari ad fratris emendationem, & ideo hoc modo cadit ſub præcepto, ſecundum quod ad hunc finem eſt neceſſaria; non ita tamen, ut quolibet loco vel tempore frater delinquens corrigatur. Unde liquet, quod in tantum correctio fraterna obligat, in quantum neceſſaria eſt ad proximi emendationem. Quare ſi eleemoſyna corporalis ligat tum in extrema, tum in gravi neceſſitate, potiori iure eleemoſyna ſpiritualis, qualis eſt correctio fraterna, cum agatur de multo maiori bono; idcirco proximum corrigere tenemur, non ſolum in periculo damnationis, verum etiam in occaſione committendi aliquod mortale peccatum, ſi alius non adſit qui proximo ſubveniat per correctionem in tali neceſſitate, quæ non ſolum gravis eſt, ſed extrema. Si vero alius adſit proxime paratus ad æque bene corrigendum, & certi ſimus, quod hoc faciat, tunc ab hoc officio excuſamur; quia in tali caſu correctio non eſt neceſſaria. Pariter, ut ex D. Thoma, non omni tempore proximus eſt corrigendus, ſed attendenda eſt temporis opportunitas; alias correctio erit inefficax; immo valde pernicioſa. Circa ſecundam conditionem advertendum cum P. Henno, quod ſi non tenemur in gravi ſpirituali neceſſitate proximi ei ſuccurrere per correctionem niſi ſine gravi noſtro incommodo, tenemur tamen omnes communiter, quando talis neceſſitas ſit extrema, non ſecus ac Paſtores, etiam cum periculo vitæ iuxta D. Thomam in 3. diſt. 29. art. 8. q. 2. ad 3. cum quiſque magis animam proximi, quam proprium corpus diligere debeat. Paſtores vero aliique quibus ex officio incumbit cura animarum ſalutis, etiam in neceſſitate tantummodo gravi correctionem tenentur adhibere cum propriæ vitæ periculo; quia parati eſſe debent animam ſuam pro ovibus ſuis ponere. Circa tertiam vero conditionem, nempe obligare præceptum correctionis fraternæ ſi fructus ſperetur ex tali correctione, ſine alia explicatione res iam per ſe patet, & ſolum ſatis erit hic advertere, obligare præceptum etiam in dubio an ſit necne profutura correctio, dummodo prudenter ſperetur non obfutura. Quia etiam in hoc caſu præceptum corripiendi peccatum eſt in poſſeſſione: Quoties enim non eſt prudenter obfutura correctio, ſemper ſpes remanet, quod poſt elapſum tempus proficere poſſit. Ut autem prudenter circa hoc procedatur, in caſu dubio an ſit profutura vel obfutura, conferenda eſt utilitas quæ ſperatur cum damno quod timetur, & tunc maius anteponendum eſt minori.

Inſuper cum correctio ſit actus virtutis, advertendum cum D. Thoma, faciendam eſſe cum manſuetudine, magna prudentia & reverentia, præcipue ſi fiat Superiori, & minime unquam protervia & duritia. Quocirca conſiderare debet corrigens, alio modo corrigendum eſſe inferiorem & alio ſuperiorem; quia etiam hunc aliquando corrigere debet: alio modo ſeniorem & alio iuniorem; alio fœminam alio virum; alio diſſolutum alio verecundum &c. & ſemper tamen opportuno tempore. Circa hoc tamen notandum remanet *Correctio facienda eſt cum manſuetudine, prudentia, ac reverentia.*

manet, quod licet obligatio correctionis curſat etiam in Inferiori ac ſubdito reſpectu Superioris; nihilominus non debet quilibet ita facile ſibi hanc uſurpare. Indignum eſt enim quod homines conditione & moribus viliores, audeant per ſe ipſos Prælatos reprehendere; ſed ſatisfacient ſuæ obligationi, ſi hoc fieri curent per perſonas digniores & proximiores delinquentibus.

§. XVI.

De ordine in Correctione fraterna a Chriſto præſcripto: inter te, & ipſum ſolum.

Chriſtus Dominus correctionem fraternam præcepit ob ſpiritualem proximi profectum, ac ideo ut ſpeciale Chriſtianæ charitatis officium. Cum vero ad ſortiendum ſuum effectum reſpectu cujuslibet cauſæ requiratur etiam modus & circumſtantiæ quædam, in quibus oportet ut cauſſa ad ſuum finem operetur; hinc in præcipienda correctione fraterna addidit etiam & aſſignavit modum circumſtantiaſque, in quibus officium hoc exhiberi oporteret. Ait enim Matthæi 18. *Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipſum ſolum*, idelt ut explicant S.S. Interpretes & Theologi, per ly *inter te, & ipſum ſolum* innuere voluit Chriſtus Dominus, correctionem ſecreto faciendam eſſe: ſed hoc intellige juxta ſententiam eorumdem ſacrorum Interpretum, quando delictum ſit ocultum, non publicum & ſcandaloſum. Unde correctio fraterna delicti privati ſeu occulti, & non vergentis in detrimentum ſpirituale communitatis, private & ſecreto facienda eſt, ſicuti conſtat ex allato textu Evangelii *inter te, & ipſum ſolum*, quia cum præceptum collimet ad utilitatem proximi, conſulendum eſt nedum quoad animam, ſed etiam quoad eius famam, quæ graviter plerumque læderetur per publicam peccati occulti correctionem, quia publice fieret manifeſtum. Quando vero peccatum eſt publicum & ſcandaloſum, publice corrigendum eſt, ait S. Thom. *Quodlib.* 11. *art.* 10. immo etiam prætermiſſa correctione ſecreta Superiori denunciandum, a quo pro merito corripiendum eſt: & ratio eſt manifeſta; quia tunc conſulendum eſt publicæ utilitati, quæ ex publica huiuſmodi delictorum punitione reſultat. Dixi *non vergentis in detrimentum ſpirituale communitatis*; quia tunc licet peccatum proximi ſit occultum, plerumque denunciandum eſt Superiori, etiamſi vergeret in damnum ſolum corporale communitatis ſeu multitudinis, abſque eo quod prævmittatur ſecreta correctio, ut docet D. Thomas 2. 2. q. 33. *art.* 3. *Quædam peccata occulta ſunt*, ait S. D. *quæ ſunt in nocumentum proximorum vel corporale vel ſpirituale:* quia ille qui ſic occulte peccat, non ſolum in ſe peccat, ſed etiam in alios; idcirco oportet ſtatim procedere ad denunciationem, ut huiuſmodi nocumentum impediatur: Quia periculum damni meliori modo quo fieri poteſt præcavendum eſt, nec exiſtimatio quod ſtatim per ſecretam admonitionem poſſet huiuſmodi malum impediri, (cum talis exiſtimatio fere nunquam firma haberi poſſit circa dicta peccata) efficit ut prætermitti poſſit ſecreta admonitio, juxta oraculum Alexandri VII. qui damnavit propoſitionem n. 5. *Quamvis evidenter tibi conſtet, Petrum eſſe hæreticum, non teneris denunciare, ſi probare non poſſis:* Etenim denunciatio non affert onus probationis, ſicuti accuſatio. Si vero emendatio delicti occulti (hæreſi excepta) æqualiter ſperari queat ex correctione mea privata, ac ex correctione Superioris tamquam Patris, tunc uti teneor privata mea correctione & prætermittere denunciationem Superiori, quamvis dumtaxat tamquam Patri, & non Iudici. Sic probabilior. Si autem non æqualiter, ſed ſecurius ſperetur emendatio ex correctione Superioris tamquam Patris, qui ſit pius, manſuetus, non operans ex ira &c. tunc valde probabile eſt poſſe omitti correctionem fraternam, & immediate denunciari poſſe Superiori, non tamquam Iudici, ſed tamquam Patri, qui ſecreto corripiat, & moneat delinquentem. Sic S. Thomas *Quodlib.* 11. *q.* 10. *art.* 11. quem ſequitur Suarez.

Occurrit hic difficultas, nempe ad quem gradum ſpes melioris emendationis aſcendere debeat, ut regula firmari poſſit, iuxta quam vel fiat fraterna correctio, vel hac prætermiſſa, res ad Superiorem, tamquam ad Patrem deferatur. Reſpondetur difficultati, tumſolummodo id licere, quando comparato præiudicio delinquentis, quod ipſi evenit ex illius diffamatione apud Superiorem, cum fructu prudenter ſperato ex admonitione Superioris, ſano iudicio videtur præſtantior huiuſmodi fructus, qui ex admonitione Superioris ut Patris ſperatur, præiudicio delinquentis orto ex ipſius diffamatione apud ſolum Superiorem, ut Patrem; & hoc licitum eſt, immo dicerem & debitum, quando præcipue agitur de peccatis carnalibus cum complice extraneo vel extra-

tranea, utpote quæ admodum pernicioſa ſint famæ Religionum, & ſcandalum valde grave eadem ſcientibus afferant, multumque adverſentur ſpiritualiprofectui, quem ſacra Regulatium ordinum inſtituta in proximos promovere tenentur: Idcirco multum confert ad hoc ut tanto malo provideatur, illud immediate deferri ad Superiorem, tamquam ad patrem, ut docent graviſſimi DD. cum S. Thoma, & colligitur ex Conſtitutionibus Ordinis præcipue Prædicatorum cap. 18. *textu 6.* & ex regula S. Benedicti cap. 32. Ratio autem huius ſententiæ eſt, quia inter Clauſtrales raro contingunt illæ circumſtantiæ, quæ ad ordinem fraternæ correctionis ſervandum obſtringant, nempe quod prius adhibeatur privata correctio fraterna antequam culpa Religioſi ad Superiorem tamquam ad patrem pro paterna correctione deferatur. Et hoc conſonat doctrinæ Caietani in opuſculo 1. reſponſ. 5. ad Dubium ultimum. Præterea in tantum ſervandus eſt correctionis ordo, in quantum id Charitate præſcribitur; Charitas vero id intendit, quod magis expedit ſpirituali ſaluti delinquentis: Si ergo utilior, brevior, & efficacior ſperetur correctio facta per Superiorem ut Patrem, ſi id curetur, profecto non adverſabitur Charitati, cum ad finem Charitatis conſpiret. Sic Suarezius, *diſp. 8. ſect. 6. n. 2.* cum aliis. Immo cenſent aliqui, contenduntque, poſſe etiam deferri crimen Religioſi, omiſſa privata correctione, ad Superiorem ut Iudicem: ſed hoc intendunt circa peccata quæ non tantum cedunt in detrimentum ſolius peccantis, ut mollities, ſed redundant etiam in damnum Reipublicæ, ut eſſet Hæreſis, proditio Civitatis, adulterium, crimen nefandum cum perſona extranea; cum hæc reputanda ſint inter excepta ab ordine correctionis fraternæ; & denuncianda eſſent Prælato non ſolum ut patri, verum etiam ut iudici, dummodo tamen ſint in via & periculo divulgationis.

CAPUT VIII.

De peccatis oppoſitis Charitati erga Proximum.

§. I.

De peccatis, quæ præcipue dilectioni Proximi adverſantur.

QUamvis peccata omnia lethalia generaliter loquendo virtuti Charitatis opponantur, atque ipſius habitum deſtruant, nihilominus tamen quædam ſunt, quæ ſpeciali modo charitati & directe eius actibus adverſantur, cuiuſmodi ſunt Odium, Acedia, Invidia, Diſcordia, Contentio, Schiſma, Rixa, Seditio, Bellum, Scandalum, quæ omnia lethalia ſunt ex genere ſuo, cum directe charitati opponantur & excludant a Regno Dei.

Odium, quod eſt averſio obiecti, prout eſt contra Deum, & Proximum, eſt primum peccatum Charitati oppoſitum, & cum iam de odio Dei actum ſit, nunc ſermo erit de odio proximi. Odium autem Proximi eſt *formalis malevolentia, qua expreſſe proximo malum exoptamus*. Odium autem duplex eſt, nempe odium abominationis, & odium inimicitiæ. Odium, ut iam vidimus antea, abominationis illud eſt, quo rem vel perſonam averſamur, ut malam præciſe, vel ut malam nobis, vel aliis. Odium vero inimicitiæ illud eſt, quo alicui perſonæ ex eius diſplicentia volumus malum, quatenus eius malum eſt, & hoc præcipue dicitur odium perſonæ; cum alter, nempe odium abominationis dicatur, & accipiatur ordinarie loquendo pro averſione, ſeu odio qualitatis perſonæ. Odium inimicitiæ ex genere ſuo eſt mortale, quia directe opponitur præcepto Charitatis negativo non habendi odium proximo, ut 1. Ioann. 3. *Omnis qui odit fratrem ſuum homicida eſt*. Poteſt tamen eſſe veniale ex levitate materiæ, ut ſi ex levi diſplicentia leve malum ei optemus. Si vero odium proximi ſit abominationis, & concipiatur ſine iuſta cauſſa & inordinate, eſt culpa gravis vel levis, ſecundum gravitatem vel levitatem materiæ. Si vero concipiatur cum iuſta cauſa, ut ſi quis averſetur peccatorem, quia peccator eſt, non quia homo eſt, tunc vacat culpa & ſimul laudabile eſt, quia non opponitur charitati, ſed procedit ex amore benevolentiæ erga Deum, & ſemper ordine Charitatis ſervato: Etenim tunc eſt odium ſolius peccati in proximo, ac proinde coniunctum cum Charitate, qua eidem volumus ſalutem, & eius media, ac alia bona quibus indiget. Idem dic, ſi malum ei exoptemus ob amorem maioris boni, puta ſpiritualis illius ſalutis, vel ob temporale bonum Reipublicæ, quia charitatis ordo ſic exigit.

Definitio odii & diviſio.

Facile colligitur ex his, quod nunquam liceat optare, & imprecari malum proximo ut malum eius eſt, vel gaudere de eius malo ut tali, vel dolere de eius bono ut eius bonum eſt; quia hi ſunt actus odii & inimicitiæ Charitati repugnantes, & ideo ex gene-

re

re ſuo mortales, nec fieri poſſunt veniales niſi ob defectum ſufficientis advertentiæ, vel ob levitatem mali optati &c.

Similiter non licet optare etiam inefficaciter malum proximi tametſi non ut illi malum, nec gaudere de malo ipſi ſine culpa noſtra advenienti, vel de eius bono triſtari, quamvis non ex diſplicentia perſonæ, ſed præciſe propter minus bonum noſtrum, vel alterius proximi; quia huiuſmodi actus repugnant debito ordini charitatis, ex qua tenemur præferre bonum proximi maius, & altioris ordinis noſtro minori, & ordinis inferioris, iuxta propoſitiones damnatas ab Innocentio XI. n. 13. 14. 15.

Cum autem, ut docet D. Thomas in 3. *diſtinct.* 30 *art.* 1. *ad* 4. ex ordine quem habet Charitas, plus debeat quiſque diligere ſe ipſum quam alios, & plus propinquos quam extraneos, & plus amicos quam inimicos, bonum commune quam privatum; hinc ſalva Charitate poteſt aliquis optare malum temporale alicui, & gaudere ſi contingat, non in quantum eſt malum illius, ſed ut eſt impedimentum malorum alterius, quem plus tenetur diligere, vel communitatis, & Eccleſiæ. Item de malo eius temporali, ex eo quia per malum pœnæ impeditur frequenter malum eius culpæ. Quare licitum eſt optare mortem iuſte obventuram hæreſiarchæ vel malefactori noxio Reipublicæ, ac de ea gaudere, non ut ipſius malum eſt, ſed quatenus per talem mortem maiora mala impediuntur, & ob bonum multorum, præferenda eſt bono unius privati.

Licet optare in bello iuſto victoriam de hoſtibus, vel Turcarum excidium propter maius bonum noſtræ communitatis, vel Eccleſiæ; quia bonum Eccleſiæ, noſtræque communitatis præponere debemus bono alterius Communitatis.

Item poſſumus licite optare malefactori pœnam quam meretur per Iudicem infligendam, vel ut ipſe & alii coerceantur ab iniuria tibi vel aliis inferenda, cum hoc ſit Charitati conſonum; vel ut conſulatur bono Reipublicæ & communitatis, cum ſit actus pietatis erga Rempublicam & Communitatem; vel ut ius læſum reſarciatur, cum ſit actus iuſtitiæ. Non licet ſibi optare malum, ad vitandum minus, cum hoc ſit contra debitum ordinem Charitatis; ideoque mortaliter peccant qui ſibi mortem deliberate deſiderant, ex gravi impatientia, ad evitandas leves aliquas moleſtias.

Similiter lethaliter delinquit ex dictis qui contra aliquem gravem profert maledictionem ex animo, ut malum grave ei eveniat; ut v. g. *Utinam moriaris*, *Diabolus te rapiat* &c. Quinimmo, ſibi vel aliis ex ira malum grave imprecari, quamvis ſine animo ut eveniat, ſæpe mortale eſt, ſive ratione contumeliæ gravis, ſpectata perſonæ qualitate, ſive ratione ſcandali. Unde graviter peccant Parentes liberis ſuis præſentibus oretenus grave malum ex ira imprecantes, ob ſcandalum erga Filios. Item qui durante paſſione grave malum deliberate alicui evenire voluerit, licet ſtatim poſt ſe retractaverit, immo ipſi diſplicuiſſet ſi eveniat; quia deliberate iræ conſenſit in re gravi. Sicuti etiam ſe ipſum ex ira deliberate Dæmoni devovere, ob rei turpitudinem, ac perverſitatem, ut ex D. Thoma 2. 2. *q.* 76. *art.* 3.

Qui confitetur igitur maledictionem interrogandus eſt, an ex animo malum ſibi, vel alteri imprecatus ſit, an cum ſcandalo, vel contumelia, & quale malum in ſpecie optaverit, quia maledictiones ſpecie differunt ſecundum diverſitatem malorum, quæ optantur, cum voluntas mali ſpeciem ſumat etiam ex obiecto materiali.

Maledictio gravis effuſa in non ſubditum præſentem repugnat non tantum charitati ſed etiam iuſtitiæ, quia eſt gravis & iniuſta læſio honoris proximi ſeu contumelia; idcirco obligat ad ſatisfactionem.

Maledicere Creaturis irrationabilibus ut ſunt homini utiles, æquivalet maledicere homini. Eas vero maledicere ut ſunt creaturæ Dei, eſt blaſphemia: ſi vero ſolum maledicantur ſecundum ſe conſideratæ, otioſum eſt & vanum, ac ideo illicitum, ſed cenſetur tantum per ſe veniale; ut quando ruſtici ſuis equibus mortem vel aliud malum precantur.

De Acedia vero & invidia iam loco ſuo actum fuit dum agebatur de vitiis capitalibus. Quare ſequitur de Diſcordia.

Quartum vitium quod Charitati opponitur eſt Diſcordia, quæ definitur *cordium diviſio aut diſſenſio voluntatis a voluntate alterius, in iis, quæ quis velle debet ex charitate Dei, & proximi*. Oppoſita eſt concordiæ, quæ conſiſtit in voluntatum conſenſione; & eſt peccatum ex genere ſuo mortale ut Proverb. 6. *Deus deteſtatur eum, qui ſeminat inter fratres diſcordias*. Poteſt eſſe veniale ex defectu plenæ advertentiæ vel levitatis materiæ. Et D. Thomas addit non eſſe peccatum diſcordiæ, cum unus iudicat hoc eſſe bonum & pertinere ad honorem Dei, vel utilitatem proximi, & alius contrarium Diſcor-dia defi-nitio.

Digitized by Google

rium ſentit. Dummodo tamen hæc diſcordia non ſit cum errore circa ea quæ ſunt de Fide aut neceſſitate ſalutis, vel pertinacia indebite adhibeatur.

Definitio contentionis. Contentio eſt quintum vitium, quæ definitur *concertatio verborum inordinata ad impugnandam veritatem*. Ita D. Thom. cit. *q.* 38. art. 1. Eſt peccatum mortale ex genere ſuo, ſicuti alia quæ charitati opponuntur, 1. ſi impugnetur veritas ad fidem, bonos mores, pietatem, iuſtitiam, bonum proximi ſpectans. Si tamen impugnetur exercitii gratia ad illuſtrandam explicandamque veritatem, vel ad explorandam doctrinam alterius, ſecluſo ſcandalo, & modo inordinato, non eſt peccatum. 2. Si contentio fiat cum periculo ſcandali, vel cum gravibus maledictis, conviciis, contumeliis: ſecluſo vero ſcandalo & conviciis, ſi materia ſit levis, & inordinatio ſit tantum in modo, ideſt cum nimia acrimonia, aut ex ſolo ſtudio vincendi adverſarium, eſt tantum veniale.

Definitio Schiſmatis. Sextum vitium contra Charitatem eſt ſchiſma, quod definitur *voluntaria ſeparatio baptizati ab unitate Eccleſiæ*, ſeu ſubtractio ab obedientia Eccleſiæ, vel ſummi Pontificis eius capitis in ſpiritualibus, vel etiam voluntaria ſeparatio a ſolis membris, ut habet D. Thom. 2. 2. q. 36. art. 1.

Schiſma aliud purum eſt, quod ſolum Charitati, paci ac obedientiæ adverſatur, ut fit in iis qui credentes unam eſſe ſanctam Eccleſiam ſub uno viſibili capite Pontifice Romano conſtitutam, & quidquid Eccleſia ipſa Romana credit; ex malitia tamen voluntatis & ſuperba rebellione recuſant ſubeſſe & obedire Papæ, vel cum aliis membris Eccleſiæ coniunctim vivere. Aliud vero eſt coniunctum cum hæreſi; ut ſi quis a Papa ſe disiungat, quia non credat eius poteſtatem.

Licet vero pure Schiſmatici non ſint hæretici, omnes tamen hæretici ſunt etiam Schiſmatici, cum non ſolum ſe dividant a Papa, vel ab univerſa Eccleſia, vel a ſuo Epiſcopo unito Papæ & ſubdito, vel ab aliis membris Diœceſis; ſed ſe dividant etiam per doctrinam quam ſequuntur ſenſui Eccleſiæ contrariam.

Schiſma eſt graviſſimum ſcelus, ut habetur ex PP. quia lædit inſigne bonum commune, ideſt unitatem ipſam Eccleſiæ quam ſcindit, ut S. Auguſt. in Epiſ. 152. Schiſma nunquam poteſt ex levitate materiæ eſſe veniale.

Pœnæ contra Schiſmaticos ſunt excommunicatio maior ipſo facto incurrenda, ut in Bulla Cœnæ; Privatio officii, ordinis, & Iuriſdictionis; inhabilitas ad beneficia obtinenda; Suſpenſio ordinis ſcienter recepti a Schiſmaticis; Irritatio collationis beneficiorum; Suſpicio vehemens de hæreſi.

Quando Schiſma ſit in Eccleſia ratione plurium Summorum Pontificum, & de omnibus æqualiter dubitetur, fideles nullum tunc debent habere pro Pontifice, ſed tantum credere ſe eſſe membra Eccleſiæ Catholicæ, cuius principale caput eſt Ieſus Chriſtus.

Rixa ceterum vitium contra Charitatem. Septimum vitium contra Charitatem eſt Rixa, nempe pugna manus, & verborum inter privatos, ideſt quando aliqui ex ira invicem ſe percutiunt privata auctoritate; vel, ut ex D. Thoma, eſt *quædam contradictio in factis uſque ad percuſſionem*. Aggreſſor peccatum committit lethale ex genere ſuo, quia hoc eſt contra Charitatem & iuſtitiam: qui autem ſe defendit poteſt eſſe ſine peccato, ſi ſolo animo iniuriam repellendi, & cum debita moderatione ſe defendat; & cum peccato veniali vel mortali, ſecundum diverſum eius animi motum, vel modum diverſum ſe defendendi, ut & D. Tho. 2. 2. *q.* 41. *art.* 1.

Seditio eſt contra Charitatem. Octavum vitium contra Charitatem eſt ſeditio, bellum nempe quo pars una Reipublicæ aliam, vel Principem ipſum hoſtiliter aggreditur; vel, ut ex D. Thoma, *eſt tumultus unius partis Reipublicæ contra aliam*. Et ſemper eſt mortalis; quia ſemper graviter adverſatur unitati, paci, ac bono communi, & lædit ipſam iuſtitiam, quia uſurpatur auctoritas bellandi, vel Rempublicam liberandi, quæ apud ſolum Principem reſidet.

§. I I.

De Bello.

Belli definitio. **Cum Bellum** paci charitatis opponatur, iure merito cum D. Thoma 2. 2. *q.* 40. in propoſito eorum vitiorum quæ charitati adverſantur, de ipſo bello pariter ſolent Theologi pertractare iuxta regulam D. Thomæ, ex cuius doctrina definiri poteſt *diſſidium quoddam inter Principes ad pugnam ordinatum multitudine armata*.

Bellum aliquando licitum eſt, ſi debitis circumſtantiis fiat & conditionibus quæ a D. Thoma aſſignantur 2. 2. *q.* 40. *art.* 1. & communiter etiam a DD. omnibus, & ſunt ſequentes.

Primum auctoritas ſuprema Principis, cuius mandato Bellum eſt gerendum, & hæc ſuprema auctoritas & poteſtas reſidet vel

in

in Republica libera, vel in Supremo Principe, cui cura demandata eſt Reipublicæ. Nam cum Supremi Principes, & Reſpublica libera non habeant Superiores, a cuius auctoritate poſſint obtinere ius ſuum, & iniuriæ compenſationem, iure naturæ ipſis competere debuit poteſtas ius ſibi dicendi & cogendi partem adverſam ut ſibi ſatisfaciat mediante indictione Belli, quod eſt actus ſupremus iuſtitiæ vindicativæ. Alias Reſpublica perfecta non poſſet in pace conſervari. Unde licet quilibet Princeps non Supremus, & Reſpublica imperfecta poſſit gerere bellum defenſivum pro tuenda vita, honore, & bonis, cum iure naturæ competat cuilibet ac liceat vim repellere, & a quolibet iniuſto aggreſſore ſe defendere, nemo tamen alius non Supremus Princeps & non libera Reſpublica ob allatas rationes poteſt gerere bellum offenſivum, niſi tamen reſpectu Principis non Supremi, & imperfectæ Reipublicæ introductum eſſet & præſcriptum tale ius contraria conſuetudine; vel Princeps eſſet nimis negligens & neceſſitas urgeat; vel non eſſet ita facilis recurſus ad Principem.

Secundo ad Bellum indicendum requiritur iuſta cauſſa, idest ut illi qui impugnantur propter aliquam culpam, impugnationem mereantur; quia cum bellum ſit ſententia, abſque iuſta cauſſa nec proferri, nec exequi poteſt. Cauſſa vero iuſta non eſt niſi graviſſima iniuria Principi vel ſubditis illata in honore, vel uſurpatione, vel iniuſta detentione bonorum, vel iurium, quam tollere vel compenſare pars contraria recuſet, ut ex D. Auguſt. in *Cap. Dominus* 23. *q.* 2. Etenim charitas exigit ut ſine graviſſima & neceſſaria cauſſa non inferantur aliis graviſſima damna, qualia inferuntur in Bello. Si autem maiora incommoda, præcipue reſpective ad Dei honorem, & catholicæ Religionis bonum prævideantur ſecutura, a Bello eſt abſtinendum; quia debitus ordo rerum & charitas vult, ut honor Dei, bonum Eccleſiæ, ac ſalus æterna proximi, bono temporali ſtatus pollitici præferantur. Aliæ etiam cauſſæ ut iuſtæ ab aliquibus admittuntur pro bello iuſte indicendo: ut violatio fœderis initi in rebus magni momenti, ſubditorum rebellio; vel ſi præbeatur auxilium ad iniuſte præliandum contra Principem, vel ſi denegetur tranſitus innoxius, & neceſſarius per aliena dominia.

Tertio requiritur recta intentio bellantium, qua intendatur bonum promoveri malumque vitari. Quare Bellum fieri non debet ex odio, inordinata avaritia, cupiditate imperii amplificandi, ſed ob publicam quietem & iuſtitiam ſervandam, ad opitulandum iniuſte oppreſſis.

Hinc licet aliis etiam tamquam ſociis auxilium præbere Principi habenti iuſtam cauſſam Belli, & huic licet uti ſubſidio aliorum, tametſi diverſæ ſint Religionis; ſicuti Iudas Machabæus fœdus iniit cum Romanis 1. Machab. 8. Quia per ſe loquendo non eſt illicitum in re iuſta præbere alteri auxilium; non licet tamen etiam in bello iuſto curare auxilium infidelium, vel hæreticorum, ſi adſit periculum ſcandali, ſacrilegiorum, incrementi hæreſis, detrimenti veræ Religionis: Nam ſalus æterna proximi & præcipue multorum præferenda eſt cuicumque bono temporali, & Principes tenentur quantum poſſunt honorem Chriſti ſuper omnia zelare, ſuamque Eccleſiam quam proprio ſanguine acquiſivit illæſam ſervare; immo & augere iuxta monitum S. Cœleſtini I. ad Theodoſium Imperatorem in actibus Concilii Epheſini. Unde ſanior videtur ſententia contraria ſuſtinens, quod eſto illicitum non appareat ſpeculative, eſt tamen illicitum practice advocare auxiliarios Infideles, aut hæreticos in Bello præcipue contra Principes Catholicos, propter plura imminentia damna, quæ ut plurimum Catholicæ Religioni obveniunt, & quę difficillime caventur in huiuſmodi confœderationibus. Nec valet exemplum Iudæ Machabæi, quia hic fœdus iniit cum infidelibus contra alios infideles; & ideo Rex Aſa reprehenſus fuit a Propheta Domini, quod vocaverit in auxilium Benadab Regem Syriæ contra Regem Iſrael.

Quamvis autem dari non poſſit Bellum utrimque iuſtum ex natura rei, cum circa idem non poſſint eſſe iura contraria; nihilominus fieri poteſt, ut neutra pars peccet bellum gerendo ob ignorantiam invincibilem.

§. III.

De iis, quæ ante Bellum & in Bello obſervanda, ac facienda ſunt, ut Bellum ſit licitum.

Certum eſt quod antequam Princeps Bellum indicat, rem diligenter examinare debet cum viris peritis ac probis, ut moralem habeat certitudinem de cauſſæ iuſtitia. Quare Princeps cum opinione nedum probabili, immo ne quidem probabiliori de iure quod habeat ſuper regnum vel Provinciam ab altero Principe poſſeſſam, vel de aliqua probabili, vel etiam probabiliori iniuria, non poteſt inſtituere Bellum, ut illum his expoliet, vel de tali ſolum opinabili iniuria ſatisfactionem requirat: Quia opinio probabilis, & etiam probabilior non eſt ratio & fundamentum ſufficiens grave ad rem tam terribilem inſtituendam, ut eſt Bellum, ob graviſſima incommoda, quæ tum ſtatui tam Civili, quam Eccleſiaſtico, tum bono tam

tem-

Digitized by Google

temporali quam ſpirituali populorum ex bello obveniunt. Charitas enim & iuſtitia exigunt, ut malis huiuſcemodi populi non exponantur, niſi plane conſtet de iuſta cauſa ſufficiente; nam ſi non licet hominem privatum in dubia cauſſa punire, multo minus licebit punire multos totamque Rempublicam. Quod ſi iuſtitia ſit dubia, & alter ſit in poſſeſſione certa, iniuſtum eſt bellare, quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis. Poſtea tenetur parti adverſæ iuſtitiam cauſſæ, ſuaſque prætenſiones patefacere, ut iniuriæ illatæ illa ſatisfacere poſſit, vel ablata reſtituere, ſive alia damna compenſare; nam bellum ob mala graviſſima, quæ ipſi iunguntur, ſine neceſſitate licite geri non poteſt. Idcirco ſi æqua ſatisfactio offeratur, acceptanda eſt, alias bellum ſine iuſta cauſſa, & neceſſitate fieret.

In Bello iuſto quid liceat?

In Bello iuſto licent ea omnia ſola, quæ iuxta conſuetudinem Chriſtianorum neceſſaria ſunt ad finem Belli obtinendum; ſcilicet ut iniuſte ablata recuperentur, vel iniuſta iniuria vindicetur, ac ſecuritati Reipublicæ provideatur. Etenim quando finis iuſtus eſt, iuſta ſunt etiam media omnia, & ea tantum quæ ſunt per ſe ad eumdem neceſſaria: alias proximus iniuſte læderetur. Unde licitum eſt interficere hoſtes pugnantes & reſiſtentes, non tamen innocentes qui non pugnant, ut ſunt Clerici, ſenes, mulieres, pueri, ruſtici, opifices &c. quamvis partes ſint Reipublicæ hoſtilis; cum ſemper illicitum ſit directe occidere innocentes; nec Reſpublica puniri poteſt in ſuis membris niſi prout eius dominio ſubiiciuntur, quod abſolute dici nequit de civium vita. Poſſunt tamen interfici indirecte & per accidens; quando ſcilicet nec urbs expugnari, nec milites, ſeu nocentes vinci nequeunt ſine morte etiam innocentum; quia publicum bonum, quod ſperatur ex victoria eſt multo maius quam aliquorum vita, qua præter intentionem privantur. Alias bellum geri non poſſet contra nocentes, & ſic nihil bellantibus prodeſſet iuſta cauſſa quam habent pro bello gerendo. Licitum eſt ſpoliare ſuis bonis Cives, qui partes ſunt Reipublicæ hoſtilis, quamvis non pugnent, ſi hoc neceſſarium ſit ad finem Belli; quia cum partes Reipublicæ ſint, Reſpublica iuſte in illis punitur; eam debilitando expoliatione bonorum, quæ ipſius dominio ſubduntur. Non eſt illicitum uti inſidiis & ſtratagematibus ad ſecurius faciliuſque vincendum, ut conſtat ex libro Ioſue cap. 8. Quia non ſunt mendacia, ſed veritatis occultatio.

Civitas capta dari nequit ſine gravi neceſſitate in prædam, propter ſcelera multa & mala, quæ in tali deprædatione ſolent milites committere, & quando ita res exigit ut detur, tenentur Duces præcavere omni meliori diligentia ne ſcelera committantur. Quæ vero nequeunt ulla prudentia præcaveri, ut corrumpere veneno alioque modo puteos, aquas, glandes, non licent; quia ſunt contra iura belli & gentium. Item chriſtiani capti a Chriſtianis non poſſunt fieri ſervi; quia in honorem Chriſtianæ Religionis & libertatis per Chriſtum conſecutæ hæc conſuetudo recepta eſt inter Gentes Chriſtianas, idcirco eſſet contra ius gentis Chriſtianæ.

Victores licite non poſſunt ſibi retinere urbes captas, nec alia bona immobilia hoſtium, niſi quatenus non excedunt debitam compenſationem, & ſatisfactionem, vel ſunt neceſſaria ad ſecuritatem firmandam impoſterum contra victos; quia compenſatio debet eſſe proportionata debito, & pœna culpæ; alias eſſet iniuſta.

Si æqua ſatisfactio offeratur, ac ſufficiens ſecuritas, & compenſatio impenſarum belli præſtetur, tenetur Princeps inchoatum *bellum* finire; quia ceſſaret cauſa belli continuandi, & proinde illicitum foret.

Quæ licite fieri nequeant?

Iure naturali nihil licite fieri poteſt contra iuſtitiam, ius gentium, fortitudinem, Charitatem, ac veram Religionem. Et fides data hoſtibus eſt ſervanda ex D. Auguſt. cap. *Noli*. Hæc enim obligatio eſt de naturali iure & gentium, atque hoc neceſſarium eſt ad pacem, & ad commune bonum regnorum; quia ſi fœdera publica inter Principes, ac Regna non ligarent, nec neceſſario ſervanda eſſent, nulla pax, nec ſocietas inter genus humanum conſiſtere poſſet. Hoc tamen intellige niſi hoſtes ipſi fidem frangant; nam pacta fieri cenſentur ſub hac conditione, ideſt dummodo non recedat altera promiſſis, fidemque datam non violet.

Principes, eorumque Duces ſolvere debent iuſta ſtipendia militibus, & impedire omnia crimina, quæ moraliter impedire queant, & cavere ne proprii ſubditi graventur iniquis vexationibus; alioquin compenſare tenentur damna, quæ ex defectu dictæ ſolutionis, aut debitæ eorum diligentiæ ſequerentur: quia iniuſte ea paterentur eorum cauſſa.

Bona capta in Bello iuſto ſi immobilia ſint ſpectant ad Principem, ſive ad Rempublicam. Mobilia vero, dummodo ex contraria conſuetudine Regionis dividenda non ſint inter milites, aut una pars cedat Principi, ſpectant ad capientes. Ea vero quæ iniuſte ſunt capta reſtituenda ſunt propriis dominis; ex Leg. 20. §. *de Captivis*, cum ſint horum iuris non hoſtium.

Repreſalia quæ occaſione Belli fieri ſolent, ſub certis conditionibus licita ſunt: Nam bona ſubiecta iuriſdictioni Reipublicæ, quæ cum inculpata ſit, non curat reparationem iniuriæ

a ſuis membris Civibus alterius Reipublicæ illatæ, publica auctoritate uſurpari poſſunt in compenſationem. Conditiones vero ad hoc ut licita ſint repreſalia ſequentes apponuntur, ſcilicet ut conſtet de iniuria illata; ut Princeps aut Magiſtratus Civium nocentium, etiam rogati debitam denegent ſatisfactionem; ut fiant auctoritate Principis Civium læſorum; ne plus damni inferatur, quam requirat iuſta ſatisfactio; nec fiant in perſonis Eccleſiaſticis eorumque bonis: Capite unic. *de Iniur. in 6.*

Circa vero milites, ut tuta conſcientia poſſint in Bellis inſervire etiam offenſivis docent Theologi, quod ſi ſubditi ſint Regis bellum inferentis, vel ſi alienigenæ, illius tamen ſtipendiis addicti, tenentur obedire ac militare, quoties de iniuſtitia Belli certo non conſtet. Quia Bellum illatum a Supremo Principe, iuſtum præſumi debet, quoties illis contrarium non conſtet; & quia cum Milites ſint executores ſententiæ Regis, non tenentur examinare iuſtitiam ſententiæ illatæ. Hoc evidenter expreſſum habetur a D. Auguſt. cap. *Quando culpatus*, a Gratiano 23. *pag. 166. n. 29.* Quod ſi milites non ſint ſubditi, nec ſtipendiarii, non poſſunt militare niſi prius de iuſtitia Belli perquirant. Ita apud DD. communius & probabilius; quia tales milites non tam executores ſunt, quam inferentes ſententiam Belli; quocirca debent certificari moraliter de iuſtitia ſententiæ inferendæ, & ideo militare non valent niſi prius iuſtitiam Belli examinent, & eo vel maxime quod ex bello graviſſima damna ſequuntur, quæ nullus miles inferre poteſt niſi ei moraliter conſtet licite & iuſte hæc poſſe exequi.

Si vero milites ſuperioris ſint ordinis, eorum ſcilicet qui admittuntur ad conſilia Belli & ſe habent ut cauſſæ principales, poſitive conſcii eſſe debent de iuſtitia Belli; alias cum hi dubii ſint de iuſtitia Belli, & libere ac ſponte periculo damni inferendi ſe exponant, peccant pugnando.

§. IV.

De ſcandalo.

Scandalum Græcum nomen, quod Latine ſignificat offendiculum, eſt lapis in medio viæ, ad quem viator incaute offendens procidit: ad mores translatum, ſignificat quidquid nobis in via æternæ ſalutis ambulantibus eſt occaſio ſpiritualis ruinæ; & in tali ſenſu a Theologis

Definitio Scandali.

omnibus cum S. Thoma 2. 2. *q.* 43. *a.* 1 definitur, *dictum aut factum minus rectum præbens alteri occaſionem ruinæ*. Dicitur *dictum aut factum*; quia ſoli actus exteriores qui ab aliis cerni poſſunt, offenſio illis eſſe poſſunt. Nomine autem dicti, vel facti intelligitur etiam externa omiſſio, ut non audire ſacrum die feſto; non reprehendere præcipue ſubditos blaſphemantes &c. quæ aliis ſcandalo eſſe poſſunt, & offenſionis. Dicitur *minus rectum*; quia non ſolum actio per ſe mala, ſed etiam ſolam habens mali ſpeciem, æque inducit ad malum ipſum, ſeu peccatum; ut ſi aliquis domum ſuſpectæ mulieris frequentaret, dummodo aliis non innoteſceret ipſum hoc facere cauſſa neceſſarii negotii; quia tunc hoc ſpeciem haberet boni. Dicitur ultimo, *præbens alteri occaſionem ruinæ*; quia ad rationem ſcandali non eſt neceſſe quod ruina ſequatur, ſed ſatis eſt quod talis detur occaſio, unde ſpectata proximi fragilitate probabiliter peccatum ſequi poſſit; idcirco 1. Theſſal. 5. præcepit Apoſtolus ut ab omni ſpecie mali abſtineamus: *ab omni ſpecie mali abſtinete vos.* Culpa in aliorum conſpectu commiſſa tunc tantum malitiam habet ſcandali, quando adſit probabile periculum ne ii coram quibus committitur, exinde ad peccatum incitentur. Quocirca blaſphemia prolata coram ſolis doctis, religioſiſque perſonis non habet rationem ſcandali. Hinc qui publice peccat tenetur hanc ſcandali circumſtantiam aperire in confeſſione, ratione periculi, cui ſe pravo ſuo exemplo exponit, multos ad peccatum impellendi.

Scandalum aliud eſt activum ſeu datum, aliud paſſivum ſeu acceptum. Scandalum activum aliud eſt directum, quando quis dictis, vel factis proximum ſuum in ruinam impellere intendit, puta in fornicationem; aliud indirectum, quando quis non intendens proximi ruinam, aliqua in proprium commodum, aut oblectationem animi dicit occulte, vel facit, quæ tamen viſa ab aliquo per accidens ipſi eſt occaſio peccati. Sed hæc non eſt culpa diſtincte aperienda in Confeſſione. Si vero ſcandalum indirecte præbeatur faciendo, vel dicendo palam coram aliis malum vel mali ſpeciem habens, licet non intendatur tali dicto, vel facto inducere alios ad peccatum, ideſt non intendatur peccatum alterius, eſt tamen ex genere ſuo mortale contra Charitatem diſtincte exprimendum in confeſſione; quia hoc ſpeciali modo violatur Charitas in eo quod obligat, ne proximus in peccatum, nec in eius periculum inducatur. Nam ſi præcipit ut tale malum in proximo impediatur per correctionem fraternam, clariſſime patet quod eo magis obligat ne in malum vel in eius periculum per ſcandalum coniiciatur. Patet igitur quod ad incurrendum peccatum ſcandali activi non ſit neceſſe ut intendatur inducere alios ad malum, nec quod actio ſit per ſe mala, ſed ſatis eſt ut appareat talis, ſeu ex circumſtantia aliqua apparere poſſit mala iis, qui audiunt, vel vident tale dictum,

Diviſio ſcandali

ctum, vel factum; ac proinde dicitur in definitione *minus rectum* ideſt ſpeciem mali præſeferens, ex quo fit ut ſit ad malum inductiva; ut ſi turpia coram adoleſcentulis vel puellis virginibus quis loquatur vel domi mulierem ſuſpectam retineat, licet cum ea non peccaret, nec ei periculum eſſet cum illa peccandi.

Scandalum paſſivum ſeu acceptum, alterum dicitur puſillorum, quod oritur ex proximi ignorantia vel infirmitate, alterum Phariſæorum, quod oritur ex malitia ipſum accipientis, ut factum fuit in Phariſæis, qui ex inſigni eorum malitia ex dictis vel factis Chriſti occaſionem peccandi accipiebant. Idcirco ſcandalum huiuſcemodi cenſendum foret, ſi ex licito mulieris ornatu quis occaſionem lapſus acciperet. Scandalum paſſivum non eſt ſpeciale peccatum, ſed eiuſdem ſpeciei ac vitium, in quod quis ex ſcandalo labitur; & eſt mortale vel veniale iuxta gravitatem aut levitatem peccati, in quod ex alterius ſcandalo inducitur.

Scandalum activum duplicem habet maliciam.

Scandalum activum ſive directum, ſive indirectum per ſe duplicem habet malitiam in confeſſione explicandam, ideſt contra Charitatem, & contra virtutem cui repugnat malum opus ad quod inducit: Quælibet enim virtus directe obligat ad ipſius actus eliciendos, & indirecte ad non promovendum in aliis ſui violationem, ideſt ne quomodocumque alii ad actus ſibi oppoſitos impellantur. Inſuper qui inducit ad peccatum, cooperatur, ac conſentit peccato, ad quod provocat; unde reus fit illius peccati. Etenim ut docet D.Paulus in ſua epiſtola ad Romanos, facientes malum eique conſentientes, æque rei fiunt eiuſdem pœnæ æternæ damnationis. Igitur petens, ſuadens, conſulens quod ſine culpa præſtari ac fieri nequit, peccat tum contra charitatem, tum contra virtutem, cui opponitur malum, quod petit, ſuadet, ac conſulit; ideſt contra caſtitatem ſi alterum ad fornicandum, contra iuſtitiam ſi ad furandum quempiam induxit, quia fuit eis cauſſa ruinæ, ac imparatos ad talia mala, ſaltem induxit ad ea hic, & nunc perpetranda, dum parati non erant actuali, ſed ſolum habituali voluntate peccandi.

Iiſdem culpis quoque maculantur ii, qui vel alterum laudant de patrato crimine, vel vituperant, quia illud non commiſerit; quia illæ laudes, vel vituperia ſunt fomenta, ac ſtimula, ſuaſioneſque ordinatæ, & de ſe aptæ ad inducendũ in peccatum, atque ad complacendum de commiſſo, unde ab illo ſuam deſumunt malitiam.

Recenſentur peccantes peccato ſcandali.

Lethaliter peccant contra Charitatem & caſtitatem qui pingunt concubinam amaſio, ſalvo tamen ſecundum aliquos citatos hic a Salmanticenſibus, ſi inducantur ad tale opus a gravi metu mortis, mutilationis, aut alterius huiuſce generis damni & incommodi. Item iiſdem criminibus obnoxii fiunt, qui imagines effingunt ſtatuaſque nudas, vel publice eas exponunt, utpote quæ ſint res ad turpia excitantes; qui ſcribunt, imprimunt, tradunt, recitant, vendunt cantilenas obſcœnas; qui componunt, aguntque comœdias inhoneſtas, vel quæ ob verba, facta, vel geſtus habent in ſe periculum culpæ, qui ſua præſentia eas approbant, illis conſentiunt, & cooperantur, mercedem actoribus ſolvendo. Fœminæ nudo pectore incedentes, non obſtante Patriæ conſuetudine, utpote contraria Chriſtianæ modeſtiæ, & ſanctitati, cum talis denudatio ſit ſcandalum nimis efficax ad impuras complacentias fœdaque deſideria excitanda. Itidem puella quæ ſine iuſta cauſſa ſe conſpiciendam exponit ei, a quo putat ſe turpiter amari, ac concupiſci, tametſi hoc faciat ex mera vanitate ſine animo eius amorem excitandi. *Sic* peccatum eſt ſcandali induere fœminas veſtes viriles, & homines muliebres, ratione periculi libidinis & ſibi, & aliis: ſecluſo tamen tali periculo ſpiritualis ruinæ, aliqui excuſant a mortali ſi hoc fiat ex curioſitate vel levitate; ſicuti etiam a gravi eximunt ducentes choreas inter perſonas quoque diverſi ſexus, ſi modeſte & ſine ullo periculo ducantur, nempe eo modo quo quotidie contingit in aulis Principum, & nobilium domibus, ubi cum omni honeſtate fiunt.

Locantes, vendentes veſtes, domos meretricibus, & uſurariis docent DD. ut probabilius excuſari a lethali culpa, quia domus venditio, aut locatio nimis ab aliorum peccato remota eſt, & domus principaliter, & univerſaliter ad alios licitos uſus ordinata eſt. Præterquamquod cum Reſpublica ad maiora damna vitanda huiuſcemodi perſonas permittat, videtur quod nemo impediatur ut domum eis locet ſine culpa, dummodo tamen talis domus eis aptior non eſſet ad crimina meretricii perpetranda, vel extra fines pro talium mulierum habitatione, per Principem ſtatutos; ex quo fit, peccare qui cubiculum concedit, quod ſcit, vel ſaltem graviter ſuſpicatur ad pravum finem peti, quia tunc non petitur res indifferens, ſed abuſus rei indifferentis. Similiter non eximuntur a gravi peccato ſcandali locantes, vel quoquomodo concedentes domum aut cubiculum aleatoribus, ut ibi ludus vetitos exerceant, quia hi ludi graviſſima pariunt incommoda ac crimina fraudis, blaſphemiæ, periurii, iræ, contentionis & familiarum ruinæ, cum gravi ludentium ſpirituali detrimento. Etenim lex Charitatis in Deum, & proximum cum obliget ad cavendum, & impediendum etiam in aliis peccatum, quod eſt offenſa Dei & maximum proximi

ximi malum, multo magis vetat ne occaſio, & periculum peccandi proximo præbeatur; unde qui ſecus agit cooperatur eius peccatis, ac proinde contrahit eorum malitiam, quæ libere ponendo id quocum coniuncta eſt, & cognoſcitur, vel cognoſci poteſt, & debet ſaltem interpretative, eſt volita.

Quare peccant famuli qui ſuam dominis ſervitutem præbent in his, quæ ſunt contra caſtitatem, quando talis ſervitus ex ſe determinata eſt ad venerea, cuiuſmodi eſſet quærere Domino concubinam, vel illam ducere ad domum, vel ad locum ad hoc deſignatum, deferre turpia internuntia, litteras, amatorias, quæ turpia continent, ſcalam apponere humeris, herum ſuſtinere, ut per feneſtram ad fornicandum ingrediatur, vel vi domum alicuius virginis, vel cuiuſcumque alterius fœminæ ad talem finem ipſi aperire, etiam non obſtante gravi timore cuiuſcumque gravis damni, & incommodi, ut docet Innocentius XI. qui damnavit propoſitionem in qua contrarium docebatur, quæ ordine eſt 5. Nam omnia hæc utpote intrinſece mala, illicita ſunt etiam cum periculo mutilationis, & mortis. Quod enim eſt intrinſece malum, *ne quidem in periculo mortis*, ait S. Thom. *honeſtari valet*. Excuſantur vero a culpa ſi tantum inſerviant dominis in rebus circa venerea indifferentibus, ut eſſet parare menſam concubinæ, lectum ſternere, crines ipſi accommodare, miniſtrare menſæ, comitari herum ad concubinæ domum, quando etiam ſine famulo comite adiret &c. quia hæc ſunt officia licita famulatus, ac bono pravoque uſui indifferentia; dummodo tamen non ſciat famulus, Dominum hoc famulatu abuſurum; puta ſi Dominus uteretur comitatu famuli dum vadit ad domum Concubinæ ut liberius ac ſecurius ad peccandum adiret; quia in tali caſu hæc non ſunt amplius indifferentia, ſed turpia; idcirco a famulo vitanda; alias in peccatum Domini proxime influeret. Nam hæ actiones in talibus circumſtantiis proxime ad peccatum adiuvant, & ordinantur: Tunc enim cooperatio ad aliquam actionem malam non eſt intrinſece mala ſed indifferens, & ob gravem metum, honeſtam utilitatem, neceſſitatem licita eſt, quando cauſſa principalis illius actionis poteſt tum bene, tum male eam exequi, & ex ſua malitia provenit quod male fiat. Quare poſſumus in neceſſitate petere mutuum ab uſurario, iuramentum a Gentili, & iuſta de cauſſa ab indigno miniſtro ſacramenta poſtulare, tametſi ſciamus ab uſurario non mutuo ſed uſura conceſſam iri pecuniam, Gentilem per falſos Deos iuraturum, & miniſtrum ſacramenta indigne miniſtraturum, quia omnes hæ actiones licite ab iſtis fieri poſſunt, idcirco nihil eorum culpæ in datis illis circumſtantiis cooperaremus; cum uſurarius ſine uſura mutuari poſſit, Gentilis per verum Deū iurare, & ſacramentorum miniſter debite miniſtrare. Ex oppoſito vero ſi non poteſt herus aperire portam, aſcendere feneſtras ad fornicandum ſine famuli opera; non licet cooperari huiuſcemodi actionibus peccaminoſis, abſque eo quod cooperetur peccato, & exinde in peccatum incurratur.)

Et hoc quod dicitur de peccato ſcandali, quod contrahitur cooperando peccatis contra virtutem caſtitatis, intellige de omni quoque alio opere ſcandali quod dare poſſimus cooperando in quacumque alia ſpecie vitiorum, & culpæ. Unde hæc ſit regula, quod ſi actio principalis cauſæ cui cooperamur ſit per ſe intrinſece mala, nullo modo cooperari poſſumus ſine culpa, cum in tali caſu nulla cauſſa excuſare poſſit, quin ſaltem interpretative cenſeamur velle alterius ruinam.

Notandum tamen ad clariorem intelligentiam, nulli actioni malæ ſive talis ſit per ſe, ſive ex præcepto licere cooperari, rem, vel opus præbendo, ex ea ſola ratione, quod iam animo parati ſint alii ad peccandum; quia non ſolum illicitum eſt, & peccatum, velle malum facere, & exequi, ſed etiam eius executioni cooperari; cum lex vetet non ſolum voluntatem peccandi v. g. furandi, ſed etiam actuale furtum, & furto ſeu peccato cooperari, ſeu ad alterius peccatum concurrere; immo iubet etiam quod illud impediatur, ſi poteſt impediri.

Notandum ulterius cum P. Antoine, quod cauſſa excuſans a non impediendo peccato ad illud concurrendo, re vel opere noſtro, tanto debet eſſe gravior, atque urgentior, quanto gravius eſt peccatum quod non impeditur, & quanto cooperatio noſtra minus remote illud attingit, & quanto probabilius eſt, ſine noſtra cooperatione alterum actionem pravam non executurum. Pariter communis eſt DD. ſententia, cauſſam majorem requiri, quando alter non ſit paratus ad peccandum, quia gravius malum patitur. Item ſi ille cui præſtamus cooperationem noſtram, ea contra iuſtitiam velit abuti; quia tunc tantum malum in nobis vitandum requiritur, quod ex charitate non teneamur illud ſubire ad impediendum tale damnum tertii. Etenim ſtrictior eſt obligatio impediendi peccata alterius, quæ nocent etiam aliis, quam peccatum, quod nocet tantum peccanti; cum in his ſolus peccans damnum ſpirituale ſubeat, quod ſubire vult, dum ei liberum eſt tali damno ſe ſubtrahere, peccatum vitando; cum ex oppoſito in aliis innocens ob ipſius peccatum damnum invitus patiatur. Et eo magis tenemur malum impedire nec eidem cooperari, etiam ex aliqua iuſta cauſſa timoris gravis damni, honeſta utilitate vel neceſ-

ceſſitate, ſive actio principalis cauſæ ſit per ſe, & intrinſece mala, ſive ad bonum, ac ad malum indifferens, quando putaremus abuſurum noſtra cooperatione contra bonum Reipublicæ, vel Eccleſiæ, quia tunc noſtra cooperatio inficiaretur culpæ reatu. Igitur iuſta exigente cauſſa, ſi actio principalis cauſſæ ſeu agentis ſit per ſe indifferens, nec probabiliter putemus principalem agentem noſtra cooperatione abuſurum in damnum Reipublicæ, Eccleſiæ, vel tertiæ perſonæ, excuſamur a culpa non impediendo illius malum, ſeu eiuſdem peccato cooperando; unde licite mutuum petere poſſumus ab uſurario parato ad exigendas uſuras, ſacramenta a miniſtro parato ſacrilege adminiſtrare, exigere iuramentum ab eo, qui paratus eſt, aut timetur falſum iurare, quia tunc petitur id quod a cauſſa principali licite, & honeſte exequi poteſt. Et ſi falſum iuret imputandum eſt eius malitiæ. Alias ſi hoc non liceret, anſam ex hoc homines arriperent debita negandi.

Non licet tamen inducere ad iurandum verum, quod iuraturus verum eſſe ignorat, niſi prius inducens illi veritatem aperiat, ac perſuadeat taliter, ut efformet iudicium practicum licite poſſe iurare. Alias cum hic teſtaretur contra propriam conſcientiam ac mentem, ideſt contra id quod ſcit, reipſa mentiretur, licet verum diceret.

Nec, ut ex iam dictis patet, ſatis eſt ad excuſandum nos a culpa, cooperando ſine iuſta, & gravi cauſſa per appoſitionem rei noſtræ vel actionis alterius peccato, etiam quando actio principalis agentis eſt indifferens, vel ipſe ad peccandum iam paratus ſit; quia ſemper militat eadem ratio charitatis, alteriuſve virtutis, cuius oppoſitæ actioni cooperamur; nempe quod removere tenemur, ut prior præcipit, offenſam Dei, & ſpirituale malum proximi, quod exigit præceptum quoque fraternæ correctionis, & alterius violationem etiam in aliis vitare: quare non licet invitare ad cœnam paratum frangere ieiunium, die quo hoc obligat, quia hæc actio eſt obiective mala ex præcepto, a qua ſine rationabili cauſſa ſeparari nequit malitia. Etenim invitare, conſulere, & miniſtrare in actionibus prohibitis per aliquam legem, ſub qua illas exercens continetur, eſt obiective malum ex præcepto. Idcirco famuli heris, Caupones Tabernarii hoſpitibus licite miniſtrare nequeunt Carnem tempore ieiunii; nec Religioſis miniſtrare extra ſuos conventus cibos, qui a ſuis conſtitutionibus ſub mortali ſunt ipſis vetiti; niſi tamen rationabiliter præſupponere debeant famuli Dominos, Caupones hoſpites habere diſpenſationem, vel aliquam infirmitatem, vel ob fatigationem itineris excuſari a lege abſtinentiæ, & ieiunii. Et multo minus Tabernarii præbere poſſunt copioſum vinum iis, quos inebriandos prævideant, niſi ex tali denegatione grave malum illis immineret, ut mors, incendium, vulnera &c. Nequit tamen eos excuſare cauſſa lucri, cum ebrietas, utpote malum non ſolum corporis, ſed multo peius ipſius animæ, damnum ſit multo maius, quam amiſſio lucri, quæ ipſis ex tali denegatione derivaret.

Actio venialis, vel ex obiecto indifferens, fieri poteſt mortalis ratione ſcandali, quando a tali perſona & coram talibus fit, ut ſit probabile periculum, ne inde alii ex ignorantia, vel infirmitate occaſionem accipiant mortaliter peccandi

Cum actio de ſe licita ſpeciem exhibeat mali, tollitur ſcandalum manifeſtando iuſtitiam cauſſamque ita agendi. Sic comedens carnes die vetito ob occultam rationem, ſcandalum impediet hanc declarando. Opera per ſe licita quando cæteroquin non præſeferant ſpeciem quandam mali, unde oriri poſſit ſcandalum puſillorum, ſed phariſaicum ortum a ſola malitia, hæc quoque, lex exigit Charitatis ut quando ulla utilitas, aut neceſſitas ad illa non moveat, omittamus. Quare ſi quis ab alio obtinere poſſit pecuniam qua indiget, peccat eam petendo ab uſurario, qui ſine iuſto titulo lucri ceſſantis, aut damni emergentis uſuram ex tali mutuo exquiret. Mulier quæ cognovit expectari ab aliquo, ut in eius egreſſu a domo impure eam proſpiciat, peccat ſi ſine ullo neceſſario motivo ſe exponat eius aſpectui, vel exeundo e domo, vel ſe ei præſentando feneſtræ. Et ſic dicito in omni alio eiuſdem generis caſu. Verum cum lex Charitatis duo contineat præcepta, negativum unum obligans ad ſemper, ideſt ad numquam afferendum nocumentum proximo, cui præcepto opponitur ſcandalum activum ſeu datum, idcirco hoc ſemper vitare tenemur; alterum affirmativum, quo iubemur malum avertere a proximo, quod non obligat ad ſemper, ſed ſolummodo in certis datis circumſtantiis; hinc ſcandalum phariſaicum deſpiciendum erit, quando impediat opera non mala, quæ a propria vel alterius neceſſitate vel utilitate exigantur. Immo ſi occurat idem motivum neceſſitatis propriæ vel alienæ etiam in ſcandalo puſillorum, data eis ratione qua illud ſolvi valeat, ſi permanet evadit phariſaicum, & proinde tunc quoque actio non mala omitti non debet, ideſt licitie fieri poteſt.

Notandum hic tamen, quod requiratur motivum maioris neceſſitatis, atque utilitatis propriæ vel alienæ ad permittendum ſcandalum puſillorum, quam phariſaicum. Dixi *permittendum*, cum numquam intendi poſſit.

Difficultas hic occurrit, num aliquando, ſi fieri poſſit ſine gravi noſtro incommodo, teneamur

ad

ad vitandum ſcandalum puſillorum dimittere bona temporalia quæ iuſte iam poſſidemus; quando non aliter tale ſcandalum averti poſſit? Verum in hoc propoſito ſentiunt communiter DD. cum Angelico Magiſtro 2.2.q.43. art.8. dimittenda eſſe talia bona, quia bonum ſpirituale proximi præferendum eſt bono temporali, ſicuti etiam damnum temporale proprium damno ſpirituali proximi abſolute loquendo, præſcindendo ſcilicet ab omni exceptione quibus hoc principium afficitur. Quare, ut notat Caietanus in dato articulo, cum Prælati aliique beneficiarii Superiores Regulares non ſint Domini ſed tantum adminiſtratores Eccleſiaſticorum redituum ac proventuum, hinc caute procedere debent in eorum exactionibus quando debitores ſunt pauperes, & patienter differre quanto fieri poteſt, & neceſſarium eorumdem Eccleſiaſticorum commodum permittat, ne nimia vexatione illos premant ac exagitent, cum faciliime ſcandalum puſillorum ex quodam rigore in his exactionibus oriatur; unde quando eos compellere cogantur, iuſtitiam vexationis faciendæ manifeſtam reddant, & obligationem quam habent tamquam cuſtodes cavendi, ne deperdantur, vel grave onus quod ſæpe annexum eſt iiſdem proventibus, celebrationis miſſarum pro defunctis.

Licet perraro contingere poſſit, quod ad ſcandalum puſillorum vitandum cogamur bona temporalia in notabili quantitate dimittere, quia poſſunt aliquando certiores fieri de iuſta noſtra eorumdem bonorum poſſeſſione, nihilominus dari poteſt caſus, ſicuti obſervat quidam recentior, ut bona temporalia etiam in notabili quantitate ad puſillorum ſcandalum vitandum dimittenda ſint. Supponamus igitur quod alicui perſonæ ſufficientiſſime proviſæ & præcipue eccleſiaſtico de bonis patrimonialibus ſine ullo onere familiæ ſuſtentandæ, ab amico aliquo omnium ſuorum bonorum hæreditas relinquatur, dum defunctus habet conſanguineos, licet laterales etiam in tertio gradu valde inopes, qui privatione talis hæreditatis expoſiti remanerent non levi periculo incidendi ob eorum inopiam in multa crimina, maxime ſi ſint adoleſcentulæ nubiles, eo quod non habeant aliunde ſpem ſubſidii, niſi ſtipem & victum emendicando, vel alio modo infelici vitam ducendo: tunc certe teneretur ea perſona, & eo vel maxime ſi ſit Eccleſiaſtica, hæres a tali teſtatore conſtituta, vel hæreditatem in favorem conſanguineorum dimittere, vel eorum curam ſuſcipere, ut averteret eorum ſcandalum, & præcaveret pericula quibus expoſiti ſunt teſtatoris conſanguinei, nec non ad removendum ſcandalum prudentum, qui certe non parum commoverentur contra dictum hæredem hæreditatem retinentem, & curam derelictorum negligentem. Immo ſi hæreditas illa ſuperflua eſſet ſtatui, & decentiæ ſui ſtatus, ſuppoſito quod hæres eſſet Eccleſiaſticus, etiam titulo ſuperfluitatis illam dimittere teneretur.

Dixi *ſine magno noſtro vel alieno incommodo*; quia ex communi Doctorum cum notabili proprii ſtatus, & decentiæ detrimento non tenemur removere ſcandalum puſillorum, & eo vel maxime quod facile præcaveri poteſt huiuſcemodi ſcandalum mediante opportuna admonitione de iuſtitia, qua talia bona poſſidemus. Nimis enim durum eſſet, quod per aliquorum imbecillitatem & ignorantiam ſcandalum ſine fundamento accipientium teneremur cum tanto noſtro incommodo, ideſt cum gravi iactura propriæ conditionis illud removere. Quocirca neque mulier ad periculum effugiendi vagi & indeterminati ſcandali ſe abſtinere debet ab honeſto ornatu, & ordinario ſuæ conditionis: bene quidem ab extraordinario & inconvenienti.

Non tenetur ſe abſtinere ab ordinario & convenienti; quia ſcandalum perceptum ex tali ornatu eſſet phariſaicum. Si tamen ſperaret demiſſiori cultu utendo ſe poſſe compeſcere impudici amatoris efferveſcentiam, ſentiunt etiam non rigidi ſaltem aliquoties ad illud teneri. Et eo magis hi quoque communiter docent eam teneri ſub mortali ad abſtinendum ab ornatu elegantiori, & ſuæ conditioni, ac ſtatui non conſentaneo, ſi prudenter prævideat, quod in aliqua determinata perſona eſſe poſſit occaſio, ut turpis affectus erga ipſam concipiatur. Etenim nullum patitur incommodum huiuſcemodi ornatum deponendo, idcirco tenetur ſub mortali removere tale periculum ruinæ ſpiritualis proximi. Immo hoc etiam ſecluſo, utendo mulieres ornatu elegantiori, ac pretioſiori, quam ferat eorum conditio, ſe exponunt periculo ſcandalum præbendi, maxime ſi tenuis ſint fortunæ, ob ſuſpicionem quam aliqui concipere poſſunt circa modum, quo tali ornatu provideantur, ne forſan cum fœdo propriæ honeſtatis commercio. Et utinam frequenter non contingerent de mulieribus ita ſe exornantibus huiuſcemodi ſuſpiciones.

Ad præcavendum ſcandalum numquam ea facere licet, quæ lege naturali ſunt vetita, cum numquam facere liceat quod eſt intrinſece malum. Nec licet omittere ad talem finem opus lege naturali præceptum, quia talis omiſſio eſt intrinſece mala. Lex enim naturalis non præcipit niſi quod ſpectatis omnibus circumſtantiis eſt neceſſarium ad morum honeſtatem; idcirco numquam omittere poſſumus neceſſaria neceſſitate medii; quia ut docet D. Thom. q. 43. art. 7. ſecundum ordinem Charitatis plus debet

Digitized by Google

bet homo ſuam ſalutem ſpiritualem diligere, quam alterius. Aliqui tamen cum D. Thoma 2.2. q. 43. a. 7. volunt, opera iuris naturalis affirmativi aliquando ad vitandum præcipue ſcandalum puſillorum omittenda, vel occultanda, vel ſaltem differenda eſſe, donec ſaltem illuminentur, reddendo eis rationem, unde cognoſcant talia opera eſſe bona. Et hoc multo magis dicunt fieri poſſe, quoad opera lege poſitiva humana præſcripta; cum ius poſitivum cedere debeat iuri naturali, quod ſcandalum ſeu ruinam ſpiritualem proximi vitare & impedire præcipit. Et multo magis hæc doctrina valere debet quoad opera Conſiliorum, & ſupererogationis ut omittantur ad removendũ ſcandalum puſillorum, donec ratio eis reddatur. Unde reſpectu præcepti legis humanæ poſitivæ mulier quæ prævidet in ſui aſpectu aliquem in particulari ſcandalizandum ex infirmitate, poteſt, immo debet etiam die feſto ſemel, & iterum relinquere ſacrum, quia cum omnia præcepta habeant pro fine Charitatem, non obligant in his circumſtantiis, in quibus dictat Charitas eorum obſervantiam omittendam, ut grave peccatum proximi vitetur. Reſpectu item operum Concilii pergens ad domum viduæ pauperis mendicare erubeſcentis, ut eidem ſubveniat, ſi ipſi aſſocietur quidam quem ſcit amore impudico eam amare, qui ſecum ad eam ingredi velit, & ab illo ſe liberare nequeat, tenetur tunc eleemoſynam ad aliud tempus differre. Et ſic in aliis ſimilibus caſibus reſolvendum.

Nota, ſcandalum non excuſari a bona intentione, nec a conſcientia non remordente, quando præcipue actio ſpeciem aliquam ſeu ſimilitudinem habeat peccati: Unde cohabitare non licet cum certis perſonis, quæ reſpectu præcipue Eccleſiaſticorum, eorumdem ſtatum dedecent, importunas frequentare viſitationes, communicare viciſſim munuſcula, & alia huiuſce generis gerere, quæ videntibus ac ſcientibus ingerere poſſunt ſuſpicionem amoris non honeſti, alteriuſve culpæ, etiamſi fiant bona intentione, & ſine conſcientiæ remorſu; quia ſunt ſemper occaſiones ſcandali. Quare cavenda ſunt non tantum peccata, verum etiam actiones omnes ſpeciem, & ſuſpicionem peccati præſeferentes, cum honeſtari nequeant & expurgari a bona conſcientia & intentione, qua fieri poſſunt.

Non licet tamen ad ſcandalum paſſivum vitandum relinquere opus bonum in detrimentum fidei & boni ſpiritualis communis; quia hæc pertinent ad ius naturale & divinum negativum, quo iubemur ne umquam in re aliqua fidem lædamus, ſeu præiudicium afferamus Communitati.

Omnino illicitum eſt aliquem peccare volentem removere a maiori malo, minus perſuadendo, cum ſemper ſit malum inducere ad peccatum quodcumque ſit, etſi leve, quia numquam licet facere malum, nec illud conſulere, ne quidem ut eveniant bona, ut conſtat ex Apoſtol. Rom. 3. quia licet quis a maiori malo divertere aliquem ſtudeat, conſentit tamen, & cooperatur in illud minus malum quod conſulit, illudque approbat, & eſt cauſſa moralis illius, quod intrinſece eſt malum. Licet quidem peccata inæqualia patrare volentem deterrere a graviore, ſilendo de minus gravi, quia ita ſuadet dumtaxat omittere gravius. Ita P. Antoine.

Qui vero per vim & dolum, vel perverſa falſaque edocendo, alios ad peccandum induxit, tenetur per viribus curare ut tollat pravam quam præbuit peccandi occaſionem, ac ut impoſterum ſe abſtineant. Sic docent communiter DD. Quia *dicto modo inducendo, intulit* alteri damnum graviter iniurioſum, ac proinde quantum fieri poteſt tenetur talem iniuriam graviter ſpirituale bonum proximi lædentem tollere; alias peccaret contra charitatem, immo, & contra iuſtitiam, quia proximo modo violento ius quod habebat ne ſibi vis, dolus, aut falſa doctrina inferatur, læſit. Suam doctrinam igitur etiam cum iuramento retractando, vim, dolumque auferendo, eidemque ſinceram pœnitentiam ſuadendo, illum integræ libertati reſtituere debet. Immo ſi ex errore illi ſuaſo, vel ex fraude qua eum decepit, damnum aliquod temporale ei obvenerit, puta excluſio ab aliquo lucroſo officio, aut a quavis alia temporali utilitate, teneretur ei huiuſcemodi damnum compenſatione reparare; cum fuerit ſuis falſis inſinuationibus & fraudibus cauſſa, unde tale damnum paſſus eſt. Quod ſi abſque ulla falſa ſuaſione, dolo, fraude, ſed ſolum malo ſuo exemplo inſinuationibus non falſis, deprecatione, muneribus al rerũ quis ad peccandum induxiſſet, minime teneretur damna temporalia, quæ ex tali peccato ſcienter, & voluntarie patrato reſultaſſent, compenſare; quia cum volenti, & conſentienti nulla fiat iniuria, nullum ius ei violavit, nullam iniuriam eidem intulit. Verum hoc non currit in caſu, quo puella inducta ab aliquo ſuaſionibus, voluntarie ſuæ violationi conſenſerit; quia licet nullam ſuis ſuaſionibus iniuriam eidem intulerit, ac proinde non teneatur ei damnum ex ſtupro ſecutum compenſare, tenetur tamen illud compenſare puellæ cuſtodibus, quibus revera iniuriam intulit. Sed de hoc fuſius ſuo loco dicetur agendo de reſtitutione.

FINIS TOMI PRIMI.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

0056773O6

Digitized by Google

Digitized by Google